RERVM BRITANNICARVM,

ID EST ANGLIAE, SCOTIAE, VICINARVMQVE INSVLARVM AC REGIONVM,

SCRIPTORES VETVSTIORES AC PRAECIPVI:

GALFREDI MONVMETENSIS, cognomento: Arturi de origine & gestis Regum Britanniæ LIBRI XII.

PONTICI VIRVNNII Britannicæ historiæ libri VI. quibus G. Monumetensis libros sex priores in Epitomen redegit.

GILDAE SAPIENTIS, de excidio & conquestu Britanniæ Epistola.

BEDAE ANGLOSAXONIS Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum libri V.

CONTINVATIO eiusdem Historiæ, incerto auctore, libris III. comprehensa, ac iam primum publicata.

GVLIELMVS NEVBRICENSIS de rebus Anglicis libri V.

IOANNIS FROSSARDI Historiarum Epitome, in qua de Bellis inter Anglos & Gallos gestis, præcipue agitur.

Quid a nobis in hac editione præstitum sit, ad Lectorem Epistola docebit.

LVGDVNI,
Apud Renatum Potelerium.
CIƆ. IƆ. LXXXVII.

RERVM BRITANNICARVM,

ID EST
ANGLIAE, SCOTIAE, VICINARVMQVE INSVLARVM AC REGIONVM,

SCRIPTORES VETVSTIORES AC PRAECIPVI:

GALFREDI MONVMETENSIS, cognomento: Arturi de origine & gestis Regum Britanniæ LIBRI XII.

PONTICI VIRVNNII Britannicæ historiæ libri VI. quibus G. Monumetensis libros sex priores in Epitomen redegit.

GILDAE SAPIENTIS, de excidio & conquestu Britanniæ Epistola.

BEDAE ANGLOSAXONIS Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum libri V.

CONTINVATIO eiusdem Historiæ, incerto auctore, libris III. comprehensa, ac iam primum publicata.

GVLIELMVS NEVBRICENSIS de rebus Anglicis libri V.

IOANNIS FROSSARDI Historiarum Epitome, in qua de Bellis inter Anglos & Gallos gestis, præcipue agitur.

Quid a nobis in hac editione præstitum sit, ad Lectorem Epistola docebit.

LVGDVNI.
Apud Renatum Potelerium.
CIↃ. IↃ. LXXXVII.

RERVM BRITANNICARVM,

ID EST ANGLIAE, SCOTIAE, VICINARVMQVE INSVLARVM AC REGIONVM, SCRIPTORES VETVSTIORES AC PRAECIPVI:

GALFREDI MONVMETENSIS, cognomento: Arturi de origine & gestis Regum Britanniæ LIBRI XII.

PONTICI VIRVNNII Britannicæ historiæ libri VI. quibus G. Monumetensis libros sex priores in Epitomen redegit.

GILDAE SAPIENTIS, de excidio & conquestu Britanniæ Epistola.

BEDAE ANGLOSAXONIS Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum libri V.

CONTINVATIO eiusdem Historiæ, incerto auctore, libris III. comprehensa, ac iam primum publicata.

GVLIELMVS NEVBRICENSIS de rebus Anglicis libri V.

IOANNIS FROSSARDI Historiarum Epitome, in qua de Bellis inter Anglos & Gallos gestis, præcipue agitur.

Quid a nobis in hac editione præstitum sit, ad Lectorem Epistola docebit.

LVGDVNI.
Apud Renatum Potelerium.
CIↃ. IↃ. LXXXVII.

R. M. H.



N. D. W.

ILLVSTRISSIMO. PRINCIPI
ET. DOMINO. D. FRIDERICO
PALATINO. AD. RENVM
ELECTORALIS. PALATINA-
TVS. HEREDI. DVCI. BAVA-
RIAE. HEIDELBERGENSIS
ACADEMIAE. RECTORI. PER-
QVAM. MAGNIFICO. DOMI-
NO. CLEMENTIS. RERVM
BRITANNICARVM. SCRIPTO-
RES. HOSCE. VETVSTIORES
A. ME. COLLECTOS. AC. EDI-
TOS. INSTITVTI. HEIC
NOVI. TYPOGRAPHEI
CEV. PRIMITIAS. QVANTV-
LAS. QVANTVLAS. MERITO
AC. L. D. CONSECROQVE

HIER. COMMELINVS. CATVAC.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

QVanta sit in Historiis non voluptas modo, verum etiam vtilitas, multis in locis ostendit Cicero, qui turpem illarum ignorationem esse pronuntiat. Quod quum animaduerterent viri nostræ ætatis doctissimi, non sine magna laude id egerunt, vt variæ variarum gentium veluti postliminio in manus hominum vetustiores redirent historiæ. Testes innumerabiles qui hoc nostro seculo prodierunt, Galliæ, Austriæ, Hungariæ, Daniæ, Saxoniæ aliarumque regionum historiographi: imprimis autem Germaniæ, qui iam ad multa volumina creuerunt. Quod quidem studium dum summæ auctoritatis viris adeo placere viderem, vt quidquid ipsis otij a Reipub. negotiis supererat, id omne in legendis, colligendis, aut scribendis denique historiis libenter consumerent; operæpretium facturum me existimaui, si (quod amici abs me iam diu efflagitarant) quos in variis peregrinationibus hinc inde collegeram vetustiores Britannicarum rerum scriptores m. s. aut typis excusos, tandem in vnum volumen redigerem. In his edendis id curauimus, vt historiæ series, non autem temporis quo auctor quisque vixerit, seruaretur. Hinc Galfredus Monumetensis, vel Monemutensis, ac Ponticus Virunnius Gildam & Bedam ordine præcedunt. Galfredum (ab Ascensio Lutetiæ prius editum & multis in locis pro illius arbitrio absque causa mutatum) cum m. s. Clarissimi viri & de litteris optime meriti D. Pauli Knibij collatum, γνήσιον reddimus. Idem in Gilda post editionem Polydori (qui hic eodem iure, quo Ascensius in Galfredo, vsus erat) præstitit Ioannes Iosselinus collatis duob. vetustis exemplaribus. In Beda vsus sum v. m. s. Nicolai Pithœi Domini de Changobert. Huius historiæ Continuationem Anonymi, quam ex miserrima Bibliothecarum Belgicarum vastatione forte seruarat, mihi tradidit idem Knibius, sed in primo libro, vt videtur, mutilam. In his omnibus sciens prudens nonnulla librariorum errata reliqui, quæ ex coniectura facile corrigi poterant: verum illa ad calcem referre malebam. quod quum per temporis angustiam præstare non potuerim, iudicio tuo vteris. Vale.

DE AVCTORIBVS PAVCA EX BALEO, ET IPSORVMMET SCRIPTIS EXCERPTA.

GALFREDVS Monumetensis, vel, vt alij, Monemutensis archidiaconus, cognomento Arturus, vir pro illo seculo non ineruditus, hanc quam vobis damus historiam e Britannico in Latinum transtulit sermonem. In hunc iniquior fuisse existimatur Guliel. Neubrigensis; Polydorus vero Virgilius ingratus; vtpote qui in historia sua compilanda vt plurimum Galfredi testimonio vtatur. Verum id quidem est multa huic inesse historiæ quæ fidem excedant: in interpretem tamen ideo debacchari iniquum est. Ipsum contra defendit Ponticus Virunnius, cuius mox testimonium citabimus. refert Baleus & Gesnerus hanc historiam lib. VIII. comprehensam, quum tamen vetustiss. exemplaria m. s. X. numerent. Scripsit, inquit Baleus,

Prædictiones Ambrosij Merlini, LIB. I.
De exilio ecclesiasticorum, LIB. I.

Vnde coniicere licet hos posteriores in numero X. librorum comprehendi, nimirum Prædictiones libro septimo: de Ecclesiasticorum exilio, sequenti, id est, octauo: cuius initium, Dum igitur. Sequentes prosa & carmine composuit:

In fragmentum Gildæ, Lib. I.
Vitam Merlini Caledonij, Lib. I.
Arturi regis gesta, Lib. I.
Diuersi generis carmina, Lib. I.
De corpore & sanguine Domini, Lib. I.
Commentarios in Merl. Prophetias, Lib. I.
Ad Gualterum Oxoniensem, Lib. I.
Claruit anno cIↃ. CLII.

PONTICVS Virunnius, al. Virumnius, patria Taruisinus, in gratiam Badoeræ clarissimæ Venetorum familiæ, ex Britannis olim oriundæ, Sex priores Galfredi Monemutensis libros, ommissis quæ fabulosa videbantur, in epitomen contraxit. De quo hoc testimonium tulit: Galfridus historicus egregius & Cardinalis, magnæ vir auctoritatis apud Robertum Claudiocestriæ Ducem, Henrici regis filium, ac patriæ suæ curiosissimus fautor, ex summa philosophia atque archiuis regalibus, historiam Antiquissimam continua serie ab ipsis Troianis collectam transtulit. Verissimas esse Britannorum historias, arguit regum occidentalium consuetudo: quæ erat secum semper habere eos qui veritate præcipua eorum gesta notarent. Scripsit hic Ponticus Commentaria in Virgilium, metamorphosin Ouid. Statij Achilleida, Claudianum, & alia plurima. Vixit sub Ludouico Sfortia, anno cIↃ. CCCC XC.

GILDAS Badonicus, cognomento Sapiens, Iltuti Morganensis discipulus, grauissimus auctor (vt Polydorus habet) in amplissimo Bannochorensi Apostolicorum virorum

virorum cœnobio monachum induit. Hic post imbibitas copiose bonarum artium litteras, plebis docendæ gratia, sacrarum scripturarum studio se totum dedidit. in quibus quantum profecerit monumenta eius testantur. Ex hac epistola plurima Bedas in Historiam suam transtulit. Scripsit hanc

De excidio Britanniæ epistolam.

In sui temporis Clerum: cuius initium, Sacerdotes habet Britannia, huius voluminis pag. 132. Conciones mordentes: Historiam quandam: De immortalitate animæ, & alia quædam.

Claruit a Christi Iesu natali IↃ. LXXX. iuxta Polydorum. Scribit auctor in hac ipsa epistola, pag. 120. v. 50. natum se esse, anno quo Britanni Saxones ad Badonicum montem fuderunt, qui quidem annus fuit XLIIII. a primo Saxonum aduentu, nempe ab incarnatione Domini (vt testatur Beda LIB. I. CAP. XV.) quadringentesimo quadragesimo nono. ex quo appraret non verisimile esse quod a Polydoro scribitur.

BEDA de Iaru, seu Girvvicensis, Venerabilis ob vitæ sanctitatem morumque grauitatem ex infimo Anglosaxonum genere, humilique pago Girvvico oriundus, in Wirmuthensi ac Girvvicensi, sub vno abbate vix quinque milliariis distantibus, cœnobiis, ætatem omnem exegit. fuit in Gentilium libris tam plene exercitatus, vt eo seculo vix parem habuerit. Physicen, & mathesin, non a riuulis sordidis, sed ex purissimis fontibus, hoc est, ex Græcis & Latinis auctoribus primis hausit. Fidei autem Christianæ mysteria, tam solide, quantū eius temporis dabat iniquitas, nouit, vt ob exactā vtriusque linguæ Latinæ & Græcæ peritiam, magno illo Gregorio à multis præclarior haberetur. Catalogus operū eius huius voluminis pag. 280. habetur. de eo nōnulla in Continuatione ipsius Historiæ, pag. 283. obiit anno IↃ. CC XXXIIII. ætat. suæ LXXII.

QVIS hic auctor sit qui Bedæ historiam tribus libris continuauit, mihi non constare ingenue fateor. nam in v. m. s. codice auctoris nomen nullum erat, nec Baleo, quantum coniectura assequi possum, lectum, aut visum hoc opus existimo. Id vnum ex ipsiusmet historia didici, ipsum ex Britannia oriundum: alibi enim Britones suos vocat, alio vero in loco Gallos vicinos suos nominat. quoad vitæ institutum attinet, omnino mihi persuadeo eiusdem cum Gilda & Beda fuisse ordinis: hunc in miraculis recitandis; illum in vitiis reprehendendis imitatur. Tempore Wilhelmi Normanni conquestoris ac filij eius illum vixisse satis apparet; nam & Guimundi, qui aduersus Berengarium scripsit, tanquam ὁμήλικος mentionem facit. Historiam suam ad annū ab Inc. Christi circiter CIↃ. C. perduxit, ac tum fortasse ipsum mors occupauit.

GVLIELMVS Petyte, vel Paruus, Bridlingtonæ in terra Eboracensi natus, Neobrigensis monasterij prope siluam Cuculinam canonicus regularis, ac doctor Theologus fuit. A Polydoro Virgilio hoc elogio ornatur; quod veridicus auctor fuerit. Hunc grauiter Lelandus reprehendit, quod tam acriter ac calumniose cum Galfredo Monumetensi etiam mortuo decertarit. præter hos. V. Historiarum libros, scripsit

De Anglorum regibus Lib. II. In Cantica canticorum.

Commentarios alios & Sermones eruditos.

Claruit anno Christi CIↃ. CC. sub Ioanne Anglorum rege.

IOANNES Frossardus, patria Hannonius, canonicus ac thesaurarius Chimayensis in comitatu eiusdem Hannoniæ, & Leodiensi diœcesi, inter eos qui magnorum principum ac populorum spectabilia gesta commemorant, eminere plurimum videtur. fuit ei cum Philippa Hannoniensis Comitis filia, & Eduardi tertij Anglorum regis vxore, prolixa consuetudo: cuius gratia vtramque secutus aulam, tam visa quam audita eius ætatis facta, chartis bona fide, sed Gallico sermone, commendauit, illique Anglorum tunc reginæ dedicauit

Sui temporis chronicon, Lib. II. Continuationes eiusdem, Lib. I.

Laudes Philippæ Reginæ, Lib. II.

Ex magnis illis voluminibus I. Sleidanus hanc Epitomen Latine conscripsit.

CATA

CATALOGVS REGVM BRITANNORVM, AB EXORDIO ILLIVS REGNI VSQVE AD EXITVM EIVSDEM, TEMPORIS ratione vbique obseruata.

Ann. mund.		Annos
2859	*Brutus eius Regni cōditor*	15
2874	*Locrinus Bruti filius*	20
2894	*Guēdolena Locrini vxor*	15
2909	*Madan Locr. filius*	40
2949	*Mempricius*	20
2969	*Ebraucus*	40
3009	*Brutus, viride Scutum*	12
3012	*Leilus*	25
3046	*Rud Hudibras*	29
3085	*Bladudus*	20
3105	*Leirus*	40
3155	*Cordilla filia Leiri*	5
3170	*Cunedagius & Morgan⁹*	33
3203	*Riuallonus*	46
3249	*Gurgustius*	37
3287	*Sisillus*	49
3336	*Iacobus al. Iago*	28
3364	*Cynimarcus*	54
3418	*Gorboduc*	63
3476	*Ferrex & Porrex*	4

Regnū diuisum 50. ann.

Rudacus Rex Cambriæ
Clotenus R. Cornubiæ
Pinnor R. Loegriæ
Staterus R. Albaniæ
Yvven vel Ovven Rex Berniciæ.

3529	*Dunuallo Molmutius, filius Cloteni*	40
3574	*Belinus & Brennus*	26
3595	*Gurguntius Barbtruch*	19
3614	*Guitelinus*	27
3650	*Sisillus al. Sisilius*	7
3657	*Cimarius al. Kimarus*	3
3661	*Elanius al. Danius*	8
3669	*Morindus al. Moruidus*	8
3676	*Gorbonianus*	10
3686	*Archigallo al. Arthgallo*	1
3687	*Elidurus, Helidurus, vel Heliodorus pius*	3
3690	*Archigallo secundo.*	10
3700	*Elidurus pius secundo.*	1
3701	*Ingenius al. Vigenius, Oenus, & Peredurus*	8
3709	*Elidurus tertio.*	4

Post Eliduru̅ 33. Reges succedebant per annos circiter 185. hac serie.

1	*Rhesus Gorboniani filius*	
2	*Marganus fil. Archigall.*	
3	*Enianus al. Enniaunus, Eneon Morg. frater*	
4	*Eduallus, al. Iduallo filius Oeni*	
5	*Runo filius Pereduri*	
6	*Geruntius Eliduri filius*	
7	*Catellus filius Geruntij*	
8	*Coelus*	
9	*Porrex*	
10	*Cherinus*	
11	*Fulgenius filius Cherini*	
12	*Eldadus filius Cherini*	
13	*Androgius III. al. Andragius Cherini filius*	
14	*Vrianus Androgij filius*	
15	*Eluidius al. Eliud*	
16	*Cledaucus*	
17	*Clotenus al. Cletinus*	
18	*Gurgūtius al. Gurgintius*	
19	*Marianus, al. Meiriannus, vel Merianus*	
20	*Bleidutus al. Bleduno*	
21	*Caphus al. Cap.*	
22	*Oenus*	
23	*Sisillus al. Sisillius*	
24	*Blegored⁹ aut Blegabred⁹*	
25	*Archmael⁹ al. Arthmai.*	
26	*Eldolus, al. Aidolus*	
27	*Redion*	
28	*Rothericus al. Rederchius*	
29	*Samuel Penisel*	
30	*Pyrrhus*	
31	*Capoirus*	
32	*Gliquellus filius Capoiri, al. Cliguillus*	
33	*Hely. al. Bely, quem Britanni Beli Mavvr* i. *Belinū Magnū vocāt.*	
3895	*Ludus fili⁹ Belini Magni*	11
3908	*Cassiuellaun⁹ Ludi frater*	15

Huius Regis tempore, I. Cæsar Britanniam ingressus, eam imp. Rom. subiugauit.

3921	*Tenuantius al. Theomātius filius Ludi*	22
3944	*Cymbelinus*	29

Huius Regis ann. XXII.
A.CH. Christus Iesus natus est in Iudæa.

7	*Guiderius*	28
45	*Aruiragus, Prasutagus Tacito*	28

Legati vel Quæstores Rom. in Britan.

A. Plautius
P. Ostorius Scapula
A. Didius Gallus
Paulinus Suetonius
Petronius Turpilianus
Trebellius Maximus
Vectius Volanus
Iul. Frontinus

73	*Marius, alias Mauus, vel Manius, B. Meyricus*	52

Legat. Rom.

Iul. Agricola

125	*Coelus filius Meyrici*	40
165	*Lucius filius Coeli*	43

Hic primus Regū Britanniæ Christianam religionem suscepit, Anno Dom. C. LXXVII.

Leg. vel Quæst. Rom.

Cn. Trebellius
Iul. Capitolinus
Pertinax
Clodius Albinus

207	*Seuerus Imperator*	4
211	*Bassianus Caracalla*	6
218	*Carausius*	7
225	*Alectus*	6
232	*Asclepiodotus*	30
262	*Coelus*	27
289	*Constantius*	17
306	*Constantinus Magnus*	25
383	*Maximus Tyrannus*	5

Hic incipit Britannici Regni inclinatio.

390	*Gratianus Municeps*	4
	* *Interregnum.*	
433	*Constātinus Aldroeni fr.*	10
443	*Constātius Const. filius*	3
446	*Vortigernus*	8
464	*Vortimerus*	7
471	*Vortigernus secundo.*	9
481	*Aurelius Ambrosius*	19
500	*Vtherus Pendragon*	16
516	*Arthurus Vtheri filius*	26
542	*Constantinus fil. Cadoris*	4
546	*Aurelius Conanus*	2
548	*Vortiporius*	4
580	*Malgo, al. Maglocunus*	5
586	*Careticus*	2

Hoc tēpore Britannia a Gurmūdo & Saxonibus in Cambriam & Cornubiam pulsi sunt vna cum suo rege Caretico.

613	*Caduanus dux Venedotiæ*	22
635	*Caduallonus fil. Caduani*	48
683	*Caduallad⁹ fil. Caduallonis*	3

Hic regnum illud antiquissimum Britonum corruit

FINIS.

GALFREDI MONVMETENSIS HISTORIAE REGVM BRITANNIÆ,

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

CVM multa mecum & de multis sæpius animo reuoluens, in historiam regum Britanniæ inciderem: in mirum contuli, quod intra mentionem quam de eis Gildas & Beda luculento tractatu fecerant, nihil de regibus qui ante incarnationem Christi Britanniam inhabitauerant: nihil etiam de Arturo, cęterisque compluribus qui post incarnationem successerunt, reperissem: cum & gesta eorum digna æternitatis laude constarent, & a multis populis quasi inscripta iocunde & memoriter prædicentur. Talia mihi & de talibus multotiens cogitanti, obtulit VValterus Oxinefordensis archidiaconus, vir in Oratoria arte atque in exoticis historiis eruditus, quendam Britannici sermonis librum vetustissimum, qui a Bruto primo rege Britonum vsque ad Cadualadrū filium Cadualonis, actus omnium continue & ex ordine perpulcris orationibus proponebat. Rogatu illius itaque ductus, tametsi intra alienos hortulos falerata verba non collegerim, agresti tamen stylo propriisque calamis contentus, codicem illum in Latinum sermonem transferre curaui. Nam si ampullosis dictionibus paginam illiuissem: tædium legentibus ingererem, dum magis in exponendis verbis quam in historia intelligenda, ipsos commorari oporteret. Opusculo igitur meo, Roberte dux Claudiocestriæ, faueas, vt sic te ductore, te monitore corrigatur: vt non ex Galfridi Monumetensis fonticulo censeatur exortum, sed sale Mineruæ tuæ conditum: illius censeatur editio, quem Henricus illustris rex Anglorum generauit: quem philosophia liberalibus artibus erudiuit: quem innata probitas in militia militibus præfecit: vnde Britannia tibi nunc temporibus nostris, ac si alterum Henricum adepta, interno gratulatur affectu.

CAPVT II.

BRITANNIA insularum optima, in occidentali Oceano inter Galliam est & Hyberniam sita: octingenta milia in longum: ducenta verò in latum continens: quicquid mortalium vsui congruit, indeficienti fertilitate ministrat. Omni enim genere metalli fœcunda, campos late pansos habet, collesque præpollenti culturæ aptos, in quibus frugum diuersitates vbertate glebæ temporibus suis proueniunt. Habet & nemora vniuersis ferarum generibus repleta: quorum in saltibus & in alternandis animaliū pastibus gramina conueniunt, & aduolantibus apibus flores diuersorum colorū mella distribuunt. Habet prata sub aëriis montibus amœno situ virentia, in quibus fontes lucidissimi per nitidos riuos leni murmure manantes, pignus soporis in ripis accubantibus irritant. Porrò lacubus atque piscosis fluuiis irrigua est: & præter meridianæ plagæ fretum quo ad Gallias nauigatur, tria nobilia flumina, Tamesis videlicet & Sabrinæ, necnon & Humbri, velut tria brachia extendit: quibus transmarina commercia ex vniuersis nationibus eiusdem nauigio feruntur. Bis denis etiam bisque quaternis ciuitatibus olim decorata erat: quarum quædam dirutis mœnibus in desertis locis squalescunt: quædam vero adhuc integræ templa sanctorum cum turribus perpulcra proceritate erecta continent, in quibus religiosi cœtus virorum ac mu-

licitum obsequium Deo iuxta Christianam traditionem præstant. Postremo quinque inhabitatur populis: Romanis videlicet atque Britannis, Saxonibus, Pictis, & Scotis. Ex quibus Britones olim ante cæteros a mari vsque ad mare insederunt: donec vltione diuina ob ipsorum superbiam superueniente, Pictis & Saxonibus cesserunt. Qualiter & vnde adplicuerint, restat nunc prælibare, vt in sequentibus latius explicabitur.

CAPVT III.

Aeneas post Troianum bellum, excidium vrbis cum Ascanio diffugiens, Italiam nauigio adiuit. Ibi cum a Latino rege honorifice receptus esset, inuidit Turnus rex Rutulorum, & cum illo congressus est. Dimicantibus illis, præualuit Æneas, peremptoque Turno, regnum Italiæ & Lauiniam filiam Latini est adeptus. Denique suprema die ipsius superueniente, Ascanius regia potestate sublimatus, condidit Albam supra Tyberim, genuitque filium, cui nomen erat Siluius. hic furtiuę Veneri indulgens, quandam Lauiniæ neptem vxorem duxit, eamque fecit prægnantem. Cumque id patri Ascanio compertum esset, præcepit Magis suis explorare quem sexum puella concepisset. Certitudine ergo rei cōperta, dixerunt Magi ipsam grauidam esse puero, qui patrem & matrem interficeret: pluribus quoque terris peragratis in exilium, ad summum tandem culmen honoris perueniret. Nec illos fefellit vaticinium suum. Nam vt dies partus accessit, edidit mulier puerum, & in natiuitate eius mortua est. Traditur autem ille nutrici, vocaturque Brutus. Postremo cum ter quini anni elapsi essent, comitabatur iuuenis patrem in venando, ipsumque inopino ictu sagittæ interfecit. Nam cum famuli ceruos in occursum eorum ducerēt, Brutus telum in ipsos dirigere affectans, genitorem sub pectore percussit. Quo mortuo expulsus est ab Italia, indignantibus consanguineis ipsum tantum facinus fecisse. Exulans ergo adiuit Græciam: inuenitque progeniem Heleni filij Priami, quæ sub potestate Pandrasi Græcorum regis in seruitutem tenebatur. Pyrrhus etenim Achillis filius post Troiæ euersionem, prædictum Helenum compluresque alios secum in vinculis adduxerat. Et vt necem patris in ipsos vindicaret, in captione teneri præceperat. Agnitaq; veterum conciuium prosapia, moratus est Brutus apud eos. In tātum autem militia & probitate vigere cœpit, ita vt a regibus & ducibus præ omni iuuētute patrię amaretur. Erat enim inter sapientes sapiēs: inter bellicosos bellicosus: & quicquid auri vel argenti siue ornamentorum acquirebat, totum suis commilitonibus erogabat. Diuulgata itaque per vniuersas nationes ipsius fama: Troiani cœperunt ad ipsum confluere: orantes vt ipso duce a seruitute Græcorum liberarentur: quod facile fieri asserebant, cum in tantum iam in patria multiplicati essent, ita vt septem milia (exceptis paruulis & mulieribus) iam computarentur. Præterea erat quidam nobilissimus iuuenis in Græcia, nomine Assaracus: qui partibus eorum quoque fauebat. Ex Troiana namque matre natus erat: fiduciamq; in illis habebat maximam: vt auxilio eorum inquietudini Græcorum resistere quiuisset. Arguebat enim eum frater eius propter tria castella quæ ipsi moriens pater donauerat, quod ea auferre conabatur: quia ex concubina natus fuerat. Erat autem frater patre & matre Græcus: asciueratque regem ceterosque Græcos parti suę fautores. Inspiciens ergo Brutus & virorum multitudinem: & Assaraci castella quæ sibi patebant; petitioni eorum securius acquieuit.

CAPVT IIII.

Electvs igitur in ducem conuocat vndique Troianos & Assaraci oppida munit. Ipse vero & Assaracus cum tota multitudine virorum & mulierum quæ eis adhærebat, nemora & colles occupant. Deinde Brutus literas suas in hæc verba regi direxit. Pandraso Græcorum regi, Brutus reliquiarum Troiæ dux, salutem. Quia indignum fuerat gentem præclaro genere Dardani ortam, aliter in regno tuo tractari quam serenitas nobilitatis expeteret: sese intra abdita nemorum recepit. Præferebat namque ferino ritu, carnibus videlicet & herbis vitam cum libertate sustentare, quam vniuersis deliciis refocillata, diutius sub iugo seruitutis tuæ permanere. Quod si celsitudinem tuæ potentiæ offendit; non est ei imputandum, sed venia adhi-

benda: cum cuiusque captiui communis sit intentio, velle ad pristinam dignitatem redire. Misericordia igitur super eam motus, amissam libertatem largiri digneris: & saltus nemorum quos, vt seruitutem diffugeret, occupauit, eam incolere permittas. Sin autem, concede vt ad aliarum terrarum nationes cum tua diligentia abscedant.

CAPVT V.

PANDRASVS ergo agnita literarum sententia, vltra modum admiratus est ipsos, quos in seruitutem tenuerat, tanta audacia abundasse, vt ei talia mandata dirigerent. Conuocato itaque procerum suorum consilio, exercitum colligere decreuit, vt ipsos persequeretur. Dum autem deserta in quibus eos esse autumauerat: & opidum Sparatinum peteret, egressus est Brutus cum tribus milibus virorum, ipsumque nihil huiusmodi præmeditatum ex improuiso inuasit. Audito namq; aduentu ipsius, sese in prędicto opido præcedenti nocte immiserat: vt in ipsos inermes & sine ordine ituros inopinam irruptionem faceret. Impetu itaque facto inuadunt acriter Troiani, & stragē ingerere nituntur. Porro Græci confestim stupefacti in omnes partes dilabuntur: & rege suo præcedente, fluuium Akalon, qui prope fluebat, transire festinant. At in transeundo intra voraginē fluctus periclitātur. Quos diffugientes Brutus infestat, infestatos vero partim in vndis, partim in ripa prosternit: & nunc hac nunc illac discurrens, duplicem necem illis ingestam esse lætatur. Quod vt Antigonus Pandrasi frater intuitus est, vltra modum doluit: vagantesque socios in turmam reuocauit: celerique impetu in sæuientes Troes reuersus est. Malebat namque resistendo interire, quam ignauam fugam faciens, luteis gurgitibus submergi. Densa igitur acie incedens, socios viriliter resistere hortabatur: letiferaque tela totis viribus contorquet: sed parum vel minimum profecit. Nam Troes armis muniti erant: cæteri vero inermes. Vnde audacius insistentes cædem miserandam inferebant: nec eos hoc modo inquietare desierunt, donec cunctis fere interfectis, Antigonum & Anacletum eiusdem socium retinuerunt.

CAPVT VI.

BRVTVS vero potitus victoria, opidum sexcentis militibus muniuit: petiuitque nemorum abdita: vbi Troiana plebs præsidium illius expectabat. At Pandrasus ob fugam suam fratrisque captionem anxiatus: nocte illa populum dilapsum resociare vacauit. Et cum postera lux rediisset, obsidere opidum cum resociato populo progressus est. Arbitrabatur enim Brutum se immisisse intra ipsum cum Antigono ceterisque captiuis quos ceperat. Vt ergo ad mœnia accessit, explorato castelli situ, distribuit exercitum suum per turmas: diuersisque locis in circuitu locauit. Indixit etiam vt alij egressum inclusis abnegarent, alij cursus fluminum auerterent, alij crebris arietibus ceterisque machinis murorum compagem dissoluerent. Qui præcepta effectibus exequentes, omni nisu contendebant quibus modis obsessos crudelius infestarent. Superueniente autem nocte, audaciores eligebant, qui dum ceteri labore fessi quietem soporis caperent, castra & tentoria ab hostium furtiua incursione tuerentur.

CAPVT VII.

AT obsessi, in edito murorum stantes, totis viribus nituntur vt hostium machinationes contrarijs machinationibus repellant, nunc tela, nunc sulphureas tedas eiicientes, sese vnanimiter defendere intendunt. Cum autem parata testudine murus suffoderetur, græco igne atque calidarum aquarum aspergine hostes retrocedere cogebant. Cibi tamen penuria & quotidiano labore afflicti, legatum ad Brutum miserunt, postulantes vt eis in auxilium festinaret. Timebant enim ne in debilitatem redacti opidum deserere cogerentur. Brutus ergo opem subuectare affectans, internis angoribus cruciatur, quia tot milites non habebat quot ad campestre prælium committendum sufficerent. Callido vsus consilio, proponit castra hostium noctu adire, ipsosque soporatos, deceptis eorum vigilibus, interficere. Quoniam autem id fieri

non posse sciebat absque alicuius Græci assensu & auxilio, Anacletum socium Antigoni ad se vocauit: illumque euaginato gladio in hunc modum affatus est: Egregie iuuenis, finis vitæ tuæ Antigonique adest, nisi ea quæ tibi præcipiam executus voluntati meæ fideliter acquieueris. Affecto enim in hac sequenti nocte castra Græcorum adire, vt ipsos inopinata cæde afficiam. Sed timeo ne eorum vigiles comperto dolo, inceptum impediant. Quia ergo verti arma in illos prius oporteret: desiderarem illos per te decipere, vt ad cæteros tutiorem aditum aggrediendi haberem. Tu vero callide negotium huiusmodi agens, in secunda noctis hora vade ad obsidionem, & quemque fallacibus verbis demulcendo, dices te Antigonum a carceribus meis abduxisse vsque ad conuallem nemorum, & in eadem illum inter frutices delitere: nec longius posse abire posse propter pedicas, quibus eum simulabis impeditum. deinde duces eos ad exitum nemoris quasi eum liberaturos, vbi ego cum armata manu adero paratus illos perimere.

CAPVT VIII.

Anacletvs igitur viso gladio qui inter hæc verba morti suæ imminebat, continuo perterritus, iureiurãdo promisit sese præceptum executurum, si sibi & Antigono diuturnior vita concederetur. Confirmato denique fœdere, in secunda noctis hora quæ iam instabat, versus obsidionem iussum iter arripuit. Cumque tandem prope castra incederet, occurrunt vndique vigiles, qui abdita locorum explorabant: quæruntque eius aduentus causam: & vtrum ad prodendum exercitum aduenisset. Quibus ille ingentem lætitiam simulans, in hæc verba respondit: Non equidem gentis meæ proditor venio, sed carcerem Troianorum euadens ad vos diffugio, orans vt mecum ad nostrum Antigonum veniatis quem ex vinculis Bruti eripui. Illum quidem pondere compedum detentum paulo ante in exitu nemoris inter frutices delitere iussi: donec aliquos inuenirem, quos ad eum liberandum ducerem. Dubitantibus autem illis vtrum verum diceret, superuenit vnus, qui eum agnouerat, & salutato ipso, indicauit sociis quis esset. At illi nihil hæsitantes, ceteros, qui aberant, ocyus aduocauerunt: & secuti sunt eum vsque ad siluam, qua Antigonũ delitere prædixerat. Illis deniq; inter frutices progredientibus, emergit Brutus cum armatis cateruis, & impetu facto in ipsos ocyus perterritos dirissima cæde affecit. Deinde profectus est ad obsidionem, & diuisit socios suos per tres turmas, præcepitque vt singulæ singulas partes castrorum sapienter & sine tumultu adirent: nec intromissæ cædem alicui ingererent, donec ipse cum sua cohorte regis tentorio potitus, lituum suum in signum ipsis sonaret.

CAPVT IX.

Porro vt ipsos quicquid acturi erant edocuit: confestim mittunt se leuiter intra castra, & iussas partes adepti, signum promissum expectant: quod Brutus eis dare non distulit, postquam stetit ante Pandrasi tentorium, quod super omnia æstuabat agredi. Quo audito enses ocyus euaginant, cubilia sopitorũ ingrediuntur, letiferos ictus ingeminant: & nullã pietatem habentes, castra in hunc modum deambulant. Ad gemitus vero morientium euigilant ceteri, visisque laniatoribus, velut oues ex improuiso occupatæ, stupescunt. Nihil enim præsidij expectabant, cum neque arma capiendi neque fugam faciendi congruum spatium haberent. Discurrunt etiam sine armis inter armatos quo impetus eos ducebat. Sed irruentibus hostibus continuo dilacerantur. Qui semiuiuus euadebat, auiditate fugæ festinans scopulis vel arboribus & fruticibus allidebatur, & infelicem animam cum sanguine emittebat. Qui solo clypeo vel quolibet alio tegmine munitus, inter eosdem scopulos incidebat timore mortis, celer sub obscura nocte cadebat, cadentique vel brachia vel crura frangebantur. Cui neutrum horum contingebat, inscius quo fugam faceret, in prope fluentibus fluuiis submergebatur. Vix aliquis illæsus abibat, quin aliquo infortunio periclitaretur. Opidani quoque, agnito commilitonum aduentu, egressi, cladem quæ dabatur duplicabant.

CAPVT X.

AT Brutus tentorium regis (vt prædictum est) nactus, ipsum vincire & conseruare vacauit. Sciebat enim sese magis vita regis quam morte adepturum quod affectauerat. Turma autem quæ cum eo erat non cessabat stragem facere, quæ partem quam adepta erat, vsque ad internecionem deleuerat. Vt igitur noctem in hunc modum consumpserat, & sub luce auroræ tanta patuit populi ruina, Brutus maximo gaudio fluctuans, sociis peracta cæde spolia peremptorum iuxta libitum suum tractare permisit. deinde cum rege opidum ingreditur, expectaturus dum gazas distribueret. Quibus impertitis, muniuit iterum castellum, cadaueraque sepulturæ dari præcepit: resociatisque cateruis ad nemora cum læta victoria remeauit. Quæ vt tantam suorum animis infudit lætitiam, inclytus dux maiores natu conuocauit, quæsiuitque ab eis quid a Pandraso petendum laudarent. nam cum in potestate eorum positus esset, per omnia petitioni eorum acquiesceret, si liber abire sineretur. Mox illi diuersis affectibus diuersa cupiētes, pars regni partem ad inhabitandum petere hortabatur, pars vero licentiam abeundi & ea quę itineri suo vtilia forent. Cumque diu in ambiguo extitissent, surrexit vnus ex illis Mempricius nomine, rogatoque silentio, audientibus cæteris ait: Vt quid hæsitatis, patres, in his quæ saluti vestræ reor accommoda? vnum petendum est, videlicet licentia abeundi, si vobis posterisque vestris æternam pacem habere desideratis. Nam si eo pacto vitam concesseritis Pandraso, vt per eum partem Græciæ adepti inter Danaos manere velitis, nunquam diuturna pace fruemini, dum fratres, & filij, & nepotes eorum quibus hesternam stragem intulistis, vobis immixti vel vicini fuerint. Semper enim necis parentum suorum memores, æterno vos habebunt odio: quibus suis etiam nugis incitati vindictam sumere nitentur. Nec vobis, pauciorem turbam habentibus, ea vis erit, vt tot ciuium inquietationibus resistere queatis. Quod si decertatio inter vos accesserit, numerus eorum quotidie augebitur: vester vero minuetur. Laudo igitur vt petatis ab eo suam filiam primogenitam, quam Ignogen vocant, Duci nostro coniugem: & cum ea aurum & argentum, naues & frumentum: & quodcunque itineri nostro necessarium erit. Et si id impetrare poterimus licentia ipsius alias nationes petamus.

CAPVT XI.

VT his & consimilibus finem dicendi fecit, acquieuit ei tota multitudo, atque suasit vt Pandrasus in medium adduceretur: & nisi huic petitioni faueret, sæuissima morte damnaretur. Nec mora, adductus est, & in cathedra celsior positus: edoctus quoque quibus tormentis affligendus erat, nisi ea faceret quæ iubebatur: in hunc modum respondit: Quoniam aduersi Dij me meumque fratrem Anacletum in manus vestras tradiderunt, parendum est petitioni vestræ, ne vitam quæ nobis arbitrio vestro & adimi & concedi potest (si repulsam passi fueritis) amittamus. Nihil enim vita præstantius, nihil iucundius censeo: nec est mirandum si illam exteris rebus redimere velim. Quamuis autem inuitus præceptis vestris obediam: solatium tamen habere videor, quia filiam meā tantæ probitatis adolescenti daturus sum, quem ex genere Priami & Anchisæ procreatum, & nobilitas quæ in ipso pullulat, & fama nobis cognita declarat. Quis etenim alter exules Troiæ in seruitutem tot & tantorum principum positos eorundem vinculis eriperet? Quis cum illis Græcorum genti resisteret, aut cum tam paucis tantam armatorum copiam ad prælium conuocaret, initoque congressu regem eorum vinctum duceret? Quia ergo tantus iuuenis tanta probitate mihi resistere potuit, do ei meam filiam Ignogen, do ei etiam aurum & argentum, naues, frumentum, vinum & oleum, & quicquid itineri eius esse necessarium duxeritis. Et si a proposito vestro diuertentes, cum Græcis permanere volueritis, tertiam regni mei partem vobis ad inhabitandum concedo. Sin autem, promissa mea effectu prosequar. Et vt securiores sitis, vobiscum quasi obses manebo dum omnia perfecero. Conuentione itaque facta, diriguntur legati per vniuersa Græciæ littora colligere naues. Quæ vt collectæ fuerunt, tre-

centæ & viginti quatuor numero, præsentantur, omni genere farris onerantur: filia Bruto maritatur. Et quisque, prout dignitas expetebat, auro & argento donatur. Peractis igitur cunctis, rex liber à carcere, Troes ab eius potestate secundis ventis abscedunt. At Ignoge in excelsa puppi stans, sæpius inter Bruti brachia in extasi collabitur, fusisque cum singultu lacrymis parentes & patriam deserere conqueritur: nec oculos a littore auertit, dum littora oculis patuerunt. Quam Brutus blanditiis mitigans, nunc dulces amplexus: nunc dulcia basia innectit. nec cœptis suis desistit, donec fletu fatigata sopori submittitur. Inter hæc & alia, duobus diebus & vna nocte prospero ventorum flatu concurrerunt applicueruntque in quandam insulam, vocatam Leogeciam, quæ antiquitus ab incursione piratarum vastata, a nemine inhabitabatur. In illam ergo Brutus misit trecentos armatos ad explorandum qui eam inhabitarent. Qui neminem reperientes, feras diuersi generis intra saltus & nemora inuentas cæde afficiunt: veneruntque ad quandam ciuitatem desertam in qua templum Dianæ repererunt: In eodem imago Deæ responsa dabat, si forte ab aliquo peteretur. Onerati tandem reperta venatione reuertuntur ad naues suas: patriæque situm & ciuitatem cum sociis prædicant: suggerunt duci templum adire, atque litatis donis a numine loci inquirere, quæ patria eiusdem certæ mansionis perhiberetur. Communicatoque omnium assensu, assumpsit secum Brutus Gerionem augurem, & duodecim maiores natu: petiuitque templum cum omnibus quæ ad sacrificium necessaria erant. Quo vbi ventum est, circundatus tempora vittis ante adytum veterrimo ritu tribus diis, Ioui videlicet, & Mercurio, nec non & Dianæ tres focos statuerunt: singulisque singula libamina dederunt. Ipse Brutus ante aram deæ vas sacrificij plenum vino & sanguine candidæ ceruæ dextera tenens, erecto vultu ad effigiem numinis, silentium in hæc verba dissoluit:

Diua potens nemorum, terror siluestribus apris:
Cui licet amfractus ire per æthereos,
Infernasque domos: terrestria iura reuolue,
Et dic quas terras nos habitare velis?
Dic certam sedem qua te venerabor in æuum,
Qua tibi virgineis templa dicabo choris?

Hæc vbi nouies dixit, circuiuit aram quater: fuditque vinum quod tenebat in focum: atque procubuit supra pellem ceruæ, quam ante aram extenderat: inuitatoque somno tandem obdormiuit. Erat autem quasi hora tertia noctis: qua dulciore sopore mortales præmuntur: tunc visum est illi Deam astare ante ipsum, & sese in hunc modum affari:

Brute sub occasum solis trans Gallica regna
Insula in Oceano est vndique clausa mari:
Insula in Oceano est habitata gigantibus olim,
Nunc deserta quidem: gentibus apta tuis.
Hanc pete, namque tibi sedes erit illa perennis:
Sic fiet natis altera Troia tuis:
Sic de prole tua reges nascentur: & ipsis
Totius terræ subditus orbis erit.

Tali visione expergefactus dux, in dubio mãsit an somnus fuerat quem vidit: an dea viua fuerat quæ prædixerat terram quam aditurus erat. Vocatis tandem sociis indicauit per ordinem quod sibi dormienti contigerat. At illi maximo gaudio exultantes hortantur vt ad naues repederent: & dum secundus ventus flaret, citissimis velis occasum versus eant: ad inquirendum quod diua spoponderat. Nec mora, remeant ad socios, altumque ingrediuntur: & sulcãtes æquora, cursu triginta dierum venerunt ad Aphricam: nescii adhuc quorsum proras verterent. Deinde venerunt ad aras Philænorum, & ad locum Salinarum: & nauigauerunt intra Ruscicadam & montes Azaræ, vbi ab incursione piratarum maximum passi sunt periculum: victoriam tamen adepti sunt, spoliisque eorum & rapinis ditati.

CAPVT XII.

PORRO flumen Maluæ transeuntes, applicuerunt in Mauritaniam: deinde penuria cibi & potus coacti, egressi sunt e nauibus, & dispositis turmis populati sunt regionem illam a fine vsque ad finem. Refertis vero nauibus petierunt columnas Herculis: vbi apparuerunt eis monstra maris Syrenes vocata, quæ ambiendo naues fere ipsas obruerunt. Vtcumque tamen elapsi, venerunt ad Tyrrhenum æquor: vbi iuxta littora inuenerunt quatuor generationes de exulibus Troiæ ortas, quæ Antenoris fugam comitatæ fuerant. Erat eorum dux Corineus dictus: vir modestus consilio, optimus magnitudine virtutis & audaciæ. qui si cum aliquo gigante congressum faceret, illico eum obruebat, ac si cum puero contenderet. Agnita itaque veteris prosapia originis, associauerunt sibi illum, nec non & populum cui præsidebat: qui de nomine ducis postmodum Cornubiensis vocatus, Bruto in omnibus decertationibus præ cæteris auxilium præstabat. Deinde venerunt ad Aquitaniam: & ostium Ligeris ingressi, anchoras fixerunt. Morati sunt ibi septem diebus, situmque regni explorauerunt. Regnabat tunc in Aquitania Goffarius Pictus, eiusdem terræ rex, cui vt fama indicauit externam gentem cum magna classe in fines regni applicuisse: misit legatos ad inquirendum, pacem ne an bellum expeterent. Nũcij ergo classem petentes obuiauerunt Corineo egresso iam cum ducẽtis viris, vt intra nemora venationem adquirerent. Mox eum allocuti quærũt cuius licentia saltus regis ingressus, feras necaret. Statutum enim ab antiquo fuerat neminem sine iussu principis eas debere prosternere. Quibus cum Corineus respondisset: licentiam huius rei nequaquam debere haberi: irruit vnus ex illis, Imbertus nomine, & arcu curuato sagittam in eum direxit. Vitauit eam Corineus, cucurritq; ocyus in Imbertum, & arcu, quem tenebat, caput ei in frusta concidit. Diffugerunt ergo cæteri vix e manibus eius elapsi, atque Goffario necem socii nunciauerunt. Contristatus illico dux Pictauensium, collegit exercitũ grandem, vt in ipsos mortem nuncij sui vindicaret. At Brutus diuulgato eius aduentu naues munit: mulieres & paruulos in ipsis iubet manere: ipse autẽ, cũ tota multitudine cui vires florebãt, obuius exercitui progreditur. Inito tãdem certamine, dira pugna vtrobique cõmittitur: & cũ multum diei in agendo cædem cõsumpsissent, puduit Corineũ Aquitanos tã audacter resistere: nec Troianos cum triumpho insistere. Vnde resumpta audacia seuocauit suos in dexterã partem prælij: & facto agmine celerem impetũ in hostes fecit: & vt intra eorundẽ turmas sese densa acie intromisit, non cessauit hostes prosternere, donec penetrata cohorte cunctos in fugam coegit. Fortuna ei, amisso gladio, bipennẽ administrauerat, cum qua quemcunque attingebat a summo vsque ad imum dissecabat. Miratur Brutus, mirantur socij, mirantur & hostes viri audaciam & virtutem, qui bipennem inter fugientes cohortes librans, timorem non minimum cum his verbis inserebat: Quo fugitis timidi! quo fugitis segnes! reuertimini ô reuertimini, & congressum cum Corineo facite: proh pudor, tot milia me solum diffugitis? At tamen habete solatium fugæ, ego vos insequar, qui toties soleo Tyrrhenos gigantes in fugam propellere: & ternos atque quaternos ad tartara detrudere.

CAPVT XIII.

AD hæc verba illius reuertitur quidam consul nomine Subardus cum trecentis militibus, & impetum fecit in eum: cuius ictum Corineus prætenso clypeo excipiens, non est oblitus bipẽnis quam tenebat, sed erecta illa percussit eum in summitate galeæ, percussumq; a summo vsque ad imum in ambas partes dissecuit. Sed & confestim irruens in cæteros, bipennem rotans, stragem acerrimam facit, & nunc hac nũc illac discurrẽs ictus recipere diffugit, nec hostes prosternere quiescit: huic brachium cũ manu amputat: illi scapulas a corpore separat: alij caput vno ictu trũcat, alteri crura a summo dissecat. Omnes in illum solum, & ipse solus in omnes irruebat. Quod Brutus aspiciens, motus amore viri, accurrit cum vna turma vt ei auxilium subuectaret. Tunc oritur clamor inter diuersas gentes, tunc crebri ictus inferuntur, tunc in vtraque parte fit cædes durissima. Nec mora, victoria potiuntur Troes, & regem Gof-

farium cum Pictauensibus suis in fugam propellunt. Qui vix euadens, partes Galliarum adiuit, vt a cognatis & notis succursum haberet. Erant tunc temporis duodecim reges in Gallia, quorum regimine tota regio pari dignitate regebatur. Qui benigne suscipientes eum, promittunt sese vnanimiter expulsuros ex finibus Aquitaniæ externam gentem quæ aduenerat.

CAPVT XIIII.

BRVTVS ob prædictam victoriam lætus, peremptorum spoliis socios ditat, ditatos iterum in turmas resociat, resociatos per regionem ducit, affectans eam penitus desolari, & naues suas immensis diuitiis replere. Accumulato igitur igne ciuitates incendit, & opes absconditas ab eisdem extrahit: agros etiam depopulatur: stragem miserandam ciuibus & plebanis infert, volens infelicem gentem vsque ad vnum delere. At dum tali clade omnem fere Aquitaniam affecisset: venit ad locum vbi nunc est ciuitas Turonorum, quam, vt Homerus testatur, ipse postmodum construxit. Vt igitur loca conuenientia refugio inspexit, metatus est ibi castra sua, vt, si opus esset, sese intra ipsa reciperet. Vrgebatur namque timore propter aduentum Goffarij qui cum regibus & principibus Galliæ, & maxima armatorum copia prope eundem locum aduenerat, vt cum illo bellum committeret. Peractis deinde castris expectauit ibi biduo Goffarium, confidens in prudentia sua atque audacia iuuentutis suæ cui præsidebat.

CAPVT XV.

GOFFARIVS ergo audita ibidem Troianorum præsentia, nec die nec noctu cessauit incedere, donec castra Bruti prope aspexit. Toruo igitur lumine intuens, paulisper subridens in hæc verba prorupit: Proh fatum triste! Castra etiam sua in regno meo fecerunt ignobiles exules: armate vos viri, armate: & per dēsatas turmas incedite. Nulla mora erit quin semiuiros istos velut oues capiemus: atq; captos per regna nostra mancipabimus. Armauerũt se itaq; omnes quos secum adduxerat: & per duodena agmina statuti, versus hostes suos incedũt. Contra quos Brutus etiã dispositis caternis non muliebriter graditur, sed turmas suas quid acturæ essent sapienter docens, qualiter debeant inuadere & resistere edicit. Vt ergo congressum inceperunt, præualuerunt initio Troes, & cædem acerrimam ex hostibus faciunt. Ceciderunt namque ex iis fere duo milia hominum. Vnde cæteri stupefacti, fere in fugam versi fuerunt. Sed vbi maior numerus hominum abundat, ibi euenire solet triumphus. Galli igitur quoniam tricies plures erant ceteris, quanquam primo oppressi fuerant: tamen resociati impetum fecerũt vndique in Troes: & illata strage ipsos in castra ingredi coegerũt. Victoriam igitur adepti, obsederunt eos intra castra: meditantes nequaquam prius illinc abscedere, quam ipsi inclusi, vel colla vincienda catenis traderent, vel longa fame afflicti, sæuissima morte afficerentur. Sequenti interea nocte Corineus iniuit consilium cum Bruto, se velle scilicet per quædã diuortia in eadem nocte egredi, & intra nemus quod prope erat, vsque ad diem delitere. Et dũ Brutus sub diluculo egressus cum hostibus dimicaret: ipse cum sua cohorte a dorso superueniret, & facto inpetu stragẽ ingereret. Placuit itaq; Bruto Corinei sententia: qui vt prædixerat, callide egressus cũ tribus milibus, occulta nemorũ petiuit. Adueniente ergo postera die statuit Brutus suos per turmas, & apertis castris pugnaturus egreditur. Occurrunt igitur confestim Galli, & facto agmine cum ipso congrediuntur. Concidunt illico in vtraque parte multa virorum milia, dum mutua vulnera dantur: quia nullus aduersario parcebat. Erat ibi quidam Tros nomine Turonus Bruti nepos, quo fortior siue audacior nullus, excepto Corineo, aderat. Hic solus solo gladio suo sexcentos viros peremit. Sed ab irruẽtibus Gallis citius quã debuisset interfectus est. De nomine ipsius prædicta ciuitas Turonis vocabulũ nacta est: quia ibidẽ sepultus fuit. Cũ igitur vtræq; turmæ acrius pugnarẽt, superuenit ex improuiso Corineus, & a tergo hostes celeriter inuasit. Audaciores proinde insurgẽtes cæteri ex altera parte incumbunt, stragemq; facere cõtendunt.

Itaque Galli solo clamore Corineiensium quia tergo inuaserant stupefacti sunt. & arbitrantes plures aduenisse quam aduenerant, campum deserere festinant: quos Troes vsque ferientes insequuntur: insequendo prosternunt: nec prosternere cessauerunt, donec victoriam habuerunt. Brutus itaque, licet tantus triumphus illi maximum intulisset gaudium, dolore tamen angebatur, quia numerus suorum quotidie minuebatur, Gallorum autem semper multiplicabatur. In dubio tandem existens, an diutius eos oppugnaret: prælegit naues suas salua adhuc maiori parte suorum, nec non & victoriæ reuerentiaa, dire, atque insulam, quam ei diuinus prædixerat monitus, exigere. Nec mora, petiuit suorum assensu classem suam, & repleuit eam vniuersis diuitiis vel deliciis quas acquisiuerat, & ipsam ingressus est: prosperis quoque ventis promissam insulam exigens, in Totonesio littore applicuit.

CAPVT XVI.

Erat tunc nomen insulæ Albion, quæ a nemine, exceptis paucis gigantibus, inhabitabatur, amœno tamen situ locorum & copia piscosorum fluminum, nemoribusque prælecta affectum habitandi Bruto sociisque inferebat. Peragratis ergo quibusque prouinciis, repertos gigantes ad cauernas montium fugant, patriam donante duce sortiuntur. Agros colere incipiunt, domos ædificare, ita vt breui tempore terram ab æuo inhabitatam censeres. Denique Brutus de nomine suo insulam Britanniam, sociosque suos Britones appellat: volebat enim ex deriuatione nominis memoriam habere perpetuam. Vnde postmodum loquela gentis, quæ prius Troiana siue curuum Græcum nũcupabatur, Britannica dicta est. At Corineus portionem regni quæ sorti suæ cesserat, ab appellatione sui nominis Corineiam vocat, populumque Corineiensem, exemplum ducis insecutus: qui cum præ omnibus qui aduenerant electionem prouinciarum posset habere, maluit regionem illam quæ nunc vel a cornu Britanniæ, vel per corruptionem prædicti nominis Cornubia appellatur. Delectabat enim eum contra gigantes dimicare, quorum copia plus ibidem abundabat quam in vlla prouinciarũ, quæ consociis suis distributæ fuerant. Erat ibi inter ceteros detestabilis quidam nomine Goëmagot staturæ duodecim cubitorum, qui tantæ virtutis existens, quercum semel excussam velut virgulam corili euellebat. Quadam die dum Brutus in portu quo applicuerat festiuum Deis diem celebraret: superuenit ille cum viginti gigantibus, atque dirissima cæde Britones affecit. At Britones tandem vndique confluentes in eos præualuerunt: omnesque præter Goëmagot interfecerunt. Hunc Brutus viuum reseruari præceperat, volens videre luctationem ipsius & Corinei, qui vltra modum cum talibus æstuabat congredi. Itaque Corineus maximo fluctuans gaudio, succinxit se, & abiectis armis ipsum ad luctandum prouocat. Inito deinde certamine hinc stat Corineus, hinc gigas, & alter alterum vinculis brachiorum annectens, crebris afflatibus aëra vexat. Nec mora, Goëmagot Corineum maximis viribus astringens, fregit ei tres costas: duas in latere dextro, & vnam in sinistro. Vnde Corineus in iram cõpulsus, suas reuocauit vires, & imposuit illum humeris suis, & imposito, quãtũ velocitas pro pondere sinebat, ad proxima littora cucurrit. Deinde summitatẽ excelsæ rupis nactus, excussit se, & prædictũ letale monstrũ quod super humeros suos ferebat in mare proiecit. at ille per abrupta saxa cadẽs, in multa frusta dilaceratus est: & fluctus sanguine maculauit. Locus autẽ ille a præcipitatione gigantis nomen adeptus Lamgoëmagot, id est saltus Goëmagot, vsque in præsentem diem vocatur.

CAPVT XVII.

Viso tandem regno affectauit Brutus ciuitatem ædificare. Affectum itaque suum exequens, circuit totius terræ situm, vt congruum locum inueniret: perueniens autem Tamensem fluuium, deambulauit per littora, locumque nactus est proposito suo perspicuum. Condidit itaque ciuitatem ibidem, eamque Troiam nouam vocauit: & hoc homine multis postmodum temporibus appellata tandem per corruptionem vocabuli Trinouantum dicta fuit. At postquam Lud Cassibellauni frater, qui cũ Iulio Cæsare dimicauit, regni gubernaculum adeptus est: cinxit eam nobilissimis

muris necnon & turribus mira arte fabricatis: de nomine quoque suo eam Kaerlud dici iussit: id est ciuitas Lud. Vnde postea maxima inter ipsum & Nennium fratrem contentio orta est: qui grauiter ferebat illum nomen Troiæ in patria sua velle delere. Quam contentionem quia Gildas historiographus satis prolixe tractauit, eam præterire prælegi, ne id quod tantus scriba tanto stylo parauit, viliori dictamine videar maculare.

CAPVT XVIII.

POSTQVAM igitur prædictus dux prædictam vrbem condidit, dedicauit eam ciuibus iure victuris, deditque legem qua pacifice tractarentur. Regnabat tunc in Iudæa Heli sacerdos, & arca testamenti capta erat a Philisteis. Regnabant in Troia filij Hectoris, expulsis posteris Antenoris. Regnabat in Italia Siluius Æneas, Æneæ filius, auonculus Bruti, Latinorum tertius.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

COGNOVERAT autem Brutus Ignogem vxorem suam: & ex ea genuit tres inclytos filios, quibus erant nomina, Locrinus, Albanactus, & Kamber. Hi postquam pater vigesimo quarto anno sui aduentus ab hoc seculo migrauit, sepeliérũt eum intra vrbem quam condiderat, & diuiserunt regnum Britanniæ inter se, & secesserunt vnusquisque in locum suum. Locrinus qui primogenitus erat, possedit mediam partẽ insulæ, quæ postea de nomine eius appellata est Loëgria. Kamber autem partem illam quæ est vltra Sabrinum flumen, quæ nũc Gualia vocatur, quæ de nomine ipsius postmodum Kambria multo tempore dicta fuit: vnde adhuc gens patriæ lingua Britannica sese Kambros appellat. At Albanactus iunior possedit patriam, quæ lingua nostra his temporibus appellatur Scotia: & nomen ei ex nomine suo Albaniam dedit. Illis deinde concordi pace diu regnantibus, applicuit Humber rex Hunnorum in Albaniam: & commisso prælio cum Albanacto, interfecit eum: & gentem patriæ ad Locrinum diffugere coegit.

CAPVT II.

LOCRINVS igitur rumore audito, associauit sibi fratrem suum Kambrum: & collegit totam iuuentutem patriæ, & iuit obuiam regi Hunnorum circa fluuium qui nũc vocatur Humber. Inito ergo congressu compulit Humbrum in fugam, qui vsque ad fluuium fugiens, submersus est in eo, & nomen suum flumini reliquit. Locrinus ergo victoria potitus, hostium spolia sociis largitur: nihil sibiipsi retinens præter aurum & argentum quod intra naues inuenit. Retinuit quoque sibi tres puellas miræ pulcritudinis, quarũ vna cuiusdam regis Germaniæ fuerat filia, quam prædictus Humber cum duabus rapuerat puellis, dum patriam vastaret: erat nomen illi Estrildis, & tantæ pulcritudinis erat, quod non facile reperiebatur quæ ei conferri poterat: candorem carnis eius nec nitidum ebur, nec nix recenter cadens, nec lilia vlla vincebant. Amore illius Locrinus captus, eius cubile inire voluit: ipsamque sibi maritali teda copulare. quod cum Corineo compertum esset, indignatus est vltra modum: quoniam Locrinus pactus fuerat sese filiam ipsius ducturum.

CAPVT III.

ADIIT ergo regem, & bipennem in dextra manu librans, illum hoc modo allocutus est: Hæccine rependis mihi Locrine ob tot vulnera quæ in obsequio patris tui perpessus sum, dum prælia committeret cum ignotis gentibus: vt filia mea postposita, te connubio cuiusdam barbaræ submitteres? Non impune feres, dum vigor huic inerit dextræ, quæ tot gigantibus per Tyrrhena littora gaudia vitæ eripuit. Hoc iterum, iterumque proclamans, librabat bipennem quasi eum percussurus: cum amici vtrorumque sese interposuerunt. Sedato vero Corineo, Locrinum quod pepigerat exequi coegerunt.

CAPVT IIII.

DVXIT itaque Locrinus filiam Corinei Guendolœnam nomine, nec tamen Estrildis amoris oblitus est: sed facto in vrbe Trinouanto subterraneo, eam in ipso inclusit, familiaribusque suis honorifice seruandam tradidit. Volebat saltem furtiuã Venerem cum ea agere. Timore namque Corinei anxiatus, non audebat eam patenter habere, sed, vt prædictũ est, eam occuluit, frequentauitque septem annis integris nemine comperiente, exceptis illis qui eius familiaritati proximiores erant. Nempe quotiescunque eam adibat, fingebat se velle occultum sacrificium diis suis facere. Vnde quosque falsa credulitate mouebat idipsum existimare. Interea grauida facta est Estrildis, ediditque filiam miræ pulchritudinis, quam Sabren vocauit. Grauida etiam facta est Guendolœna, genuitque puerum, cui impositum est nomen Maddan. Hic Corineo auo suo traditus, ipsius documenta discebat.

CAPVT V.

SVBSEQVENTE tandem tempore, defuncto Corineo, deseruit Locrinus Guendolœnam, Estrildemque in reginam erexit. Itaque Guendolœna vltra modum indignãs, adiuit Cornubiam, collectaque totius regni illius iuuentute, cœpit inquietationem Locrino ingerere. Conserto tandem vtrorumque exercitu, commiserunt prælium iuxta Sturam fluuiũ, vbi Locrinus, ictu sagittæ percussus, gaudia vitæ amisit. Perempto igitur illo, cepit Guendolœna regni gubernaculum paterna furẽs insania. Iubet enim Estrildem & filiam eius Sabren præcipitari in fluuium, qui nunc Sabrina dicitur. Fecitque edictum per totam Britanniam, vt fluuius nomine puellæ vocaretur. Volebat etenim æternitatis nomen illi impendere, quia maritus suus eam generauerat: vnde contigit quod vsque in hunc diem appellatum est flumen Britannica lingua Sabren, quod per corruptionem nominis alia lingua Sabrina vocatur.

CAPVT VI.

REGNAVIT autem Guendolœna quindecim annis post interfectionem Locrini: qui decem annis regnauerat. Et cum vidisset Maddan filium suum ætate adultum, sceptro regni eum insigniuit: contenta regione Cornubiæ, dum reliquum vitæ duceret. Tunc Samuel propheta regnabat in Iudæa, & Siluius Aeneas adhuc viuebat. Et Homerus clarus rhetor & poëta habebatur. Insignitus sceptro Maddan, ex vxore genuit duos filios Menpricium & Malim. Regnumque cum pace & diligentia quadraginta annis tractauit. Quo defuncto, orta est inter prædictos fratres discordia propter regnum: quia vterque totam insulam possidere æstuabat. Menpricius autem affectum suum adimplere desiderans, colloquium iniuit cum Malim, quasi concordiam facturus. Sed face proditionis inflammatus, ipsum inter prolocutores interfecit. Deinde regimen totius insulæ nactus, tantam tyrannidem exercuit in populum, quod fere quenque nobilissimum perimebat. Sed & totam progeniem suam exosus, quencunque sibi in regno posse succedere timebat, vel vi vel proditione opprimebat. Relicta quoque propria vxore sua, ex qua inclytum iuuenem Ebraucum genuerat, sese Sodomitanæ libidini dedidit, non naturalem Venerem naturali voluptati præferens. Vigesimo tandem regni sui anno, dum venationem exerceret, secessit a sociis in quandam conuallem, vbi a multitudine rabiosorum luporum circundatus, miserrime deuoratus est. Tunc Saul regnabat in Iudæa, & Euristeus in Lacedæmonia.

CAPVT VII.

DEFVNCTO itaque Memprício, Ebraucus filius eius, vir magnæ ſtaturæ & miræ fortitudinis, regimen Britanniæ ſuſcepit, quod quadraginta annis tenuit. Hic primus poſt Brutum claſſem in partes Galliarum duxit, & illato prælio affecit prouincias cæde virorum atque vrbium oppreſſione: infinitaque auri & argenti copia ditatus cum victoria reuerſus eſt. Deinde trans Humbrum condidit ciuitatem, quam de nomine ſuo vocauit Kaerebrauc, hoc eſt vrbem Ebrauci. Et tunc Dauid rex regnabat in Iudęa, & Siluius Latinus in Italia, & Gad, Nathan & Aſaph prophetabant in Iſrael. Condidit etiam Ebraucus vrbem Alelud verſus Albaniam, & opidum montis Agned: quod nunc caſtellum puellarum dicitur, & montem Boloſorum.

CAPVT VIII.

GENVIT autem viginti filios ex viginti coniugibus quas habebat, necnon & triginta filias: regnumque Britanniæ ſexaginta annis fortiſſime tractauit. Erant autem nomina filiorum eius, Brutus Viride ſcutum, Margadud, Siſillius, Regin, Moriuid, Bladud, Lagon, Bodloan, Kincar, Spaden, Gaul, Darden, Eldad, Iuor, Gangu, Hector, Kerin, Rud, Aſſarach, Buel. Nomina autem filiarum, Gloigni, Ignogni, Oudas, Guenliam, Gaudid, Angarad, Guendoloe, Tanguſtel, Gorgon, Medlan, Methahel, Ourar: Malure, Kambreda, Ragan, Gael, Ecub, Neſt, Cheun, Stadud, Gladud, Ebren, Blagan, Aballac, Angaes, Galaes, omnium pulcherrima quæ tunc in Britannia ſiue Gallia fuerant, Edra, Anaor, Stadial, Egron. Has omnes direxit pater in Italiam ad Siluium Albam qui poſt Siluium Latinum regnabat. fuerunt ibi maritatæ nobilioribus Troianis, quorum cubilia & Latinæ & Sabinæ diffugiebant. At filij duce Aſſaraco fratre direxerunt claſſem in Germaniam: & auxilio Siluij Albæ vſi, ſubiugato populo adepti ſunt regnum.

CAPVT IX.

BRVTVS autem cognomento Viride-ſcutum cum patre remanſit, regnique gubernaculo potitus poſt patrem, duodecim annis regnauit. Huic ſucceſſit Leir eius filius, pacis atq; æquitatis amator. Qui vt proſperitate regni vſus eſt, in Aquilonari parte Britanniæ ciuitatem ædificauit, de nomine eius vocatam Kaerleir. Tunc Salomon cœpit ædificare templum Domini Hieruſalem: & regina Saba venit audire ſapientiam eius: & tunc Siluius Epitus patri Albæ in regnum ſucceſſit apud Latinos. Vixit deinde Leir poſt ſumptum regnum viginti quinq; annis, ſed regnum tepide in fine rexit. Quocirca ſegnitia inſiſtente, ciuilis diſcordia ſubito in regno orta eſt. Poſt hunc regnauit filius eius Hudibras triginta nouem annis: qui populum ex ciuili diſſidio in concordiam deducens condidit, Kaerlem, hoc eſt Kantuariam. Condidit etiã Kaerguen hoc eſt Guintoniam, atque mõtis opidum Paladur, quod nunc Seſouia dicitur. Ibi tunc aquila locuta eſt, dum murus ædificaretur: cuius ſermones ſi veros eſſe arbitrarer ſicut cetera, memorię tradere non diffugerem. Tũc Capys filius Epiti regnabat: & Aggęus, Amos, Iohel, Azarias prophetabant.

CAPVT X.

SVCCESSIT deinde Blaldud filius, tractauitque regnum viginti annis. hic ædificauit vrbem Kaerbadum, quæ nunc Badus nuncupatur, fecitque in illa callida balnea ad vſus mortalium apta. quibus præfecit numen Mineruæ: in cuius æde inextinguibiles poſuit ignes, qui nunquam deficiebant in fauillas, ſed ex quo tabeſcere incipiebant, in ſaxeos globos vertebantur. (Tunc Helias orauit ne plueret ſuper terram, & non pluit annos tres & menſes ſex.) Hic admodum ingenioſus homo fuit, docuitque necromantiam per regnum Britanniæ: nec præſtigia facere quieuit, donec paratis ſibi alis ire per ſummitatem aëris tentauit, ceciditque ſuper templum Apollinis intra vrbem Trinouantum, in multa fruſta contritus.

CAPVT XI.

DATO igitur fatis Bladud, erigitur Leir filius eiuſdem in regem, qui ſexaginta annis

patriam

patriam viriliter rexit. Aedificauit autem super fluuium Soram ciuitatem quæ Britannice Kaerleir, Saxonice vero Leir-Cestre nuncupatur: Cui negata musculini sexus prole, natæ sunt ei tantummodo tres filiæ, vocatæ, Gonorilla, Regau, Cordeilla. Qui eas miro amore, sed magis natu minimam, videlicet Cordeillam, diligebat. Cumque in senectutem vergere cœpisset: cogitauit regnum suum ipsis diuidere: easque talibus maritis copulare qui easdem cum regno haberent. Sed vt sciret quæ illarum maiori regni parte dignior esset, adiuit singulas vt interrogaret quæ ipsum magis diligeret. Interrogante ergo illo, Genorilla prius numina cæli testata est, patrem sibi plus cordi esse quam animam quæ in corpore suo degebat. Cui pater: Quoniam senectutem meam vitæ tuæ præposuisti, te, karissima filia, maritabo iuueni quemcunque elegeris, cum tertia parte Britanniæ. Deinde Regau, quæ secunda erat, exemplo sororis suæ, beniuolentiam patris allicere volens, iureiurando respondit se nullatenus conceptum exprimere aliter posse, nisi quod ipsum super omnes creaturas diligeret. Credulus ergo pater, eadem dignitate quam primogenitę promiserat, cum alia tertia parte regni eam maritauit. At Cordeilla vltima, cum intellexisset eum prædictarum adulationibus acquieuisse, tentare illum cupiens, aliter respondere perrexit: Est vspiam, mi pater, filia quæ patrem suum plusquam patrem diligere præsumat? non reor equidem vllam esse quæ hoc fateri audeat: nisi iocosis verbis veritatem celare nitatur. Nempe ego dilexi te semper vt patrem: & adhuc a proposito meo non diuertor. Etsi a me magis extorquere insistis, audi certitudinem amoris, quem aduersus te habeo: & interrogationibus tuis finem impone. Etenim quantum habes, tantum vales, tantumque te diligo. Porro pater ratus eam ex abundentia cordis dixisse, vehementer indignans, quod responsurus erat manifestare non distulit: Quia in tantum senectutem patris tui spreuisti, vt vel eo amore quo me sorores tuæ diligunt dedignata es diligere, & ego dedignabor te, nec vsquam in regno meo cum tuis sororibus partem habebis. Non dico tamen, cum filia mea sis, quin te externo alicui (si illum fortuna obtulerit) vtcunque maritem: Illud autem affirmo, quod nunquam eo honore quo sorores tuas te maritare laborabo. Quippe cum te hucusque plusquam ceteras dilexerim: tu vero me minus quam ceteræ diligas. Nec mora: consilio procerum regni dedit prædictas puellas duas duobus ducibus, Cornubiæ videlicet & Albaniæ, cum medietate tantum insulæ: dum ipse viueret. post obitum autem eius, totam monarchiam Britanniæ concessit habendam. Contigit deinde quod Aganippus rex Francorum audita fama pulchritudinis Cordeillæ, continuo nuncios suos ad regem direxerit, rogans vt Cordeilla sibi coniugali teda copulanda traderetur. At pater in prædicta adhuc ira perseuerans respondit, se illã libenter daturum, sed sine terra & pecunia. Regnum namque suum cum omni auro & argento Gonorillæ & Regau, sororibus Cordeillæ distribuerat. Cumque id Aganippo nunciatum fuisset, amore virginis inflammatus, misit iterum ad Leirum regem, dicens se satis auri & argenti, aliarumque possessionum habere: quia tertiam partem Galliæ possidebat: se vero tantummodo puellam captare, vt ex illa hæredes haberet. Denique confirmato fœdere mittitur Cordeilla ad Galliam, & Agenippo maritatur.

CAPVT XII.

Post multum vero temporis, vt Leir torpere cœpit senio, insurrexerunt in eum prædicti duces, quibus Britanniam cum duabus filiabus diuiserat, abstuleruntque ei regnum regiamque potestatem, quam vsque ad illud tẽporis viriliter & gloriose tenuerat. Concordia tamen habita retinuit eum alter generorum Maglaunus dux Albaniæ cum. LX. militibus, ne secum inglorius maneret. Elapso deinde biennio, moram ipso apud generum faciente, indignata est Gonorilla filia ob multitudinem militum eius, qui conuicia ministris inferebant, quia eis profusior Epinomia non præbebatur. Proinde maritum suum affata, iussit patrem obsequio. XXX. militum contentum esse, relictis ceteris. XXX. quos habebat. Vnde rex iratus, relicto Maglauno, petiuit Henuinũ ducem Cornubiæ cui alteram natam Regau maritauerat. Et cum a duce honorifice receptus fuisset, non præteriit annus quin inter eorum familias discordia orta fuerit: quamobrem Regau in indignationẽ versa, precepit patri cunctos socios deserere preter quinque qui ei obsequiũ prestarent. Porro pater vltra modũ anxius, reuersus est iterũ ad

primogenitam, sperans se posse eam in pietatem commouere, vt cum familia sua retineretur. At illa a cœpta indignatione nequaquam reuersa est, sed per numina cæli iurauit, quod nullatenus secum remaneret, nisi postpositis ceteris, solo milite contentus esset. Increpabat etiam eum senem, & nulla re abundantem, velle cum tanta militia incedere. Cumque illa assensum voluntati eius nullatenus præbuisset: paruit ille, & relictis cæteris, solo milite contentus remansit. At cum in memoriam pristinæ dignitatis reductus fuisset, suam detestando miseriam in quam redactus erat: cogitare cœpit minimam filiam trans Oceanum adire. Sed dubitabat nihil ipsam sibi velle facere, quoniam tam ingloriose (vt dictum est) eam habuisset. Indignans tamen miseriam suam diutius ferre, in Gallias transfretauit. Sed cum se vidisset tertium inter principes qui simul transfretabant: in hæc verba cum fletu & singultu prorupit: O inreuocabilia fatorum decreta, quę solito cursu iter fixum tẽditis! Cur vnquam me ad instabilem felicitatem promouere voluistis: cum maior pœna sit ipsam amissam recolere, quam sequentis infelicitatis præsentia vrgeri. magis enim aggrauat me illius temporis memoria, quo tot centenis milibus militum stipatus & mœnia vrbium diruere, & prouincias hostium vastare solebam: quam calamitas miseriæ meæ, quæ ipsos, qui iam sub pedibus meis iacebant, debilitatem meam deredire coegit. O irata fortuna! venietne dies vnquam qua ipsis vicem reddere potero: qui sic tempora mea sicut paupertatem meam diffugerunt! O Cordeilla filia, quam vera sunt dicta illa quæ mihi respondisti, quando quæsiui a te, quem amorem aduersus me haberes: dixisti enim, Quantum habes, tantum vales, tantumque te diligo. dum igitur habui quod dare potui, visus fui valere eis, qui non mihi sed donis meis amici fuerant. Interim dilexerunt me, sed magis munera mea. Nam abeuntibus muneribus, & ipsi abierunt. Sed qua fronte, karissima filia, te audebo adire, qui ob prędicta verba iratus putaui te deterius maritare qnam sorores tuas, quæ post tot beneficia quæ eis impendi, me exulem & pauperem esse patiuntur, Vt tandem hæc & his similia dicendo applicuit, venit Karitiam, vbi filia sua erat. Expectans autem extra vrbem, misit ei nuncium suum qui indicaret ipsum in tantam miseriam collapsum, & quia non habebat quod comederet aut indueret, misericordiam illius petebat. Quo indicato, commota est Cordeilla, & fleuit amare, quęsiuitq; quot milites secum habuisset: qui respõdit, ipsum neminem habere, excepto quodam armigero qui foris cum eo expectabat. Tunc illa accepit quantum opus erat auri & argenti, deditque nuncio, pręcipięns vt patrem ad aliam ciuitatem duceret, ibiq; ipsum infirmum fingeret, & balnearet, indueret & foueret. Iussit etiam vt quadraginta milites bene indutos & paratos retineret, & tunc demum mandaret regi Aganippo & filiæ suæ sese aduenisse. Nuncius illico reuersus, direxit Leirem regem ad aliam ciuitatem, absconditque eum ibi, donec omnia quæ Cordeilla iusserat perfecisset.

CAPVT XIII.

Mox vt regio apparatu & ornamentis & familia insignitus fuit, mandauit Aganippo & filiæ suæ, sese a generis suis expulsum esse e regno Britanniæ, & ad ipsos venisse vt auxilio eorum patriam suam recuperare valeret. At illi cum consulibus & proceribus obuiam venientes, honorifice susceperunt illum, dederuntque ei potestatem totius Galliæ, donec eum in pristinam dignitatem restaurassent.

CAPVT XIIII.

Interea misit Aganippus legatos per vniuersam Galliam ad colligendum in ea omnem armatum militem, vt auxilio suo regnũ Britanniæ Leiro socero reddere laboraret. Quo facto, duxit secum Leir filiam suã & collectam multitudinem in Britanniã, pugnauit cum generis, & triumpho potitus est. Deinde cũ omnes in potestatem suam redegisset: tertio post anno mortuus est. Mortuus est etiam Aganippus. Cordeilla vero regni gubernaculum adepta, sepeliuit patrem in quodam subterraneo quod sub Sora fluuio intra Legecestriam fieri præceperat. Erat autem subterraneum illud conditum in honorem Bifrontis Iani. Ibi omnes operarij vrbis aduenientε solennitate diei, opera quæ per annum acturi erant, incipiebant.

CAPVT XV.

CVM igitur Cordeilla per quinquennium pacifice regnum tractasset, ceperunt eam duo filij sororum suarum, Marganus videlicet & Cunedagius, quæ Maglauno & Henuino ducibus coniugatæ fuerant. Ambo iuuenes præclaræ probitatis formā habebant: quorum alterum videlicet Marganum Maglaunus generauerat: Cunedagium vero Henuinus. Hi itaque cum post obitum patrum in ducatus eiusdem successissent, indignati sunt Britanniam fœmineæ potestati subditam esse. collectis ergo exercitibus in reginam insurrexerunt, nec a sæuitiā sua desistere voluerunt, donec quibuscumque prouinciis vastatis, prælia cum ipsa commiserunt, eamq; ad vltimum captam in carcerem posuerunt: vbi, ob amissionē regni dolore obducta, sese interfecit. Exin partiti sunt iuuenes insulam, cuius pars illa quæ trans Humbrum extenditur versus Cathanesiam Margano cessit. Alia vero quæ ab alia parte fluuii ad occasum vergit, Cunedagio committitur. Emenso deinde biennio, accesserunt quibus turbatio regni placebat, ad Marganum, animumque illius subducebant, dicentes turpe & dedecus esse ipsum, cum primogenitus esset, toti insulæ non dominari. Cumque his & pluribus aliis modis incitatus fuisset: duxit exercitum per prouincias Cunedagij, ignemque accumulare incœpit. Orta igitur discordia, obuiauit ei Cunedagius cum omni multitudine sua, factoque congressu, cædem intulit non minimam, & Marganum in fugam propulit: deinde secutus est eum fugientem a prouincia in prouinciam, & tandem intercepit eum in pago Kambriæ, qui post interfectionem Margani, eius nomine, videlicet Margan, hucusq; a pagensibus appellatus est. Potitus itaque victoria Cunedagius, monarchiam totius insulæ adeptus est, eamque triginta tribus annis gloriose tractauit. Tunc Esaias & Osee prophetabant: & Roma condita est vndecimo Kalendas Maij, à geminis fratribus Remo & Romulo.

CAPVT XVI.

POSTREMO, defuncto Cunedagio successit ei Riuallo filius ipsius, iuuenis & fortunatus, qui regnum cum diligentia gubernauit. In tempore eius tribus diebus cecidit pluuia sanguinea, & muscarū affluentia: homines moriebantur. Post hunc vero successit Gurgustius filius eius: cui Lago Gurgustij nepos: cui Kinmarcus Sisillij filius: post hunc Gorbogudo. Huic nati fuerūt duo filij: quorum vnus Ferrex, alter Porrex nuncupabatur. Cum autem in senium vergeret pater, orta est cōtentio inter eos, vter eorum in regno succederet. At Porrex maiori cupiditate subductus, paratis insidiis Ferrecem fratrem interficere parat. Quod cum illi compertum fuisset, vitato fratre, in Gallias transfretauit. Sed Suardi regis Francorum auxilio vsus, reuersus est & cum fratre dimicauit. Pugnātibus autem illis, Ferrex est interfectus, & tota multitudo quę eum comitabatur. Porro eorum mater, cui nomen Vviden, cum de filij nece certitudinem habuisset, vltra modum commota, in alterius odium versa est. Diligebat namque illum magis altero. Vnde tanta ira ob ipsius mortem ignescebat, vt ipsum in fratrem vindicare affectaret. Nacta ergo tempus quo ille sopitus fuerat, aggreditur eum cum ancillis suis, & in plurimas sectiones dilacerauit. Exin ciuilis discordia multo tempore populum afflixit, & regnum quinque regibus submissum est, qui sese mutuis cladibus infestabant.

CAPVT XVII.

SVCCEDENTE tandem tempore suscitauit probitas quendam iuuenem qui Duuallo Molmutius vocabatur: erat enim filius Clotenis regis Cornubiæ, pulchritudine & audacia omnes reges Britanniæ excellens. qui vt regimen patriæ post patris obitum suscepit, surrexit in Ymnerem regem Loegriæ, & facto congressu eum interfecit. Deinde conuenerunt Rudaucus rex Kambriæ atque Staterius rex Albaniæ, confirmatoque inter se fœdere duxerunt exercitus suos in prouincias Duuallonis, ædificia & colonos depopulaturos. Quibus obuiauit Duuallo cum triginta milibus virorum, præliumq; cōmisit: cūque multum diei, dum pugnarent, præterisset, nec ipsi victoria prouenisset, seuocauit sexcētos viros, audacissimos iuuenes, & cunctos arma defunctorum hostium

ſumere præcepit & indui. Ipſe etiam proiectis illis quibus armatus erat, ſimiliter fecit. Deinde duxit illos concurrentes in hoſtium cateruas incedendo quaſi ex ipſis eſſet: nactus quoque locum quo Rudaucus & Staterius erant, commilitonibus indixit, vt in ipſos irruerent. Facto igitur impetu, perimuntur duo prædicti reges, & plures alij cũ ipſis. At Duuallo Molmutius, timẽs ne a ſuis opprimeretur, reuertitur cũ ſociis ſuis, & ſeſe exarmauit. Reſumptis deinde armis quæ proiecerat, ſocios hortatur in hoſtes irruere: ipſosq; acriter inuaſit. Nec mora, potitus eſt victoria, fugatis ac diſperſis hoſtibus. Deniq; per patrias ſupradictorũ pereptorũ vagãdo ſubuertit vrbes & opida: populũque poteſtati ſuæ ſubmiſit. Et cũ totã inſulam omnino ſubiugaſſet, fecit ſibi diadema ex auro: inſulamq; in priſtinũ ſtatũ reduxit. Hic leges quę Molmutinę dicebantur, inter Britones ſtatuit, quę vſque ad hoc tẽpus inter Anglos celebrantur. Statuit ſiquidem inter cętera quæ multo tẽpore poſt beatus Gildas ſcripſit: vt templa deorum & ciuitates talem dignitatẽ haberent, vt quicumq; fugitiuus ſiue reus ad ea confugeret, cum venia coram inimico ſuo abiret. Statuit etiam vt viæ quę ad prædicta templa & ad ciuitates ducebant: nec non & aratra colonorum eadem lege confirmarẽtur. In diebus itaq; eius latronũ mucrones ceſſabãt: raptorum ſæuitiæ obturabantur: nec erat vſquam qui violentiam alicui ingereret. Deniq; vt inter talia XL. annos poſt ſumptum diadema expleuiſſet, defunctus eſt, & in vrbe Trinouanto prope templum Concordię ſepultus, quod ipſe ad confirmationem legum conſtruxerat.

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Ex in duo filij eius, Belinus videlicet & Brennius, in regnum ſuccedere volẽtes, maxima contriti ſunt diſcordia. Contendebant enim vter eorum regni diademate inſigniretur. Cum itaque plures decertationes inter ſe commiſcuiſſent: interfuerunt amici vtrorumque qui ipſos in concordiam reduxerunt: cenſentes regnum inter eos ea conditione diuidendum eſſe: vt Belinus diadema inſulæ cum Loegria atque Kambria, nec non & Cornubia poſſideret: erat enim primogenitus: petebatque Troiana conſuetudo vt dignitas hęreditatis ei proueniret: Brennius vero, quoniam iunior fuerat, fratri ſubderetur, & Nortumbriam ab Humbro vſque ad Catheneſiam obtineret. Confirmato igitur ſuper his pactionibus fœdere, tractauerunt patriam per quinquennium cum pace & iuſtitia. Verum quia diſcordia ſeſe proſperis rebus ſemper miſcere conatur: affuerunt quidam fabricatores mẽdacij, qui ad Brenniũ acceſſerunt dicentes: Vt quid ignauia te tantũ occupauit, vt Belino ſubiectionẽ teneas: cũ idẽ pater & mater, eadẽq; nobilitas te ei parificet? Adde quod in pluribus debellationibus expertus es, qui totiens Cheulſo duci Moranorũ in prouinciam noſtram applicanti reſiſtere potuiſti: ipſumq; ex regno tuo fugare. Rumpe igitur fœdus quod tibi dedecori eſt, & duc filiam Elſingij Noruvegẽſium regis, vt ipſius auxilio amiſſam dignitatem recipias. Poſtquam igitur his & pluribus aliis animum iuuenis corruperunt: acquieuit ipſe, adiuitque Noruvegiam, duxitque filiam regis, vt a prædictis adulatoribus edoctus fuerat.

CAPVT II.

INTEREA cum id fratri nunciatum eſſet, indignatus eſt, quia ſic ſine licentia ſua contra ipſum egiſſet. Petiuit itaque Northumbriam, cepitque Prouinciali ciuitates. & eas cuſtodibus ſuis muniuit. Porro Brennius, audito rumore qui facta fratris notificauerat, adduxit ſecum magnam copiam Noruvegenſium, paratoque nauigio rediit in Britanniam. Cumque æquora ſecurius & proſpero vento ſecaret, obuiauit ei

Cuichthlacus

Guichthlacus Dacorum rex qui ipsum insecutus fuerat: æstuauerat namque amore puellæ quam Brennius duxerat: vnde vltra modum dolens, classem parauerat & exercitum, ipsumque citissimis velis sequebatur. nauali igitur congressu facto, cepit forte nauem in qua erat prædicta puella, & illatis vncis illā inter cōsocios attraxit. Illis autē hinc & inde intra profundū cōgredientibus, irruunt ex improuiso aduersi venti, factoque turbine naues dissipāt: dissipatas vero in diuersa littora cōpellunt. Rex ergo Daciæ inimica vi ventorum compulsus, peracto quinque dierum cursu, cum timore applicuit cum puella in Northumbriam: nescius quam terram inopinabilis euentus obtulisset. Cumque id a Pagensibus compertum esset, ceperunt illos, duxeruntque ad Belinum qui super maritima aduentum fratris exspectabat. Erant ibi cum naue Guichthlaci tres aliæ naues: quarum vna fuerat ex Brennij nauigio. Postquam autem qui essent regi indicauerunt, gaudens, admodum grauisus est id sibi contigisse, dum sese in fratrem vindicare captaret.

CAPVT III.

EMENSIS deinde aliquot diebus, ecce Brennius resociatis nauibus in Albaniam applicuit. Exin cum ei captio coniugis cæterorumque notificata fuisset: & quod frater ei regnum Northumbriæ, dum aberat, subripuisset: misit nuncios suos ad eum, mandans vt regnum & sponsa redderentur. sin autem, testatur se totam insulam a mari vsque ad mare vastaturum: ipsum etiam fratrem interfecturum si copia congrediendi ipsi præstaretur. Quod cum Belinus sciuisset, negauit plane quod petebat: collectoque omni milite insulæ, venit in Albaniam contra illum pugnaturus. At Brennius vt sciuit repulsam sese passum fuisse, germanumque hoc modo contra se venire, iuit obuiam illi in nemore quod vocatur Calaterium, vt cum eo congrederetur. Vt igitur eundem nacti sunt campum, diuiserunt vterque socios suos in turmas, cominusque aggredientes præliari cœperunt. Multum diei in bellando consumserunt, quia in vtraque parte probissimi viri dexteras commiscebant. Multum cruoris hinc & inde fuderunt, quia tela ipsorum viribus vibratę, lætifera vulnera ingerebant. Concidentes inter corruentes cohortes vulnerati, quemadmodum segetes a falcatoribus aggrediuntur. Denique præualentibus Britonibus, diffugiunt Norvvegenses laceratis agminibus, ad naues: quos fugientes insequitur Belinus, cædem sine pietate faciens. Ceciderunt in illo prælio quindecim milia hominum: nec ex residuis mille superfuerunt, qui illæsi abscederent. At Brennius vix vnam nauem nactus, vt fortuna conduxerat, Gallicana littora petiuit. Cæteri vero qui cum illo aduenerant, quo casus ducebat, latebras exigebant.

CAPVT IIII.

CVM igitur Belino victoria cessisset, conuocauit omnes regni proceres intra Eboracum consilio ipsorum tractaturus quid de rege Dacorum faceret. Mandauerat namque ei ex carcere quod sese regnumque Daciæ ei submitteret, tributumque singulis annis donaret, si cum amica sua liber sineretur abire: mandauit etiam quod pactum suum fœdere iuramenti & obsidibus confirmaret. Conuocatis ergo proceribus, cum id indicatum fuisset, assensum præbuerunt cuncti, vt Belinus petitioni Guichthlaci cum prædicta conditione acquiesceret. acquieuit ergo ipse: & Guichthlacus ex carcere solutus cum amica sua in Daciam reuersus est.

CAPVT V.

PORRO Belinus cum neminem sibi in regno Britanniæ resistere animaduertisset: tota insula a mari vsque ad mare potitus: leges quas pater inuenerat confirmauit. Stabilem quoque iustitiam per regnum fieri præcepit. Maxime autem indixit, vt ciuitates & viæ quæ ad ciuitatem ducebant, eandem pacem quam Dunuallo statuerat, haberent: Sed de viis orta est discordia, quia nesciebatur quibus terminis diffinitæ essent. Rex ergo omne ambiguum legi suæ auferre volens, conuocauit omnes operarios totius insulæ: iussitque viam ex cœmento & lapidibus fabricari: quæ insulæ longitudinem a Cornubico mari vsque ad Cathenesium littus secaret: & ad ciuitates quæ intra eam

erant, recto limite duceret. Iussit etiam aliam fieri in latitudinem regni quæ a Meneuia, quæ super Demeticum mare sita est, vsque ad portum Hamonis extensa ad vrbes intra positas, ducatum ostenderet. Alias quoque duas ab obliquo insulæ: quæ ad cæteras ciuitates ducatum præstarent. Deinde sanciuit eas omni honore, omni dignitate, iurisque sui esse præcepit, quod de illata super eas violentia vindicta sumeretur. Si quis autem scire voluerit omnia quæ de eis statuerit, legat Molmutinas leges, quas Gildas historicus de Britannico in Latinum, Rex verò Aluredus in Anglicum sermonem transtulit.

CAPVT VI.

Belino autem cum pace & tranquillitate regnante, frater eius Brennius in Gallicanum littus (vt prædictum est) appulsus, internis anxietatibus cruciatur. Ferebat enim grauiter sese expulsum a patria esse, nec copiam reuertendi habere, vt amissa dignitate frueretur. Nescius ergo quid faceret, principes Galliæ adiuit, duodecim solummodo militibus comitatus. Cumque infortunium suum singulis ostenderet: nec auxilium ab vllo impetrare quiuisset, venit tandem ad Seginum ducem Allobrogum, & ab eo honorifice susceptus est. Morans autem apud ipsum, accessit in tantam familiaritatem ducis, ita vt non esset alter in curia qui ei præferretur. in omnibus namque negociis, tum in pace, tum in bello probitatem suam mõstrabat: adeo vt dux illum amore paterno diligeret. Erat etiam pulcher aspectu, procera & gracilia membra habens, venationem atque aucupatum vt decebat edoctus. Cum ergo in tantam amicitiam ducis incidisset, statuit dux vt vnicam quam habebat filiam ipsi maritali lege copularet. Et si masculino sexu deinceps careret, concedebat ei regnum Allobrogum post obitum suum cum filia possidendum. Si autem filius ei superueniret, promittebat auxilium, vt in regnum Britanniæ promoueretur. & non solum id a duce, sed etiam ab omnibus duci subditis heroibus appetebatur: quia in tantam eorum amicitiam peruenerat. Nec mora, maritatur puella Brennio, principesque patriæ ei subduntur, soliumque regni donatur. Nec annus quo hæc facta sunt integre emensus est, cum suprema dies ducis adueniens, ipsum ex hac vita eripuit. Tunc Brennius principes patriæ, quos prius amicitia illexerat, obnoxios sibi facere non diffugit, largiendo eis thesaurum ducis, qui a tempore atauorum ipsius reseruatus fuerat. Et quod Allobroges pro maximo habebant, profusus erat in dandis cibis, ianuam suam nulli prohibens.

CAPVT VII.

Attractis ergo quibusque in dilectionem suam, deliberauit apud se, qualiter se in Belinum fratrem suum vindicaret. quod cum populo sibi subdito indicasset, assensum fecerunt cuncti, vt cum illo irent ad quodcunque regnum ipsos conducere affectasset. Nec mora, grandi collecto exercitu, fœdus cum Gallis iniuit, vt per prouincias eorum Britãniam cum tranquillitate adire sineretur. Exin parato in littore Neustriensium nauigio ingressus est mare: secundisque velis in insulã applicuit. Diuulgato igitur aduentu ipsius, Belinus frater ascita totius regni iuuentute obuiam perrexit, prælium cũ eo commissurus. Sed cum hinc & inde statutæ cohortes fere cõmisceri incepissent, accelerauit mater amborum, quæ adhuc viuebat, per dispositas turmas incedens. Erat nomen illi Conuuenna: æstuabatque filium videre, quem multo tempore non aspexerat. Vt igitur tremulis gradibus locum quo ipse stabat nacta fuit: brachia collo eius iniecit, desiderata oscula ingeminans. Nudatis quoque vberibus illum in hunc modum affata est, sermonem impediente singultu: Memento fili, memento vberum istorum quæ suxisti: matrisque tuæ vteri quo te opifex rerum ex homine in hominem creauit: vnde te in mundum perduxit, angustiis mea viscera cruciantibus. Anxietatum igitur quas pro te passa sum reminiscens, petitioni meæ acquiesce: fratrique tuo veniam concede: atq; inceptã iram compesce: nihil enim aduersus eũ habere debes, qui tibi nullam contumeliam intulerit. Nam quod causaris te videlicet a natione tua per eũ expulsum fuisse, si euentum rei diligentius intueri institeris, nullatenus reperies quod iniustitiam

vocabis

vocabis. non enim fugauit te vt deterius tibi contingeret; sed coëgit deteriora postponere vt ad potiora sublimareris. Subditus namque illi, partem regni possidebas, quam vt amisisti, par illi effectus es, Allobrogum regnum adeptus. Quid igitur fecit, nisi quod ex paupere regulo te in sublimem regem promouit? Adde quod dissidium inter vos ortum non per ipsum sed per te cœptum fuit, qui auxilio regis Norvvegiæ fretus, in ipsum exurgere æstuaueras. Super his ergo, quæ ipsa expresserat, motus, sedato animo obediuit: & vltro deposita galea, cum illa ad fratrem perrexit. Belinus ergo vt illum cum vultu pacis ad se venire conspexit, abiectis armis in amplexus eiusdem cũ osculo cucurrit. Nec mora, facti sunt amici, & cohortibus exarmatis vrbem Trinouantum adiuerunt. ibi consilio cepto quid facerent, parauerunt exercitum communem in Galliarum partes ducere, cunctasque prouincias suæ potestati submittere.

CAPVT VIII.

Emenso deinde anno transfretauerunt in Gallias, patriamque vastare cœperũt. Quod cum per nationes diuulgatum fuisset, conuenerunt omnes reguli Francorum, obuiamque venientes contra eos dimicauerunt. At Belino & Brennio victoria proueniente; Franci, vulneratis cateruis diffugerunt. Mox Britones & Allobroges vt triumpho potiti sunt, fugientes Gallos insequi non cessauerunt, donec captis regibus ipsos ad deditionem coëgerunt. Munitis etiam vrbibus euersis, totum regnum intra vnum annum submiserunt. Postremo, cum omnes prouincias ad deditionem cõpulissent, petiere Romam cum tota multitudine sua, vrbesque & colonos per Italiam depopulantur.

CAPVT IX.

Erant tunc Romæ duo consules, Gabius & Porsena, quorum regimini patria commissa fuerat: qui cum vidissent nullam gentem sæuitiæ Belini atque Brennij resistere valere, assensu senatorum venerunt ad illos concordiam & amicitiam petentes. Obtulerunt etiam plurima donaria auri & argenti, singulisque annis tributum, vt sua cum pace possidere sinerentur. Sumptis itaque obsidibus, veniam donauerunt reges, cohortesque suas in Germaniam duxerunt. cumque populum infestare instititissent, piguit Romanos prædicti fœderis: & reuocata audacia, Germanis in auxilium processerunt. Quod cum regibus compertum esset, vltra modum id grauiter ferentes, consilium inierunt, quo modo vtrumque populum oppugnarent. Tanta namque multitudo Italorum superuenerat, ita vt illis terrori essent. Consilio ergo habito, remansit Belinus cum Britonibus in Germania prælia hostibus illaturus. Brennius vero cum exercitibus suis Romam adiuit, vt ruptum fœdus in Romanos vindicaret. Id autem Itali scientes, deseruerunt Germanos, & Romam reuerti captãtes, iter Brenni præcedere festinauerunt. Belinus itaque vt illud ipsi nunciatum fuerat, reuocato exercitu, præterita nocte accelerauit, quandamque vallem nactus, qua hostes prætermituri erãt, intra illam delituit, & aduentum illorum expectauit. Sequenti die instante, venerunt Itali ad eundem locum, cœptum iter facientes: & cum vallem armis hostium fulgere prospexissent, cõfestim stupefacti, arbitrati sunt Brennium, Senonesque Gallos adesse. Belinus ergo cõpertis hostibus, subito impetu irruptionem fecit in illos, atque acriter inuasit. Nec mora, Romani ex improuiso occupati, quia inermes & sine ordine incedebant, cum fuga campum deseruerunt: quos Belinus sine pietate, trucidare non cessauit, donec superueniente nocte incœptam stragem perficere nequiuit. Cum victoria deinde Brennium petiuit: qui iam tribus diebus Romam obsidebat. Vt ergo commu nem exercitum fecerunt, inuadentes vndique vrbem, mœnia prosternere insistunt: & vt maiorem cladem ingererent, erexerunt furcas ante portas ciuitatis: obsessisque mãdauerunt, quod obsides quos dederant in patibulo suspenderẽt, nisi sese suæ ditioni submitterent. Verum Romani in proposito suo perseuerãtes, despecta natorum & nepotum pietate, sese defendere intendunt. Nam quandoque machinationes eorum contrariis vel consimilibus machinationibus conterebant, quandoque vero multimodis telis ipsos a mœnibus repellebant. Cumque id conspexissent fratres, confestim proter-

ua excandescentes ira, viginti quatuor nobilissimos obsidum in conspectu parentum suspendi præceperunt. Romani itaque proteruiores insistentes, fretique legatione Gabij & Porsenæ consulum, qui ipsis mandauerant quod in auxilium eorum sequenti die venirent: vrbem egredi statuerunt, & cum hostibus prælia committere. Dumque turmas suas sapienter distribuerent: ecce prædicti consules resociatis sociis qui dispersi fuerant: præliaturi aduenerunt. Densis autem agminibus incedentes, ex improuiso inuaserunt Allobroges & Britones. Egressis quoque ciuibus consociatis, stragem non minimam primo fecerunt. Porro fratres cum cladem commilitonum tam subito illatam inspexissent, admodum anxiati socios hortari cœperunt, atque in turmas resociare: crebrasque irruptiones facientes, hostes retrocedere coegerunt. Postremo peremptis in vtraque parte ad multa milia pugnantibus, victoria fratribus prouenit. Interfecto etiam Gabio, & capto Porsena, vrbem ceperunt, & absconditas ciuium opes commilitonibus dederunt.

CAPVT X.

HABITA ergo victoria remansit Brennius in Italia, populum inaudita tyrãnide afficiens, cuius cæteros actus & exitum, quia Romanæ historiæ declarant, nequaquã tractare curaui: cum & nimiam prolixitatem huic operi ingesserim, & id quod alij tractauerunt peragrans a proposito meo diuerterim. Belinus vero in Britanniam reuersus est: & cum tranquillitate reliquis vitę suæ diebus patriam tractauit. Renouauit etiam ædificatas vrbes vbicumq; collapsæ fuerant: & multas nouas ædificauit. Inter cæteras cõposuit vnam super Oscam flumen prope Sabrinum mare, quę multis temporibus Kaerose appellata est. Metropolis Demetiæ fuerat. Postquam autem Romani venerunt, pręfato nomine deleto, vocata est vrbs Legionũ: vocabulum trahens a Romanis legionibus quæ ibidẽ hyemare solebant. Fecit etiam in vrbe Trinouanto ianuã miræ fabricę super ripam Tamesis, quã de nomine suo ciues tẽporibus istis Belnesgata vocant. Desuper vero ædificauit turrim miræ magnitudinis: portumq; subtus ad pedem applicantibus nauibus idoneũ. Leges patris vbiq; per regnum renouauit, constanti iustitiæ indulgens. In diebus igitur eius tanta copia diuitiarum populum refecit, quantam nec retro ætas nec subsequens consecuta fuisse perhibetur. Postremo cum suprema dies ipsum ex hac vita rapuisset, combustum est eius corpus, & puluis in aureo cado reconditus: quem in vrbe Trinouanto in summitate prædictæ turris mira arte locauerunt.

CAPVT XI.

POST hæc successit ei Gurgiunt Brabtruc filius eiusdẽ, vir modestus & prudens: qui per omnia paternos actus imitans, pacem & iustitiam amabat: & cum vicini aduersus eum rebellabant, audaciam exemplo genitoris reuocans, dira prælia committebat, & hostes ad debitam subiectionem reducebat. Inter plura alia contigit quod rex Dacorum, qui diebus patris tributum eidem reddebat, huic reddere diffugeret, & ei debitam subiectionem denegaret: quod ipse grauiter ferens, duxit nauigium in Daciam, afflictoque dirissimis præliis populo, interfecit regem, patriamq; pristino iugo supposuit.

CAPVT XII.

EA tempestate cum post istam victoriam domum per insulas Orcades rediret, inuenit triginta naues viris & mulieribus plenas: & cum causam aduentus eorum inquisiuisset, accessit ad eum dux ipsorum Partholoim nomine, & adorato eo veniam & pacem rogauit. Dicebat autem se ex partibus Hispaniarum expulsum fuisse, & maria illa circuire vt locum mansionis haberet. Petebat etiam ab eo portiunculam Britannię ad inhabitandum, ne odiosum iter maris diutius pererraret: Annus enim cum dimidio iam elapsus fuerat, ex quo patria sua pulsus per Oceanum cum sociis nauigauerat. Vt igitur Gurgiunt Brabtruc ipsos ex Hispania venisse & Barclenses esse vocatos, petitionemque eorum edoctus fuit: misit homines cum eis ad insulam Hiberniæ quæ tunc vasta ab omni incola erat: eamque eis concessit. Deinde creuerunt illic & multiplicati sunt: insulamque vsque in hodiernum diem tenuerunt. Gurgiunt vero Brab-

tunc cum dies vitæ cum pace expleuisset, sepultus fuit in vrbe Legionum, quam post obitum patris, ædificijs & muris decorare studuerat.

CAPVT XIII.

Post illum autem Guithelinus diadema regni suscepit, quod omni vitæ suæ tempore benigne & modeste tractauit. Erat ei nobilis mulier Marcia nomine, omnibus artibus erudita. hęc inter multa & inaudita, quæ proprio ingenio repererat, inuenit legem quam Britones Martianam appellauerunt. Hanc etiam rex Aluredus inter cęteras transtulit, & Saxonica lingua *Pa marchitie lage* vocauit. At vt Guithelinus obiit, remansit regni gubernaculum prædictæ reginæ & filio ipsius, qui Sifilius vocabatur. Erat tunc Sifilius septem annorum: nec ætas ipsius expetebat, vt regnum moderationi ipsius cederet.

CAPVT XIIII.

Qva de causa mater, quia consilio & sensu pollebat, totius insulæ imperium obtinuit. quæ cũ ab hac luce migrasset, Sifilius sumpto diademate regni gubernaculo potitus est. Post ipsum Kimarus eius filius regimen obtinuit: cui successit Danius eiusdem frater. Quo defuncto insignitus est Moruidus, quem ex Tangustela concubina genuerat. Hic nimia probitate famosissimus esset, nisi immoderatæ crudelitati indulsisset: nemini namque parcebat iratus, quin eum interficeret, si telorum copiam reperisset. Erat namque pulcer aspectu, & in dandis muneribus profusus: nec erat alter tantæ fortitudinis in regno, qui eius congressum sustinere quiuisset.

CAPVT XV.

Temporibvs ipsius applicuit quidam rex Moranorum cum magna manu in Northũbriam: & patriam vastare cœpit. Cui Moruidus, collecta totius potestatis suæ iuuentute, obuiam perrexit, & cum illo præliatus est. Plus ipse solus in præliando proficiebat quam maxima pars exercitus sui principatus: & vt victoria potitus est, non euasit vllus viuus quin ipsum interficeret. Iubebat enim vnum post alium ante se adduci, vt quemque perimendo crudelitatem suam satiaret: & cum fatigatus cessisset paulisper, præcipiebat ipsos viuos excoriari & excoriatos comburi. Inter hæc & alia sæuitiæ eius gesta, contigit ei infortunium quoddam quod eius nequitiam deleuit. Aduenerat namq; ex partibus Hybernici maris inauditæ feritatis belua, quæ incolas maritimos sine intermissione deuorabat. Cumque fama aures eius attigisset: accessit ipse ad illam, & solus cum sola congressus est. At cum omnia tela sua in illam in vanum consumpsisset, accelerauit monstrum illud, & apertis faucibus ipsum velut pisciculum deuorauit.

CAPVT XVI.

Genverat ipse quinq; filios, quorum primogenitus, Gorbonianus nomine, solium regni suscepit. Nullus ea tempestate eo iustior erat, aut amantior æqui, nec qui populum maiore diligentia tractaret. Mos eius continuus erat debitum honorem diis primum impendere: & rectam plebi iustitiam. Per cunctas regni Britanniæ ciuitates templa deorum renouabat, & plura noua ædificabat. Omnibus diebus eius tanta diuitiarum copia insula affluebat, quantam nullæ collaterales prouinciæ habebant. Quippe colonos ad agriculturam admonebat, ipsos ab iniuriis dominorum defendẽs. Bellatores quoque iuuenes auro & argento ditabat, ita vt nulli opus esset iniuriam alteri facere. Inter hæc & plurima innatæ bonitatis eius gesta, debita naturæ soluens, ab hac luce migrauit: & in vrbe Trinouanto sepultus est.

CAPVT XVII.

Post illum Arthgallo frater eius, regio diademate insignitur, qui in omnibus suis actibus germano diuersus extitit. Nobiles namque vbique laborabat deponere, & ignobiles exaltare, diuitibus quibusq; sua auferre, infinitos thesauros accumulans. Quod

heroes regni diutius ferre recusantes, insurrexerunt in illum, & a solio regio deposuerunt. Exinde erexerũt Elidurum fratrem eius, qui postea propter misericordiam quam in fratrem fecit, Pius vocatus fuit: nam cum regnum emenso quinquennio possedisset, forte in Calatherio nemore venans, obuiauit fratri suo qui depositus fuerat. Ipse vero peragratis quibuscumque prouincialibus regnis auxilium quæsiuerat, vt amissum honorem recuperare quiuisset, nec vsquam inuenerat: & cum superuenientem paupertatem diutius ferre non potuisset, reuersus est in Britanniam, decem solummodo militibus sociatus. Petens ergo illos quos dudum habuerat amicos, prædictum nemus præteribat: quum Elidurus ipsius frater ipsum non speratum aspexit. Quo viso, cucurrit Elidurus, & amplexatus est illum, infinita oscula ingeminans. Et vt diu miseriam fratris defleuit, duxit illum secum in ciuitatem Aldclud, & in thalamo suo occuluit. Post hæc finxit se infirmum ibi, nunciosque suos per totum regnum direxit, qui principibus sibi subditis suggessissent, vt ad se visitandum venirent. Cumque cuncti in vrbẽ qua iacebat conuenissent: præcepit vt vnusquisque thalamum suum singillatim & sine tumultu ingrederetur. Asserebat enim sermonem plurium capiti suo nocere, si cateruatim superuenissent. Credulus ergo quisque iussioni eius paruit, vnusquisque post alterum domum ingressus est. Singulos itaque ingredientes præcipiebat Elidurus ministris, qui ad hoc parati erant, capere, ipsisque capita amputare, nisi se iterum Artgalloni fratri suo submisissent. Sic faciebat separatim de cunctis, & omnes Artgalloni mediante timore pacificauit. Confirmato denique fœdere, duxit Elidurus Arthgallonem Eboracum: cepitque diadema de capite suo, & fratris capiti imposuit. Vnde sortitus est hoc nomẽ Pius: quia prædictam pietatem in fratrem habuerat. Regnauit ergo Artgallo decem annis, & sese ab incepta nequitia correxit: vice etenim versa cœpit ignobiles deponere, & generosos exaltare. Quod suum erat vnicuique permittere, rectamque iustitiam exercere. Denique superueniente languore defecit, & in vrbe Kaerleir sepultus est.

CAPVT XVIII.

ELIGITVR Elidurus iterum in regem, & pristinæ dignitati restituitur. Sed dum Gorbonianum primogenitum fratrem suum in omni bonitate sequeretur: duo residui fratres eius Vigenius & Peredurus collectis vndique armatis cum illo præliari aggrediuntur. Potiti vero victoria, ceperunt illum, & intra turrim vrbis Trinouantinæ incluserunt, imponentes custodes. Postea partiti sunt regnum in duo: cuius pars quæ ab Humbro flumine occidentem versus vergit, in sortem cecidit Vigenio. Altera vero cum tota Albania Pereduro. Emensis demum septem annis obiit Vigenius, & totum regnum cessit Pereduro. Insignitus itaque sceptro, postmodum illud benigne & modeste gubernauit, ita vt antecessores fratres excellere diceretur, nec de Eliduro mentio fieret. Sed cum nemini mors parcere sciat: superuenit illa repentino cursu, ipsumque vitæ subripuit. Educitur continuo Elidurus e carcere, & tertio in solium regni sublimatur: qui cum omne tempus suum in bonitate & iustitia expleuisset, ab hac luce migrans exemplum pietatis successoribus suis dereliquit.

CAPVT XIX.

DEFVNCTO itaque Eliduro, suscepit Gorboniani filius regni diadema, Auunculum in sensu & prudentia imitatus. Postposita namq; tyrannide iustitiam atque misericordiam in populum exercebat, nec vnquam a tramite rectitudinis deuiauit. Post illum regnauit Marganus Arthgallonis filius, qui etiam exemplo parentum serenatus gentem Britonum cum tranquilitate tractauit. Huic successit Enniaunus frater, qui longe ab illo distans in tractando populum, sexto anno regni sui a regia sede depositus est. Postposita namque iustitia tyrannidem præelegerat, quæ ipsum a solio regni deposuit. In loco eius fuit positus cognatus eius Iduallo Vigenij filius, qui euentu Enniauni correctus, ius atque rectitudinem colebat. Huic successit Runno Pereduri filius: cui Geruntius Eliduri filius. Post illum Catellus filius eius. Post Catellum, Coillus. Post Coillum, Porrex. Post Porrecem, Cherin. Huic nati fuerunt tres filij, Fulgenius

nius videlicet atq; Eldadus, necnon & Andragius: qui omnes vnus post alterũ regnauerunt. Exin successit Vrianus Andragij filius: cui Eliud: cui Cledaucus: cui Cletonus: Cui Gurgintius: Cui Merianus: Cui Bleduno: Cui Cap: Cui Oenus: cui Sisillius: cui Blegabred. hic omnes cantores quos præcedens ætas habuerat, & in modulis, & in omnibus musicis instrumentis excedebat: ita vt deus ioculatorum videretur. Post illum regnauit Arthmail frater suus. Post Arthmail, Eldol: cui successit Redion: cui Rederchius: cui Samuilpenissel: cui Pir: cui Capoir: deinde successit Cliguecillus Capoiri filius, vir in omnibus actibus modestus & prudens, & qui super omnia rectam iustitiam inter populos exercebat.

CAPVT XX.

POST illum successit Heli filius eius, regnumque quadraginta annis tractauit. Hic tres generauit filios, Lud, Cassibellaunum, Nennium: quorum primogenitus, videlicet Lud, regnum post obitum patris suscepit. Exin gloriosus ędificator vrbium existẽs, renouauit muros vrbis Trinouanti, & innumerabilibus turribus eam circũcinxit. Præcepit etiam ciuibus, vt domos & ædificia sua in eadem construerent, ita vt non esset in longe positis regnis ciuitas quæ pulcriora palatia contineret. Fuit ipse bellicosus homo & in dandis epulis profusus. Et cum plures ciuitates possideret, hanc præ omnibus amabat: & in illa maiori parte totius anni commanebat: vnde nominata fuit postmodum Kaerlud: & deinde per corruptionẽ nominis Kaerlondon. succedente vero tẽpore per cõmutationem linguarũ, dicta fuit Lõdonię: & postea Londres applicantibus alienigenis, qui patriã sibi submittebant. Defuncto tandem illo, corpus eius conditũ fuit in prædicta ciuitate, iuxta portam illam quæ adhuc de nomine eius Parthlud Britannice, Saxonice Ludesgata nuncupatur. Nati fuerũt ei duo filij, Androgeus & Tenuantius: qui cum propter ętatem regnum tractare nequiuissent, Cassibellaunus eorum patruus loco illorum in regem sublimatur. Mox vt diademate insignitus fuit, cœpit ita largitate atque probitate vigere, vt fama illius per remota regna diuulgaretur. Vnde contigit vt totius regni monarchia sibi, & non suis nepotibus cederet. Cassibellaunus tamen, pietati indulgens, noluit iuuenes regni esse expertes. sed eius magnam partem eis distribuit. vrbem enim Trinouantum cum ducatu Cantiæ largitus est Androgeo: ducatum vero Cornubiæ Tenuantio. Ipse etiam diademate præclarus, illis & totius insulæ principibus imperabat.

LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

INTEREA contigit (vt in Romanis reperitur historiis) Iulium Cæsarem subiugata Gallia ad littus Rutenorum venisse. Et cum illinc Britanniam insulam inspexisset: quæsiuit a circunstantibus, quæ patria & quæ gens inhabitasset. Dum ad Oceanum intueretur, cumque nomen regni didicisset & populi, dixit: Hercle ex eadem prosapia nos Romani & Britones orti sumus, quia ex Troiana gente processimus. Nobis Æneas post destructionem Troiæ primus pater fuit: illis vero Brutus, quem Siluius Ascanij filij Æneæ filius progenuit. Sed, nisi fallor, valde degenerati sunt a nobis. nec quid sit militia nouerunt, cum intra Oceanum extra orbem commaneant. Leuiter cogendi erunt tributum nobis dare, & continuum obsequium Romanæ dignitati præstare. Prius tamen mãdandum est eis vt inaccessi a Populo Romano & intacti vectigal reddant, & vt cęterę gentes, subiectionem Senatui faciant: ne nos ipsorum cognatorum sanguinem fundentes, antiquam nobilitatem patris nostri Priami offendamus. Quod cum literis suis regi Cassibellauno

mandauisset: indignatus est Cassibellaunus: ipsique epistolam in hæc verba direxit:

CAPVT II.

CASSIBELLAVNVS Britonum rex Caio Iulio Cæsari. Miranda est, Cæsar, populi Romani cupiditas: qui quicquid est auri vel argenti sitiens, nequit nos intra pericula Oceani extra orbem positos pati: quin census nostros appetere præsumat, quos hactenus quiete possedimus. Nec hoc quidem sufficit, nisi postposita libertate subiectionem ei faciamus, perpetuam seruitutem subituri. Opprobrium itaque petisti Cæsar, cum communis nobilitatis vena Britonibus & Romanis ab Ænea defluat, & eiusdem cognationis vna & eadem catena præfulgeat: qua firma amicitia coniungi deberent. Illa igitur a nobis petenda esset, non seruitus. Quia eam potius largiri didicimus quam seruitutis iugum ferre. Libertatem namque in tantum consueuimus habere, quod prorsus ignoramus qid sit seruituti obedire: quam si ipsi dij conarentur nobis eripere, elaboraremus vtique omni nisu resistere, vt eam retineremus. Liqueat igitur dispositioni tuæ Cæsar, nos pro illa & pro regno nostro pugnaturos, si, vt comminatus es, intra insulam Britanniæ superuenire inceperis.

CAPVT III.

HIS itaque visis, Caius Iulius Cæsar nauigium suum parat, prosperosque ventos exspectat: vt quod Cassibellauno mandauerat, effectibus prosequeretur. Optato ergo vento instante, erexit vela sua, & in ostium Tamensis fluminis cum exercitu suo applicuit. Iamque rates ad tellurem appulerant: Ecce Cassibellaunus cum tota sua fortitudine ei occurrit, & ad Dorobellum opidum veniens, quæsiuit ibi a proceribus suis consilium, qualiter hostes longius arceret. Aderat cum eo Belinus princeps militiæ eius, cuius consilio totum regnum tractabatur. Aderant etiam duo nepotes eius, Androgeus videlicet dux Trinouanti, & Tenuancius dux Cornubiæ. Tres quoque reges subditi sibi, Cridious rex Albaniæ, & Guerthaeth Venedociæ, atque Britael Demetiæ: qui vt ceteros in affectum pugnandi induxissent, consilium dederunt vt recenter castra Cæsaris adirent: & antequam ciuitatem aliquam siue opidum cepisset, ipsum expellere insisterent: nam si sese intra munitiones patriæ immisisset, dicebant eum difficilius expellendum, cum sciret quo se & commilitones suos reciperet. Assensum ergo præbentes cuncti, petierunt littora, in quibus Iulius castra & tentoria sua erexerat: ibi dispositis in vtraque parte cateruis dextras cum hostibus conserunt: pila pilis & ictus ictibus obiicientes. Nec mora, hinc & inde corruerunt vulnerati telis intra vitalia receptis: madet tellus cruore morientium, acsi repentinus auster absorptum mare reuomuisset. Concurrentibus ergo aduersis cateruis, obtulit casus Nennium & Androgeum cum Cantuaritis & ciuibus vrbis Trinouantinæ quibus præsidebant, agmini quo Imperator aderat. Vt ergo conuenerunt, pene dissipata fuit imperatoria cohors, Britonibus densa acie inuadentibus: & cum mixtim ictus ingeminarent, dedit casus aditum Nennio congressum cum Iulio faciendi. Irruens ergo in illum Nennius vltra modum lætatur se posse vel solum ictum tanto viro ingerere. Quem Cæsar vt impetum in se facientem aspexit: prætenso clypeo excepit, & quantum vires permiserunt, cum nudato ense ipsum super cassidem percussit. Erecto igitur gladio voluit exequi primum ictum, vt letiferum vulnus imprimeret: quod cum Nennius calluisset, interposuit clypeum suum, in quo mucro Iulij a casside maximis labens viribus inhæsit: ita vt, cum irruentibus turmis diutius congredi nequirent, ipsum Imperator extrahere non potuerit. Nennius ergo gladium Cæsaris prædicto modo adeptus, abiecit suum quem tenebat, & abstracto altero in hostes irruere festinat. Quemcunque cum ipso percutiebat, vel ei caput amputabat, vel eum sauciatum præteribat: ita vt nulla spes viuendi in eo maneret. Illi tandem in hunc modum sæuienti obuiauit Labienus tribunus, sed in primo congressu a Nennio peremptus est. Denique plurima parte diei emensa, irruentibus Britonibus densis turmis, & audaces impetus facientibus, vioctria deo fauente prouenit: & Cæsar sese intra castra & naues laceratis Romanis recepit. Denique nocte illa resociatis ceteris, naues suas intrauit, & Neptunum pro

castris

castris habere lætatur. Cumq; ipsi dissuasissent socij prælia diutius ingerere: acquiesces eorum monitionibus, in Galliam reuersus est.

CAPVT IIII.

CASSIBELLAVNVS ergo ob receptum triumphum lætus, grates deo soluens, socios victoriæ suæ conuocauit: & vnum quenque iuxta meritũ probitatis maximis muneribus donauit. Angebatur tamen ex alia parte dolore, quia frater suus Nennius letaliter vulneratus in dubio vitæ iacebat. Vulnerauerat enim eum Iulius in supradicto cõgressu & plagam immedicabilẽ intulerat: vnde intra quindecim dies post prælium irrepente morte ab hac luce migrauit, & in vrbe Trinouãto iuxta Aquilonarem portam sepultus est. Exequias autem regias facientes, posuerunt cum eo gladium Cæsaris in sarcophago, quem intra clypeum suum pugnans retinuerat. Erat nomen gladij, Crocea mors, quia nullus euadebat viuus qui eo vulnerabatur.

CAPVT V.

TERGA igitur vertente Iulio, & in Gallicanum littus appulso, rebellionem moliuntur Galli, dominium Iulij abiicientes. Arbitrabantur namque ipsum esse debilitatum, vt nullatenus eius vires amplius timori essent. Fama etiam apud omnes vna & eadem erat totum mare iam nauibus Cassibellauni feruere, fugam ipsius Iulij insecuturi. Vnde audaciores Galli insistentes cogitabant quomodo Cæsarem a finibus suis expellerent. Quod Iulius subolens, noluit anceps bellum cum feroci populo committere: sed apertis thesauris quosque nobiliores adire: vt singulos munificatos in concordiam reduceret. Plebi libertatem pollicetur, exheredatis amissas possessiones, seruis etiam libertatem. qui prius leonina feritate fulminans ipsis omnia abstulerat: nunc mitis agnus humili balans voce, omnia posse reddere lætatur. nec ab his blandiciis quieuit, donec pacificatis cunctis, amissam potestatem recuperauit. nullus interim dies præteribat, quin fugam suam Britonumque victoriam recoleret.

CAPVT VI.

EMENSO itaque biennio, parat iterum Oceanum transfretare, & sese in Cassibellaunum vindicare. Quod cum Cassibellaunus comperisset: vrbes vbique muniuit, diruta mœnia renouauit, armatos milites in singulis portubus statuit: præterea alueo Tamensis fluminis, quo ad vrbem Trinouantum Cæsar nauigaturus erat, palis ferreis atque plumbatis instar femoris grossis, subter amnem infixit, vt naues Iulij superuenturæ illiderentur. Collecta etiam tota iuuentute insulæ, mansionem iuxta maritima fecit, aduentum hostium expectans.

CAPVT VII.

IVLIVS autem cum omnia quæ sibi necessaria erant parauisset, cum innumerabili multitudine militum mare ingressus est, optatam stragem populo qui eum deuicerat inferre affectans. quam proculdubio ingessisset, si illæsa classe tellure potiri potuisset: quod ad effectum ducere nequiuit. Nam dum per Tamensem fluuium prædictam ciuitatem peteret, naues eius præfatis palis infixæ subitum passæ sunt periculum. vnde ad multa milia submergebantur milites, dum ipsas naues perforatas ingrediens fluuius absorberet. Cumque id Cæsari compertum esset, velis maxima vi retortis, ad terram reuerti festinauit. Ipsi quoque qui in tanto periculo superfuerant, vix elapsi, cum illo tellurem scandunt. Hoc igitur Cassibellaunus ex ripa qua aderat aspiciens, gaudet propter periculum submersorũ: sed tristatur ob ceterorum salutem. Dato vero commilitonibus suis signo, impetum in Romanos facit. At Romani, quanquam periculum in fluuio perpessi fuissent, vt terra potiti sunt, viriliter Britonum irruptioni restiterũt. Audaciam quoque pro muro habentes stragem non minimam fecerunt: sed tamen maiorem patiebantur quam inferebant. Periclitati namque in fluuio, pauciores incedebant: Britones vero omni hora affluentia suorum augmentati, triplo maiorem numerum habebant. vnde debilitatis ceteris potiti sunt triumpho. Cæsar ergo cũ sese de-

uictum inspexisset, cum paucis ad naues diffugit, & tutamen maris ex voto nactus est: tempestiuis etiam ventis instantibus, erexit vela sua, & Morinorum littus petiuit. Ingressus est deinde quandam turrim, quam in loco qui Odnea vocatur construxerat, antequam Britanniam hac vice adiuisset: timebat namque Gallorum fidem & instabilitatem, ne secundo in ipsum irruerent: sicut supra dictum est ipsos fecisse, quando primo Britonibus terga testatus est ostendisse. Ob hanc causam turrim sibi in refugiũ ædificauerat, ita vt rebelli populo resistere valeret, si in illum (vt prædictũ est,) insurrexisset.

CAPVT VIII.

CASSIBELLAVNVS autem secundo triumphum adeptus, maximo gaudio fluctuans, edictum fecit, vt omnes proceres Britanniæ in vrbem Trinouantum cum vxoribus suis conuenirent, debitasque solemnitates patriis diis celebrarent, qui victoriã sibi de tanto Imperatore concesserant. Cumque omnes postposita mora aduenissent, diuersa sacrificia facientes, occisioni pecudum indulserunt. Litauerunt ibi quadraginta milia vaccarum, & centum milia ouium: diuersorumque generum volatilia, quæ leuiter sub numero non cadebant. Præterea triginta milia syluestrium ferarum cuiuscunq; generis collectarum. Mox cum diis suis honores perfecissent, refecerunt se residuis epulis: vt in sacrificiis fieri solebat. Exin quod diei & noctis restabat, diuersos ludos componentes transegerunt. Ludentibus ergo ipsis, contigit inclytos iuuenes, quorum alter erat nepos regis, alter vero Androgei ducis, pariter in palæstra contendere, & ob dubiã victoriam litigare. Erat nomen nepotis regis Hirelglas: alterius vero Euelinus. Qui vt mutua conuitia ad inuicem intulissent, arripuit Euelinus gladium, nepotique regis caput amputauit: quo interfecto perturbata curia, præcepit rex vt coram præsentia suã adduceretur. Adductus quoque præsto esset sententiam quam proceres dictarent subire, ne Hirelglas inultus permaneret, si iniuste interfectus fuisset. Cumque animum regis suspectum haberet Androgeus, respondit sese suam curiam habere, & in illa definiri debere quicquid aliquis in homines suos clamaret. si ergo rectitudinem Euelino decreuisset appetere: ipsam in vrbe Trinouanto ex veterum traditione recepisset. Cassibellaunus itaque cum affectui suo satisfactionem nequiuisset ingerere: comminatus est Androgeo, testans se ferro & flamma prouinciam eius populaturum, nisi petitioni suæ acquiesceret. Indignatus ergo Androgeus distulit petitioni eius parere. Indignatus autem Cassibellaunus, accelerauit prouincias ipsius vastare. At Androgeus quotidie per cognatos & notos regem adibat, petebatque vt desisteret a cœpta ira. & cum furorem eius nullatenus mitigare quiuisset, diuersas meditationes iniuit qualiter ipsi resistere valeret. Denique ab omni alia spe decidens, auxilium Cæsaris petere decreuit, literasque suas ei in hanc direxit sententiam: Caio Iulio Cæsari Androgeus dux Trinouanti, post optatam mortem, optandam salutem. Pœnitet me aduersus te egisse dum prælia cum rege meo committeres. Si enim me a talibus ausis abstinuissem, deuicisses Cassibellaunum: cui post triumphum suum tanta irrepsit superbia, vt me, per quem triumphauit, a finibus suis exterminare insistat. Hæccine ergo merita rependenda essent? Ego illum heraditaui, ipse me exheredare conatur. Ego illum in regnum secundo restitui, ipse me destituere affectat. Me etenim contra te pugnante, omnia ista largitus sum. Numina cælorum testor me non promeruisse iram ipsius, nisi promereri dicar, quia diffugio nepotem meum tradere, quem iniusta nece damnare exoptat. Quod vt manifestius discretioni tuæ liqueat, causam rei aduerte. Contigerat nos ob lætitiam triumphi nostri solemnitates patriis diis celebrare: in quibus cum quæ agenda essent peregissemus sacrificia, iuuentus nostra ludos mutuos componebat. Inter ceteros inierunt duo nepotes nostri palæstram, exemplo aliorum conducti. Cumque meus triumphasset, succensus est alter iniusta ira, festinauitque eum percutere. At ille vitato ictu, cepit eum per pugnum quo gladium tenebat, volens eũ eripere. Interea cecidit nepos regis super mucronẽ, cõfossusq; morti subiacuit. Illud itaq; cũ regi nũciatum esset, præcepit mihi tradere puerũ meũ, vt pro homicidio supplicio plecteretur. Cui cũ cõtradixissem, venit cũ omni multitudine sua in prouincias meas, maximã inferẽs inquietudinẽ. Vnde misericordiam tuã implorans, auxilium a te peto vt per te dignitati meæ restituar: & tu per me Britannia potiaris. De hoc au

tem

« tem nihil in me hæsitaueris, quia omnis abest proditio. Ea enim conditione mouentur « mortales, vt post inimicitias amici fiant, & post fugam ad triumphum accedant.

CAPVT IX.

His igitur inspectis, consilium habuit Iulius Cæsar a familiaribus suis, ne verbis solummodo ducis inuitatus Britanniam adiret, nisi tales dirigerentur obsides, quibus securius applicare quiuisset. Nec mora, misit ei Androgeus Scæuam filium suum & triginta nobiles iuuenes ex cognatione sua propinquos. Datis ergo obsidibus securus factus est Cæsar, reuocatisque cateruis cum instante vento in Rutupi portum applicuit. Interea obsidere incipiebat Cassibellaunus vrbem Trinouantum & villas prouinciales vastare. Sed cum Iulij aduentum comperisset, deseruit obsidionem, & imperatori obuiare festinauit. Vt ergo vallem prope Doroberniam intrauit, aspexit in eadem Romanorum exercitum castra & tentoria ponentem. Adduxerat ei eos Androgeus ibidem vt illic occultum impetum vrbi ingererent. Nec mora, aduertentes Romani Britones superuenire, armauerunt sese ocyus, militesque suos per cateruas statuerunt. Ex alia vero parte armis induuntur Britones, & sese per turmas consociant. At Androgeus cum quinque milibus armatorum in prope sito nemore delituit, vt in auxilium Cæsari occurrens, furtiuam & improuisam irruptionem Cassibellauno consociisque eius faceret. Vt itaque hinc & inde conuenerunt, non distulerunt mortalia tela emittere, nec letiferos ictus ingeminare. concurrunt aduersæ cateruæ: & multum cruoris diffundũt. Concidunt in vtraque parte vulnerati, quemadmodum in autumno arborum folia. Ipsis igitur irruentibus egreditur Androgeus ex nemore: & aciem Cassibellauni, ex qua totum bellum pendebat, a tergo inuadit. Mox illa in vna parte irruptione Romanorũ paulo ante vastata: in alia vero a conciuibus suis miro modo oppressa, nequiuit stationem facere. Vnde dissipatis sociis, arrepta fuga campum deserunt. Astabat prope quidam mons in cacumine saxosus densum habens coriletum: ad illum confugit Cassibellaunus cum suis, postquam in debiliorem partem cecideret. Summitatem quoque eius nactus sese viriliter defendebat, & insequentes hostes nece afficiebat. Insecuti namque fuerunt ipsum Romani & Androgei cateruæ, fugientes turmas eius lacerantes: montem quoque ascendentes crebros ictus faciebant, nec præualebant. Saxa etenim montis eiusdem & cacuminis arduitas Britonibus erat defensio: ita vt a summo occurrentes hostibus stragem darent. Obsedit itaque Cæsar montem illum tota nocte quæ iam superuenerat, omnes exitus præcludens. Affectabat namque fame regem cogere, quem armis nequiuerat. O admirabile tunc genus Britonum, qui ipsum bis in fugã pepulerunt, qui totum orbẽ sibi submiserat. Cui totus mundus nequiuit resistere, illi etiã fugati resistunt, parati mortem pro patria & libertate subire. Hinc ad laudem illorum cecinit Lucanus de Cæsare:

Territa quæsitis ostendit terga Britannis.

Emenso iam die secundo, cum iam non haberet Cassibellaunus quod comederet, timuit ne fame caperetur Cęsaris carcerẽ subiturus. Mandauit ergo Androgeo vt sese cũ Iulio pacificaret, ne gentis dignitas ex qua natus fuerat capto ipso deleretur. Mandauit etiã ei se nõ promeruisse, vt ipsius mortẽ optaret: quãuis inquietudinem ipsi intulisset. Cumq; hæc retulissent nũcij, ait Androgeus: Nõ est diligẽdus princeps, qui in bello mitis est vt agnus: in pace ferus vt leo. Dij cęli & terrę! orat me nũc dominus meus qui prius imperabat: Pacificari ne nũc, & Cæsari subiectionem facere desiderat, cuius pacẽ prius desiderauerat Cæsar? Proinde aduertere debuerat, illũ per quem tantũ imperatorẽ ex regno suo pepulit: posse ipsum iterũ restituere. Non erã igitur inique tractãdus, qui tũc illud obsequiũ, nũc istud inferre poterã. Insipientia obducitur, qui cõmilitones quibus triũphat, iniurijs vel cõtumelijs infestat. Non enim est vllius ducis victoria: sed illorum qui sanguinẽ suũ pro eo pugnando diffundunt: tamen pacificabo illũ si potero, quia iniuria quam mihi intulit satis in illũ vindicata est, cum misericordiam meam imploret.

CAPVT X.

Post hæc festinauit Androgeus ad Iuliũ, amplexusq; eius genua, eum in hunc allocutus est sermonẽ: Ecce satis vindicasti te in Cassibellaunũ. Misericordiã in illũ habe:

quid amplius agendum est, nisi vt subiectionem faciens, vectigal Romanæ dignitati reddat? Cumq; nihil respondisset Cæsar, ait iterum Androgeus: hoc solum pactus sum tibi Cæsar, vt solummodo submisso Cassibellauno Britãniam tibi subdere laborarem. Ecce victus est Cassibellaunus, & tibi Britannia meo subdita auxilio. Quid vltra tibi debeo? nolit creator omniũ, vt dominum meum misericordiam meã orãtem, rectumq; de illata iniuria mihi faciẽtem, patiar vnquam carcere vel vinculis vinciri. Non leue est interficere Cassibellaunum me viuente, cui auxilium meum reddere non erubescam, nisi consilio meo parueris. Timore ergo Androgei mitigatus Iulius, capit a Cassibellauno concordiam, cum vectigali singulis annis reddendo. Erat autem vectigal quod spopondit, tria milia librarum argenti. Exin amici facti adinuicem Iulius & Cassibellaunus, mutuaq; donaria alter alteri dederunt. Deinde hyemauit Cęsar in Britannia: & redeunte vere in Galliam transfretauit. Succedente postmodum tempore, collectis vndique ex omni genere militibus, Romam contra Pompeium perrexit.

CAPVT XI.

CVMQVE postmodum septem anni præteriissent, defunctus est Cassibellaunus, & in vrbe Eboraco sepultus. Cui successit Tenuantius dux Cornubiæ, frater Androgei. Nam Androgeus Romam cum Cæsare profectus fuerat. Diademate igitur insignitus Tenuantius regnum in diligentia obtinuit. Erat ipse bellicosus vir: & qui vigorem iustitiæ colebat. Post illum promotus est ad culmen regale Kymbelinus filius suus, miles strenuus: quem Augustus Cęsar nutriuerat. Hic in tantam amicitiam Romanorum inciderat vt cum posset tributum eorum detinere, gratis impendebat. In diebus illis natus est dominus noster Iesus Christus, cuius precioso sanguine redemptum est humanum genus: quod anteacto tempore dæmonum catena obligabatur.

CAPVT XII.

KYMBELINVS ergo cum Britanniam decem annis gubernasset, genuit duos filios: quorum primogenito nomen Guiderius, alteri Aruiragus. Deinde expletis vitæ suæ diebus, cessit regni gubernaculum Guiderio. Cum ergo tributum quod appetebant Romani, ipsis denegaret: superuenit Claudius qui in imperium subrogatus fuerat. Aderat cum eo princeps militiæ ipsius, qui Britannico vocabulo dicebatur Leuis hamo, cuius consilio prælia quæ gerenda erãt tractabantur. Hic itaque vt in ciuitatem Porcestriam applicuit, cœpit portas eius muro præcludere, exitumque ciuibus abnegare. Cupiebat namque ipsos fame affectos, vel ad deditionem compellere, vel sine clementia interimere.

CAPVT XIII.

DIVVLGATO ergo Claudij Cæsaris aduentu, collegit Guiderius omnem armatum regni militem: & Romanum exercitum petiuit. Conserto deinde prælio acerrime cœpit hostes inuadere: plus solus gladio suo quam maior pars exercitus sui perimens. Iam Claudius naues petebat: iam Romani pene dissipabantur: cum versutus Hamo proiectis illis armis quibus indutus fuerat, arma Britannica cepit: & quasi Britannus cõtra suos pugnabat. Deinde hortabatur Britones ad insequendum: festinatum triumphũ promittens. didicerat enim linguã eorũ & mores: quia inter Britannos obsides Romæ nutritus fuerat: exin accessit paulatim ipse iuxta regem, adituque inuento ipsum nihil tale timentem mucrone suffocauit: elapsus deinde inter hostium cuneos, sese cum nefanda victoria inter suos recepit. At Aruiragus eiusdem frater vt ipsum peremptum inspexit, confestim deposuit arma sua, armisque regis indutus hinc & inde Britones ad perstandum animabat: quasi ipse Guiderius fuisset. qui nescientes regis casum, monitu eius resistebant, pugnabant, stragemque non minimam inferebant. Ad vltimum dilabuntur Romani in duas partes, campum turpiter deserentes. Cæsar namque in vna parte tutamina nauiũ petebat: Hamo autem nemora: quia non habebat spatium naues adeundi. Aruiragus ergo arbitrans Claudiũ cũ eo diffugere, festinauit eum sequi, nec cassauit de loco in locũ fugare, donec illos occupauit super litus maris, quod nũc de nomine eiusdẽ Hamonis Hamtonia nũcupatur. Erat ibi portus applicãtibus nauibus congruus: nauesq; mercatorũ appulsæ quiescebãt. Eas ergo cũ ingredi affectasset

Hamo,

Hamo, ſuperuenit ex improuiſo Aruiragus, ipſumque ſubito interfecit. Portus autem ille ab illo tempore vſque in hodiernum diem portus Hamonis appellatur.

CAPVT XIIII.

INTEREA Claudius reſociatis ſociis oppugnabat prædictam ciuitatem, quæ tunc Kaerperis, nunc autem Portceſtria vocatur. Nec mora, mœnia eius diruit: ciuibuſque ſubactis inſecutus eſt Aruiragum iam in VVyntoniam ingreſſum. Poſtmodum obſedit ciuitatem, diuerſiſque machinationibus illam opprimere nitebatur. Aruiragus verò vt ſeſe obſeſſum inſpexit, conſociauit cateruas ſuas, & apertis portis ad præliandum egreſſus eſt. Cumque irruptionem facere affectaſſet, direxit Claudius nuncios ad ipſum, mandans vt concordiam inirent. Quippe timebat regis audaciam, Britonumque fortitudinem, præferebatque ipſos ſenſu & ſapientia ſubiugare quam dubium certamen inire. Mandabat ergo ei concordiam, daturumque ſe promittebat filiam ſuam, ſi tantummodo regnum Britanniæ ſub Romana poteſtate recognoſceret. Poſtpoſitis ergo debellationibus, ſuaſerunt maiores natu Aruirago promiſſionibus Claudij acquieſcere. Dicebant autem non eſſe ei dedecori ſubditum eſſe Romanis, cum totius orbis imperio potirentur. His vero & pluribus aliis mitigatus, conſiliis eorum paruit: & ſubiectionem Cæſari fecit. Mox Claudius propter filiam ſuam Romam miſit, & auxilio Aruiragi vſus, Orcades & prouinciales inſulas poteſtati ſuæ ſubmiſit.

CAPVT XV.

EMENSA deinde hyeme, redierunt legati cum filia, eamque patri tradiderunt. Erat autem nomen puellæ Genuiſſa, eratque tanta eius pulchritudo, vt aſpicientes in admirationem duceret. Et vt maritali lege copulata fuit, tanto feruore amoris ſuccendit regem ita vt ipſam ſolam cũctis rebus præferret. Vnde locum quo ei primũ nupſerat celebrẽ eſſe volẽs, ſuggeſſit Claudio vt ædificaret in illo ciuitatẽ, quæ memoriã tantarũ nuptiarum in futura tempora præberet. Paruit ergo Claudius, pręcepitque fieri vrbem quæ de nomine eius Kaerglou, id eſt Glouceſtria nuncupata vſque in hodiernum diem, in confinio Demetiæ & Loegriæ ſuper ripam Sabrinæ ſita eſt. Quidam vero dicunt ipſam nomen traxiſſe a Gloio duce, quem Claudius in illa generauit, cui poſt Aruiragum gubernaculum Demetici ducatus ceſſit. Aedificata igitur vrbe, ac pacificata inſula, rediit Claudius Romam, regimenque prouincialium inſularum Aruirago permiſit. Eodem tempore Petrus Apoſtolus Antiochenam eccleſiam fundauit: Romamque deinde veniens, tenuit ibidem epiſcopatum: miſitque Marcum Euangeliſtam in Ægyptum prædicare Euangelium quod ſcripſerat.

CAPVT XVI.

AT ARVIRAGVS, vt Claudius receſſit, cœpit ſenſum & probitatem habere: ciuitates & opida reædificare: populumque regni tanta iuſtitia coercere, ita vt longe poſitis regibus timori eſſet. Hinc autem ſubſequente ſuperbia, deſpexit Romanam poteſtatem, neque ſenatui voluit diutius ſubiectionem tenere: ſed ſibimet omnia vendicauit. Quo audito, miſſus eſt Veſpaſianus a Claudio, vt Aruiragum vel pacificaret vel Romanæ ſubiectioni reſtitueret. Cum igitur in Rutupi portum applicare incœpiſſet Vaſpaſianus, obuiauit ei Aruiragus, prohibuitque ne portum ingrederetur. Tantam namque multitudinem armatorum conduxerat, vt Romanis terrori eſſet, nec ob eius irruptionem terram adire auderent. Retraxit itaque ſe Veſpaſianus a portu illo, retortiſque velis in Totoneſium littus applicuit. Nactus deinde tellurem, Kaerpen Huelgoit, quę Oxonia vocatur, obſeſſurus eandem adiuit. Cumque eam ſeptem diebus obſediſſet, ſuperuenit Aruiragus cum exercitu ſuo, pręliumque conmiſit. Die illa valde laceratus fuit vtrorũque exercitus. ſed neuter victoria potitus eſt. Mane autem facto, mediante Genuiſſa regina concordes effecti ſunt duces, & commilitones ſuos in Hiberniam ablegauerunt. Hyeme vero emenſa Veſpaſianus Romam rediit, & Aruiragus in Britannia remanſit. Deinde in ſenectutem vergens, cœpit ſenatum diligere, regnumque ſuum cum pace & tranquillitate tractare, leges etiam veteris

traditionis cōfirmare, & nouas inuenire, maxima cuiq; probo donaria impertiens. Fama igitur per totam Europam diuulgata, diligebant eum Romani & timebant, ita vt præ omnibus regibus sermo de eo Romæ fieret. Vnde Iuuenalis cæcum quendam dixisse in libro suo commemorat, cum de capto rumbo loqueretur, inquiens,

Regem aliquem capies aut de temone Britanno
Decidet Aruiragus.

Nullus eo in bello ferocior fuit, nullus in pace mitior, nullus iocosior, nullus in dandis muneribus profusior. At vt dies vitæ suæ expleuit, sepultus est Claudio-cestriæ, in quodam templo quod in honorem Claudij dedicauerat & construxerat.

CAPVT XVII.

SVCCESSIT ei in regnum filius eius Marius, vir miræ prudentiæ & sapientiæ. Regnāte postmodum illo, quidam rex Pictorum, nomine Rodric, de Scythia cum magna classe veniens, applicuit in Aquilonarem partem Britanniæ, quæ Albania appellatur, cœpitque prouinciam illam vastare. Collecto igitur populo suo petiuit eum Marius, illatisque præliis ipsum interfecit, & victoria potitus est. Deinde erexit lapidem in signum triumphi sui, in prouincia, quæ postea nomine eius VVestimaria dicta fuit: in quo inscriptus titulus memoriam eius vsque in hodiernum diem testatur. Perempto vero Rodric, dedit deuicto populo, qui cum eo venerat, partem Albaniæ ad inhabitandum, quæ Cathenesia vocatur. Erat autem deserta, nullo habitatore multis diebus inculta. Cumque vxores non habentes, filias & cognatas Britonum ab illis peterent, dedignati sunt Britones huiusmodi populo natas suas maritare: at illi vt repulsam passi fuerunt, transfretauerunt in Hiberniam, duxeruntque ex patria illa mulieres, ex quibus coadunata sobole multitudinem suam auxerunt. Sed hæc hactenus: cum non proposuerim tractare historiam eorum, siue Scotorum, qui ex illis & Hibernēsibus originem duxerunt. At Marius, cum totam insulam in summa pace composuisset, cœpit amorem cum Romano populo habere, tributa soluens quæ ab ipso exigebantur: exemplo etiam patris incitatus, iustitiam, legem, & pacem, & omnia honesta per regnum suum exercebat.

CAPVT XVIII.

CVM autem vitæ suæ cursum expleuisset, filius eius, nomine Coillus, regni gubernaculum suscepit. hic ab infantia Romę nutritus fuerat, moresque Romanorum edoctus in maximam ipsorum amicitiam inciderat. Sed & ipse eis tributum reddebat, aduersari diffugiens: quippe videbat totum orbem illis subditum, eorumque potestatem quosq; pagos, & quāque prouinciam superare. Soluens ergo quod exigebatur, in pace quod possidebat obtinuit. Nullus in regibus maiorē reuerentiam nobilibus regni pręstabat: quia ipsos aut in pace manere permittebat, aut assiduis donariis munerabat.

CAPVT XIX.

NATVS est autem Coillo filius vnicus, cui nomen erat Lucius: qui cum defuncto patre, regni diademate insignitus fuisset, omnes actus bonitatis illius imitabatur, ita vt ipse Coillus a cunctis censeretur. Exitum quoq; suum præferre volens principio, epistolas suas Eleutherio Papæ direxit, petens vt ab eo Christianismum reciperet. Serenauerant enim mentem eius miracula, quæ tyrones Christi per diuersas nationes faciebant. Vnde in amorem veræ fidei anhelans, piæ petitionis effectum consecutus est. Siquidem beatus pontifex comperta eius deuotione, duos religiosissimos doctores, Faganū & Duuanum, ad illum misit, qui verbi Dei incarnationem prædicantes, ipsum baptismate sacro abluerunt, & ad Christum conuerterunt. Nec mora, concurrentes vndiq; nationum populi, regis exemplum insequuntur, eodem lauacro mundati, cœlestique regno restituuntur. Beati ergo doctores cum per totam fere insulam paganismum deleuissent, templa quæ in honore plurimorum deorum fundata fuerant, vni Deo eiusq; sanctis dedicauerunt, diuersisque ordinatorum cœtibus repleuerunt. Fuerunt tunc in Britannia octo & viginti Flamines, nec non & tres Archiflamines, quorum potestati

ceteri iudices morum atq; phanatici submittebantur. Hos etiam ex præcepto Apostolici idololatriæ eripuerunt: & vbi erant Flamines, Episcopos, vbi erant Archiflamines, Archiepiscopos posuerunt. Sedes autem Archiflaminum in tribus nobilioribus ciuitatibus fuerant, Londoniis videlicet, atque Eboraci, & in vrbe Legionum: quam super Oscam fluuium in Glamorgantia veteres muri & ædificia sitam fuisse testantur. His ergo tribus euacuata superstitione, octo & viginti Episcopi subduntur, diuersis quoque parochiis. subiacuit Metropolitano Eboracensi, Deira & Albania, quas magnum flumen Humbri a Loegria secernit. Londoniensi vero Metropolitano submissa est Loegria & Cornubia. Has duas prouincias seiungit Sabrina a Cambria, id est, Gualia, quæ vrbi Legionum subiacuit.

CAPVT XX.

DENIQVE restauratis omnibus, redierunt Antistites Romam: & quæ fecerant a beatissimo Papa confirmari impetrauerunt. Confirmatione vero facta, reuersi sunt in Britanniam compluribus aliis comitati: quorum doctrina gens Britonum in fide Christi in breui corroborata fuit. Eorum nomina & actus in libro reperiuntur, quem Gildas de victoria Aurelij Ambrosij inscripsit. Quod autem tam lucido tractatu parauerat, nullatenus opus fuit vt inferiori stylo renouaretur.

LIBER QVINTVS.

CAPVT PRIMVM.

INTEREA gloriosus ille rex Lucius, cum intra regnum suum cultum veræ fidei magnificatum esse vidisset, maximo gaudio fluctuans, possessiones & territoria quæ prius templa idolorum possidebant, in meliorem vsum vertens, ecclesiis fidelium permanere concessit. Et quia maiorem honorem ipsis impendere debuerat, augmentauit illas amplioribus agris & mansis, omnique libertate sublimauit. Inter hæc & ceteros propositi sui actus in vrbe Claudiocestriæ ab hac vita migrauit, & in ecclesia primæ sedis honorifice sepultus est, Anno ab incarnatione domini centesimo quinquagesimo sexto. Caruit sobole quæ sibi succederet: vnde defuncto illo & dissidium inter Britones ortum fuit, & Romana potestas infirmata.

CAPVT II.

CVMQVE id Romæ nũciatum fuisset, legauit Senatus Seuerum senatorem, duasque legiones cum illo, vt patria Romanæ potestati restitueretur. Mox vt appulsus fuit, prælium commisit cum Britonibus, partemque sibi submisit: partem vero illam quam subiugare nequibat, diris debellationibus infestare laborauit: ita vt eam trans Deiram in Albaniam fugaret. At illa duce Fulgenio omni nisu resistebat, sæpiusque stragem maximam & conciuibus & Romanis inferebat. Conducebat autem in auxilium sibi quoscunq; insulanos populos inueniebat: & sic multotiens cum victoria redibat. Irruptionem ergo eius grauiter ferens imperator, iussit cõstrui vallum inter Deiram & Albaniam, vt impetum eius propius accedere prohiberet. Communicato ergo sumptu fecerunt illud a mari vsque ad mare: quod multo tempore post hostium accessus detinuit. At Fulgenius cum diutius resistere nequiuisset, trãsfretauit in Scythiam, vt Pictorum auxilio dignitati restitueretur. Cumque ibi omnem iuuentutem patriæ collegisset, reuersus est cum maximo nauigio in Britanniam, atque Eboracum obsedit. Quod cum per ceteras nationes diuulgatum fuisset, maxima pars Britonum Seuerum dese-

ruit, & ad Fulgenium iuit. Nec ob id ab incœptis suis destitit Seuerus. Sed conuocatis Romanis, ceterisque Britonibus qui ipsi adhæserunt, obsidionem petiuit, & cum Fulgenio dimicauit. Sed cum pugnam acrius confecisset, interfectus est Seuerus cum multis suorum, & Fulgenius letaliter vulneratus est. Exin Eboraci sepultus est: quam vrbem legiones eius obtinuerunt. Reliquit ipse duos filios, Bassianum & Getam: quorum Geta Romana matre genitus erat, Bassianus vero Britannica. Defuncto igitur patre sublimauerunt Romani Getam in regem: fauentes illi, quia ex vtraq; parte Romanus fuerat. Quod abnegantes Britones Bassianum elegerunt: quia materno sanguine ipsis coniunctus fuerat. Proinde commiserunt fratres pugnam. Vnde Geta interficitur, Bassianus vero regno potitur.

CAPVT III.

Eo tempore fuerat in Britannia iuuenis quidam, nomine Carausius, ex infima gente creatus: qui cum probitatem suam in multis debellationibus suis examinasset, profectus est Romam, petiuitque licentiam a senatu vt maritima Britanniæ ab incursione barbarica nauigiis tueretur: quod si sibi concederetur, promittebat se tot & tanta adepturum, quibus Rempub. magis augmentaret, quam si ipsi regnum Britanniæ traderetur. Cumque senatum promissis suis illusisset, impetrauit quod poposcerat, & cum sigillatis chartis in Britanniam rediit. Mox scelere collectis nauibus, asciuit magnam virtutem iuuentutis, & mare ingressus est, & circuiuit omnia littora regni, maximum tumultum per populum faciens. Interea in comprouinciales insulas appulsus, agros populando, & ciuitates & vrbes diruendo, incolis earum omnia sua eripiebat. Sic ergo ipso agente, confluebant ad illum quicunque in aliena anhelabant: ita vt in breui tantum haberet exercitum, quanto nullus vicinus princeps resistere quiuisset. Ob hoc itaque tumidum habens animum: dixit Britonibus, vt sese sibi facerent regem, & ipse interfectis atque exterminatis Romanis, totam insulam a barbarica gente liberaret. Quod cum impetrasset, dimicauit confestim cum Bassiano, & eum interfecit, regnique gubernaculum suscepit. Prodiderant enim Bassianum Picti, quos dux Fulgenius matris suę frater in Britanniam conduxerat. Nam dum ei auxiliari debuissent, promissis & donariis Carausij corrupti, in ipso prælio diuerterunt se a Bassiano, & in commilitones eius irruerunt. Vnde stupefacti ceteri, cũ ignorarent qui socij, quis hostis, ocyus dilabuntur: & victoria cessit Carausio. Qui vt triumphum habuit, dedit Pictis locum mansionis in Albania, vbi cum Britonibus mixti per sequens æuum manserunt.

CAPVT IIII.

Cvm igitur inuasio Carausij Romæ nuntiata fuisset, legauit senatus Allectum cum tribus legionibus, vt tyrannum interficeret, regnumque Britanniæ Romanæ potestati restitueret. Nec mora, postquam appulsus fuit, præliatus est cum Carausio: ipsoque interfecto solium regni suscepit. Deinde maximam intulit Britonibus cladem, quia relicta Republica, societati Carausij adheserant. Britones vero id grauiter tolerantes, erexerunt in regem Asclepiodotum ducem Cornubiæ: communique assensu facto, persecuti sunt Allectum, & ad prælium prouocarunt. Erat ipse tunc Londoniis, festumque patriis diis celebrabat. At dum aduentum Asclepiodoti comperisset, relicto sacrificio egressus est cum tota fortitudine sua contra ipsum, acerrimamque pugnam ingessit. Præualuit autem Asclepiodotus, dissipauitque Allecti turmas, & in fugam coëgit. & vsque insequendo, multa milia & regem Allectum interemit. Cumque ita ipsi cessisset victoria, Liuius Gallus, Allecti collega, residuos Romanos conuocauit in vrbem: clausisque ianuis turres & ceteras munitiones muniuit, cogitabatque sic Asclepiodoto resistere, vel imminentem necem vitare. Sed Asclepiodotus cum ita factum esse vidisset, obsedit ocyus ciuitatem, mandauitq; omnibus ducibus Britanniæ quod Allectum cum multis militibus interfecerat, obsidebatq; Gallum, & reliquias Romanorum intra Londonias: vnde quosque supplici rogatu poscebat vt sibi in auxilium festinarent. Leuiter enim exterminandum erat Romanorum genus ex Britannia, si communi virtute illos inclusos inuaderent. Ad edictum itaque ipsius venerunt Demeti, Venedoti,

Deiri,

Deiri, & Albani, & quicumque ex genere Britonum erant. Cumque omnes ante conſpectum ducis conueniſſent, iuſſit machinationes innumeras fieri, & mœnia ciuitatis proſternere. Paruit illico vnuſquiſque fortis & audax, & vrbem acerrime inuadit. Nec mora, diruerunt muros atque introitum ſibi fecerunt, ſtragemque Romanis dabant. At Romani cum ſeſe interfici ſine intermiſſione vidiſſent, ſuaſerunt Gallo vt ſeſe & ipſos deditioni traderet: & miſericordiam Aſclepiodoti rogaret, vt viui abſcedere ſinerentur. Interfecti enim omnes fere præter vnam ſolam legionem fuerunt, quæ adhuc reſtabat. Aſſenſum ergo præbens Gallus tradidit ſe atque ſuos Aſclepiodoto: cumque ipſe miſericordiam habere de illo captaret, venerunt Venedoti, & facto agmine decollauerunt omnes vna die, intra vrbem ſuper torrentem, qui poſtea de nomine ducis, Britannice Nautgallim, Saxonice vero Gallemborne nuncupatus fuit.

CAPVT V.

TRIVMPHATIS itaque Romanis, cepit Aſclepiodotus regni diadema, & capiti ſuo, populo annuẽte, impoſuit. Exin tractauit patriam recta iuſtitia & pace decem annis: raptorumque ſæuitiam atque latronum mucrones coercuit. In diebus ipſius orta eſt Diocletiani Imperatoris perſecutio, qua fere deleta fuit Chriſtianitas in tota inſula, quæ a tempore regis Lucij integra & intemerata permanſerat. Superauerat Maximianus Herculius princeps militiæ prædicti tyranni, cuius imperio omnes ſubuerſę fuerunt eccleſiæ, & cunctæ ſacræ ſcripturæ quæ inueniri poterant, in mediis foris exuſtæ. Atque electi ſacerdotes cum fidelibus eis ſubditis trucidati: ita vt agmine denſo certatim ad amœna cœlorum regna, quaſi ad propriam ſedem, feſtinarent. Magnificauit ergo miſericordiam ſuam nobis Deus, qui gratuito munere perſecutionis tempore, ne penitus craſſa atrę noctis caligine populus Britonum offuſcaretur, clariſſimas lampades ſanctorum martyrum accendit: quorum nunc ſepulturæ & paſſionum loca non minimum diuinæ caritatis ardorem intuentium mentibus incuterent, ſi non lugubri barbarorum diuortio ciuibus adempta fuiſſent. Inter ceteros vtriuſque ſexus, ſumma magnanimitate in acie Chriſti perſtantes, paſſus eſt Albanus, Verolanius, Iulius quoque & Aaron vrbis Legionum ciues: quorum Albanus caritatis gratia feruens, confeſſorem ſuum Amphibalum a perſecutoribus inſectatum, & iam iamque compræhendendum primum in domo ſua occuluit, & deinde ſe diſcrimini mortis obtulit, imitãs in hoc Chriſtum, animam ſuam pro ouibus ponentem. ceteri vero duo inaudita membrorum diſcerptione lacerati ad egregias portas Hieruſalem abſque cunctamine cum martyrij tropheo conuolauerunt.

CAPVT VI.

INTEREA inſurrexit in regem Aſclepiodotum Coel dux Kaercoluin, id eſt Colecestriæ, & prelio conſerto eum peremit, regnique diademate ſeſe inſigniuit. Cumque id ſenatui nunciatum fuiſſet, gauiſi ſunt propter regis mortem, qui per omnia Romanam poteſtatem turbauerat. Recolentes quoque damnum, quod de amiſſo regno habuerant, legauerunt Conſtantium ſenatorem, qui Hiſpaniam ipſis ſubdiderat, virum ſapientem & audacem, & qui præ ceteris Rempublicam augere laborauerat. Porro Coel Britonum dux, cum ipſius aduentum comperiſſet, timuit ei prælia ingerere: quia fama ipſius aſſerebat, nullum regem poſſe illi reſiſtere. Vt igitur intra inſulam Conſtantius applicuit, direxit Coel legatos ſuos ad illum, petiuitque pacem & ſubiectionem promiſit eo pacto, vt regnum Britanniæ poſſideret, nihilq; aliud præter ſolitum tributum Romanæ dignitati ſolueret. Hoc igitur nunciato, acquieuit ei Conſtantius, pacemque receptis obſidibus confirmauerunt. Emenſo deinde menſe grauiſſima infirmitas occupauit Coel, ipſumque intra octo dies morte affecit. Quo defuncto inſigniuit ſe Conſtantius regni diademate; duxitque filiam Coel, cui nomen erat, Helena. Pulcritudo eius prouinciales puellas ſuperabat, nec vſpiam reperiebatur altera quæ in muſicis inſtrumentis ſiue in liberalibus artibus doctior illa cenſeretur. Caruerat pater altera ſobole quæ regni ſolio potiretur. Vnde eam ita docere laborauerat, vt regnum poſt patris obitum facilius tractare quiret. Cum igitur illam in thori ſocietatem accepiſſet

Constantius, generauit ex ea filium, vocauitq; eum Constantinum. Exin cum vndecim anni præteriissent, ipse apud Eboracum morti subiacuit, regnumque filio donauit. Qui vt honoris solio potitus est, cœpit intra paucos annos probitatem maximam habere, leoninam feritatem ostendere, iustitiam inter populos tenere. Latronum rapacitatem hebetabat, tyrannorum sæuitiam conculcabat, pacem vbiq; renouare studebat.

CAPVT VII.

EA tempestate erat quidam tyrannus Romæ, Maxentius nomine, qui nobiles quosque probissimos ciues exhæredare conabatur, pessimaque tyrannide Rempub. opprimebat. Incumbente igitur ipsius sæuitia, diffugiebant exterminati ad Constantinum in Britanniam, & ab ipso honorifice excipiebantur. Denique cum multi tales ad eum confluxissent, incitauerunt eum in odium aduersus prædictum tyrannum, & talia ei sępissime obiiciebant: Quousque calamitatem & exilium nostrum patieris Constantine? Vt quid moraris nos in natale solum restituere? Tu solus es ex generatione nostra, qui quod amisimus nobis reddere vales, expulso Maxentio. Quis etenim princeps regi Britanniæ conferri queat, siue in fortitudine robustorum militum, siue in copia auri & argenti? Obsecramus te, redde nobis possessiones nostras, redde coniuges & liberos nostros, Romam cum exercitu nobiscum petendo.

CAPVT VIII.

HIS igitur & aliis incitatus Constantinus, adiuit Romam, illamq; sibi subiugauit, & postmodum totius mundi monarchiam obtinuit. Conduxerat secum Helenæ tres auunculos, Ioelinum videlicet & Trahern, necnon & Marium: ipsosque in senatorium ordinem promouit. Interea Octauius dux VVisseorum insurrexit in proconsules Romanæ dignitatis, quibus insulæ regimen permissum fuerat, & solio regni, ipsis interfectis, potitus est. Cumque id Constantino nunciatum fuisset, direxit Trahern auunculum Helenæ, cum tribus legionibus, vt insulam Romanæ dignitati restitueret. Appulsus itaque Trahern in littus, iuxta vrbem quæ Britãnice Kaerperis nuncupatur, impetum fecit in ipsam, atque intra duos dies cepit. Quo per vniuersas nationes diuulgato, rex Octauius omnem armatam manum insulæ totius collegit, venitque ipsi obuiam, haud longe a Guintonia, in campo qui Britãnice Maisuriam appellatur: cœpitq; præliari, & victoria potitus est. Trahern itaq; naues laceratis militibus adiuit, easq; ingressus Albaniã petiuit æquoreo itinere, & prouincias vastare vacauit. Cumq; id regi Octauio iterum nunciatum fuisset, resociatis turmis, secutus est eum, & in prouincia quæ VVestmaria landa vocata fuit, dimicauit: sed sine victoria diffugit. At Trahern, vt sibi victoriam cedere prospexit: insecutus est Octauiũ, nec eum quietem habere permisit, donec illi vrbes cum diademate eripuit. Octauius ergo propter amissum regnum anxius, nauigio Norvvegiam petiuit, vt a rege Gomberto auxilium acquireret. Interea familiaribus suis edictum fecerat, vt omni nisu elaborarent neci Trahern imminere. Comes ergo opidi municipij, qui ipsum prę ceteris diligebat, præceptis illius parere non distulit. Nam dum Trahern ex Londoniis quadam die recederet, delituit cum cẽtum militibus in quadam conualle nemoris, qua ille transiturus erat, atque in ipsum prætereuntem impetum inopinum fecit, ac inter commilitones interfecit. Quod cum Octauio nunciatum esset, reuersus est in Britanniam, & dissipatis Romanis solium regni recuperauit. Exin tantam probitatem tantamqne auri & argenti copiam in breui tempore nactus fuit, ita vt neminem timeret. Regnum autem Britanniæ ab illo tempore vsque in dies Gratiani & Valentiniani feliciter obtinuit.

CAPVT IX.

DENIQVE senio confectus, disponere populo volens, quæsiuit a consiliariis suis, quem post ipsius fata in regem de progenie sua erigere affectassent? Vnicam tantum filiam habens, filio caruerat, cui regimem patriæ permitteret. Fuerunt itaque qui laudabant vt filiam suam alicui nobilium Romanorum cum regno maritaret, vt pace

fruerentur firmiori. Alij vero censebant Conanum Meriadocum nepotem eius in solium regni initiandum: Filiam vero alicui alterius regni principi cum auro & argento copulandam. Dum hæc inter ipsos gererentur, accessit Caradocus Cornubiæ dux, consiliumque dedit, vt Maximianum senatorem inuitarent, filiamque ei cum regno donarent, & sic perpetua pace fruerentur. Erat autem ei pater Britannus: quia Leoninus Constantini auunculus, de quo superius mentionem feceram, ipsum genuerat. Matre vero & natione Romanus, ex vtroque sanguine regalem ferebat procreationem. Idcirco pacis stabilitatem promittebat, quia sciebat illum, & ex Imperatorum genere, & ex origine Britonum ius in Britanniam habere. Cum itaque tale consilium dedisset Cornubiensium dux: indignatus est Conanus regis nepos, qui omni nisu in regnum anhelabat, totamque curiam propter talia turbauit. At Caradocus cœptis suis desistere nolens, misit Mauricium filium suum Romam, vt ea Maximiano indicaret. Erat ipse Mauricius magnæ & pulcræ staturæ, magnæque probitatis atque audaciæ: & qui ea quæ iudicabat, armis, si contradictio fieret, & duello probabat. Qui vt Maximiani præsentiam adiuit, ab illo vt decebat receptus est, & supra commilitones honoratus. Erat tunc maxima inquietudo inter ipsum Maximianum, & duos Imperatores Gratianũ, fratremque suum Valentinianum, quia passus fuerat repulsam de tertia parte imperij quam petebat. Vt ergo vidit Mauricius Maximianum ab Imperatoribus oppressum, eum in hæc verba affatur: Vt quid Gratianum times Maximiane, cum tibi pateat via qua ei imperium eripere poteris? Veni mecum in Britanniam insulam: & regni diadema possidebis. Octauius enim rex & senio & languore grauatus, nihil aliud desiderat, nisi vt aliquem talem inueniat, cui regnum suum cum filia donet. Masculina namque prole caret, consiliumque a proceribus suis quæsiuit, cui vnicam filiam suam cum regno copularet. Et vt affatui eius parerent heroes, decreuerunt vt tibi concederetur regnum & puella, & direxerunt me ad te, vt id tibi notificarem. Si igitur mecum veniens incœptum istud perfeceris, auri & argenti Britanniæ copia, multitudine etiam bellicosorum militum ibidem manentium, Romam valebis redire, expulsisque Imperatoribus eam subiugare. Sic enim egit Constantinus cognatus tuus, pluresq; reges nostri qui imperium ascenderunt.

CAPVT X.

ACQVIESCENS igitur verbis eius Maximianus, Britanniam petiuit, petendo Frãcorum vrbes subiugauit: subiugando aurum & argentum coaceruabat: milites vndiq; sibi associabat. Postmodum Oceanum mare ingressus, in portum Hamonis secundis velis applicuit. Cumque id regi nunciatum esset, expauit stupore vehementi, existimans hostilem exercitum superuenisse. Vocato igitur Conano nepote suo, iussit eum omnem armatum militem insulæ colligere atque hostibus obuiam procedere. Collegit itaque Conanus omnem regni iuuentutem, venitque ad portum Hamonis, vbi tentoria sua Maximianus erexerat. Qui vt tantæ multitudinis aduentum comperit, maximis angustiis cruciabatur, quia ignorabat quid faceret. Paucioribus namque cateruis comitatus, dubitabat & virorum multitudinem & audaciam, quia de pace nullam spem habebat. Conuocatis igitur maioribus natu & Mauricio, dicere præcepit, quid contra talem aduentum agendum foret? cui Mauricius: Non est nobis cum tot bellicosis militibus pugnandum, nec ea de causa venimus, vt Britanniam prælio subiugaremus. Pax roganda est & hospitandi licentia, donec animum regis sciamus. Dicamus nos missos esse ab Imperatoribus, eorundem mandata Octauio deferre, & calidis verbis populum istum mulceamus. Cumque id omnibus placuisset, assumpsit secum duodecim canos proceres sapientiores ceteris, & oliuę ramos in dextris habentes: venitque Conano obuiam. Videntes igitur Britones viros reuerendæ ætatis, & oliuam in pacis signum gestantes, eis honorifice assurgunt & viam patefaciunt, vt ducem liberius adeant. Mox illi in præsentia Conani Meriadoci stantes, eum ex parte Imperatorum & senatus salutauerunt, dixeruntque Maximianum missum ad regem Octauium, vt mandata Gratiani & Valentiniani eidem portaret. Ad hæc Conanus, Vt quid ergo eum tanta sequitur multitudo? non hæc legatorum facies esse solet, imo superue-

nientium hostium, qui iniuriam inferre meditantur. Tunc Mauricius: Non decebat tantum virum inglorium sine commilitonibus incedere: pręsertim cum propter Romanam potentiam, & propter actus auorum suorum pluribus regibus odiosus habeatur. Nam si raro comitatu incederet, fortassis ab inimicis Reipublicæ perimeretur. Pace venit, pacemque petit, quod ex actu ipsius credi decet. Ex quo namque applicuimus, sic nosmetipsos habuimus, vt nemini iniuriam intulerimus. Expensam nostram vt gens pacis fecimus, quia necessaria ementes, nihil vi cuipiam subripuimus. Cumque hæsitasset Conanus, an pacem an prælium committeret: accessit Caradocus dux Cornubiæ: accesserunt ceteri proceres, & dissuaserunt Conano post hanc petitionem bellum ingerere. Qui licet dimicare maluisset, depositis armis concessit eis pacem. Duxitque Maximianum Londonias ad regem, & rem ordine manifestauit.

CAPVT XI.

TVNC Caradocus Cornubiæ dux assumpto secum Mauricio filio suo, iussit astantes semoueri: regemque in hæc verba adiuit: Ecce, quod longo tempore desiderabant qui fidelitati tuæ veriori affectu obedientiam seruant, disponente Deo, successibus tuis accessit. præceperas namque proceribus tuis consilium dare, quid de filia tua, quid de regno tuo tibi agendum foret: cum tua ætas intantum his diebus repugnet, vt populum tuum diutius gubernes. Alij itaque censebant diadema Conano nepoti tuo tradendum, filiamque tuam alicubi digne maritandam: timentes ciuium exterminationem, si alterius linguæ princeps superueniret. Alij concedebant regnum filiæ, & alicui nostræ loquelæ nobili, qui tibi post obitum succederet. Maior autem pars laudabat, vt ex genere imperatorum mandaretur aliquis, cui nata cum diademate donaretur. Promittebant enim firmam & stabilem pacem inde prouenturam, si Romana potestas ipsos protegeret. Ecce ergo tibi dignatus est Deus istũ subuectare iuuenem: & ex Romanorũ genere, regaliq; prosapia Britonum creatum, cui filiam tuam meo cõsilio maritare non differes. Quanquam autem illud abnegares, quid iuris tibi contra illum in regnum Britanniæ fieret? Constantini etenim consanguineus est, & nepos Coel nostri regis, cuius filiam Helenam nequimus abnegare hereditario iure regnum istud possidere. Cumque hæc retulisset Caradocus, acquieuit ei Octauius, communique consensu ilico regnum Britannię cum filia sua illi donauit. Quod videns Conanus Meriadocus, indignatus est vltra quam exprimi posset: secessitque in Albaniam, & exercitum colligere vacauit, vt Maximianum inquietaret. Multitudine ergo cõsociata, pręteriuit Humbrum flumen, quaslibet prouincias vltra & citra depopulans. Quod cum Maximiano nũciaretur: collecta tota fortitudine sua, festinauit obuiam ire: & cum illo pręliatus est, & cum victoria rediit. Nec tamen deficiebat Conanus, sed resociatis cateruis, destructioni prouinciarum imminebat. Redibat ergo Maximianus, & cõmissis præliis quandoque cum triumpho, quandoque superatus reuertebatur. Denique cum alter alteri maximum damnum intulisset, concordiam annuentibus amicis, fecerunt.

CAPVT XII.

EMENSO deinde quinquennio, superbiuit Maximianus propter infinitam auri & argenti copiam quæ illi quotidie affluebat: parauitque nauigium maximum, omnemque armatum militem Britannię collegit. Non sufficiebat ei regnum Britanniæ, quin affectaret Gallias subiugare. Vt ergo transfretauit, adiuit primitus Armoricum regnum, quod nunc Britannia dicitur, & populum Gallicum qui inerat, debellare incœpit. At Galli, duce Inbalto, obuiam venientes, pugnam fecerunt contra illum: sed in maiori parte periclitati fugam inierunt. ceciderat namque dux Inbaltus, & quindecim milia armatorum, qui ex omni regno illo conuenerant. Vt ergo tantam cladem ingessit Maximianus, maximo fluctuauit gaudio, quia interitu tot virorum sciebat patriam leuiter deinde subdendam. Vocauit ergo Conanum ad se extra turmas, & paulisper subridens ait: Ecce vnum ex potioribus Galliæ regnis subiugauimus. Ecce spem ad cetera habere possumus. Festinemus vrbes & opida capere, antequam rumor huius periculi in vlteriorem Galliam euolans, vniuersos populos ad arma prouocet. Nam si

istud

istud regnum habere poterimus, non hæsito quin totam Galliam potestati nostræ subdemus. Ne pigeat te ergo, regnum Britanniæ insulæ mihi cessisse; licet possidendi eam spem habuisses, quia quicquid in illa amisisti, tibi in hac patria restaurabo. promouebo te etenim in regem huius regni, & erit hæc altera Britannia; & eam ex genere nostro expulsis indigenis repleamus. Patria namque fertilis est segetibus: & flumina piscosa sunt, nemora perpulcra, & saltus vbique amœni. Nec est vspiam, meo iudicio, gratior tellus. Ad hæc inclinato capite grates egit Conanus, promisitq; se fidelem in obsequio eius mansurum donec viueret.

CAPVT XIII.

Post hæc conuocatis cateruis iuerunt Redonum, ipsamque eodem die ceperunt. Audita namq; Britonum sæuitia, peremptorumque casu, desugerant ciues cum festinatione, mulieribus relictis atque infantibus. Exemplo ipsorum fecerunt ceteri per vrbes, & per cetera opida, ita vt facilis aditus Britonibus pateret. Qui quocunq; intrabāt, interficiebant quicquid erat masculini sexus, solis mulieribus parcētes. Postremo cum vniuersas prouincias penitus ab omni incola deleuissent, munierunt ciuitates & opida militibus Britanniæ, & promontoria in diuersis locis statuta. Sæuitia igitur Maximiani per ceteras Galliarū prouincias diuulgata, timor nimius quosq; duces, & quosq; principes inuadebat: ita vt nullā aliam spem nisi in votis diis soluendis haberent. Diffugiebant itaq; ab omni pago ad ciuitates & opida, & ad quæcunq; loca quæ tutum præstabant refugium. Maximianus ergo sese timori esse comperiens, maiorem resumit audaciam: exercitumque suum profusis donariis augere festinauit. Quoscunque enim aliena captare callebat, sibi associabat, & nunc auro, nunc argento, ceterisque muneribus illos ditare non cessabat.

CAPVT XIIII.

Exin tantam multitudinem collegit, quantam existimabat sibi sufficere posse ad omnem Galliam subiugandam. Distulit tamen sæuitiam suam paulisper vlterius ingerere, donec sedato regno quod ceperat, ipsum Britannico populo repleuisset. Fecit itaque edictum suum, vt centum milia e plebe in Britannia insula colligerentur qui ad eum venirent. Præterea triginta milia militum, qui ipsos intra patriam qua mansuri erant, ab hostili irruptione tuerentur. Cumque omnia perpetrasset: distribuit eos per vniuersas Armorici regni nationes: fecitque alteram Britanniam; & eam Conano Meriadoco donauit. Ipse vero cum ceteris commilitonibus suis, vlteriorem adiuit Galliam, grauissimisque præliis illatis eam subiugauit, nec non & totam Germaniam, in omni prælio victoria potitus. Thronum autem imperij sui apud Treueros statuens; ita debacchatus est in duos Imperatores Gratianum & Valentinianum, quod vno interempto, alterum ex Roma vrbe fugauit.

CAPVT XV.

Interea inquietabant Conanum Armoricosque Britones, Galli atque Aquitani, crebrisque irruptionibus sæpissime infestabant. Quibus ipse resistens, & mutuam cladem reddebat, & commissam sibi patriam viriliter defendebat. Cum autem ei cessisset victoria, voluit commilitonibus suis coniuges dare, vt ex eis nascerentur heredes qui terram illam perpetuo possiderent. Et vt nullam commixtionem cum Gallis facerent, decreuit vt ex Britannia insula mulieres venirent, quæ ipsis maritarentur. Direxit itaque nuncios in Britanniam insulam ad Dionotum regem Cornubiæ, qui fratri suo Caradoco in regnum successerat, vt curam huius rei susciperet. Erat ipse nobilis & præpotens: & cui Maximianus insulæ principatum commendauerat, dum ipse prædictis negotiis intenderet. Habebat autem filiam miræ pulcritudinis, cui nomen Vrsula, quam Conanus super omnia exoptauerat.

CAPVT XVI.

DIONOTVS igitur viso Conani nuncio, volens mandatis eius parere, collegit per diuersas prouincias nobilium filias, numero vndecim milia: de ceteris ex infima gente creatis sexaginta milia: & omnes intra vrbē Londoniæ cōuenire pręcepit. naues quoq; ex diuersis littoribus iussit adduci, quibus ad prædictos cōiuges transfretarēt. Quod licet multis in tanto cœtu placuisset, tamen pluribus displicebat, quæ maiori affectu & parentes & patriā diligebant. Nec deerāt forsitā aliquæ, quæ castitatē nuptiis pręferentes, maluissent in qualibet etiā natione vitā amittere, quam hoc modo diuitias exigere. Quippe diuersas diuersa iuuarēt: si optatū suum ad effectū ducere quiuissent. Parato autē nauigio, ingrediūtur mulieres naues, & per Tamesem fluuiū maria petūt. Postremo cū vela versus Armoricanos diuertissent: cōtrarij vēti in classem insurrexerūt, & in breui totā societatē dissipant. Periclitabantur ergo naues intra maria, in maiori parte submersæ: quæ vero totū periculū euaserūt, appulsæ sunt in barbaras insulas, & ab ignota gente siue trucidatæ siue mancipatæ. Inciderant siquidē in nefandum exercitū Guanij & Melgę, qui iussu Gratiani nationes maritimorū & Germanię dira clade opprimebant. Erat autē Guanius rex Hūnorum, Melga vero Pictorū, quos asciuerat sibi Gratianus, miseratq; in Germaniam, vt eos qui Maximiano fauerent, inquietarēt. Per maritima ergo sæuientes, obuiarunt prædictis puellis in partes illas appulsis. Inspicientes igitur earum pulchritudinē, lasciuire cū eis voluerunt: sed cum abnegauissent puellæ, in eas Ambrones irruerunt, maximamq; partē sine pietate trucidauerunt. Deinde nefandi Pictorū & Hunnorū duces Guanius & Melga, qui partibus Gratiani & Valētiniani fauebāt, cū didicissent insulā Britāniæ ab omni armato milite vacuatā, iter festinatū versus illam direxerunt: associatisq; sibi collateralibus insulis, in Albaniam applicuerunt. Agmine igitur facto inuaserunt regnū quod rectore & defensore carebat, vulgus irrationabile cędētes. Abduxerat enim secum Maximianus (vt prædictum est) omnes bellicosos iuuenes qui reperiri potuerant: inermesq; colonos atq; inconsultos reliquerat. Quos cum prædicti Guanius & Melga cōpererunt minime resistere posse, stragem non minimam facientes, vrbes & prouincias, vt ouium caulas, vastare non cessabant. Cum ergo tanta calamitas Maximiano nunciata fuisset, misit Gratianum Municipem cum duabus legionibus, vt auxilium subuectaret: qui vt in insulam venerunt, præliati sunt cum prædictis hostibus, & acerrima nece affectos ipsos in Hyberniam fugauerunt. Interea Maximianus Romæ interfectus est ab amicis Gratiani, & Britones quos secum duxerat, interfecti sunt & dissipati. qui euadere potuerunt, venerunt ad conciues suos ad Armoricam, quæ iam altera Britannia vocabatur.

LIBER SEXTVS.

CAPVT PRIMVM.

AT Gratianus Municeps, cum de nece Maximiani audiuisset, cepit regni diadema, & sese in regē promouit. Exin tātam tyrānidem in populo exercuit, ita vt cateruis factis plebs in eum irruerent & interficerent. Quod cum per cetera regna diuulgatū fuisset, reuersi sunt prædicti hostes ex Hybernia: & secum Scotos, Norvvegenses & Dacos conducentes, regnum a mari vsq; ad mare ferro & flāma affecerunt. Ob hanc insectationē & durissimam oppressionem legati Romam cū epistolis mittuntur, militarem manum ad se vindicandos lacrimosis postulationibus poscētes, & subiectionē sui in perpetuū vouētes, si hostis lōgius arceretur: quibus mox cōmittitur legio præteriti mali immemor, quæ ratibus trās Oceanum in patriam vecta, cominus cum hostibus congressa est. Magnam denique ex his multitudinem sternēs, omnes e finibus pepulit, atq; oppressam plebem a tam atroci dilaceratione liberauit: ad quos iussit construere murū inter Albaniam & Deiram, a mari vsq;

ad mare, vt eſſet arcẽdis hoſtibus a turba inſtructus terrori, ciuibus vero tutamini. Erat autem Albania penitus frequentatione Barbarorum vaſtata, & quicumque hoſtes ſuperueniebant, opportunum intra ipſam habebant receptaculum. Collecto igitur publico & priuato ſumptu, incumbunt indigenæ operi, & murum perficiunt.

CAPVT II.

ROMANI igitur patriæ denunciant, nequaquam ſe tam laborioſis expeditionibus poſſe frequentius vexari: & ob imbelles & erraticos latrunculos Romana ſtigmata tãtum talemque exercitum terra ac mari fatigari: ſed vt potius ſoli conſueſcendo armis ac viriliter dimicando terram, ſubſtãtiam, cõiuges, liberos, &, quod iis maius eſt, libertatem vitamq; totis viribus defenderent. Vt ergo hanc admonitionem facerent, iuſſerunt conuenire omnes bellicoſos viros inſulæ intra Londoniam: nam Romani repedare moliebãtur. Cum autem conueniſſent cuncti, commiſſus eſt ſermo Guethelino Lõdonienſi Metropolitano, qui ipſos in hæc verba adiuit: Cum vos iuſſu aſtantium principum alloqui deberem, magis in fletũ prorũpere cogor, quam in excelſum ſermonem: miſeret enim me orphanitatis & debilitatis, quæ vobis acceſſit, poſtquam Maximianus regnum iſtud omni milite omniq; iuuentute ſpoliauit. Vos autem reliquiæ eratis: plebs vſus belli ignara, quæ ceteris negotiis, vt in terris colendis, diuerſiſq; commercij machinationibus intendebat. Cum ergo ſuperuenerunt ab alienis nationibus inimici, velut oues ſine paſtore errantes, vos ouilia veſtra deſerere coegerunt: donec Romana poteſtas vos poſſeſſionibus veſtris reſtituit. Erit ne ergo ſpes veſtra ſemper in alieno tutamine, & nõ inſtruitis manus veſtras peltis, enſibus, haſtis in latrones nequaquam vobis fortiores, niſi ſegnitia & torpor adeſſet? Iã tædet Romanos tam aſſidui itineris quo vexantur, vt pro vobis cum hoſtibus congrediantur. Prius omne tributum quod ſoluitis amittere prçelegerunt, quam hoc modo diutius terra & ponto fatigari. Quod ſi tẽpore militum veſtrorum fueratis vulgus, putatis idcirco a vobis humanitatẽ diffugiſſe? Nonne homines tranſuerſo ordine na cũtur? ita vt ex ruſtico generetur miles, & ex milite ruſticus? Miles etiam de mãgone venit, & mãgo de milite. Hac ergo conſuetudine quamuis vnus ab altero procedat, non exiſtimo eos, Eſſe quod eſt hominis, amittere. Cum igitur ſitis homines, habetote vos vt homines, & inuocate Chriſtũ, vt audaciam adhibeat, & libertatem veſtram defendite. Cumq; finem dicendi feciſſet, tanto murmure infremuit populus, vt ipſos ſubita audacia repletos diceres.

CAPVT III.

POST hæc Romani fortia monita formidoloſo populo tradunt: exẽplaria inſtruẽdorum armorum relinquunt. In littore quoq; Oceani, in quo naues illorũ habebantur ad meridianam plagã, quod exinde Barbari timebãtur, turres per interualla ad proſpectum maris collocari præcipiũt. Sed facilius eſt accipitrem ex miluo fieri, quã ex ruſtico, ſubito eruditũ: & qui profundã doctrinam eis diffundit, idem facit ac ſi margaritam inter porcos ſpargeret. Nam vt vale dicto Romani abſceſſerunt: emergunt iterum prçdicti duces Guanius & Melga e nauibus, quibus in Hyberniam vecti fuerant, cum ceteris turmis Scotorum, & Pictorum, & cũ Noruvegenſibus, Dacis & ceteris quos conduxerãt, & omnẽ Albaniam muro tenus capeſſunt. Cognita etiã Romanorũ reuerſione & reditus denegatione, confidentiores ſolito deſtructioni inſulæ imminẽt. Ad hæc in edito murorũ ſtatuuntur ruſtici ſegnes, ad pugnam inhabiles, ad fugã trementibus prçcordiis inepti: qui diebus & noctibus ſtupido ſedili marcebant. Interea nõ ceſſant vncinata hoſtiũ tela, quibus miſerrimũ vulgus de muris trahebatur, & ſolo allidebatur. Hoc ſcilicet eis proficiebat, immaturæ mortis ſuppliciũ, qui tali funere rapiebãtur: quo fratrũm, pignorumq; ſuorũ miſerandas imminenteſq; pœnas cito exitu deuitarent. O diuinam ob præterita ſcelera vltionem, ob tot bellicoſorum militum per veſanam Maximiani abſentiam: qui ſi in tanta calamitate adeſſent, non ſuperueniſſet populus, quem non in fugam propellerent: quod manifeſtum fuit dum manebant. Nam & longe poſita regna adiiciebant poteſtati ſuæ, & Britanniam cum tranquillitate poſſidebant. Sic eſt, cum regnum tutamini ruſticorum relinquitur. Quid plura? Relictis ciuitatibus, muroque excelſo, iterum ciuibus fugæ, iterum diſperſiones deſperabiliores ſolito, iterum ab hoſte inſectationes, iterum crudeliores ſtrages accelerant: &

sicut agni a lupis, ita miseranda plebs ab inimicis discerpitur. Rursum igitur miseræ reliquiæ mittunt epistolas ad Agitium Romanæ potestatis virū, hoc modo loquētes: Agitio ter consuli, Britonum gemitus. Et post pauca quærentes adiiciunt: Nos mare ad Barbaros, Barbari ad mare repellunt. Interea oriuntur duo genera funerū: aut enim submergimur, aut iugulamur. Nec pro eis quicquā adiutorij habentes, tristes redeunt, atque conciuibus repulsam suam denunciant.

CAPVT IIII.

INITO itaq; consilio, transfretauit Guethelinus Londoniensis Archiepiscopus in minorem Britanniam, quæ tunc Armorica siue Letauia dicebatur: vt auxilium a confratribus suis postularet. Regnabat tunc in illa Aldroënus, quartus a Conano, cui Ma[illegible]mianus regnū illud donauerat, sicut iam prędictum est. Qui viso tātę reuerentię viro, [illegible]um cū honore excepit, causamq; aduentus sui inquisiuit. Cui Guethelinus: Satis patet nobilitati tuę, & te in fletum mouere potest miseria, quam nos Britones tui passi sumus, ex quo Maximianus insulam nostrā suis militibus spoliauit: istudq; regnum quod possides (& vtinam cū diuturna pace possideas) ab ipsis inhabitari pręcepit. Insurrexerunt etenim in nos, pauperculas nominis nostri reliquias, omnes cōprouinciales insulę, & nostrā insulam omni copia diuitiarū repletam euacuauerunt: ita vt vniuersæ eiusdē nationes, totius cibi baculo, excepto venatoriæ artis solatio, careat: nec fuit qui obuiaret, cū nullus potens, nullus bellicosus ex nostris remāserit. Nā Romani in tædiū nostri versi sunt, & omnino auxiliū suum abnegauerunt. Ab omni igitur alia spe repulsi, adiuimus misericordiā tuā, te implorantes, vt præsidiū adhibeas, & debitū tibi regnū a Barbarorū irruptione protegas. Quis enim alius te inuito, diademate Cōstantini & Maximiani debeat coronari: cū aui tui, atq; proaui ipso insigniti fuerint? Para nauigiū tuum, & veni. ecce regnum Britanniæ in manus tuas trado. Ad hæc Aldroënus: Olim tempus fuit, quo nō negassem insulam Britanniæ accipere, si quis eam mihi largitus fuisset: non enim existimo alteram patriam fertiliorē fuisse, dum pace & trāquillitate frueretur. At nūc quādo infortunia accesserunt, vilior facta est, & mihi & ceteris principibus odiosa. Super omnia vero mala, potestas Romanorū intantū nocuit, ita vt nemo stabilē dignitatē intra illā habere queat, quin seruitutis iugo oneratus libertatē amittat. Quis ergo non mallet minus alibi cū libertate possidere, quā diuitias ipsius sub iugo seruitutis habere? Regnū istud quod nūc potestati meę subditū est, cū honore, & sine obsequio quod superiori impendam, possideo. Vnum istud ceteris nationibus præferre prælegi, cum ipsum cū libertate gubernem. at tamen quoniam ius in insulā aui & ataui mei habuerūt, trado tibi Constantinū fratrem meum, & duo milia militū, vt si Deus permiserit, patriā barbarica irruptione liberet, & sese illius diademate insigniat. Habeo nāq; quēdam fratrem prædicto nomine vocatū, qui in militia cetérisq; probitatibus viget: illū tibi cum præfato numero committere non diffugiam, si placet vt recipiatur. Nam de ampliori militum numero tacendum censeo, cum Gallorū inquietudo quotidie immineat. Vix finem dicēdi fecerat, cum grates egit ei Archiepiscopus, vocatoque Constantino ei in hæc verba arrisit: Christus vincit: Christus imperat: regnat Christus. Ecce rex Britanniæ desertæ. Assit modo Christus: ecce defensio nostra: ecce spes nostra, & gaudium. Quid plura? Paratis in littore nauibus, eliguntur ex diuersis regni partibus milites, & Guethelino traduntur.

CAPVT V.

CVMQVE omnia parata fuissent, ingressi sunt mare: atque in Totonesium portum applicuerunt. Nec mora, collegerunt reliquam iuuentutē insulæ, & cum hostibus congressi, victoriam per meritum beati viri adepti sunt. Exin cōfluxerunt vndiq; Britones prius dispersi, & facta intra Sicestriam concione, erexerunt Constantinum in regem, regnique diadema capiti eius imposuerunt. Dederunt etiam ei coniugem, ex nobili Romanorum genere ortam, quam Guethelinus Archiepiscopus educauerat: cumque illam cognouisset, genuit ex illa tres filios: quorum nomina fuerunt, Constans, Aurelius Ambrosius, & Vtherpendragon. Constantem vero primogenitum tradidit in ecclesiam Amphibali intra Guintoniam, vt monachalem ordinem suscipe-

ret

ret. Ceteros autem duos, Aurelium videlicet & Vther, Guethelino nutriendos cōmisit. Postremo cum decem anni prǫterissent, venit quidam Pictus, qui in obsequium eius fuerat, & quasi secretum colloquium habiturus, in virgulto quodam semotis cunctis eum cultro interfecit.

CAPVT VI.

Defuncto igitur Constantino, fuit inter proceres dissensio, quis in regnum sublimaretur: alij itaq; acclamabant Aurelium Ambrosium, alij Vtherpendragonem, alij ceteros ex generatione propinquos. Deniq; cum nunc sic, nunc aliter cōtendissent, accessit Vortegirnus consul Gevvissenorū qui omni nisu in regnum anhelabat, & adiuit Constantē monachū, ipsumq; in hæc verba allocutus est: Ecce pater tuus defunctus est, & fratres tui propter ætatem sublimari nequeunt: nec alium video in progenie tua quē populus in regē promoueat. Si igitur consilio meo acquiescere volueris, & meam possessionem augmentare, conuertam populum in affectum sublimandi te in regnum, & ex tali habitu, licet ordo repugnet, te abstraham. Quod cum audisset Constans, maximo fluctuauit gaudio: & quicquid callebat ipsum velle, ei iureiurando promittebat. Cepit itaq; eum Vortegirnus, duxitque regiis ornamentis indutum Londonias, atq; vix annuente populo in regem erexit. Tūc defunctus fuerat Guethelinus Archiepiscopus, nec fuit alius qui ipsum inungere præsumpsisset, quia ex monacho transferebatur. Nec tamē idcirco postposuit diadema, quod ipse Vortegirnus vice episcopi capiti eius imposuit.

CAPVT VII.

Sublimatus igitur Constans, totā iustitiam regni Vortegirno cōmisit: & semetipsum in consilium eiusdem tradidit, ita vt nihil absq; ipsius præcepto faceret. Quippe debilitas sensus ipsius id faciebat. Nam intra claustrū aliud quam regnū tractare didicerat. Quod cū calluisset Vortegirnus, cœpit secū deliberare, qualiter in regē sublimari possit. Nam id prius super omnia cōcupierat. Videbat etenim congruū tēpus instare, quo desiderium suum leuiter ad effectū duci poterat. Totum namq; regnū dispositioni eius cōmissum fuerat, nec Constans, qui rex dicebatur, nisi pro vmbra principis astabat. Nullius enim asperitatis, nullius iustitiæ fuerat: nec a populo suo, nec a vicinis gentibus timebatur. Duo autē pueri fratres eiusdē, Vtherpendragon videlicet, atq; Aurelius Ambrosius, in cunis iacentes, adhuc inhabiles erant, vt in regnum promouerentur. Prǫterea infortuniū illud acciderat, quod proceres regni, qui maiores natu erāt, defuncti fuerant, solusq; Vortegirnus astutus & sapiens, magniq; cōsilij videbatur: ceteri autē pene omnes pueri erant ac iuuenes, peremptisq; in anteactis prǫliis eorundē patribus & auunculis, honores vtcūq; possidebant. Hæc omnia igitur cōperiens Vortegirnus, meditabatur quo ingenio facilius & callidius Cōstantem monachū deponeret, vt in locū ipsius erūperet. quod tādiu differre prælegit, donec prius diuersas nationes melius potestati suæ & familiaritati submisisset. Cœpit ergo petere thesauros regis ab ipso in custodiā, eiusq; ciuitates cū munitionibus, dicēs, quod rumor afferebat collaterales insulanos superuenire affectasse. Quod cū impetrasset, posuit vbiq; familiares suos qui easdē vrbes in fidelitate sua seruarent. Deinde præmeditatā traditionē machinans, Constantem adiuit, dixitq; illi oportere numerū familiæ suæ augmētare, vt securius superuenturis hostibus resisteret. Cui Cōstans: Nōne omnia dispositioni tuæ cōmisi? Fac igitur quæcūq; volueris: ita tamen, vt in fidelitate mea permaneāt. Ad hæc Vortegirnus: Dictū est mihi, Pictos velle cōducere Dacos & Norvvegenses super nos, vt maximam inquietudinē inferant: quamobrem laudarem, & consiliū saluberrimum esse censeo, vt quosdam ex Pictis in curia tua retineas, qui mediatores inter te & ceteros existāt. Nā si verū est quod rebellare incœperint, explorabunt tibi consociorū suorum machinationes & versutias, quas leuius vitare poteris. Ecce occulta occulti inimici proditio. Non enim id laudabat, vt salus inde prouenirct Constanti: sed quia sciebat Pictos gētem esse instabilem, & ad omne scelus paratam. Inebriati ergo, siue in iram inducti, commoueri possent facile aduersus regem, ita vt absque cunctamine ipsum interficerent. Vnde si id contigisset: haberet aditum sese promouendi in regem, vt sæpius affectauerat. Directis itaque in Scotiam nunciis, inuitauit centum Pictos milites: ipsosq; intra

familiam regis recepit. Receptos autem honorabat super omnes, diuersisque donariis ditabat: cibis etiam & potibus vltra modum satiabat, ita vt pro rege illũ haberent. Adorantes ergo illum per plateas psallebant, dicentes: Dignus est Vortegirnus imperio, dignus est sceptro Britãniæ: Constans vero indignus. Ad hæc Vortegirnus magis ac magis eis donare nitebatur, vt magis placeret. At cum amorem eorũ omnino adeptus fuisset, illos inebriauit, dixitq; se ex Britannia velle recedere, vt ampliores possessiones perquireret. Dicebat autem illis id tantillum quod habebat nõ posse sufficere, vt quinquaginta militibus stipendia donaret. Deinde quasi tristis, secessit ad hospitium suum, ipsos vero in aula potantes deseruit. Quo viso, vltra quam credi potest contristati sunt Picti, arbitrantes verum esse quod dixerat: murmurantesque adinuicem dicebant, Vt quid monachum istum viuere permittimus? vt quid non interficimus eum, vt Vortegirnus regni solio potiatur? Quis etenim alius ei in regnum succederet? dignus namque est imperio & honore, dignus etiam omni dignitate, qui nos ditare non cessat.

CAPVT VIII.

POST hæc irrumpentes thalamum, impetum fecerunt in Constãtem, peremptoq; illo, caput coram Vortegirno tulerunt. Quod cum aspexisset Vortegirnus, quasi contristatus in fletum erupit: nec vnquã prius maiori gaudio fluctuauerat. Vocatis tamen ciuibus Londoniæ (nam id intra eam contigerat) iussit cunctos proditores alligari, alligatosque decollari, quia tantum scelus facere præsumpserant. Fuerunt autem qui existimabant proditionem illam per Vortegirnum fuisse machinatam: Pictos vero nullatenus nisi assensu illius incœpisse. Fuerunt etiam qui nihil hęsitantes, ipsum a tali crimine purgabant. Re tandem in dubio relicta, nutritores duorum fratrum, Aurelij Ambrosij, atque Vtherpendragon, diffugerunt cum eis in minorem Britanniam, timẽtes ne a Vortegirno perimerentur. Ibidem excepit illos Budecius rex, & honore quo decebat educauit.

CAPVT IX.

AT Vortegirnus cum neminem sibi parem in regno cõspexisset, capiti suo diadema regni imposuit, & cõprincipes suos supergressus est. Proditione eius tãdem diuulgata, insurrexerunt in eum comprouincialium insularũ populi, quos Picti in Albaniam conduxerant. Indignati namque Picti, commilitones suos, qui propter Constantem interfecti fuerant, in ipsum vindicare nitebantur. Anxiebatur igitur Vortegirnus quotidie, damnumque exercitus sui in præliando patiebatur. Anxiebatur etiam ex alia parte timore Aurelij Ambrosij, fratrisq; sui Vtherpendragon: qui, vt prædictum est, in minorem Britanniam propter ipsum diffugerãt. Quotidianus etenim rumor aures eius impleuerat, ipsos iam adultos esse, maximumque nauigium construxisse, atque reditum suum in debitum regnum velle moliri.

CAPVT X.

INTEREA applicuerunt tres celoces, quas longas naues dicimus, in partes Cantiæ, plenæ armatis militibus, quibus duo fratres Horsus & Hengistus ducatum præstabant. Erat tunc Vortegirnus Doroberniæ, quæ nunc Cantuaria dicitur, vt consuetudo eum conduxerat, ciuitatẽ illam sępissime visitare. Cui cum retulissent nuncij, ignotos viros magnæq; staturæ homines in magnis nauibus applicuisse, dedit pacẽ: & ipsos ad se cõduci præcepit. Mox vt cõducti fuerũt, vertit oculos suos in duos Germanos. nã ipsi prę ceteris & nobilitate & decore præeminebant. Cũq; ceteros etiam aspectu peragrasset, quæsiuit quæ patria produxerat illos, & quæ causa eos in regnum suum direxerat. Cui Hẽgistus pro aliis respondere incœpit: nam ipsum & maturior ætas & sapientia præponebat. Rex ceterorum nobilissime, Saxonica tellus nos edidit, vna ex Germaniæ regionibus. Causa hæc aduentus nostri est, vt tibi siue alteri principi obsequium nostrum offeramus. fueramus etenim expulsi a patria nostra, nec ob aliud, nisi quia regni consuetudo expetebat. Consuetudo namque in patria nostra est, vt cum hominum abundantia in eadem superuenerit, conueniant ex diuersis prouinciis princi-

pes,

pes, & totius regni iuuenes coram se venire præcipiunt: deinde proiecta sorte potiores atque fortiores eligunt, qui extera regna petituri, victum sibi perquirant, vt patria ex qua orti sunt a superflua multitudine liberetur. Superfluente igitur nouiter in regno nostro hominum copia, conuenerunt principes, sortemque proiicientes elegerunt iuuentutem istam quam in præsentia tua cernis: præceperuntque vt consuetudini ab antiquo statutæ parerent. Nos quoque duos Germanos, quorum ego Hengistus, iste Horsus nuncupatur, eis duces præfecerunt. Nam ex ducum progenie progeniti fueramus. Obedientes ergo decretis sancitis, ingressi sumus maria, regnumque tuum duce Mercurio petiuimus. Ad nomen itaque Mercurij erecto vultu rex, inquirit cuiusmodi religionem haberent. Cui Hengistus: Deos patrios, Saturnum, Iouem, atque ceteros qui mundum gubernant, colimus: maxime autem Mercurium, quem VVoden lingua nostra appellamus. Huic veteres nostri dicauerunt quartam septimanæ feriam, quæ vsque in hodiernum diem nomen VVodensdai de nomine ipsius sortita est. Post illum colimus deam inter ceteras potentissimã, nominẽ Fream, cui etiam dedicauerunt sextam feriam, quam de nomine eius Fridai vocamus. Ad hæc Vortegirnus: De credulitate vestra, quæ potius incredulitas dici potest, vehementer doleo. De aduentu autem vestro, gaudeo, quia in congruo tempore vos necessitati meę, siue Deus, siue alius obtulit. Opprimũt etenim me inimici mei vndiq;, & si laborẽ præliorũ meorum mecũ communicaueritis, retinebo vos honorifice intra regnum meum, & diuersis muneribus & agris ditabo. Paruerunt ilico Barbari, & fœdere confirmato in curia ipsius remanserunt. Nec mora, emergentes ex Albania Picti, exercitũ valde grandẽ fecerunt, cœperuntq; Aquilonares partes insulę deuastare. Cumque id Vortegirno nũciatum fuisset, milites suos collegit: atque trans Humbrum eis obuiam perrexit. Deinde vt cominus conuenerunt hinc & illinc & ciues & hostes, acerrimam pugnam commiserunt: nec multum oportuit ciues pugnare: nam Saxones qui aderant, tam viriliter præliabantur, ita vt hostes, qui prius vincere solebant, sine mora in fugam propellerent.

CAPVT XI.

VORTEGIRNVS ergo per illos victoria potitus, donaria sua eis ampliauit; atque eorum duci Hengisto agros plurimos dedit in Londesia regione; quibus sese & commilitones suos sustentaret. Hengistus ergo cum esset vir doctus atque astutus, comperta amicitia quam aduersus se rex gerebat, eum hoc sermone adiuit: Domine, vndique inquietant te inimici tui, & pauci sunt ex conciuibus tuis qui te diligunt: omnes minãtur tibi, dicuntque se conducturos Aurelium Ambrosium ex Armorico tractu, vt te deposito, ipsum in regem promoueant. Si placet tibi, mittamus in patriam nostram: & ex ea milites inuitemus, vt numerus noster ad certãdum augeatur. Sed vnum a discretione clementiæ tuæ implorarem, nisi repulsam pati timerem. Ad hæc Vortegirnus: Mitte ergo legatos tuos ad Germaniam, & inuita quos volueris, & pete a me quid desideras, & nullã repulsam patieris. Cui inclinato capite gratias egit Hẽgistus, & ait: ditasti me largis mansionibus & agris, nec tamen eo honore quo ducem decuerat, cum duces me progenuerint. Quippe inter cetera danda esset mihi ciuitas siue oppidum, vt dignior inter proceres tui regni censerer. Dignitas namque consulis, siue principis adhibenda esset, ex vtrorumque genere edito. Cui Vortegirnus: Prohibitus sum huiusmodi donaria vobis largiri, quia alienigenæ estis & pagani, nec adhuc vestros mores & cõsuetudines agnosco, vt vos conciuibus meis parificem: nec, si vos vt proprios ciues existimassem, inciperem donare, quod proceres regni mei dissuaderent. Cui Hengistus: Concede, inquit, mihi seruo tuo, quantum vna corrigia possit ambiri intra terram quam dedisti, vt ibidem promontorium ædificem, quo me, si opus fuerit, recipiam. Fidelis etenim tibi sum, & fui, & ero: & in fidelitate tua quæ agere desidero, faciam. Motus igitur rex ipsius verbis, eiusdem petitioni acquieuit: præcepitque legatos suos in Germaniam mittere: vt milites ex ea inuitati festinatum auxilium darent. Nec mora, missa in Germaniam legatione, cepit Hengistus corium tauri, atque ipsum in vnam corrigiam redegit. Exin saxosum locum quem maxima cautela elegerat, circuiuit cum corrigia, & intra spatium metatum castellum ædificare incœpit.

Quod vt ædificatum fuit, traxit nomen ex corrigia, quia ea fuerat metatum. Dictum namque fuit postmodum Britannice Kaercorrei: Saxonice vero Thancastre. Quod Latino sermone castrum corrigiæ appellamus.

CAPVT XII.

INTEREA vero reuersi sunt nuncij ex Garmania, conduxeruntque decem & octo naues electis militibus plenas. Conduxerunt etiam Hengisti filiam nomine Rovven: cuius pulchritudo nulli secunda videbatur. Postquam autem venerunt, inuitauit Hengistus Vortegirnum regem in domum suam, vt & nouum ædificium & milites nouos qui applicuerant videret. Venit ilico rex priuatim, & tantum opus laudauit, & milites inuitatos retinuit. Vt vero regiis epulis refectus fuit, egressa est puella de thalamo, aureum scyphum vino plenum ferens: accedens deinde propius, regi flexis genibus dixit: *Lauerd King wacht heil.* At ille visa facie puellæ, admiratus est tantum eius decorem, & incaluit. Deinde interpretem suum interrogauit quid puella dixerat, & quid ei respondere debeat. Cui interpres dixit: Vocauit te dominum regem, & vocabulo salutationis honorauit. Quod autem respondere debes, est, *Drinc heil.* Respondens deinde Vortegirnus, *Drinc heil*, iussit puellam potare: cepitque de manu ipsius scyphum, & osculatus est eam, & potauit: ab illo die vsque in hodiernum diem, mansit consuetudo illa in Britannia, quod in conuiuiis qui potat, ad alium dicit: *wacht heil*: qui vero post ipsum recipit potum, respondet: *Drinc heil.* Vortegirnus autem diuerso genere potus inebriatus, intrante Satana in cor eius, puellam amauit, eamque a patre eius postulauit. Intrauerat inquam Satanas in cor eius: quia cum Christianus esset, cum Pagana coire desiderabat. Hengistus ilico, vt erat prudens, animi regis leuitate comperta: fratrem suum Horsum, ceterosque maiores natu qui secum aderant, consuluit quid de regis petitione faceret. Sed omnibus vnum consilium fuit, vt puella regi daretur: & vt pro ea ab illo prouinciam Cantiæ peterent. Nec mora: data fuit puella Vortegirno, & prouincia Cantiæ Hengisto, nesciente Gorangano Comite, qui in eadem regnabat. Nupsit itaque rex in eadem nocte Paganæ: quæ ei vltra modum placuit. Vnde in inimicitiam procerum & filiorum suorum citissime incidit. Generauerat namque filios primitus, quibus erant nomina, Vortimer, Katigernus & Pascentius.

CAPVT XIII.

IN tempore illo venit Sanctus Germanus, Altisiodorensis episcopus, & Lupus Trecensis episcopus, vt verbum Dei Britonibus prædicarent. Corrupta namque fuerat Christianitas eorum, tum propter Paganos quos rex in societatem eorum posuerat, tum propter Pelagianam hæresim, cuius venenum ipsos multis diebus affecerat. Beatorum igitur virorum prædicatione, restituta est inter eos veræ fidei religio, quia multis miraculis quotidie præclarebāt: multa per eos miracula ostendebat Deus, quæ Gildas in tractatu suo luculento sermone parauit. Data autem puella regi, vt prædictum est, dixit Hengistus ad eum: Ego sum pater tuus, & consiliator tibi esse debeo: noli præterire consilium meum: quia omnes inimicos tuos virtute gentis meæ superabis. Inuitemus adhuc filium meum Octam cum fratre suo Ebissa: Bellatores enim viri sunt. Da eis regiones, quę sunt in Aquilonaribus partibus Britanniæ iuxta murum, inter Deiram & Scotiam. Detinebunt namque ibidem Barbarorum impetum: ita quod in pace citra Humbrum remanebis. Paruit Vortegirnus, præcepitque eis inuitare quoscunque scirent in auxilium sibi valere. Missis illico legatis: venerunt Octa & Ebissa & Cherdich cum trecentis nauibus armata manu repletis, quos omnes benigne accipit Vortegirnus: maximisque muneribus donauit. Vincebat namque inimicos suos per eos, & in omni prælio victor existebat. Hengistus etiam paulatim naues inuitabat, & quotidie numerum suum augebat. Quod cum vidissent Britones, proditionem eorum timentes, regi dixerunt, vt ipsos e finibus regni sui expelleret. Nō enim debebant Paganis Christiani cōmunicare, nec intromitti, quia Christiana lex prohibebat. Insuper tāta multitudo aduenerat, ita vt ciuibus terrori essent. Iam nesciebatur quis Paganus esset,

quis

quis Christianus: quia Pagani filias & consanguineas eorum sibi associauerant. Talia obiicientes, dissuadebant regi illos retinere, ne in proditione aliqua ciues supergrederentur. At Vortegirnus diffugiebat consilio eorum acquiescere: quia super omnes gentes propter coniugem suam ipsos diligebat. Quod cum vidissent Britones, deseruerunt ilico Vortegirnum, & vnanimiter Vortimerũ filium eius in regem erexerunt: qui eis acquiescens, per omnia incepit expellere Barbaros, atque oppugnare, & diris irruptionibus afficere. Quatuor bella gessit cum eis: & in omnibus superauit. Primum super fluuium Dervvent. Secundum super vadum Episfrod: vbi conuenerunt Horsus & Catigernus alter filius Vortegirni. Congressuque facto ceciderunt ambo, alter alterum letaliter aggressi. Tertium bellum super littus maris: quo naues muliebriter ingressi, diffugerunt hostes: & insulam Thanet pro refugio adiuerunt. At Vortimer illos ibidem obsedit, & nauali prælio quotidie infestabat. Cumquę Britonum impetum diutius tolerare nequirent, miserunt Vortegirnum regem, qui in omnibus bellis cum ipsis aderat, ad filium suum Vortimerum, petentes licentiam abscedendi, petendique Germaniam cum salute. Cumque inde colloquium haberent, interim ingressi sunt Celoces suas, relictisque mulieribus & filiis, in Germaniam redierunt.

CAPVT XIIII.

VICTORIA deinde potitus Vortimerus, cœpit reddere possessiones ereptas ciuibus, ipsosque diligere ac honorare, & ecclesias iubente sancto Germano renouare. Sed bonitati eius inuidit ilico diabolus: qui in corde Rovven nouercæ suæ ingressus, eam incitauit, vt neci ipsius immineret: quæ ascitis vniuersis veneficiis, dedit illi per quendã familiarem suum venenum potare, quem innumerabilibus donariis corruperat. Quod cum hausisset inclytus bellator ille, subita infirmitate grauatus est: ita vt nullam spem viuendi haberet. Nec mora, iussit omnes milites suos venire ad se, & indicata morte quæ superueniebat, distribuit eis aurum atque argentum suum, & quicquid ataui congesserant: flentes quoque & eiulantes consolabatur, docens viam vniuersæ carnis esse quam iturus erat. Audaces autem & bollicosos iuuenes, qui ei in debellationibus suis astare solebant, hortabatur, vt pro patria pugnantes, eam ab hostili irruptione tueri niterentur. Audacia autem maxima docente, iussit sibi pyramidem fieri æream, locarique in portu quo Saxones applicare solebant. Corpus vero suum postquam defunctum foret, sepeliri iussit desuper, vt viso busto Barbari retortis velis in Germaniam redirent. Dicebat enim, neminem illorum audere propius accedere, si etiam bustum ipsius aspicerent. O maximam viri audaciam, qui eis quibus viuus terrori fuerat, post obitum etiam vt timeretur optabat. Sed illo defuncto, aliud egerunt Britones, quia in vrbe Trinouanti corpus eius sepelierunt.

CAPVT XV.

POST obitum vero filij, restitutus est Vortegirnus in regnum, qui precibus coniugis suæ commotus, misit nuncios suos ad Hengistum in Germaniam, mandauitque ipsi vt iterum in Britanniam rediret: attamen priuatim & cum paucis: quia timebat ne si aliter superuenisset, discordia inter Barbaros & ciues oriretur. Hengistus ergo, audito obitu Vortimeri, trecenta milia armatorũ sibi associauit: paratoque nauigio in Britanniam reuersus est. Sed cũ tantæ multitudinis aduentus Vortegirno & regni principibus nunciatus esset, valde indignati sunt: initoque consilio constituerunt cum eis præliari, atq; ipsos ex littoribus expellere. Quod cum filia sua Hengisto per internucios indicasset, confestim cogitauit quid potius contra id agendum esset. Diuersis igitur machinationibus peragratis, vnum ex omnibus elegit, vt gentem regni sub specie pacis adoriretur prodere. Misit itaq; legatos suos ad regem: iussitque nũciare, quod non conduxerat tantam multitudinem virorũ, vt vel secũ in regno remanerent, vel violẽtiam aliquam cum eis patrię ingereret. Erat namq; causa cur eam cõduxisset: quia existimabat Vortimerũ adhuc viuere; qui per eos affectabat resistere, si illũ expugnare incepisset. Quoniã autẽ nõ hæsitabat ipsum defunctum esse, committebat sese & populũ suum dispositioni Vortegirni: vt quot optaret ex tãto numero in regno suo retinuisset: & quos refutan-

dos cenſeret, concedebat vt in Germaniam ſine dilatione redirent. Etſi id Vortegirno placuiſſet: tunc petebat ipſe, vt diem & locum nominaret Vortegirnus, quo pariter conuenirent, & omnia ex voluntate ſua diſponerent. Talia namque vt regi nunciata fuerunt, ei vehementer placuerunt: quia inuitus ſineret Hengiſtum abire. Poſtremo iuſſit & ciues & Saxones Maiis kalendis, quæ iam inſtare incipiebant, iuxta Ambrij cœnobium conuenire, vt ibidem prædicta ſtatuerentur. Quod cum in vtraque parte ſtatutum eſſet: Hengiſtus noua proditione vſus, commilitonibus ſuis præcepit, vt vnuſquiſque longum cultrum intra caligas abſconditū haberent. Et cum colloquium ſecurius tractarent Britones: ipſe eis hoc daret ſignum, *Nemet oure ſaxas*: vnde quiſque paratus aſtantem Britonem audacter occuparet, atque abſtractis cultris ocyus ipſum iugularet. Nec mora, ſtatuta die inſtante conuenerunt omnes intra nominatam vrbem, & de pace habenda colloquium inceperunt. Vt igitur horam proditioni ſuæ idoneam inſpexiſſet Hengiſtus, vociferatus eſt, *Nemet oure ſaxas*: & ilico Vortegirnum accepit, & per pallium detinuit. Audito ocyus ſigno, abſtraxerunt Saxones cultros ſuos, & aſtantes principes inuaſerunt, ipſoſque nihil tale præmeditantes iugulauerunt circiter quadringentos ſexaginta, inter barones & conſules, (quorum corpora beatus Eldadus poſtmodum ſepeliuit, atque Chriſtiano more humauit, haud longe a Kaercaradane, quæ nunc Saleſberia dicitur, in cemiterio quod eſt iuxta cœnobium Ambrij abbatis, qui olim fundator ipſius extiterat.) Omnes enim ſine armis aduenerant, nec aliud niſi de pace tractanda exiſtimabant. vnde ceteri qui propter proditionem acceſſerant, leuius ipſos inermes interficere potuerunt. Non impune tamen hæc egerunt Pagani: quia multi eorum perempti fuerunt: dum neci ceterorum imminerent. Eripiebant enim Britones ex tellure lapides & fuſtes, atque ſeſe defendere volentes, proditores illidebant.

CAPVT XVI.

ADERAT ibi conſul Claudioceſtriæ nomine Eldol, qui viſa proditione, ſuſtulit palum quem forte inuenerat, & defenſioni vacauit. Quemcunq; attingebat, confringens ei membrum quod percutiebat, dirigebat confeſtim ad tartara: alij caput, alij brachia, alij ſcapulas, compluribus etiam crura elidens, terrorem non minimum inferebat: nec prius ex loco illo abſceſſit quā ſeptuaginta viros conſumpto palo interfeciſſet. Sed tantæ multitudini cum reſiſtere nequiret, diuertit ſeſe ab illis, atque ciuitatem ſuā petiuit. Multi hinc & inde ceciderunt: ſed victoriam habuerunt Saxones. Britones namque nihil tale præmeditati, inermes aduenerant: vnde minus reſiſtere potuerunt. Vt ergo nefandum incœptum peregerunt Saxones, noluerunt Vortegirnū interficere, ſed mortem comminantes eum ligauerunt, petieruntque ciuitates eius atq; munitiones pro vita. Quibus illico quicquid affectauerant, conceſſit, vt viuus abſcedere ſineretur. Cumque id iureiurando confirmatum fuiſſet, ſoluerunt eum a vinculis, atque vrbem Londoniæ primitus adeuntes ceperunt. Ceperunt deinde Eboracum & Lindocolinum, necnon & Guintoniam, quaſcunque prouincias deuaſtantes. Inuadebant vndique ciues, quemadmodum lupi oues, quas paſtores deſeruerunt. Cum ergo tantam cladem inſpexiſſet Vortegirnus, ſeceſſit in partes Cambriæ: inſcius quid contra nefandam gentem ageret.

CAPVT XVII.

VOCATIS denique Magis ſuis, conſuluit illos, iuſſitque dicere quid faceret. Qui dixerunt vt ædificaret ſibi turrim fortiſſimam, quæ ſibi tutamen foret, cum ceteras amiſiſſet munitiones. Peragratis ergo quibuſcūque locis, vt eam in congruo loco ſtatueret, venit tandem ad Erir montem: vbi coadunatis ex diuerſis patriis cæmentariis turrim iuſſit conſtruere. Conuenientes itaque lapidarij, eam fundare cœperunt: ſed quicquid vna die operabantur, abſorbebat tellus in altera, ita vt neſcirent quorſum opus ſuum euaneſceret. Cumque id Vortegirno nunciatum fuiſſet, iterum magos ſuos conſuluit, vt cauſam rei indicarent. Qui dixerunt, vt iuuenem quæreret ſine patre, quæſitumque interficeret: vt ſanguine ipſius cæmentum & lapides aſpergerentur. Id enim prodeſſe aſſerebant, vt turris fundamentum conſtaret. Nec mora, mittuntur legati per

vniuersas prouincias, vt talem inuenirent hominem. At cum in vrbem, quæ postea Kaermodin vocata fuit, venissent: conspexerunt iuuenes ante portam ludentes, & ad ludum accesserunt. Fatigati autem itinere, sederunt in circo, exploraturi quod quærebant. Denique cum multum diei præterisset, subita lis orta est inter duos iuuenes, quorum erant nomina Merlinus atque Dabutius. Certantibus ergo ipsis, dixit Dabutius ad Merlinum: Quid mecum contendis fatue? nunquam nobis eadem erat nobilitas. Ego enim ex regum origine editus sum, ex vtraque parte meæ generationis: de te autem nescitur quis sis, cum patrem non habeas. Ad verbum istud vultus suos erexerunt legati, atque intuentes in Merlinum, interrogauerunt circumstantes quis esset? quibus illi dixerunt: quod nesciebatur quis pater eum progenuerat: mater vero fuerat filia regis Demetiæ, quæ in ecclesia sancti Petri in eadem vrbe inter monachas degebat.

CAPVT XVIII.

FESTINANTES itaque nuncij, venerunt ad præfectum vrbis, præceperuntque ei ex parte regis, vt Merlinus cum matre sua ad regem mitteretur. Præfectus ilico cum caussam legationis eorum cognouisset, Merlinum & matrem eius ad Vortegirnum misit, vt de eis libitum suum perficeret. Et cum in ipsius præsentiam adducti fuissent: excepit rex diligenter matrem, quia eam nobilibus sciebat natalibus ortam: deinde inquirere cœpit ab illa, ex quo viro conceperat. Cui illa dixit: Viuit anima mea & anima tua domine mi rex: quia neminem agnoui qui illum in me generauerit. Vnum autem scio, quod cum essem inter socias meas in thalamis nostris, apparebat mihi quidam in specie pulcherrimi iuuenis, & sæpissime, amplectens me strictis brachiis, deosculabatur: & cum aliquantulum mecum moram fecisset, subito euanescebat, ita vt nihil ex eo viderem: multotiēs quoque me alloquebatur dum secreto sederem, nec vsquā comparebat. cumq; diu me in hūc modum frequentasset, coiuit mecū in specie hominis sæpius, atq; grauidam dereliquit. Sciat prudentia tua, domine mi, quod aliter virū non cognoui qui iuuenem istum generauit. Admirans itaque rex, iussit Maugantium ad se vocari, vt sibi manifestaret, si id quod mulier dixerat fieri potuisset. Adductus autem Maugantius, auditis omnibus ex ordine, dixit ad Vortegirnum: In libris philosophorum nostrorum, & in plurimis historiis reperi, multos homines huiusmodi procreationē habuisse. Nam vt Apuleius de deo Socratis perhibet, inter lunam & terram habitant spiritus, quos incubos dæmones appellamus: hi partim hominum, partim vero Angelorum naturam habent: & cum volunt, assumunt sibi humanas figuras, & cū mulieribus coëunt. Fositan vnus ex eis huic mulieri apparuit, & iuuenem istum in ipsa generauit.

CAPVT XIX.

CVMQVE omnia auscultasset Merlinus, accessit ad regem, & ait: Ad quid ego & mater mea in præsentiam tuam adducti sumus? Cui Vortegirnus: Magi mei mihi cōsilium dederunt, vt hominem sine patre perquirerem: vt opus meum ipsius sanguine irrigatum staret. Tunc ait Merlinus: Iube tuos Magos venire coram me, & conuincam illos mandacium adinuenisse. Admirans autem rex super verbis illius, continuo iussit Magos venire, & coram Merlino sedere. Quibus ait Merlinus: Nescitis quid fundamētum incœptæ turris impediat. Laudastis vt sanguis meus diffunderetur in cemētum, quasi illico opus cōstaret. Sed dicite mihi, quid sub fundamento latet? Nā aliquid sub ipso est, quod ipsum stare non permittit. Expauescentes autē Magi, conticuerunt. Tunc ait Merlinus, qui & Ambrosius dicebatur: Domine mi rex, voca operarios tuos, & iube fodere terram, & inuenies stagnum sub ea quod turrim stare non permittit. Quod cum factum fuisset, repertum est ilico stagnum sub terra, quod eam instabilem fecerat. Accessitque iterum Ambrosius Merlinus ad Magos, & ait: Dicite mihi mendaces adulatores, quid sub stagno est? Nec vnum verbum respondentes obmutuerunt. Et iterū dixit regi: Præcipe, rex, hauriri stagnum per riuulos, & in fundo videbis duos cōcauos lapides, & in illis duos dracones dormientes. Credidit rex verbis eius: quia verū dixerat de stagno, & illud hauriri iussit. Et cum ita inuenisset, Merlinum super omnia admirabatur. Admirabantur etiam cuncti qui astabant tantam in eo sapientiam, existimantes numen esse in illo.

LIBER SEPTIMVS.

QVI EST DE PROPHETIIS MERLINI.

CAPVT PRIMVM.

NONDVM autem ad hunc locum historiæ perueneram, cum de Merlino diuulgato rumore, compellebant me vndique contemporanei mei, ipsius prophetias edere: maxime autem Alexander Linconiensis Episcopus, vir summæ religionis & prudentiæ. Non erat alter in clero siue in populo cui tot milites vel nobiles famularentur: quos mansueta pietas ipsius, & benigna largitas in obsequium eius alliciebat. cui cùm satisfacere prælegissem, prophetias transtuli, & eidem cum huiusmodi literis direxi:

PROLOGVS.

CAPVT II.

COGIT me, Alexander Linconiensis præsul, nobilitatis tuæ dilectio Prophetias Merlini de Britannico in Latinum transferre, antequam historiam peraraßem, quam de gestis regum Britannorum incœperam: proposueram enim illam prius perficere & istud opus subsequenter explicare: ne dum vterque labor ingrueret, sensus meus ad singula minus sufficeret. Attamen quoniam securus eram veniæ, quam discretio subtilis ingenij tui donaret: agrestem calamum meum libellis apposui, & plebeio modulamine ignotum tibi interpretatus sum sermonem. Admiror autem admodum, quod id pauperi stylo dignatus es committere, cùm tot doctiores & tot ditiores virga potestatis tuæ coerceat; qui sublimioris carminis delectamēto aures Mineruæ tuæ mulcerent. Et vt omnes philosophos totius Britanniæ insulæ prætercam, tu solus es, quod non erubesco fateri, qui præ ceteris audaci lyra caneres: nisi te culmen honoris ad alia negocia vocaret. Quoniam ergo placuit vt Galfridus Monumetensis fistulam suam in hoc vaticinio sonaret, modulationibus eius fauere non diffugias: & si quid inordinate siue vitiose protulerit, ferula camœnarum tuarum in rectum conuertas concentum.

INCIPIT PROPHETIA MERLINI.

CAPVT III.

SEDENTE itaque Vortegirno Britonum rege super ripam exhausti stagni, egressi sunt duo dracones, quorum vnus erat albus, & alter rubeus. Cumque alter alteri appropinquasset, diram commiserunt pugnam, & ignem anhelitu suo procreabant. Præualebat autem albus draco, rubeumque vsque ad extremitatem lacus fugabat. At ille cùm se expulsum doluisset, impetum fecit in album, ipsumque retro ire coëgit. Ipsis ergo in hunc modum pugnantibus, præcepit rex Ambrosio Merlino dicere, quid draconum prælium portēdebat. Mox ille in fletum erumpens, spiritum hausit prophetiæ, & ait: Væ rubeo draconi, nam eius exterminatio festinat: cauernas eius occupabit albus draco, qui Saxones quos inuitasti significat. Rubeus vero gentem designat Britanniæ, quæ ab albo opprimetur. Montes itaque eius vt valles æquabuntur, & flumina vallium sanguine manabunt. Cultus religionis

gionis delebitur, & eccleſiarum ruina patebit. Præualebit tandem oppreſſa, & ſæuitiæ exterorum reſiſtet. Aper etenim Cornubiæ ſuccurſum præſtabit, & colla eorum ſub pedibus ſuis conculcabit. Inſulæ Oceani poteſtati ipſius ſubdentur, & Gallicanos ſaltus poſſidebit. Timebit Romulea domus ipſius ſæuitiam: & exitus eius dubius erit. In ore populorum celebrabitur: & actus eius cibus erit narrantibus. Sex poſteri eius ſequentur ſceptrum: ſed poſt ipſos exurget Germanicus vermis. Sublimauit illum æquoreus lupus: quem Africana nemora comitabuntur. Delebitur iterum religio, & tranſmutatio primarum ſedium erit. Dignitas Londoniæ adorabit Doroberniam: & paſtor Eboracenſis ſeptimus in Armorico regno frequentabitur. Meneuia pallio vrbis Legionum induetur: & prædicator Hiberniæ propter infantem in vtero creſcentem obmuteſcet. Pluet ſanguineus imber: & dira fames mortales afficiet. His ſuperuenientibus dolebit rubeus: ſed emenſo labore vigebit. Tunc infortunium albi feſtinabit, & ædificia hortulorum eius diruentur. Septem ſceptrigeri perimentur, & vnus eorum ſanctificabitur. Ventres matrum truncabuntur, & infantes abortiui erunt. Erit ingens ſupplicium hominum: vt indigenæ reſtituantur. Qui faciet hæc, æneum virum induet, & per multa tempora ſuper æneum equum Londoniæ portas ſeruabit. Exin in proprios mores reuertetur rubeus draco: & in ſe ipſum ſæuire laborabit. Superueniet itaque vltio tonantis: quia omnis ager colonos decipiet. Arripiet mortalitas populum: cunctaſque nationes euacuabit. Reſidui natale ſolum deſerent, & exteras culturas ſeminabunt. Rex benedictus parabit nauigium, & in aula inter beatos duodecimus annumerabitur. Erit miſeranda regni deſolatio, & areæ meſſium in fructuoſos ſaltus redibunt. Exurget iterum albus draco, & filiam Germaniæ inuitabit. Replebuntur iterum hortuli noſtri alieno ſemine, & in extremitate ſtagni languebit rubeus. Exin coronabitur Germanicus vermis, & æneus princeps humabitur. Terminus illi poſitus eſt, quem tranſuolare nequibit. Centum namque & quinquaginta annis in inquietudine & ſubiectione manebit: trecentis vero inſidebit. Tunc exurget in illum aquilo, & flores quos zephyrus procreauit eripiet. Erit deauratio in templis, nec acumen gladiorum ceſſabit. Vix obtinebit cauernas ſuas Germanicus draco: quia vltio proditionis eius ſuperueniet. Vigebit tandem pauliſper: ſed decimatio Neuſtriæ nocebit. Populus namque in ligno & ferreis tunicis ſuperueniet, qui vindictam de nequitia ipſius ſumet. Reſtaurabit priſtinis incolis manſiones: & ruina alienigenarum patebit. Germen albi draconis ex hortulis noſtris abradetur, & reliquiæ generationis eius decimabuntur. Iugum ſeruitutis ferent: matremque ſuam ligonibus & aratris vulnerabunt. Succedent duo dracones, quorum alter inuidiæ ſpiculo ſuffocabitur: alter vero ſub vmbra nominis redibit. Succedet leo iuſtitiæ, ad cuius rugitum Gallicanæ turres & inſulani dracones tremebunt. In diebus illis aurum ex lilio & vrtica extorquebitur, & argentum ex vngulis mugientium manabit. Calamiſtrati varia vellera veſtibunt, & exterior habitus interiora ſignabit. Pedes latrantium truncabuntur. Pacem habebunt feræ: humanitas ſupplicium dolebit. Findetur forma commercij: dimidium rotundum erit. Peribit miluorum rapacitas, & luporum dentes hebetabuntur. Catuli leonis in æquoreos piſces transformabuntur: & aquila eius ſuper montem Arauium nidificabit. Venedocia rubebit materno ſanguine, & domus Corinei ſex fratres interficiet. Nocturnis lacrymis madebit inſula: vnde omnes ad omnia prouocabuntur. Væh tibi Neuſtria, quia cerebrum leonis in te effundetur: dilaceratiſque membris a patrio ſolo eliminabitur. Nitentur poſteri tranſuolare ſuperna: ſed fauor nouorum ſublimabitur. Nocebit poſſidenti ex impiis pietas, donec ſeſe genitore induerit. Apri igitur dentibus accinctus, cacumina montium & vmbram galeati tranſcendet. Indignabitur Albania, & conuocatis collateralibus ſanguinem effundere vacabit. Dabitur maxillis eius frenum quod in Armorico ſinu fabricabitur. Deaurabit illud aquila rupti fœderis, & tertia nidificatione gaudebit. Euigilabunt rugientes catuli, & poſtpoſitis nemoribus intra mœnia ciuitatum venabuntur. Stragem non minimam ex obſtantibus facient, & linguas tau[illegible]

abſcindent. Colla rugientium onerabunt catenis, & auita tempora renouabunt. Exin de primo in quartum: de quarto in tertium: de tertio in ſecundum: rotabitur pollex in oleo. Sextus Hiberniæ mœnia ſubuertet, & nemora in planitiem mutabit: Diuerſas portiones in vnum reducet, & capite leonis coronabitur. Principium ipſius vago affectui ſubiacebit: ſed finis ipſius ad ſupernos conuolabit. Renouabit namque beatorum ſedes per patrias, & paſtores in congruis locis locabit. Duas vrbes duobus palliis induet: & virginea munera virginibus donabit. Promerebitur inde fauorem tonantis, & inter beatos collocabitur. Egredietur ex eo lynx penetrans omnia, quæ ruinæ propriæ gentis imminebit: per illam enim vtramque inſulam amittet Neuſtria: & priſtina dignitate ſpoliabitur. Deinde reuertentur ciues in inſulam: nam diſſidium alienigenarum orietur. Niueus quoque ſenex in niueo ſedens equo, fluuium Perironis diuertet, & cum candida virga molendinum ſuper ipſum metabitur. Cadualladrus vocabit Conanum, & Albaniam in ſocietatem accipiet. Tunc erit ſtrages alienigenarum: tunc flumina ſanguine manabunt. Tunc erumpent Armorici fontes, & Bruti diademate coronabuntur. Replebitur Cambria lætitia: & robora Cornubiæ vireſcent. Nomine Bruti vocabitur inſula, & nuncupatio extraneorum peribit. Ex Conano procedet aper bellicoſus, qui intra Gallicana nemora acumen dentium ſuorum exercebit. Truncabit namque quæuis maiora robora, minoribus vero tutelam præſtabit. Timebunt illum Arabes & Africani: nam impetum curſus ſui in vlteriorem Hiſpaniam protendet. Succedet hircus Venerei caſtri aurea habens cornua, & argenteam barbam: qui ex naribus ſuis tantam efflabit nebulam quanta tota ſuperficies inſulæ obumbrabitur. Pax erit in tempore illius: & vbertate glebæ multiplicabuntur ſegetes. Mulieres inceſſu ſerpentes fient, & omnis earum greſſus ſuperbia replebitur. Renouabuntur caſtra Veneris: nec ceſſabunt ſagittæ Cupidinis vulnerare. Fons amnis vertetur in ſanguinem: & duo reges duellum propter leænam de vado baculi committent. Omnis humus luxuriabit: & humanitas fornicari non deſinet. Omnia hæc tria ſecula videbunt: donec ſepulti reges in vrbe Londoniarum propalabuntur. Redibit iterum fames: redibit mortalitas: & deſolationem vrbium dolebunt ciues. Superueniet aper commercij, qui diſperſos greges ad amiſſa paſcua reuocabit. Pectus eius cibus erit egentibus, & lingua eius ſedabit ſitientes. Ex ore ipſius procedent flumina quæ arentes hominum fauces rigabunt. Exin ſuper turrim Londoniarum procreabitur arbor, quæ tribus ſolummodo ramis contenta, ſuperficiem totius inſulæ latitudine foliorum obumbrabit. Huic aduerſarius Boreas ſuperueniet, atque iniquo flatu ſuo tertium illi ramum eripiet: duo vero reſidui locum extirpati occupabunt, donec alter alterum foliorum multitudine annihilabit: deinde vero locum duorum obtinebit ipſe, & volucres exterarum regionum ſuſtentabit. Patriis volatilibus nociuus habebitur: nam timore vmbræ eius liberos volatus amittent. Succedet aſinus nequitiæ in fabricatores auri velox: ſed in luporum rapacitatem piger. In diebus illis ardebunt quercus per nemora, & in ramis tiliarum naſcentur glandes. Sabrinum mare per ſeptem oſtia diſcurret, & fluuius Oſce per ſeptem menſes feruebit. Piſces illius calore morientur: & ex eis procreabuntur ſerpentes: frigebunt Badonis balnea: & ſalubres aquæ eorum mortem generabunt. Londonia necem viginti milium lugebit: & Tamenſis in ſanguinem mutabitur. Cucullati ad nuptias prouocabuntur, & clamor eorum in montibus Alpium audietur.

CAPVT IIII.

Tres fontes in vrbe Guintonia erumpent, quorum riuuli inſulam in tres portiones ſecabunt. Qui bibet de vno, diuturniori vita fruetur: nec ſuperuenienti languore grauabitur. Qui bibet de altero, indeficienti fame peribit: & in facie ipſius pallor & horror ſedebit. Qui bibet de tertio, ſubita morte periclitabitur, nec corpus ipſius ſubire poterit ſepulcrum. Tantam ingluuiem vitare volentes, diuerſis tegumentis eam occultare nitentur. Quæcumque moles ſuperpoſita fuerit, formam alterius corporis recipiet. Terra namque in lapides: lapides in limpham:

lignum

lignum in cineres, cinis in aquam si superiecta fuerint, vertentur. Ad hæc ex vrbe Canuti nemoris eliminabitur puella, vt medelæ curam adhibeat. Quæ vt omnes artes inierit, solo anhelitu suo fontes nociuos siccabit. Exin vt sese salubri liquore refecerit, gestabit in dextera sua nemus Caledonis: in sinistra vero murorũ Lõdoniæ propugnacula. Quacunque incedet, passus sulphureos faciet, qui duplici flamma fumabunt: fumus ille excitabit Rutenos, & cibum sub marinis conficiet. Lacrymis miserandis manabit ipsa, & clamore horrido replebit insulam. Interficiet eam ceruus decem ramorum: quorum quatuor aurea diademata gestabunt: sex vero residui in cornua bubalorum vertentur, quæ nefando sonitu tres insulas Britanniæ commouebunt. Excitabitur Daneium nemus, & in humanam vocem erumpens clamabit: Accede Cambria, & iunge lateri tuo Cornubiam, & dic Guintoniæ, absorbebit tellus te. Transfer sedem pastoris quo naues applicant, & cetera membra caput sequantur. Festinat namque dies, qua ciues ob scelera periurij peribunt. Candor lanarum nocuit, atque tincturæ ipsarum diuersitas. Væh periuræ genti, quia vrbs inclyta propter eam ruet. Gaudebunt naues augmentatione tanta, & vnum ex duobus fiet. Reædificabit eam Ericius, oneratus pomis: ad quorum odorem diuersorum nemorum conuolabunt volucres. Adiiciet palatium ingens, & sexcentis turribus vallabit illud. Inuidebit ergo Londonia, & muros suos tripliciter augebit. Circuibit eam vndique Tamensis fluuius, & rumor operis transcendet Alpes. Occultabit intra illam Ericius poma sua, & subterraneas vias machinabitur. In tempore illo loquentur lapides, & mare quo ad Galliam nauigatur intra breue spatium contrahetur. In vtraque ripa audietur homo ab homine, & solum insulæ dilatabitur. Reuelabuntur occulta submarinorum, & Gallia præ timore tremet. Post hæc ex Calaterio nemore procedet ardea, quæ insulam per biennium circumuolabit. Nocturno clamore conuocabit volatilia, & omne genus volucrum associabit sibi. In culturas mortalium irruent, & omnia grana messium deuorabunt. Sequetur fames populum, atque dira mortalitas famem. At cum calamitas tanta cessauerit, adibit detestabilis ales vallem Galabes, atque ipsam in excelsum montem leuabit. In cacumine quoque ipsius, plantabit quercum, atque intra ramos nidificabit. Tria oua procreabuntur in nido: ex quibus vulpes, lupus, & vrsus egredientur. Deuorabit vulpes matrem, & asininum caput gestabit. Monstro igitur assumpto, terrebit fratres suos, ipsosque in Neustriam fugabit. At ipsi excitabunt aprum dentosum in illa, & nauigio reuecti cum vulpe congredientur. Quæ cnm certamen inierit, finget se defunctam, & aprum in pietatem mouebit. Mox adibit ipse cadauer, & dum superstabit, anhelabit in oculos eius & faciem. At ipsa non oblita præteriti doli, mordebit sinistrum pedem ipsius, totumque ex corpore euellet. Saltu quoque facto, eripiet ei dextram aurem & caudam, & intra cauernas montium delitebit. Aper ergo illusus, requiret lupum & vrsum, vt ei amissa membra restituant. Qui vt causam inierint, promittent ei duos pedes vulpis, & aures & caudam, & ex ipsis porcina membra component. Acquiescet ipse, promissamque restaurationem expectabit. Interim descendet vulpes de montibus, & sese in lupum mutabit, & quasi colloquium habitura cũ apro, adibit illũ, & callide ipsum totũ deuorabit. Exin trãsuertet sese in aprũ, & quasi sine mẽbris expectabit germanos: sed & ipsos, postquã aduenerint, subito dente interficiet, atq; capite leonis coronabitur. In diebus eius nascetur serpens, qui neci mortaliũ imminebit. Longitudine sua circuibit Londoniam, & quosq; prætereũtes deuorabit. Bos montanus caput lupi assumet, dentesq; suos in Fabrica Sabrinæ dealbabit. Associabit sibi greges Albanorum & Cambriæ qui Tamensem potando siccabunt. Vocabit asinus hircum prolixæ barbæ, & formam ipsius mutuabit. Indignabitur igitur montanus, vocatoque lupo, cornutus taurus in ipsos fiet. Vt autem sæuitiæ indulserit, deuorabit carnes eorum & ossa, sed in cacumine Vriani cremabitur: fauillæ rogi mutabuntur in cygnos, qui in sicco quasi in flumine natabunt. Deuorabunt pisces in piscibus: & homines in hominibus deglutient. Superueniente vero senectute, efficientur submarini lupi, atque submarinas insidias machinabuntur. Submergent naualia, & argentũ non minimũ congregabũt. Fluctuabit iterũ Tamẽsis: cõuocatisq; fluminibus vltra metas aluci procedet: vrbes vicinas occultabit: oppositosq;

montes ſubuertet. Adhibebit ſibi fontem Galaes dolo & nequitia repletus. Orientur ex eo ſeditiones prouocantes Venedotos ad prælia. Conuenient nemorum robora, & cum ſaxis Gevviſſeorum congredientur. Aderit coruus cum miluis, & corpora peremptorum deuorabit. Super muros Claudioceſtriæ nidificabit bubo, & in nido eius procreabitur aſinus. Educabit illum ſerpens Maluerniæ, & in plures dolos commouebit. Sumpto diademate tranſcendet excelſa, & horrido racanatu populum patriæ terrebit. In diebus eius titubabunt montes Pachaij, & prouinciæ nemoribus ſuis ſpoliabuntur. Superueniet namque vermis ignei anhelitus, qui emiſſo vapore comburet arbores. Egredientur ex eo ſeptem leones capitibus hircorum turpati. Fœtore narium mulieres corrumpent: & proprias communes facient. Neſciet pater proprium filium: quia more pecudum laſciuient. Superueniet vero gigas nequitiæ, qui oculorum acumine terrebit vniuerſos. Exurget in eum draco VVigorniæ, & eum exterminare conabitur. facto autem congreſſu, ſuperabitur draco, & nequitia victoris opprimetur. Aſcendet namque draconem, & exuta veſte inſidebit nudus. Feret illum ad ſublimia draco: erectaque cauda verberabit nudatum. Reſumpto iterum vigore gigas, fauces illius gladio confringet. Implicabitur tandem ſub cauda ſua draco, & venenatus interibit. Succedet poſt illum Totoneſius aper, & dira tyrannide opprimet populum. Eliminabit Claudioceſtria leonem, qui diuerſis præliis inquietabit ſæuientem. Conculcabit eum ſub pedibus ſuis, apertiſque faucibus terrebit. Cum regno tandem litigabit leo, & terga nobilium tranſcendet. Superueniet taurus litigio, & leonem dextro pede percutiet. Expellet eum per regni diuerſoria: ſed cornua ſua in muros Oxoniæ confringet. Vindicabit leonem vulpes Kaerdubali, & totum ſuis dentibus conſumet. Circumcinget illam Lindocolinus coluber, præſentiamque ſuam draconibus multis horribili ſibilo teſtabitur. Congredientur deinde dracones vt alter alterum dilaniet. Opprimet alatus carentem alis, & vngues in genas venenatas configet. Ad certamen conuenient alij: & alius alium interficiet. Succedet quintus interfectis, reſiduos diuerſis machinationibus confringet. Tranſcendet dorſum vnius cum gladio, & caput a corpore ſeparabit. Exuta veſte aſcendet alium, & dexteram caudæ læuamque iniiciet. Superabit eum nudus, cum nihil indutus proficeret. Ceteros tormentabit a dorſo, & in rotunditatem regni compellet. Superueniet leo rugiens, immani feritate timendus. Ter quinque portiones in vnum reducet: & ſolus poſſidebit populum. Splendebit gigas colore niueo, & ad candidum populum germinabit. Deliciæ principes eneruabunt: & ſubiti in beluas mutabuntur. Orietur in illis leo humano cruore turgidus. Supponetur ei in ſegete falcifer: qui dum laborabit metere, opprimetur ab illo. Sedabit illos Eboracenſis auriga: expulſoſque domo, in currum quem ducit aſcendet. Abſtracto gladio minabitur Orienti: & rotarum ſuarum veſtigia replebit ſanguine. Fiet deinde piſcis in æquore, qui ſibilo ſerpentis reuocatus, coibit cum illo. Naſcentur inde tres tauri fulgurantes, qui conſumptis paſcuis conuertentur in arbores. Geſtabit primus flagellum vipereum, & a poſt genito dorſum ſuum diuertet. Nitetur ipſe flagellum eripere: ſed ab vltimo corripietur. Auertent mutuo a ſeſe facies, donec venenatũ ſcyphum proiecerint: ſuccedet eis Colonus Albaniæ, cui a dorſo imminebit ſerpens. Vacabit ipſe tellurem ſubuertere, vt patriæ ſegetibus candeant. Laborabit ſerpens venenum diffundere: ne herbæ in menſes proueniant. Letali clade deficiet populus: & mœnia vrbium deſolabuntur. Dabitur in remedium vrbs Claudij, quæ alũnam flagellãtis interponet. Staterã namq; medicinæ geſtabit: & in breui renouabitur inſula. Deinde duo ſubſequentur ſceptrũ, quibus cornutus draco miniſtrabit. Adueniet alter in ferro: & volantẽ equitabit ſerpentẽ. Nudato corpore inſidebit dorſo: & dexterã caudę iniiciet. Clamore ipſius excitabuntur maria: & timorem ſecundo iniiciet. Secundus itaq; ſociabitur leoni: ſed exorta lite congreſſum facient. Mutuis cladibus ſuccumbent mutuo, ſed feritas beluæ prępualebit. Superueniet quidã in tympano, & demulcebit leonis ſæuitiã. Pacificabuntur ergo nationes regni, & leonem ad ſtaterã prouocabunt. Locata ſede ad penſas ſtudebit: ſed palmas in Albaniã extendet. Triſtabũtur ergo Aquilonares prouinciæ, & oſtia tẽplorũ reſerabũt. Signifer lupus cõducet turmas, & Cornubiã cauda ſua circumcinget. reſiſtet ei miles in curru, qui populum illũ in aprum mutabit.

Vaſtabit

Vastabit ergo aper prouincias: sed in profundo Sabrinæ occultabit caput. Amplexabitur homo leonem in vino: & fulgor auri oculos intuentium excæcabit. Candebit argentum in circuitu, & diuersa torcularia vexabit. Imposito vino inebriabuntur mortales: & postposito cœlo in terram respicient. Ab eis vultus auertent sidera, & solitum cursum confundent. Arebunt segetes his indignantibus, & humor conuexi negabitur. Radices & rami vices mutabunt: nouitasque rei erit in miraculum. Splendor Solis electro Mercurij languebit: & erit horror inspiciētibus. Mutabit clypeum Stilbon Arcadiæ. vocabit Venerem galea Martis. Galea Martis vmbrā conficiet: & transibit terminos furor Mercurij. Nudabit ensem Orion ferreus. Vexabit nubes Phœbus æquoreus. Exibit Iupiter licitas semitas: & Venus deseret statutas lineas. Saturni sideris liuor pluēdo corruet, & falce recurua mortales perimet. Bissenus numerus domorū & siderum, defleuit hospites ita transcurrere. Omittent Gemini complexus solitos, & vrnam in fontes prouocabunt. Pensa libræ obliquæ pendebunt, donec aries recurua cornua sua supponat. Cauda Scorpionis procreabit fulgura, & Cancer cum Sole litigabit. Ascendet Virgo dorsum Sagittarij, & flores virgineos offuscabit. Currus Lunæ turbabit Zodiacum: & in fletum prorumpent Pleiades. Officio iam nulla redibunt: sed clausa ianua in crepidinibus Ariadne delitebit. In ictu radij exurgent æquora, & puluis veterum renouabitur. Confligent venti diro sufflamine, & sonitum inter sidera conficient.

LIBER OCTAVVS.

CAPVT PRIMVM.

DVM igitur hæc & alia multa prophetasset Merlinus, ambiguitate verborum suorum astantes in admirationem commouit. Vortegirnus vero præ cæteris admirans, & sensum iuuenis, & vaticinia collaudabat. Neminem enim præsens ætas produxerat, qui ora sua in hunc modum coram ipso soluisset.[1] Scire igitur volens exitum vitæ suæ, rogauit iuuenem sibi indicare quod sciebat. Ad hæc Merlinus: ignem filiorum Constantini diffuge: si diffugere valueris. Iam naues parant: iam Armoricanum littus deserunt: iam vela per æquora pandunt: petent Britannicam insulam: inuadent Saxonicam gentem: subiugabunt populum nefandum. sed prius te intra turrim inclusum comburent. Malo tuo patrem eorum prodidisti: & Saxones in insulam inuitasti. Inuitasti eos tibi in præsidium: sed superuenerunt in tuum supplicium. Imminent tibi duo funera: nec est promptū, vtrum prius vitabis. Hinc enim regnum tuum deuastabunt Saxones, & leto tuo incumbent: hinc autem applicabunt duo fratres, Aurelius & Vtherpendragon, qui mortem patris sui in te vindicare nitentur. Quære tibi diffugium si poteris: cras Totonesium littus tenebunt. Rubebunt sanguine Saxonum facies: & interfecto Hengisto Aurelius Ambrosius coronabitur. Pacificabit nationes: restaurabit ecclesias: sed veneno deficiet. Succedet ei germanus suus Vtherpendragon: cuius dies anticipabuntur veneno. Aderunt tantæ proditioni posteri tui, quos aper Cornubiæ deuorabit. Nec mora, cum crastina dies illuxit, applicuit Aurelius Ambrosius cum germano suo, decem milibus militum comitatus.

CAPVT II.

RVMORE itaque aduentus ipsius diuulgato: conuenerunt vndique Britones, qui in tanta clade dispersi fuerant: & societate conciuium suorum roborati, hilariores solito efficiuntur. Conuocato autem clero, inunxerunt Aurelium in regem: & sese ei more suo submiserunt. Cumque impetū in Saxones fieri cohortarentur, dissuasit rex.

Nam prius Vortegirnum persequi affectauerat. Adeo enim propter proditionem patri illatam doluerat, quod nil agere videretur, nisi eum prius vindicaret. Affectum itaque suum exequi desiderans, conuertit exercitum suum in Cambriam, opidumque Genoreu petiit. Diffugerat eo Vortegirnus, vt tutum refugium haberet. Erat autem opidum illud in natione Hergin super fluuium Ganiæ, in monte qui Cloarius nuncupatur. Vt igitur ad illud peruenit Ambrosius, proditionis patri ac fratri illatæ reminiscens, Eldol ducem Claudiocestriæ affatur: Respice dux nobilis huius vrbis mœnia, an poterunt Vortegirnum protegere, quin gladij mei mucronem ipse intra viscera ipsius recōdam? Promeruit enim necem: nec tibi ignotum esse existimo ipsum eam promeruisse. O hominem omnium sceleratissimum: o ineffabilibus tormentis perdendum! Primo prodidit patrem meum Constantinum, qui ipsum & patriam a Pictorum irruptione liberauerat. Deinde Constantē fratrem meum, quem vt perderet in regem promouit. Deinde cum ipsemet versutia sua insignitus fuisset, intromisit cum ciuibus Paganos, vt eos qui fidelitati meæ adhærebant, exterminaret: sed permittente deo in laqueum, quē fidelibus suis parauerat, incautus cecidit. Nā vt nequitiam ipsius cōpererūt Saxones, eiecerunt illum e regno, quod neminē pigere debeat. Illud vero dolēdum esse censeo, quod nefandus populus quem nefandus ille inuitauit, nobiles ciues exterminauit: fertilem patriam deuastauit: sacras ecclesias destruxit: & Christianitatē fere a mari vsque ad mare deleuit. Nunc ergo ciues viriliter agite: & vindicate vos prius in istum, per quem hæc omnia mala accesserunt. Deinde vertamus arma in hostes imminentes, & patriam ab eorum ingluuie liberemus. Nec mora, diuersis machinationibus incumbunt: mœnia diruere nituntur. Postremo, cum cetera defecissent, ignem adhibuerunt: qui cum alimentum reperisset, non acquieuit adiunctus, donec turrim & Vortegirnum exarsit.

CAPVT III.

QVOD cum Hengisto Saxonibusque eius relatum esset, inuasit eum timor: quia probitatem Aurelij timebat. Tanta namque virtus & audacia viro inerat: quod cum Galliarum partes frequentaret, non erat alter qui cum illo congredi auderet. nam si congressum fecisset, vel hostem ab equo prosternebat: vel hastam in frusta confringebat. Præterea largus erat in dandis: sedulus in diuinis obsequiis: modestus in cunctis: & super omnia mendacium vitans. Fortis pedes: fortior eques: & ad regendum exercitum doctus. Tales probitates eius dum adhuc in Armorica Britannia moraretur, fama assiduis volatibus in insulam detulerat. Timuerunt ergo eum Saxones, & sese trans Humbrum receperunt. In partibus illis munierunt ciuitates & opida: nam patria illa semper refugio eis patuerat. Vicinitas etenim Scotiæ adhibebat tutelam: quæ in omne damnum ciuium imminere consueuerat. Natio namque ad inhabitandum horribilis, euacuata ciuibus, tutum receptaculum alienigenis præstiterat. Siquidem Pictis, Scotis, Dacis, Norvvegensibus, ceterisque qui ad vastandam insulam applicuerant, situ locorum admittente patuerat. Securi ergo affinitatis patriæ, versus illam diffugerant: vt si opus fuisset, sese intra eam, quasi in propria castra recepissent. Cumque id Aurelio indicatum fuisset, audacior effectus, spem victoriæ recepit. Ocyus ergo conuocatis ciuibus, exercitum suum augmentauit, atque versus Aquilonares partes iter arripuit. Et cum nationes præteriret, inspiciens illas desolatas, condolebat: maxime autem propter ecclesias vsque ad solum destructas: quibus restaurationem promittebat, si triumpho potiretur.

CAPVT IIII.

AT Hengistus cum aduentum ipsius comperisset, reuocata audacia commilitones suos elegit, atque vnumquemque inanimans, hortabatur eos viriliter eis resistere: nec congressum Aurelij exhorrere. Dicebat autem ipsum paucos ex Armoricanis Britonibus habere, cum numerus eorum vltra decem milia non procederet. Insulanos vero Britones pro nihilo reputabat, cum totiens eos in præliis deuicisset. Proinde promittebat suis victoriam, & ob ampliorem numerum securitatem.

Aderāt enim circiter ducenta milia armatorum. Et cum omnes hoc modo inanimasset, iuit obuiam Aurelio in campum qui dicebatur Maisbeli, per quem ipse Aurelius transiturus erat: affectabat namq; & subitum & furtiuum impetum facere, Britonesq; non præmeditatos occupare. Quod tamen non latuit Aurelium, nec idcirco distulit campum adire: sed festinantius ingressus est. Vt ergo hostes prospexit, disposuit turmas suas: tria milia ex Armoricanis iussit equis adesse, ceteros cum insulanis mixtim in aciem constituit. Demetios in collibus, Venedotos in prope sitis nemoribus locauit. Erat autem causa, vt si Saxones ad ea diffugerent, adessent qui obuiarent.

CAPVT V.

INTEREA accessit Eldol dux Claudiocestriæ ad regem, & ait: sola dies pro omnibus diebus vitę meæ mihi sufficeret, si congredi cum Hengisto Deus concederet. Nempe succumberet alter nostrum, dum gladiis insisteremus. Reminiscor namque diei qua conuenimus quasi pacem habituri. cumq; de cōcordia ageretur, prodidit omnes qui aderant, & cultris interfecit, præter me solum, qui reperto palo euasi. Succubuerūt eadem die quadringenti sexaginta barones ac consules, qui omnes inermes aduenerāt. In tanto periculo subuectauit mihi deus palum, quo defensus euasi. Talia referebat Eldol. Sed Aurelius hortabatur socios totam spem suam in filium Dei ponere: hostes suos deinde audacter inuadere, & pro patria vnanimiter pugnare. At Hengistus e contrario turmas suas componebat: componēdo præliari docebat: docendo singulas perambulabat, vt omnibus vnam audaciam pugnandi ingereret. Dispositis tandem in vtraq; parte cuneis, congrediuntur acies: mutuos ictus ingeminant: cruorem non minimum diffundunt. Hinc Britones: hinc Saxones vulnerati moriuntur. Hortatur Aurelius Christianos, monet Hengistus Paganos: & dum talem decertationem facerent, nitebatur semper Eldol habere aditum congrediendi cum Hengisto, sed non habuit. Nam Hēgistus vt vidit suos succumbere, Britones vero nutu Dei præualere: confestim diffugit, petiuitque opidum Kaerconan, quod nunc Cunungeburg appellatur. Insequitur eum Aurelius: & quoscunque in itinere reperiebat, vel occidebat, vel in seruitutem compellebat. Cum ergo vidisset Hengistus, quod insequeretur se Aurelius, noluit opidum introire: sed conuocato in turmas populo, iterum præliari disposuit. Quippe sciebat, quod opidum nequaquam Aurelio resisteret: & quod omne tutamen suum in gladio & hasta consisteret. Denique cum superuenisset Aurelius, composuit & ipse socios suos in turmas, & acerrimam pugnam ingessit. Porro Saxones vnanimiter resistūt, & inuicem letaliter vulnerantur. Diffunditur sanguis vtrobique: clamor morientium viuos in iram ducebat. Postremo, Saxones præualuissent, nisi equestris turma Armoricorum Britonum superuenisset. Constituerat namque Aurelius, sicut in primo prælio fecerat. Superueniente ergo illa, cesserunt ei Saxones, & aliquantulum dilacerati, vix iterum sese consociauerunt. Acriores deinde Britones incumbunt: & hostes vnanimiter infestant. Non cessabat Aurelius socios monere, obuiantes vulnerare, fugientes insequi, atque suos hoc modo consolari. Similiter Eldol, nunc hac nunc illac discurrens infestis vulneribus aduersarios suos afficiebat: quicquid autem ageret, æstuabat semper habere copiam congrediendi cum Hengisto.

CAPVT VI.

DVM itaque diuersas irruptiones diuersæ turmæ facerent, conuenerunt forte pariter, & mutuos ictus ingeminare cœperūt. O viros præ ceteris pugnaces, qui dum mutuos enses alter in alterum immitterent, prosiliebant ex ictibus ignes, ac si tonitrua coruscationesque procrearent. Diu dubium fuit, vtri præstantior vigor inerat. Quandoq; enim præualebat Eldol, & cedebat Hengistus: quandoque cedebat Eldol, & præualebat Hengistus. Dum in hunc modum decertarent: superuenit Gorlois dux Cornubiæ cum phalange cui præerat, turmas diuersorum infestans. Quem cū aspexisset Eldol, securior effectus, cepit Hengistum per nasale cassidis, atque totis viribus vtens, ipsum intra ciues extraxit. Maximo igitur gaudio fluctuans, excelsa voce dicebat: Desiderium meum impleuit Deus, prosternite viri obstantes Ambrones, prosternite. Vobis est in

manu victoria: vicistis enim deuicto Hengisto. Inter hæc, Britones non cessant Paganos oppugnare, sæpius ac sæpius inuadere: & cum retrocedebant, iterum reuocata audacia resistere. Nec in hunc modum quieuerunt, donec potiti sunt victoria. Diffugerunt itaque Saxones, quo impetus quemque ducebat. Alij vrbes, alij montana nemorosa, alij naues petebant. At Octa filius Hengisti, cum maiori multitudine Eboracum adiuit. Eosa vero cognatus eius vrbem Alud: & se cum innumeris armatis muniuit.

CAPVT VII.

Vt itaque triumphauit Aurelius, cepit vrbem Conani, quā supra memoraueram: & ibidem tribus diebus moratus est. Interea iussit peremptos sepeliri, vulneratos curari, fatigatos requiescere, & eosdem diuersis leuaminibus reficere. Post hæc conuocatis ducibus, decernere præcepit, quid de Hengisto ageretur. Aderat Eldadus Claudiocestrensis Episcopus, frater Eldol, vir summæ prudentiæ & religionis. Hic cum Hengistum coram rege stantem aspexit, iussit ceteros tacere, & in hunc modum locutus est: Etsi omnes istum liberare conarentur, ego ipsum in frusta cōciderem: insequerer namque Prophetam Samuelem, qui cum Agag regem Amalech in potestate tenuisset, cōcidit illum in frusta, dicens: sicut fecisti matres sine liberis, sic faciam hodie matrem tuam sine liberis inter mulieres: sic ergo facite de Hengisto, qui alter Agag existit. Accepit ergo Eldol gladium, & duxit eum extra vrbem, & amputato capite ad tartara direxit. At Aurelius, vt erat in cunctis rebus modestus, iussit eum sepeleri, & cumulum terræ super corpus eius, Pagano more, apponi.

CAPVT VIII.

Deinde duxit Aurelius exercitum suum ad Eboracum, vt Octam filium Hengisti expugnaret. Cumque ciuitatem obsideret: dubitauit Octa resistere, & vrbem contra tantam multitudinem defendere. Communicato itaque consilio, egressus est cum nobilioribus qui secum aderant, gestans catenam in manu, & arenam in capite: & sese regi in hæc verba præsentauit: Victi sunt Dei mei, Deumque tuum regnare non hæsito, qui tot nobiles ad te hoc modo venire compellit. Accipe ergo nos, & catenam istam: & nisi misericordiam habueris, habe nos ligatos, & ad quodlibet supplicium voluntarie paratos. Motus ergo Aurelius pietate, iussit adiudicari quid in illos agendum foret. Cum autem diuersi diuersa proferrent, surrexit Eldadus Episcopus, & sententiam hoc sermone disseruit: Gabaonitæ voluntarie venerunt ad filios Israel, petentes misericordiam, & impetrauerunt. Erimus ergo Christiani peiores Iudæis, abnegantes misericordiā? misericordiā petunt, misericordiam habeant. Ampla est insula Britanniæ, & in pluribus locis deserta. Fœderatos ergo illos sinamus saltem deserta inhabitare, & nobis in sempiternum seruiant. Acquieuit itaque rex Eldadi sententiæ, & misericordiam de eis habuit. exemplo etiam Octæ motus, venit Eosa ceteriq; qui diffugerant, & misericordiam impetrauerunt. Dedit ergo eis regionem iuxta Scotiam, & fœdus cum eis confirmauit.

CAPVT IX.

Triumphatis itaque hostibus, conuocauit rex consules & principes regni intra Eboracum, præcepitque eis restaurare Ecclesias, quas gens Saxonum destruxerat. Ipse vero Metropolitanam sedem illius vrbis, atque ceteros Episcopatus prouinciæ reædificare incœpit. Emensis deinde quindecim diebus, cum operarios diuersos in diuersis locis statuisset, adiit vrbem Londoniæ, cui hostilis irruptio non pepercerat. Condolēs igitur illius excidium, reuocat vndiq; ciues residuos, & eam restituere aggreditur. Ibidem disposuit regnum suum, legesque sopitas renouat, amissas auorum possessiones nepotibus distribuit. Quæ autem in tanta calamitate heredes amiserant: largitæ sunt commilitonibus eius. Tota intentio ipsius versabatur circa regni restitutionem, Ecclesiarum reformationem, pacis ac legis renouationem, iustitiæ compositionem. Exin petiuit Guintoniam, vt eam sicut ceteras restitueret. Cumque in restauratione eius quæ ponenda erant posuisset: monitu Eldadi Episcopi, iuit ad monasteriū prope Kaer-

caradoc,

caradoc, quæ nunc Salesberia dicitur, vbi consules & principes iacebant, quos nefandus Hengistus prodiderat. Erat ibi Cœnobium trecentorum fratrum in monte Ambrij, qui, vt fertur, fundator eius olim extiterat. Vt ergo locum quo defuncti iacebāt circumspexit, pietate motus in lacrymas solutus est. Postremo in diuersas meditationes inductus, deliberauit apud se qualiter locum faceret memorabilem. Dignum nāque memoria censebat cespitem, qui tot nobiles pro patria defunctos protegebat.

CAPVT X.

Convocatis itaque vndique artificibus lignorum & lapidum, præcepit ingeniis vti, nouamque structuram adinuenire, quę in memoriam tantorum virorum in æuum constaret. Cumque omnes ingeniis suis diffidentes, repulsam intulissent: accessit Tremounus vrbis Legionum Archiepiscopus ad regem, & ait: Si vspiam est qui præceptum aggredi valuerit, Merlinus vates Vortegirni aggredietur. Quippe non existimo alterum in regno tuo esse, cui clarius sit ingenium, siue in futuris dicendis, siue in operationibus machinandis. Iube eum venire, atque ingenio suo vti, vt opus quod affectas constet. Cum itaque de eo multa interrogasset Aurelius, misit diuersos nuncios, per diuersas nationes patriæ, vt inuentum illum adducerent: qui peragratis prouincijs inuenerūt eum in natione Gevvisseorum, ad fontem Galabes, quem solitus fuerat frequentare. Indicato autē quid vellent, duxerunt illum ad regem. Excepit eum rex cum gaudio, iussitque futura dicere, cupiens miranda audire. Cui Merlinus: Non sunt reuelanda huiusmodi mysteria, nisi cum summa necessitas incubuerit. Nam si ea in derisionem siue vanitatem proferrem, taceret spiritus qui me docet, &, cum opus superueniret, recederet. Denique cum omnibus repulsam intulisset, noluit rex eum infestare de futuris, sed de operatione præmeditata allocutus est. Cui Merlinus: Si perpetuo opere sepulturam virorum decorare volueris, mitte pro chorea gigantum, quæ est in Killarao monte Hiberniæ. Est etenim ibi structura lapidum, quam nemo huius ætatis construeret, nisi ingenium artem subuectaret. Grādes sunt lapides, nec est aliquis cuius virtuti cedant: qui si eo modo quo ibi positi sunt, circa locabuntur, stabunt in æternum.

CAPVT XI.

Ad ea verba Merlini solutus est Aurelius in risum, dicens: Qualiter id fieri posset, vt tanti lapides ex tam longinquo regno adueherentur, ac si Britannia lapidibus careret, qui ad operationem sufficerent. Ad hæc Merlinus: Ne moueas rex vanum risum: quia hæc absque vanitate profero. Mystici sunt lapides, & ad diuersa medicamenta salubres. Gigantes olim asportauerunt eos ex vltimis finibus Aphricæ, & posuerunt in Hibernia, dum eam inhabitarent. Erat autem causa, vt balnea intra illos conficerent, cum infirmitate grauarentur. Lauabant namque lapides, & intra balnea diffundebāt: vnde ægroti curabantur. Miscebant etiam cum herbarum confectionibus, vnde vulnerati sanabantur. Non est lapis ibi, qui medicamento careat. Cum hoc audissent Britones, censuerunt pro lapidibus mittere, populumque Hiberniæ prælio infestare, si eos detinerent. Postremo eligitur Vtherpendragon frater regis, & quindecim milia armatorum, vt huic negocio pareant. Eligitur & ipse Merlinus, vt ipsius ingenio & consilio agenda tractentur. Paratis deinde nauibus, mare ingrediuntur, prosperisque ventis Hiberniam adeunt.

CAPVT XII.

Ea tempestate regnabat in Hibernia Gillomanius, iuuenis miræ probitatis. Hic cū audisset, quod in Hiberniam applicuissent Britones, collegit exercitum grādem, & eis obuiam perrexit. Cumque didicisset causam aduentus eorum, astantibus arrisit, & ait: Non miror, si ignaua gens, Britonum insulam deuastare potuit, cum Britones bruti sint & stulti. Quis etenim huiusmodi stultitiam audiuit? Nunquid meliora sunt saxa Hiberniæ quam Britanniæ: vt regnum nostrum pro ipsis prouocetur? Armate vos viri, & defendite patriam vestram, quia dum mihi vita inerit, non auferent nobis etiam mi-

nimium lapidem choreæ. Vther igitur, vt vidit ipſos ad prœliandum paratos, feſtinato agmine in eos irruit. Nec mora, præualuerunt Britones: Hibernienſibuſque laceratis ac interfectis, Gillomanium in fugam propulerunt. Potiti autem victoria, petierunt Killaraum montem, lapidumque ſtructuram adepti, gauiſi ſunt, & admirati. Circunſtantibus itaque cunctis, acceſſit Merlinus, & ait: Vtimini viribus veſtris iuuenes: vt in deponēdo lapides iſtos, ſciatis vtrum ingenium virtuti, an virtus ingenio cedat. Ad imperium igitur eius induxerunt vnanimiter multimodis machinationibus, & aggreſſi ſunt choream deponere. Alij funes, alij reſtes, alij ſcalas parauerunt, vt quod affectabant, perficerent: nec vllatenus perficere valuerunt. Deficientibus cunctis, ſolutus eſt Merlinus in riſum, & ſuas machinationes confecit. Denique cum quæque neceſſaria appoſuiſſet: leuius quam credi poteſt lapides depoſuit: depoſitos autem, fecit deferri ad naues, & introponi: & ſic cum gaudio in Britanniam reuerti cœperunt. Et proſperantibus ventis applicant, ſepulturaſque virorum cum lapidibus apparant. Quod cum indicatum fuiſſet Aurelio, diuerſos nuncios per diuerſas partes Britanniæ direxit: iuſſitque clerum ac populum ſubmonere, ſubmonitos vero, in montem Ambrij conuenire, vt cum gaudio & honore prædictam ſepulturam repararent. Ad edictum ergo illius venerunt Pontifices & Abbates, & ex vnoquoque ordine qui ei ſubditi fuerant: & cum omnes conueniſſent, inſtante die quę prædicta fuerat, impoſuit Aurelius diadema capiti ſuo, feſtumque Pentecoſtes regaliter celebrauit: tribuſque ſequentibus diebus continue celebrationi vacauit. Interea honores qui poſſeſſoribus carebant, domeſticis ſuis largitur, vt eis obſequij ſui laborem remuneraret. Euacuatæ erant duæ Metropolitanæ ſedes, Eboraci videlicet atque vrbis Legionum, a paſtoribus ſuis. quibus communi populorum conſilio conſulere volens, conceſſit Eboracum Saxoni illuſtri viro, ſummaque religione famoſo: vrbem vero Legionum Dubricio, quem diuina prouidētia in eodem loco profuturum elegerat. Cumque hæc & cetera in regno ſuo ſtatuiſſet: præcepit Merlino lapides circa ſepulturam erigere, quos ex Hibernia aſportauerat. At ille præceptis eius obediens, eodem modo quo in Killarao monte Hiberniæ poſiti fuerant, erexit illos circa ſepulturam: & ingenium virtuti præualere comprobauit.

CAPVT XIII.

EODEM tempore Paſcentius Vortegirni filius, qui in Germaniam diffugerat, commouebat omnem armatum militem illius regni in Aurelium Ambroſium, patremq; ſuum vindicare volebat. Promittebat autem infinitam copiam auri & argenti: ſi auxilio eorum Britanniam ſibi ſubdidiſſet. Denique cum promiſſis ſuis vniuerſam iuuentutem corrupiſſet, parauit maximum nauigium, applicuitque Aquilonaribus inſulæ partibus, ac eas vaſtare incœpit. Cumque illud regi nunciatum fuiſſet, collegit exercitum ſuum, obuiamq; eis iuit: atque ſæuientes hoſtes ad prœlium prouocauit. Qui vltro ad bellum venientes, commiſerunt cum ciuibus pugnam: ſed volente Deo deuicti fuerunt, & in fugam compulſi.

CAPVT XIIII.

PASCENTIVS ergo in fugam propulſus, non auſus eſt in Germaniam redire: ſed retortis velis adiuit Gillomanium in Hiberniam, & ab illo receptus eſt. Et cum infortunium ſuum notificaſſet, miſeratus Gillomanius, pactus eſt ei auxilium: conquerens de iniuria quam Vther Aurelij frater ſibi intulerat, dum gigantum choream perquireret. Confirmato tandem inter ipſos fœdere, parauerunt ſibi naues, & ingreſſi ſunt eas, & in Meneuiam vrbem applicuerunt. Quo diuulgato, Vtherpendragon excita armatorum copia, in Cambriam iuit, vt cum eis pugnaret. Frater etenim eius Aurelius in Guintonia vrbe morbo grauatus iacebat, nec poterat ipſe adire. Cumque id Paſcentio & Gillomanio, Saxonibuſque qui aderant compertum fuiſſet, gauiſi ſunt valde: quia exiſtimabant propter infirmitatem eius, regnum Britanniæ leuiter ſubdendum. Et dū murmuratio inde per populos fieret: acceſſit vnus ex Saxonibus, nomine Eopa, ad Paſcentium, & ait: Quibus donariis ditabis hominem, qui Aurelium Ambroſium tibi interficiet? Cui Paſcentius: ô ſi quempiam reperirem, cui hoc in animo ſtaret, darem illi

mille

mille argenti libras, familiaritatemque meam dum viuerem: & si fortuna permiserit vt regni diademate potiar, faciam illum centurionem, idque iuramento confirmabo. Ad hæc Eopa: Didici linguam Britannicam, moresque hominum scio: in medica arte peritus. Si igitur ea quæ promittis, executus mihi fueris: fingam me Christianum esse, & Britannum: & quasi medicus præsentiam regis nactus, ei potionem qua obibit conficiam. Et vt citius aditum reperiam, me monachum religiosissimum, & omni dogmate eruditum fingam. Cumque hoc promisisset, pepigit Pascentius fœdus cum illo, & ea quæ spoponderat, iuramento confirmauit. Rasit igitur Eopa barbam suam, capiteque tonso, monachalem cepit habitum: & vasis medicamentorum suorum oneratus, iter Guintoniam versus arripuit. Vrbem postremo ingressus, obtulit obsequium suum clientibus regis, & gratiam in oculis eorum inuenit. Nihil enim desiderabilius expectabant quam medicum. Exceptus itaque, & in præsentiam regis ductus, promisit se redditurum ei sanitatem, si potionibus suis foueretur. Nec mora, potionem conficere iussus, submiscuit venenum, regique porrexit. Quod cum cepisset Aurelius & hausisset, iussus est confestim a nefando Ambrone sub coopertorio suo delitere, atq; obdormire: vt magis potio detestanda operaretur. Paruit illico rex monitis proditoris illius, & quasi sanitatem recepturus obdormiuit. Nec mora, illabente veneno per poros corporis & venas, consecuta est mors soporem, quæ nemini parcere consueuit. Interea nefandus proditor ille, inter vnum & alium elapsus, in curia nusquam comparuit. Hæc dum Guintoniæ agerentur, apparuit stella miræ magnitudinis & claritatis, vno radio contenta: ad radium vero, erat globus igneus in similitudinem draconis extensus, & ex ore illius procedebant duo radij, quorum vnus longitudinem suam vltra Gallicanum clima videbatur extendere: alter vero versus Hibernicum mare vergens, in septem minores radios terminabatur.

CAPVT XV.

Apparente vero præfato sidere, perculsi sunt omnes metu & admiratione qui illud inspiciebant. Vther etiam frater regis, hostilem exercitum in Cambriam ducens, non minimo terrore perculsus, quosque sapientes adibat, vt quid portenderet stella notificarent. Inter ceteros iussit vocare Merlinum: nam & ipse in exercitum venerat, vt consilio ipsius res præliorum tractarentur. Qui vt in præsentiam regis ductus astitisset, iussus est significationem sideris enucleare. Mox ille in fletum erumpens, reuocato spiritu exclamauit, & dixit: O damnum irrecuperabile! ô orbatum populum Britanniæ! ô nobilissimi regis migrationem! Defunctus est inclytus Britonum rex Aurelius Ambrosius: cuius obitu omnes obibimus, nisi Deus auxiliũ subuectet. Festina ergo dux nobilissime Vther, festina, & conflictum cũ hostibus ne differas: victoria tibi in manu erit: & rex eris totius Britanniæ. Te enim sidus istud significat, & igneus draco sub sidere. Radius autem qui versus Gallicanam plagam porrigitur, portendit tibi filium futurum potentissimum, cuius potestas omnia regna habebit quæ protegit. Alter radius filiam significat, cuius filij & nepotes regnum Britanniæ successiue habebũt.

CAPVT XVI.

At Vther in dubio existens an verum protulisset Merlinus, in hostes tamen vt cœperat, progreditur. Aduenerat namq; prope Meneuiam, ita vt iter medietatis diei restaret. Cumq; aduentus eius Gillomanio & Pascentio, Saxonibusq; qui aderãt, relatus fuisset: egressi sunt ei obuiam vt cũ ipso congrederentur. Porro vt sese adinuicem conspexerunt, agmina sua in vtraq; parte statuerunt, cominusq; accedentes pugnauerunt: pugnãtes autem interficiuntur milites hinc & inde, vt in tali euentu fieri solet. Deniq; cum multum diei præterisset, præualuit Vther. interfectisque Gillomanio & Pascentio, triumpho potitus est. Fugientes itaque Barbari, festinauerunt ad naues suas: sed fugiendo a persequentibus ciuibus trucidabantur. Cessit prorsus victoria duci, fauente Christo, qui post tantum laborem, quã citius potuit, regressus est Guintoniam. Aduenerant namque nuncij, qui regis casum indicauerant, ipsumque iam ab Episcopis patriæ sepultum esse prope Cœnobium Ambrij, intra choream gigantum, quam viuens

fieri præceperat. Audito etenim ipsius obitu, cōuenerant in vrbem Guintoniam Pontifices & Abbates, atque totus clerus eiusdem prouinciæ, & vt tanti regis funus ipsius procurauerūt. Et quia viuens adhuc præceperat, vt in cœmeterio quod ipse parauerat sepeliretur, tulerunt corpus eius eodem atque cum regalibus exequiis humauerunt.

CAPVT XVII.

AT Vther frater eius, conuocato regni clero, cepit diadema insulæ: annuentibusq; cunctis sublimatus est in regem. Reminiscens autem expositionis, quam Merlinus de supradicto sidere fecerat: iussit fabricari duos dracones ex auro, ad draconis similitudinem, quem ad radium stellæ inspexerat. Qui vt mira arte fabricati fuerunt: obtulit vnū in ecclesia primæ sedis Guintoniæ: alterum vero sibi ad ferendum in prælia detinuit. Ab illo ergo die vocatus fuit Vtherpendragon: quod Britannica lingua caput draconis appellamus. Idcirco hanc appellationem recepit: quia Merlinus eum in regem per draconem prophetauerat.

CAPVT XVIII.

INTEREA Octa Hengisti filius atque Eosa cognatus eius, cum soluti essent a fœdere quod Aurelio Ambrosio pepigerant, moliti sunt inferre inquietudinem regi, atque nationes eius dilacerare. Associabant namque sibi Saxones quos Pascentius conduxerat: nunciosq; suos propter ceteros in Germaniam dirigebant. Maxima itaq; multitudine stipatus, Aquilonares prouincias inuasit: nec sæuitiæ indulgere quieuit, donec vrbes & promontoria ab Albania vsq; Eboracum destruxit. Postremo cum vrbem obsidere incepisset: superuenit Vtherpendragon, cum tota regni fortitudine: & cum illo pręliatus est. Restiterunt viriliter Saxones, & irruptiones Britonum tolerantes, ipsos in fugam propulerunt. Victoria autem potiti, insecuti sunt eos cædentes vsque ad montem Damen, dum sol diem stare permittebat. Erat autem mons ille arduus, in cacumine coryletum habens, in medio vero saxa pręrupta, latebris ferarum habilia. Occupauerunt eum Britones, totaque nocte intra saxa & coryleta commanserunt. At cum Arctos temonem vertere cœpit: præcepit Vther consules suos, atque principes ad se vocari, vt consilio eorum tractaret, qualiter in hostes irruptionem facerent. Conuenerunt ocyus cuncti in præsentia regis: iussitque dicere quid consiliarentur: & Gorloi duci Cornubiæ primum sententiam suam proferre præceperunt. Erat enim magni consilij & ætatis maturæ. Non opus est (inquit) ambagibus vanis aut sermonibus, dum adhuc noctem astare conspicimus. Vtendum vobis est audacia & fortitudine, si vita & libertate frui diutius volueritis. Magna est Paganorum multitudo & pugnandi auida: nos vero rariores existimus. Si autem diem superuenire expectauerimus: non censeo nobis vtile, vt cum eis congrediamur. Eia ergo dum tenebræ durant, densatis turmis descendamus, ipsosque intra castra sua subito impetu inuadamus. Nam dum nihil hæsitauerint, nec nos venturos hoc modo existimauerint: si vnanimiter irruentes vsi fuerimus audacia, triumpho sine dubio potiemur. Placuit regi omnibusque illius sententia: monitisque eius paruerunt. Statuti namque per turmas & armati, castra hostium petunt, & vnanimi affectu in ipsos irruere proponunt. At dum prope incederent, compererunt vigiles eorum aduentum, qui soporatos socios sonitu lituorum euigilauerunt. Turbati itaque hostes, & stupefacti, partim ad mare festinant, partim formidine præoccupati, quo impetus ducebat, discurrebant. At Britones densatis incedentes turmis, ocyus adeunt castra, & inuadunt: repertoque aditu, nudatis ensibus in hostes concurrunt. Qui ita ex improuiso occupati, non viriliter reddiderunt pręlium: cum ceteri audaciam cum præmeditatione recepissent. Porro Britones acriter irruere intendunt, trucidare conantur: & Paganos ad milia interficiunt. Denique capti sunt Octa & Eosa, & Saxones penitus dissipati.

CAPVT XIX.

POST illam vero victoriam, petiuit vrbem Alclud, prouinciæque illi disposuit: pacemque vbique renouauit. circuiuit etiam omnes Scotorum nationes, rebellemque

populum

populum a feritate sua deposuit, tantam namque iustitiam exercebat per patrias, quãtam alter prædecessorum suorum non fecerat. Tremebant ergo in diebus eius quicũq; peruerse agebant, cum sine misericordia plecterentur. Denique pacificatis Aquilonaribus prouinciis, iuit Londonias: iussitq; ibidem Octam atq; Eosam in carcere seruari. Festo etiam paschali superueniente: præcepit proceribus regni in eandem vrbem conuenire, vt sumpto diademate tantum diem cum honore celebraret. Paruerunt ergo cuncti, & diuersi ex diuersis ciuitatibus venientes, instante festiuitate conuenerunt. Celebrauit: itaque solennitatem rex vt proposuerat: & gaudio cum proceribus suis indulsit. Lætitiam agebant cuncti: quia ipsos leto animo rex receperat. Aduenerant namque tot nobiles cum coniugibus & filiabus suis, læto conuiuio digni. Aderat inter ceteros Gorlois dux Cornubiæ, cum Igerna coniuge sua, cuius pulcritudo mulieres omnes totius Britanniæ superabat. Cumque inter alias inspexisset eam rex, subito amore illius incaluit: ita vt postpositis ceteris, totam intẽtionem suam circa eam verteret. Hęc sola erat cui fercula incessanter dirigebat: cui aurea pocula familiaribus internũciis mittebat. arridebat ei multotiens, & iocosa verba interserebat. Quod cum comperisset maritus eius, confestim iratus est, & ex curia sine licentia recessit. Non affuit qui eum reuocare quiuisset, cum id solum amittere timeret, quod super omnia diligebat. Iratus itaque Vther, præcepit ei redire in curiam suam, vt de illata iniuria rectitudinem ab eo sumeret: cui cum parere diffugisset Gorlois, admodum iratus est rex, iurauitque iureiurando se vastaturum regionem ipsius, nisi ad satisfactionem festinaret. Nec mora, prędicta ira inter eos manente, collegit exercitum magnum rex, petiuitque prouincias Cornubiæ, atque ignem in vrbes & opida accumulauit. At Gorlois non ausus est congredi cum eo, quia eius minor erat armatorum copia. Vnde prælegit munire opida sua, donec auxilium suum ab Hibernia impetrasset. & cum magis pro vxore sua quam pro se ipso anxiaretur: posuit eam in opido Tintagol in littore maris, quod pro tutiori refugio habebat. Ipse vero ingressus est castellum Dimilioc, ne si infortunium superuenisset, ambo insimul periclitarentur. Cumque illud regi nunciatum fuisset, iuit ad opidum in quo erat Gorlois, & illud obsedit, omnemque aditum ipsius præclusit. Emensa tandem hebdomada, reminiscens amoris Igernæ, dixit cuidam familiari suo, nomine Vlfin de Ricaradoch: Vror amore Igernæ, nec gaudium habere, nec periculum corporis mei euadere me existimo, nisi ea potitus fuero. Tu ergo adhibe consilium quo voluntatem meam expleam, aut aliter internis anxietatibus interibo. Ad hæc Vlfin: Et quis tibi consiliari valuerit: cum nulla vis accedere queat, qua eam intra opidum Tintagol adeamus? Etenim situm est in mari, & vndiq; circumclusum ab ipso, nec est alter introitus, nisi quem angusta rupes præbeat: ipsum tres armati milites prohibere queunt, licet cum toto regno Britanniæ astiteris. Attamen si Merlinus vates operam insisteret dare: arbitror te posse consilio ipsius desiderio tuo potiri. Credulus itaque rex, Merlinum vocari iussit: nam & ipse ad obsidionem venerat. Vocatus confestim Merlinus, cum in præsentia regis astitisset, iussus est consilium dare, quo rex desiderium in Igerna expleret. Qui comperta anxietate quam rex patiebatur, pro ea commotus est super tanto amore ipsius, & ait: Vt voto tuo potiaris, vtendum est tibi nouis artibus & tempore tuo inauditis. Scio medicaminibus meis dare figuram Gorlois, ita vt per omnia ipse videaris. Si itaque parueris, faciam te prorsus simulare eum: Vlfin vero, Iordanum de Tintagol familiarem eius. Alia autem specie sumpta, adero tertius, poterisque tuto opidum adire ad Igernam, ac aditum habere. Paruit itaque rex, diligentemque animum adhibuit. Postremo commissa familiaribus suis obsidione, se Merlini medicationibus commisit, & in speciem Gorlois transmutatus est. Mutatus est & Vlfin in Iordanum, Merlinus in Bricelem: ita vt nemini quod fuerant comparerent: deinde aggressi sunt viam versus Tintagol, & cum crepusculo ad opidum venerunt. Indicato ocyus ianitori quod consul adueniret, apertæ sunt ianuæ, & intromissi sunt viri. Quis enim alius accessisset, cum ipse Gorlois reputaretur adesse? Commansit itaque rex ea nocte cum Igerna, & sese desiderata Venere refecit. Deceperat namq; illam falsa species quã assumpserat: deceperat etiã fictitiis sermonibus, quos ornate cõponebat. Dicebat enim se egressum esse ab obsesso opido,

vt sibi tam dilectæ rei atque oppido disponeret: vnde ipsa credula nihil quod poscebatur abnegauit. Concepit itaque eadem nocte celeberrimum illum Arturum, qui post modum vt celebris esset, mira probitate promeruit.

CAPVT XX.

INTEREA cum compertum esset per obsidionem, regem non adesse: exercitus eius inconsulte agens, muros diruere conatur: & obsessum comitem ad prælium prouocare. Qui etiam inconsulte faciens, egressus est cum cōmilitonibus suis, arbitrans parua manu tot armatis se posse resistere. pugnantes ergo hinc & inde inter primos interfectus est Gorlois, & socij eius dissipati. Captum est quoque oppidum quod obsederant, & opes intus repertæ non æqua sorte diuisæ. nam vt cuique administrabat fortuna & fortitudo, rapaci vngue rapiebat. Peracta tandem huius facti audacia: venerunt nuncij ad Igernam, qui & necem ducis, & obsidionis euentum indicarent. Sed cum regem in specie consulis iuxta eam residere inspexissent, erubescentes admirabantur ipsum, quem in obsidione interfectum deseruerant, ita incolumen peruenisse. Nesciebant enim quæ medicamēta Merlinus confecerat. Ad tales ergo rumores arridebat rex, atq; cum his verbis Comitissam amplexabatur: Non equidem interfectus sum: sed, vt vides, viuo: doleo tamen oppidi mei destructionem, sociorumque meorum cędem: vnde nobis timendum est, ne superueniat rex: & nos in oppido isto intercipiat. Ibo ergo prius ei obuiam, & me cum ipso pacificabo, ne nobis deterius contingat. Egressus itaque petiuit exercitum suum, & exuta specie Gorlois in Vtherpēdragon rediit. Cumq; omnem euentum didicisset, ob cædem Gorlois doluit: sed ob Igernam a maritali copula solutam gauisus est. Reuersus itaque ad oppidum Tintagol, cepit illud. Cepitque Igernam & voto suo potitus est. Commanserunt deinde pariter non minimo amore ligati: progenueruntque filium & filiam. Fuit autem filij nomen Arturus, filiæ vero, Anna.

CAPVT XXI.

CVMQVE dies & tempora præterissent, occupauit infirmitas regem: eumque multis diebus vexauit. Interim vero custodes carceris, in quo Octa atque Eosa (quos supra memoraui) tædiosam vitam ducebant, diffugerant cum eis in Germaniam, terroremque per regnum intulerant. Asserebat namque rumor, ipsos iam commouisse Germaniam, classemque maximam parauisse in exitium insulæ redituros: quod & factum est. Redierunt enim cum maxima classe sociisque innumerabilibus, & partes Albaniæ ingressi, ciuitates atque ciues igne ac cæde affecerunt. Committitur itaque exercitus Britanniæ Lot de Londonesia, vt hostes longius arceret. Erat autem consul ille Leir, eques strenuissimus, sapientia & ætate maturus. Probitate ergo ipsius acclamante, dederat ei rex Annam filiam suam, regnique sui curam, dum infirmitati subiaceret. Hic cum in hostes progressus esset, multotiens repulsus est ab eis, ita vt sese intra ciuitates reciperet: sæpius autem fugabat atque dissipabat illos, & nunc ad nemora nunc ad naues diffugere cogebat. Fuit inter eos dubia præliorum decertatio, ita vt nesciretur vtri victoria proueniret. Superbia enim ciuibus nocebat: quia dedignabantur præceptis consulis obedire. Vnde debiliores exeuntes nequibant imminentes hostes superare.

CAPVT XXII.

VASTATA ita fere insula, cum id regi nunciaretur: vltra quam infirmitas expetebat iratus est: iussitque cunctos proceres conuenire, vt ipsos de superbia & debilitate sua corriperet. Et cum omnes in præsentia sua conspexisset: conuicia cum castigantibus verbis intulit, iurauitque quod ipsemet eos in hostes conduceret. Præcepit itaque fieri sibi feretrum quo asportaretur, cum ingressum alterius modi abnegaret infirmitas. Præcepit etiam cunctos paratos esse, vt cum opportunitas accideret, in inimicos progrederentur. Nec mora, paratum est feretrum: parati sunt omnes, diesque opportunus instabat.

CAPVT

CAPVT XXIII.

INTROPOSITO itaque rege, Verolamium perrexerunt, vbi prædicti Saxones vniuerſum populum affligebant. Cumque edocti eſſent Octa & Eoſa aduentum Britonum, regemque in feretro aduectum, dedignati ſunt cum eo præliari, quia in vehiculo aduenerat. Aiebant enim ipſum ſemimortuum eſſe, nec tantos viros cum huiuſmodi homine pugnare decere. Receperunt itaque ſeſe intra vrbem: & valuas, quaſi nihil timentes, deſeruerunt apertas. At Vther, cum id ſibi relatum fuiſſet: iuſſit ocyus obſidere ciuitatem, ac mœnia vndique inuadere. Paruerunt itaque ciues, & vrbem obſederunt, mœniaque inuaſerunt. Stragem autem Saxonibus dantes, fere dirutis muris ingreſſi ſunt: niſi Saxones ad vltimum reſiſtere incœpiſſent. Præualentibus namq; ciuibus, piguerat eos incœptæ ſuperbiæ: vnde ſe defendere inſtituerunt. Scandentes itaque muros omnimodis telis Britones repellebant. Denique cum vtrinque decertarent: ſuperuenit nox, quæ ſingulos ab armis ad quietem inuitauit. Quietem deſiderabant multi: plures vero conſilium quo aduerſarios ſuos perderent. At Saxones cum inſpexiſſent ſuperbiam ſuam ſibi nocuiſſe, Britones vero triumphaſſe: propoſuerunt cum diluculo egredi, inimicoſque ſuos ad campeſtre prælium prouocare. quod factum eſt. Nam vt diem protulit Titan, diſpoſitis cateruis egreſſi ſunt, vt propoſitum exequerẽtur ſuum. Quod videntes Britones, diuiſerunt milites ſuos per turmas, atq; obuiam venientes prius inuadere cœperunt. Reſiſtunt ilico Saxones, inuadunt Britones, & mutuam cædẽ vtrobiq; cõficiunt. Poſtremo cũ multum diei prçteriiſſet: ceſſit victoria regi Britonum, interfectiſq; Octa & Eoſa, terga dederunt Saxones. Tanta inde lætitia cepit regem, ita vt cum prius ſine iuuamine alterius ſeſe erigere nequiret, leui conamine erectus, reſedit in feretro, ac ſi ſubitam ſanitatem recepiſſet. Solutus etiam in riſum, hilari voce in hunc ſermonem prorupit: Vocabant me Ambrones iſti, regem ſemimortuum, quia infirmitate grauatus in feretro iacebam. Sic equidem eram. Malo tamen ſemimortuus ipſos ſuperare, quam ſanus & incolumis ſuperari, ſequenti vita perfuncturus. Præſtantius enim eſt mori cum honore, quam cum pudore viuere.

CAPVT XXIIII.

DEVICTI autem Saxones, non idcirco a malitia ſua deſtiterunt: ſed Aquilonares prouincias ingreſſi, populos inceſſanter infeſtabãt. Quos Vther rex (vt propoſuerat) affectabat inſequi: ſed diſſuaſerũt principes, quia eũ grauior infirmitas poſt victoriã occupauerat. Vnde audaciores inſiſtentes hoſtes, omnibus modis regnũ ſubdere nitũtur. Proditioni etiam ſolitę indulgentes, machinantur qualiter regem dolo interficerẽt. Et cum alter aditus defeciſſet, ſtatuerunt eum veneno perdere. quod factum eſt. Nam cum in vrbe Verolamio iaceret, direxerunt in paupere cultu legatos, qui ſtatum curiæ addiſcerent: qui cum totum didiciſſent, inter cætera compererunt vnum, quod proditioni ipſius prælegerunt. Erat namque prope aulam fons nitidiſſimæ aquæ, quam rex ſolitus fuerat potare, cum cęteros liquores propter infirmitatem abhorreret. Fontem namque aggreſſi ſunt nefandi proditores, ipſumque vndique veneno infecerunt, ita vt manans aqua tota corrumperetur. Vt ergo potauit ex ea rex, feſtinæ morti ſuccubuit. Succubuerunt etiam centum homines poſt illum, donec comperta fraude, cumulum terrę ſuper appoſuerunt. Cum autem obitus regis diuulgatus fuiſſet, aduenerunt pontifices cum clero regni: tuleruntque corpus eius ad Cœnobium Ambrij: & intra choream gigantum iuxta Aurelium Ambroſium more regio humauerunt.

LIBER NONVS.

CAPVT PRIMVM.

DEFVNCTO igitur Vtherpendragon, conuenerunt ex diuersis prouinciis proceres Britonum in ciuitatē Cilcestriæ: Dubricio vrbis Legionum Archiepiscopo suggerentes, vt Arturum filium regis in regem cōsecraret. Angebat enim eos necessitas: audito namq; prædicti regis obitu, Saxones concives suos ex Germania inuitauerant: & duce Colgrino ipsos exterminare nitebantur. Subiugauerant etiam sibi totam partem insulæ, quæ a flumine Humbri, vsq; ad mare Catanesium extenditur. Dubricius ergo calamitatē patriæ dolens, associatis sibi Episcopis Arturum regni diademate insigniuit. Erat autē Arturus quindecim annorum iuuenis, inauditę virtutis atq; liberalitatis: in quo tantam gratiam innata bonitas præstiterat, vt a cunctis fere populis amaretur. Insignibus ergo regiis initiatus, solitum morem seruans, largitati indulsit. Confluebat ad eum tanta multitudo militum, vt eis quod dispensaret, deficeret. Sic cui naturalis inest largitio cum probitate, licet ad tempus indigeat, nullatenus tamen continua paupertas ei nocebit. Arturus ergo quia in illo probitas largitionem comitabatur: statuit Saxones inquietare, vt eorum opibus quæ famulabatur ditaret familiam. Commonebat etiam illud rectitudo, cū totius insulæ monarchiam debuerat hereditario iure obtinere. Collecta deinde sibi subdita iuuentute, Eboracum petiuit. Cūque id Colgrino cōpertum esset, collegit Saxones, Scotos & Pictos, venitq; ei obuius cum multitudine maxima, iuxta flumen Duglas: vbi facto congressu, vtriusq; exercitus in maiori parte periclitatus est. Victoria tamē potitus Arturus, Colgrinum fugientem insecutus est: ingressumq; intra Eboracū obsedit. Audita itaq; fratris sui fuga Baldulphus, cum sex milibus virorum obsidionem petiuit, vt ipsum inclusum liberaret. Erat autem tunc ipse, quando frater pugnauerat, expectans aduentum Cheldrici ducis iuxta maritima, qui eis ex Germania in auxilium venturus erat. Cum itaq; esset spatio decem miliariorū ab vrbe, statuit nocturnū iter arripere, vt furtiuam irruptionē faceret. Quod edoctus Arturus, iussir Cadorē ducem Cornubiæ, cū sexcentis equitibus & tribus milibus peditū eadem nocte illi obuiare. Qui viam qua hostes pręteribāt nactus, inopinū impetum fecit: dilaceratisq; atq; interfectis Saxonibus fugā facere coegit. Qui vltra modū anxius, quod fratri suo auxiliū subuectare nequiret: deliberauit apud se qualiter colloquio ipsius frueretur. Existimabat enim aditū salutis vtrorūq; consilio machinari posse: si illius præsentiā adire quiuisset. Cū ergo alterius modi aditū non haberet: rasit capillos suos & barbā, cultumq; ioculatoris cum cythara cepit. Deinde intra castra deambulans, modulis quos in lyra componebat, sese cytharistam exhibebat. Cumq; nulli suspectus esset, accessit ad mœnia vrbis paulatim ceptam simulationem faciens. Postremo cū ab inclusis compertus esset, tractus est funiculis intra muros, & ad fratrem conductus. Ex tūc viso germano, osculis & amplexibus desideratis sese refecit. Denique cum post multimodas deliberationes, desperationem egrediendi incidissent, remeabant iam legati ex Germania, qui duce Cheldrico sexcentas naues milite forti oneratas in Albaniam conduxerant. Quo audito, dissuaserunt consiliarij sui Arturo obsidionem diutius tenere. ne si tanta multitudo hostium superuenisset, dubium certmen committerent.

CAPVT II.

PARVIT igitur Arturus domesticorum suorum consilio, & sese intra vrbem Londoniarum recepit. Vbi conuocato clero & totius potestatis suæ primatibus, consilium quærit, quid optimum, quidue saluberrimum contra Paganorum irruptionem faceret. Communi tandem assensu illato, mittuntur in Armoricam nuncij ad regem Hoelum, qui ei calamitatem Britanniæ notificarent. Erat autem Hoelus filius sororis Arturi ex Dubricio rege Armoricorum Britonum generatus. Vnde audita

dita inquietatione quæ auunculo ingerebatur, iussit nauigium suum parari, collectisq; quindecim milibus armatorū, proximo ventorum flatu ad portū Hamonis applicuit. Excepit eum Arturus quo honore decebat, mutuos amplexus sæpissime innectens.

CAPVT III.

EMENSIS postmodum paucis diebus, vrbem Kaerliud coit petunt a Paganis, quos supra memoraui, obsessam: hæc autem in Lindiseinensi prouincia inter duo flumina super montē locata, alio nomine Lindocolinum nuncupatur. Vt igitur cū omni multitudine sua eo venerunt, præliati sunt cum Saxonibus, inauditam cædem inferentes. Ceciderunt namq; ex eis ea die sex milia, qui partim fluminibus submersi, partim telis percussi vitam amiserunt. Vnde ceteri stupefacti, relicta obsidione fugerunt: quos Arturus insequi non cessauit, donec in nemus Caledonis venerunt. Ibi vndiq; ex fuga cōfluentes, conati sunt Arturo resistere. Conserto itaq; prælio, stragem Britonibus faciūt, sese viriliter defendentes. Ibi etenim arborum auxilio, tela Britonum vitabant. Quod Arturus intuens, iussit arbores circa illam partem nemoris incidi, & truncos ita in circuitu locari, vt egressus eis abnegaretur. Volebat namq; illos inclusos tādiu obsidere, donec fame interirent. Quo facto, iussit turmas ambire nemus, mansitq; tribus diebus ibidem. Cum igitur Saxones quo vescerentur indigerent, ne subita fame perirēt, petierunt eo pacto egressum, vt relicto omni auro & argento, cum solis nauibus in Germaniam redire sinerentur. Promiserunt quoq; se daturos ei tributum ex Germania, obsidesq; inde mansuros. Tūc Arturus quæsito consilio, eorū petitioni acquieuit. Retinuit namq; ipsorum opes, reddendique vectigalis obsides, solumque abscessum largitus est. Cumq; illi in redeundo domum æquora sulcarent, piguit peractæ pactionis, retortisq; velis in Britanniam redierunt, & Totonesium littus adiuerunt. Nacti deinde patriam tellurem vsq; ad Sabrinum mare, depopulantur colonos, letiferis vulneribus afficientes. Inde arrepto itinere versus pagum Badonis, vrbē obsident. Idq; cum regi nūciatum esset, admirās vltra modum ipsorum facinus, iussit fieri iudicium de illorum obsidibus breui mora suspendendis. Prętermissa etiam inquietatione, qua Scotos & Pictos opprimere incœperat, obsidionem dispergere festinauit. Maximis vero angustiis est cruciatus, quoniam Hoelum nepotem suum morbo grauatum in ciuitatem Alclud deserebat. Postremo Sumersetensem prouinciam ingressus, visa cominus obsidione, in hæc verba locutus est: Quoniam impiissimi atq; inuisi nominis Saxones fidem mihi dedignati sunt seruare: Ego fidem Deo meo conseruans, sanguinem conciuium meorum in ipsos hodie vindicare conabor. Armate vos viri, armate, & proditores istos viriliter inuadite, quos proculdubio auxiliante Christo triumphabimus.

CAPVT IIII.

HAEC eo dicente, sanctus Dubricius vrbis Legionū Archiepiscopus, ascenso cuiusdā mōtis cacumine, in hunc modū celsa voce exclamauit: Viri Christiana professione insigniti, maneat in vobis conciuiū vestrorū pietas & patrię, qui proditione Paganorū exterminati, vobis sempiternum erūt opprobrium, nisi ipsos defendere institeritis. Pugnate ergo pro patria vestra, & mortem si superuenerit pro eadem vltro patimini: ipsa enim victoria est, & animę remedium. Quicunq; etenim pro cōfratribus suis interierit, viuam hostiam se præstat Deo, Christumq; insequi nō ambigitur, qui pro fratribus suis animam suam dignatus est ponere. Si aliquis igitur vestrum in hoc bello mortem subierit, fiet ei mors illa omnium delictorum suorum pœnitentia & absolutio, dum eam hoc modo recipere non diffugerit. Nec mora: beati viri benedictione hilariti, festinauit quisq; armare se, & præceptis eius parere: ipse vero Arturus lorica tanto rege digna indutus, auream galeam simulacro draconis insculptam capiti adaptat. Humeris quoq; suis clypeum vocabulo Privven: in quo imago sanctæ Mariæ Dei genitricis impicta, ipsam in memoriam ipsius sæpissime reuocabat. Accinctus etiam Caliburno gladio optimo, & in insula Auallonis fabricato: lancea dexterā suā decorat, quæ nomine Ron vocabatur: hæc erat ardua lataq; lancea, cladibus apta. Deinde dispositis cateruis, Saxones in cuneos more suo dispositos, audacter inuasit. Ipsi vero tota die viriliter resistebant, Britones vsq; insequentes. Vergēte tandem ad occasum sole, proximū occupant

mōtem, pro castris eum habituri. Multitudine & enim sociorū cōfisis, solus mons sufficere videbatur. At vt posterum sol diem reduxit: ascendit Arturus cum exercitu suo cacumen: sed in ascendendo suorum multos amisit. Saxones namq; ex summitate occurrentes, facilius ingerebant vulnera, dum ipsos citior cursus in descensu ageret, quam eos in ascensu. Britones tamen cacumen maxima vi adepti, dextris hostium dextras suas confestim conferunt. Quibus Saxones pectora prætendentes, omni nisu resistere nituntur. Cumque multum diei in hunc modum præteriisset, indignatus est Arturus, ipsis ita successisse: nec sibi victoriam aduenire. Abstracto igitur Caliburno gladio, nomen sanctæ Mariæ proclamat, & sese cito impetu intra densas hostium acies immisit. Quemcunque attingebat, Deum inuocando, solo ictu perimebat: nec requieuit impetum suum facere, donec quadringentos & septuaginta viros, solo Caliburno gladio peremit. Quod videntes Britones, densatis turmis illum sequuntur, stragem vndique facientes. Ceciderunt ilico Colgrinus & Baldulfus eius frater, & multa milia aliorum. At viso sociorum periculo Cheldericus continuo in fugam versus est.

CAPVT V.

Rex igitur potitus victoria, Cadorem ducem Cornubiæ iussit illos persequi, dum ipse Albaniam petere festinaret. Denunciatum namque illi fuerat, Scotos atque Pictes obsedisse Hoelum in vrbe Alclud, in qua ipsum supra dixi infirmitate grauatum. Quocirca properabat ei in auxilium, ne a Barbaris occuparetur. Dux itaque Cornubiæ decem milibus comitatus, fugientes Saxones nōdum insequi voluit: immo naues eorum festinanter exigebat, vt ipsis ingressum prohiberet. Mox vt ipsis potitus est, muniuit eas militibus optimis, qui introitū Paganis abnegarent, si ad eas confugerent. Deinde festinauit hostes sequi, sectatos sine pietate trucidare: præceptum Arturi facturus. Qui modo gemina feritate fulminabant, nunc timido corde fugientes, aliquando occulta nemorum, aliquando montes & cauernas petebant, vt spatium viuendi haberent. Postremo cum nihil eis tutamini accessisset, insulam Tanet lacero agmine ingrediuntur. insequitur eos eodem dux Cornubiæ, solitam cædem inferens: nec requieuit, donec perempto Cheldrico, cunctos ad deditionem compulit, receptis obsidibus.

CAPVT VI.

Pace itaque firmata, petiuit vrbem Alclud, quam Arturus iam ab oppressione barbarica liberauerat. Deinde duxit exercitum suum Murcif, vbi obsidebantur Scoti & Picti, qui tertio contra regem nepotemque eius præliati, vsque ad eandem prouinciam diffugerant. Ingressi autem stagnum Lumond, occupauerunt insulas quæ intra erant, securum refugium quærentes. hoc autem stagnum sexaginta insulas continens, sexaginta flumina recipit: nec ex eo nisi vnum solum ad mare decurrit. In insulis vero sexaginta rupes manifestum est esse, totidem aquilarum nidos sustentantes: quæ singulis annis conuenientes, prodigiū quod in regno venturum esset, celso clamore cōmuniter edito notificabant. Ad has itaq; insulas confugerant prædicti hostes vt stagni præsidio fruerentur: sed parū illis profuit. Nā Arturus collecto nauigio flumina circuiuit, ipsosq; per quindecim dies obsidendo, tanta afflixit fame, vt ad milia morerentur. Dumque illos in hunc modum opprimeret, Guillamurius rex Hiberniæ cum maxima Barbarorum copia classe superuenit, vt ipsis oppressis auxilium subuectaret. Prætermissa itaque obsidione, cœpit Arturus arma vertere in Hibernienses: quos sine pietate laceratos coegit ad patriam remeare. Potitus itaque victoria, vacauit iterum delere gentem Scotorum atque Pictorum, incomparabili sæuitiæ indulgens. Cumque nulli provt reperiebatur parceret, conuenerunt omnes Episcopi miserandæ patriæ, cum omni clero sibi subdito, reliquias sanctorum & ecclesiastica sacramenta nudis ferentes pedibus, misericordiam regis pro salute populi sui implorantes. Mox vt præsentiam eius habuerunt, flexis genibus deprecati sunt, vt pietatem super contrita gente haberet. Satis etenim periculi intulerat, nec erat opus perpaucos qui remanserant, vsque ad vnum delere. Sineret illos portiunculam patriæ habere, perpetuæ seruitutis iugum vltro congestaturos. Cumque regem in hunc modum roga-

uissent

uissent, commouit eum pietas in lacrymas, sanctorumque virorum petitioni acquiescens, veniam donauit.

CAPVT VII.

His itaque gestis, explorat Hoelus prædicti stagni situm, admiraturq; tot flumina, tot insulas, tot rupes, tot numero aquilarũ nidos adesse. Cumque ad in mirum contulisset, accessit Arturus, dixitque illi: aliud stagnum magis esse mirandum in eadem prouincia. Erat quippe haud longe illinc, latitudinem habens viginti pedum, eademque mensura longitudinem, cum quinque pedum altitudine. In quadrum vero, siue hominum arte, siue natura constitutum, quatuor genera piscium intra quatuor angulos procreabat: nec in aliqua partium pisces alterius partis reperiebantur. Adiecit etiam aliud stagnum in partibus Guallíarum prope Sabrinam esse, quod Pagenses Linligvvan appellant: quod cum mare in ipsum fluctuat, in modum voraginis recipitur, sorbendoque fluctus nullatenus repletur, vt riparum marginem operiat. At dum mare decrescit, instar montis eructat absorptas aquas, quibus demnm ripas tegit & aspergit. Interim si gens totius patriæ illius facie versa prope astaret, recepta intra vestes vndarum aspergine, vel vix vel nunquam elabi valeret, quin a stagno voraretur. Tergo autem verso, non est irroratio timenda, etiam si in ripis astaret.

CAPVT VIII.

Data venia Scotorum populo, petiuit rex Eboracum, instantis natalis domini festum celebraturus. Cumque vrbem intrasset, visa sacrarum ecclesiarum desolatione, condoluit. Expulso namque beato Sanxone Archiepiscopo, cunctisque sanctæ religionis viris, templa semiusta ab officio dei cessabant. Tanta & enim Paganorum insania præualuerat. Exin conuocato clero & populo Pyramum capellanum suum Metropolitanæ sedi destinauit. Ecclesias vsque ad solum destructas renouat: atque religiosis cœtibus virorum ac mulierum exornat. Proceres autem inquietudine Saxonum expulsos, patriis honoribus restituit.

CAPVT IX.

Erant ibi tres fratres regali prosapia orti, Lot videlicet atque Vrianus, necnon & Augusclus: qui antequam Saxones præualuissent, principatum illarum partium habuerant. Hos igitur vt ceteros paterno iure donare volens, reddidit Augusclo regiam potestatem Scotorum: fratremque eius Vrianum sceptro Murefensium insigniuit: Lot autem qui tempore Aurelij Ambrosij sororem ipsius duxerat: ex qua VValgannum & Modedrium genuerat: ad consulatum Londonesiæ ceterarumque comprouinciarum, quæ ad eum pertinebant, reduxit. Denique cum totius patriæ statum in pristinam dignitatem reduxisset, duxit vxorem Guanhumaram ex nobili genere Romanorum editam: quæ in thalamo Cadoris ducis educata, totius insulæ mulieres pulcritudine superabat.

CAPVT X.

Adueniente deinde sequenti æstate, parauit classem suam, adiuitque Hiberniæ insulam, quam sibi subdere desiderabat. Applicanti autem ipsi, prædictus rex Guillamurius cum innumerabili gente obuiam venit, cõtra illum dimicaturus. Cumque prælium incepisset, confestim gens eius nuda & inermis, mire lacerata confugit quo ei locus refugij patebat. Nec mora, captus est etiam Guillamurius & ad deditionem coactus. Vnde ceteri principes patriæ stupefacti, exemplo regis deditionem fecerunt. Subiugatis itaque totius Hiberniæ partibus, classem suam direxit in Islandiam, eamque debellato populo subiugauit. Exin diuulgato per ceteras insulas rumore, quod ei nulla prouincia resistere poterat, Doldauius rex Godlandiæ, & Gunfasius rex Orcadum vltro venerunt: promissoque vectigali subiectionem fecerunt. Emensa deinde hyeme, reuersus est in Britanniam, statumque regni in firmam pacem renouans, moram duodecim annis ibidem fecit.

CAPVT XI.

TVNC inuitatis probissimis quibusque ex longe positis regnis, cœpit familiam suam augmētare; tantamque vrbanitatem in domo sua habere, vt æmulationem longe manentibus populis ingereret. Vnde nobilissimus quisque incitatus, nihili pendebat se, nisi sese siue in induendo, siue in arma ferendo, ad modum militum Arturi haberet. Denique fama largitatis atque probitatis illius per extremos mundi cardines diuulgata, reges transmarinorum regnorum nimius inuadebat timor, ne inquietatione eius oppressi, nationes sibi subditas amitterent. Mordacibus ergo curis anxiati, vrbes atque vrbium turres renouabant: oppida in congruis locis ædificabant: vt si impetus Arturum in illos duceret, refugium, si opus esset, haberent. Cumque id Arturo notificatum esset, extollens se quia cunctis timori erat, totam Europam sibi subdere affectat. Paratis deinde nauigiis Norvvegiam prius adiuit, vt illius diademate Lot sororium suum insigniret. Erat autem Lot nepos Sichelini regis Norvvegensium, qui ea tempestate defunctus, regnum suum eidem destinauerat. At Norvvegenses indignati illum recipere, erexerant iam quendam Riculfum in regiam potestatem, munitisque vrbibus, Arturo se posse resistere existimabant. Erat tunc VValuanus filius prædicti Lot duodecim annorum iuuenis, obsequio Suplicij Papæ ab auunculo traditus: a quo arma recepit. Vt ergo Arturus (sicut dicere incœperam) in Norvvegense littus applicuit: obuiauit ei rex Riculfus cum vniuerso patriæ populo, præliumque commisit: & cum multum cruoris in vtraque parte diffusum esset, præualuerunt tandem Britones: factoque impetu Riculfum cum multis peremerunt. Victoria igitur potiti, ciuitates accumulata flamma inuaserunt: dispersisque pagensibus, sæuitiæ indulgere non cessauerunt, donec totam Norvvegiam, necnon & Daciam, dominio Arturi submiserunt. Quibus subactis, cum Lot in regem Norvvegiæ promouisset, nauigauit Arturus ad Gallias, factisque turmis patriam vndique vastare incœpit. Erat tunc prouincia Gallia Romę Flolloni tribuno commissa, qui eam sub Leone Imperatore regebat. Qui cum Arturi aduentum comperisset, collegit omnem armatum militem qui potestati suæ parebat, & cum Arturo præliatus est, sed minime resistere quiuit. Nam Arturum iuuentus insularum omnium quas subiugauerat, comitabatur. Vnde tantum perhibebatur habere exercitum, quantum erat difficile ab vllo posse superari. Famulabatur quoque ei melior pars Gallicanæ militiæ, quam sua largitate sibi obnoxiam fecerat. Flollo igitur cum sese in deteriorem prælij partem incidere vidisset, relicto confestim campo Parrhisios cum paucis diffugit. Ibi resociato dilapso populo, muniuit vrbem: & iterum affectauit cum Arturo dimicare. At dum exercitum suum vicinorum auxilio roborare intenderet, ex improuiso venit Arturus, ipsumque intra ciuitatem obsedit. Emenso denique mense, cum Flollo gentem suam fame perire doluisset, mandauit Arturo, vt ipsi soli duellum inirent: & cui victoria proueniret, alterius regnum obtineret. Erat enim ipse staturæ, & audaciæ, & fortitudinis magnæ: quibus vltra modum confisus, ita mandauerat, vt hoc modo salutis aditum haberet. Quod cum Arturo nunciatum esset, placuit ei vehementer Flollonis affectus. Renuntiauitque sese paratum fore prædictam conuentionem tenere. Dato igitur ab vtraque parte fœdere, conueniunt vterque in insulam quæ erat extra ciuitatem, populo expectante quid de eis futurum erat. Ambo erant decenter armati: super equos etiam miræ velocitatis sedentes: nec erat promptum dinoscere vtri triumphus proueniret. Vt itaque erectis lanceis in aduersis partibus steterunt, confestim subdentes equis calcaria, sese maximis ictibus percusserunt. At Arturus gestans cautius lanceam, Flollonem in summitate pectoris infixit, eiusque telo vitato, quantum vigor sinebat, illum in terram prostrauit. Euaginato quoque ense festinabat eum ferire, cum Flollo velocius erectus, prætensa lancea occurrit. illatoque intra pectus equi Arturi letifero vulnere, vtrumque concidere coegit. Britones vt prostratum regem viderunt, timentes eum peremptum esse, vix potuerunt retineri, quin rupto fœdere in Gallos vnanimiter irruerent. At dum metam pacis iam egredi meditarentur, erectus est ocyus Arturus: prætensoque clypeo imminentem sibi Flollonem cito cursu petiuit. Instantes igitur

cominus,

cominus, mutuos ictus ingeminant, alter neci alterius insistens. Denique Flollo inuento aditu, percussit Arturum in frontem, & nisi collisione cassidis mucronem hebetasset, mortiferum vulnus forsitan intulisset. Manante ergo sanguine, cum Arturus loricam & clypeum rubere vidisset, ardentiori ira succensus est, atque erecto totis viribus Caliburno, impressit eum per galeam in caput Flollonis, quod in duas partes dissecuit. Quo vulnere cecidit Flollo, tellurem calcaneis pulsans, & spiritum in auras emisit. Cumque id per exercitum diuulgatum fuisset, concurrerunt ciues, apertisq; valuis ciuitatem Arturo tradiderunt. Qui deinde victoria potitus, diuisit exercitum suum in duas partes, & vnam Hoelo duci commisit: præcepitque illi vt ad expugnandum Guitardum Pictauensium ducem iret: ipse vero cum reliqua parte ceteras prouincias sibi subiugare vacauit. Mox Hoelus Aquitaniam ingressus, vrbes patriæ inuasit, Guitardumque pluribus præliis anxiatum, ad deditionem coegit. Guasconiam quoque ferro & flāma depopulans, principes eiusdem subiugauit. Emēsis iterum nouem annis, cum totius Galliæ partes potestati suæ submisisset, venit iterum Arturus Parisios, tenuitque ibidem curiam: vbi conuocato clero & populo, statum regni pace & lege confirmauit. Tūc largitus est Beduero pincernæ suo Neustriam, quæ nūc Normannia dicitur: Caioque dapifero, Andegauensium prouinciam. Plures quoque alias prouincias nobilibus viris, qui in obsequio suo fuerant. Denique pacificatis quibusque ciuitatibus & populis, incipiente vere in Britanniam est reuersus.

CAPVT XII.

Cvm igitur solennitas Pentecostes aduenire inciperet, post tantum triumphum maxima lætitia fluctuans Arturus, affectauit curiam ilico tenere, regnique diadema capiti suo imponere. Reges etiam & duces sibi subditos ad ipsam festiuitatem conuenire: vbi & illam venerabiliter celebraret, & inter proceres suos firmissimam pacem renouaret. Indicato autem familiaribus suis quod affectauerat: consilium cepit, vt in vrbe Legionum suum exequeretur propositum. In Glamorgantia etenim super Oscam fluuium, non longe a Sabrino mari, amœnissimo situ locata, præ ceteris ciuitatibus diuitiis abundans, tantæ solennitati apta erat. Ex vna namque parte prædictum nobile flumen iuxta eam fluebat, per quod transmarini reges & principes, qui vēturi erant nauigio, aduehi poterant: ex alia vero parte pratis atque nemoribus vallata, regalibus præpollebat palatiis: ita vt aureis tectorum fastigiis Romam imitaretur. Duabus autem eminebat Ecclesiis, quarū vna in honore Iulij martyris erecta, virgineo Deo dicatarum puellarum choro perpulcre ornabatur: altera vero in beati Aaron eiusdem socij nomine fundata, canonicorum cōuentu subnixa, tertiam metropolitanam sedem Britanniæ habebat. Præterea gymnasium ducentorum philosophorum habebat: qui astronomia atque ceteris artibus eruditi, cursus stellarum diligenter obseruabant, & prodigia eo tempore ventura regi Arturo veris argumentis prędicebant. Tot ergo delitiarum copiis præclara, festiuitati edictæ disponitur. Missis deinde in diuersa regna legatis, inuitantur tam ex Galliis quam ex collateralibus insulis Oceani, qui ad curiam venire deberent. Venerūt ergo Augufelus rex Albaniæ, quæ nunc Scotia dicitur, Vrianus rex Murefensium: Caduallo Leuirh rex Venedotorum, qui nunc Nortgualenses dicuntur: Sater rex Demetorum, id est Suthgualensium: Cador rex Cornubiæ: Trium etiam metropolitanarum sedium Archipræsules, Londoniensis videlicet, Eboracensis, nec non ex vrbe Legionū Dubricius. Hic Britanniæ primas & Apostolicæ sedis legatus tanta religione clarebat, vt quemque languore grauatum orationibus suis sanaret. Venerunt nobilium ciuitatum consules, Moruid consul Claudiocestriæ: Mauron Guigornensis: Anaraut Saleberiensis: Arthgal Cargueitēsis, quę VVarguit appellatur: Iugein ex Legecestria: Cursalē ex Kaicestria: Kimmare dux Doroberniæ: Galluc Saleberiensis: Vrgennius ex Badone: Ionathal Dorocestrensis: Boso Ridocensis, id est, Oxonefordiæ. Præter consules venerunt non minoris dignitatis heroes, Danaut, Map papo: Cheneus, Map coil. Peredur, Mab eridur. Guiful, Map nogoit. Rgin, Map claut. Eddelein, Map cledauc. Kincar, Mab bagan. Kimmare. Gorboroniam, Map goit. Clofaut, Rupmaneton. Kimbelim, Map trunat. Cathleus, Mapcatel. Kinlich, Map neton. Plu-

res quoque alij, quorum nomina longum eſt enumerare. Ex collateralibus etiam inſulis, Guillamurius rex Hiberniæ: Maluaſius rex Iſlandiæ: Doldauius rex Godlandiæ: Gunuaſius rex Orcadum: Lot rex Norvvegiæ: Aſchillius rex Dacorum. Ex tranſmarinis quoque partibus, Holdinus rex Rutenorum: Leodegarius conſul Boloniæ: Beduerus pincerna, dux Normāniæ: Borellus Cenomanenſis: Caius dapifer, dux Andegauenſis: Guitardus Pictauenſis: duodecim quoq; Galliarū pares, quos Guerinus Carnotenſis conducebat. Hoelus dux Armoricanorum Britonum cum proceribus ſibi ſubditis, qui tanto apparatu ornamentorum, mularum & equorum incedebant, quantum difficile eſt deſcribere. Præter hos non remanſit princeps alicuius precij citra Hiſpaniam, qui ad iſtud edictum non veniret. Nec mirum: largitas namque Arturi per totum mundum diuulgata, cunctos in amorem illius illexerat.

CAPVT XIII.

Omnibvs denique in vrbe congregatis, ſolennitate inſtante, archipræſules ad palatium ducuntur, vt regem diademate regali coronarent. Dubricius ergo, quoniam in ſua diœceſi curia tenebatur, paratus ad celebrandum obſequium, huius rei curam ſuſcepit. Rege tandem inſignito, ad templum Metropolitanæ ſedis ornate conducitur: a dextro enim & a lęuo latere duo Archipontifices ipſum tenebant. Quatuor autem reges, Albaniæ videlicet atque Cornubiæ, Demetiæ & Venedociæ, quorum illud ius fuerat, quatuor aureos gladios ferentes ante ipſum, præibant. Conuentus quoque multimodorum ordinatorum, miris modulationibus præcinebat. Ex alia autem parte reginam ſuis inſignibus laureatam Archiprę ſules atque Pontifices ad templum Deo dicatarum puellarum conducebant. Quatuor quoque prædictorum regum reginæ, quatuor albas columbas de more præferebant. Mulieres autē quæ aderant, illam cum maximo gaudio ſequebātur. Poſtremo peracta proceſſione, tot organa, tot cantus fiūt in vtriſque templis, ita vt præ nimia dulcedine milites qui aderāt neſcirent quod templorum prius peterent. Cateruatim ergo nunc ad hoc, nunc ad illud ruebant: nec ſi totus dies celebrationi deditus eſſet, tędium aliquod ipſis generaret. Diuinis tādem obſequiis in vtroque celebratis, rex & regina diademata ſua deponunt: aſſumptiſq; leuioribus ornamentis, ille ad ſuum palatium cum viris: hæc ad aliud cum mulieribus epulatum incedunt. Antiquam namque conſuetudinem Troiæ ſeruantes Britones, conſueuerant mares cum maribus, mulieres cum mulieribus feſtiuos dies ſeparatim celebrare. Collocatis poſtmodum cunctis, vt ſingulorum dignitas expetebat, Caius dapifer Herminio ornatus, mille vero nobiliſſimis iuuenibus comitatus eſt: qui omnes Herminio induti, fercula cum ipſo miniſtrabant. Ex alia vero parte, Beduerum pincernam totidem vario amicti ſequuntur: qui in ſcyphis diuerſorum generum, multimoda pocula cum ipſo diſtribuebant. In palatio quoque reginæ innumerabiles miniſtri diuerſis ornamentis induti, obſequiū ſuum præſtabant, morem ſuum exercentes: quem ſi omnino deſcribere pergerem: nimiam hiſtoriæ prolixitatem generarem. Ad tantum etenim ſtatum dignitatis Britannia tunc prouecta erat, quod copia diuitiarum, luxu ornamentorum, facetia incolarum, cetera regna excellebat. Quicumque ergo famoſus probitate miles in eadem erat, vnius coloris veſtibus atque armis vtebatur. Facetæ etiam mulieres conſimilia indumenta habentes, nullius amorem habere dignabantur, niſi tertio in militia approbatus eſſet. Efficiebantur ergo caſtæ mulieres, & milites amore illarum meliores.

CAPVT XIIII.

Refecti tandem epulis, diuerſi diuerſos ludos compoſituri campos extra ciuitatem adeunt. Mox milites ſimulacrum prælij ciendo, equeſtrem ludum componunt: mulieres in edito murorum aſpicientes, in curiales amoris flammas amore ioci irritāt. Alij telis, alij haſta, alij ponderoſorum lapidum iactu, alij ſaxis, alij aleis, ceterorumque iocorum diuerſitate contendentes, quod diei reſtabat, poſtpoſita lite, prætereunt. Quicunque vero ludi ſui victoriā adeptus erat, ab Arturo largis muneribus ditabatur. Conſumptis ergo primis in hunc modum tribus diebus, inſtante quarto vocantur cuncti,

qui

qui ipſi propter honores obſequium præſtabant,& ſinguli ſingulis poſſeſſionibus,ciuitatibus videlicet atq; caſt[ell]is,Archiepiſcopatibus,Epiſcopatibus,Abbatiis,ceteriſque honoribus donantur.

CAPVT XV.

Beatvs igitur Dubricius in eremiticam vitam anhelans, ſeſe ab Archiepiſcopali ſede depoſuit: in cuius locum ſacratur Dauid regis auunculus, cuius vita exemplum totius bonitatis erat,his quos doctrina imbuerat.In loco vero ſancti Samſonis Dolenſis Archipræſulis, deſtinatur Chelianus illuſtris Preſbyter Landauiæ, annuente Hoelo rege Armoricorum Britonum:cuius vita & boni mores virum commēdauerant. Epiſcopatus vero Silceſtriæ Mauganio: & Guintoniæ Divvanio decernitur: decernitur quoque pontificalis infula Alclud Eledanio. Dum hæc inter eos diſtribueret:ecce duodecim viri maturæ ætatis,reuerendi vultus, ramos oliuæ,in ſignum legationis,in dextris ferentes,moderatis vocibus & paſſibus ad regem ingrediūtur:&eo ſalutato, literas ipſi ex parte Lucij Tyberij in hæc verba obtulerunt:

Lvcivs Reipublicæ procurator, Arturo regi Britanniæ quod meruit. Admirans vehementer admiror ſuper tuæ tyrannidis proteruia. Admiror,inquam,& iniuriam quam Romæ intuliſti. Recolligens indignor quod extra te egreſſus, eam cognoſcere diffugias: nec animaduertere feſtines, quid ſit iniuſtis actibus ſenatum offendiſſe,cui totum orbem famulatum debere non ignoras. Etenim tributum Britanniæ quod Senatus tibi præceperat:quia Caius Iulius, ceterique Romanæ dignitatis viri illud multis tēporibus habuerunt: neglecto tanti ordinis imperio detinere præſumpſiſti: Eripuiſti Allobrogum prouinciam:eripuiſti omnes Oceani inſulas: quarū reges, dum Romana poteſtas in illis partibus præualuit, vectigal maioribus noſtris reddiderunt. Quia ergo de tantis iniuriarum tuarum cumulis ſenatus rectitudinem petere decreuit, mediantem Auguſtum proximi anni terminum præfigens,Romam te venire iubeo:vt dominis tuis ſatisfaciens,ſententiæ quam eorum dictauit iuſtitia, acquieſcas. Sin autem,ego ipſe partes tuas adibo,& quicquid veſania tua Reipublicæ eripuit, eidem mediantibus gladiis reſtituere conabor. Quæ vt in præſentia regum & conſulum recitatæ fuerunt:ſeceſſit Arturus cum eis in giganteam turrim, quæ in introitu erat, tractaturus quæ contra talia mandata diſponi deberent. At dum gradus aſcendere incepiſſent,Cador dux Cornubiæ,vt erat læti animi, in hunc ſermonem cum riſu coram rege ſolutus eſt: Hucuſque in timore fueram, ne Britones longa pace quietos,ocium quod ducunt ignauos faceret:famamque militiæ,qua ceteris gentibus clariores cenſentur,in eis omnino deleret. Quippe vbi vſus armorum videtur abeſſe: alearum vero & mulierum inflammationes,ceteraq; oblectamenta adeſſe:dubitandum non eſt,quin id quod erat virtutis,quod honoris,quod audaciæ,quod famæ,ignauia commaculet. Fere nāque tranſacti ſunt quinque anni,ex quo prædictis delitiis dediti exercitio Martis caruimus. Deus igitur vt nos ſegnitia liberaret, Romanos in hunc affectum induxit,vt in priſtinum ſtatum noſtram probitatem reducerent. Hæc & his ſimilia illo cum ceteris dicente,venerunt tandem ad ſedilia, vbi collocatis ſingulis, Arturus illos in hunc modum affatus eſt.

CAPVT XVI.

Consocii (inquit)aduerſitatis & proſperitatis, quorum probitates hactenus & in dandis conſiliis,& in militiis agendis expertus ſum: adhibete nunc vnanimiter ſenſus veſtros,& ſapienter prouidete quæ ſuper talibus mandatis nobis eſſe agenda noueritis.Quicquid enim a ſapiente diligenter præuidetur,cum ad actum accedit, facilius toleratur. Facilius ergo inquietationem Lucij tolerare poterimus, ſi communi ſtudio premeditati fuerimus,quibus modis eam debilitare inſtemus.Quā non multum nobis timēdam eſſe exiſtimo:cum ex irrationabili cauſa exigat tributum, quod ex Britannia habere deſiderat. Dicit enim ipſum ſibi dari debere,quia Iulio Cæſari ceteriſque ſucceſſoribus ſuis redditum fuerit: qui diſſidio veterum Britonum inuitati cum armata manu in Britanniam applicuerunt: atque patriam domeſticis motibus vacillantem

suæ potestati vi & violentia submiserunt. Quia vero hoc modo eam adepti fuerunt, vectigal ex ea iniuste ceperunt. Nihil enim quod vi & violẽtia acquiritur, iuste ab vllo possidetur qui violentiam intulit. Irrationabilem ergo causam pretendit, quia nos iure sibi tributarios esse arbitratur. Quoniam autem id quod iniustum est, a nobis præsumit exigere: consimili ratione petamus ab illo tributum Romę: & qui fortior superuenerit, ferat quod habere exoptauit. Nam si quia Iulius Cæsar ceterique Romani reges Britanniam olim subiugauerunt, vectigal nunc debere sibi ex illa reddi decernit: Similiter nũc ego censeo, quod Roma mihi tributum reddere debet, quia antecessores mei eam antiquitus obtinuerunt. Belinus etenim serenissimus ille Britonum rex, vsus auxilio fratris sui, Brenni videlicet ducis Allobrogum, suspensis in medio foro viginti nobilioribus Romanis, vrbem ceperunt, captamque multis temporibus possederunt. Constantinus etiam Helenæ filius, nec non & Maximianus, vterque mihi cognatione propinquus, alter post alterum diademate Britanniæ insignitus, thronum Romani Imperij adeptus est. Censetisne ergo vectigal a Romanis petendum? De Gallia autem, siue de collateralibus insulis Oceani, non est respondendum: cum illas diffugeret defendere, quando easdem potestati eorum subtrahebamus. Hæc & his similia eo dicente, Hoelus rex Armoricorum Britonum, ceteros pręcedere exorsus, in hęc verba respõdit:

CAPVT XVII.

LICET vnusquisq; vestrũ totus in se reuersus, omnia & de omnibus animo tractare valeret, non existimo eũ præstantius consiliũ posse inuenire, quã istud quod modo discretio solertis prudentiæ tuæ recoluit. Prouide etenim prouidit nobis tua deliberatio Tulliano liquore lita. Vnde cõstantis viri affcctũ: sapientis animi effectũ: optimi cõsilij profectum laudare indesinenter debemus. Nam si iuxta prędictam rationem Romam adire volueris, non dubito quin triumpho potiamur: dũ libertatem nostram tueamur: dum iuste ab inimicis nostris exigamus, quod a nobis iniuste petere incœperunt. Quicunque enim sua alteri eripere conatur, merito quæ sua sunt, per eum quem impetit, amittit. Quia ergo Romani nostra nobis demere affectant: sua illis procul dubio auferemus, si licentia nobis congrediendi præstabitur. En congressus cunctis Britonibus desiderandus: En vaticinia Sibyllæ, quæ veris auguriis testantur, ex Britannico genere tertio nasciturum, qui Romanum obtinebit imperium. De duobus autẽ adimpleta sunt oracula: cum manifestum sit, præclaros (vt dixisti) principes Belinum atque Constantinum imperij Romani gessisse imperia. Nunc vero te tertium habemus, cui tãtum culmen honoris promittitur. Festina ergo recipere, quod Deus non differt largiri: Festina subiugare, quod vltro vult subiugari: Festina nos omnes exaltare, qui vt exalteris, nec vulnera recipere, nec vitam amittere diffugimus. vt autem hoc perficias, decem milibus armatorum præsentiam tuam comitabor.

CAPVT XVIII.

AVGVSELVS etiam rex Albaniæ, vt Hoelus finem dicendi fecerat, quod super hac re affectabat, in hunc modum manifestare perrexit. Ex quo dominum meum ea quæ dixit affectare conieci: tanta lætitia animo meo illapsa est, quantam nequeo in præsentia exprimere. Nihil enim in transactis debellationibus, quas tot & tantis regibus intulimus, egisse videmur, si Romani & Germani illęsi permaneant, nec in illos clades, quas olim nostratibus ingesserunt, viriliter vindicemus. At nunc quoniam nobis licentia congrediendi permittitur, gaudens admodum gaudeo, & desiderio diei quo conueniemus æstuans, sitio cruorem illorum, quemadmodum fontem, si triduo prohiberer ne biberem. O si illam lucem videbo, quam dulcia erunt vulnera, quæ vel recipiam vel inferam, quando dextras conferemus? Ipsa etiam mors dulcis erit, dum eam in vindicando patres nostros, in tuendo libertatem nostram, in exaltando regem nostrum perpessus fuero. Aggrediamur ergo semiuiros illos, & aggrediendo perstemus, vt deuictis ipsis, eorum honoribus cum læta potiamur victoria. Exercitum autem nostrum duobus milibus armatorum equitum, exceptis peditibus augebo.

CAPVT XIX.

POSTQVAM etiam ceteri ad hæc quæ dicenda erant, dixerunt: promiserunt ei singuli quod in obsequium eius debebant: ita vt prȩter eos quos promiserat dux Armoricæ, ex sola insula Britanniæ sexaginta milia omnibus armis armatorum computarẽtur. At reges ceterarum insularum, quoniam non duxerant in morem equites habere; pedites quot quisq; debebat, promittunt: ita vt ex sex insulis, videlicet Hiberniæ, Islandiæ, Godlandiæ, Orcadum, Norvvegiæ, atque Daciæ, sexies viginti milia essent annumerata. Ex Galliarum autem ducatibus, Rutenorum, Portuniensium, Estrusiensium, Cenomannorum, Andegauensium, Pictauensium, octoginta milia. Ex duodecim autem consulatibus eorum qui cum Guerino Carnotensi aderant, duodecies centum. Qui omnes simul erant, centum octoginta & tria milia & ducenti, præter pedites, qui sub numero leuiter non cadebant.

CAPVT XX.

REX igitur Arturus videns omnes in obsequium suum vnanimiter paratos, præcepit eis celeriter repatriare, & exercitum promissum disponere, & in Kalendis Augusti ad portum Barbæ fluuij festinare, vt illinc Allobrogum fines cum ipso adituri Romanis obuiam venirent. Imperatoribus autem per eorundem legatos mandauit, se nequaquam eis redditurum tributum, nec ob illud vt sententiæ eorum acquiesceret, Romam aditurum: immo vt ex illis expeteret, quod ab illo iudicio suo expetere decreuerant. Digrediuntur ergo legati: digrediuntur reges: digrediuntur proceres: & quod eis præceptum fuerat, perficere non differunt.

LIBER DECIMVS.

CAPVT PRIMVM.

LVCIVS ergo Tiberius, agnito huius responsi edicto, iussu senatus Orientalibus edixit regibus; vt parato exercitu secum ad subiugandam Britanniam venirent. Conuenerunt ocyus, Epistrophius rex Græcorum: Mustensar rex Africanorum: Alifantinam rex Hispaniæ: Hirtacius rex Parthorum: Boccus Medorum: Sertorius Libyæ: Teucer rex Phrygiæ: Serses rex Itureorum: Pandrasus rex Ægypti: Micipsa rex Babyloniæ: Polytetes dux Bithyniȩ: Teucer dux Phrygiæ: Euander Syriæ: Aethion Bœotiæ: Hippolytus Cretæ, cum ducibus & proceribus sibi subditis. Ex senatorio quoque ordine Lucius Catellus: Marius Lepidus: Caius Metellus Cotta: Quintus Miluius Catulus: Quintus Carutius: tot etiam alij quod inter totum quadraginta milia, & centum & sexaginta computati fuerunt.

CAPVT II.

DISPOSITIS itaque quibusque necessariis, incipientibus Kalendis Augusti iter versus Britanniam arripiunt. Comperto igitur aduentu ipsorũ Arturus, Modredo nepoti suo ad conseruandum Britanniam, atq; Ganhumaræ reginȩ cõmittens, cum exercitu suo portum Hamonis adiuit, vbi tempestiuo ventorum afflatu mare ingressus est. Dum autem innumeris nauibus circũseptus, prospero cursu & cum gaudio altũ secaret, quasi media hora noctis instante, grauissimus somnus eum intercepit. Sopitus etenim per somnum vidit vrsum quendam in aere volantem, cuius murmure tota littora intremebant. Terribilem quoq; dracon ẽ ab occidente aduolare, qui splẽdore oculorũ suorũ patriã illuminabat. Alterũ vero alteri occurrentẽ miram pugnam cõmittere.

Sed præfatum draconem, vrsum sæpius irruentem, ignito anhelitu comburere, combustumq; in terram prosternere. Expergefactus ergo Arturus astantibus quod somniauerat indicauit. qui exponentes dicebant, draconem significare ipsum: vrsum veró aliquem gigantem, qui cum ipso congrederetur: pugnam autem eorum portendere bellum quod inter ipsos futurum erat: victoriam autem draconis, illam quæ ipsi proueniret. At Arturus aliud cöiectabat, existimans ob se & imperatorem, talem visionem contigisse. Rubente tandem post cursum noctis aurora, in portum Barbæ fluuij applicuerunt. Mox tentoria sua figentes, expectauerunt ibidem insulanos reges, & comprouincialium prouinciarum duces venturos.

CAPVT III.

INTEREA nunciatur Arturo, quendam miræ magnitudinis gigantem ex partibus Hispaniarum aduenisse, & Helenam neptem ducis Hoeli custodibus eiusdem eripuisse, & in cacumen montis, qui nunc Michaelis dicitur, cum illa diffugisse: milites vero patriæ insequutos, nihil aduersus eum profecisse: nam siue mari siue terra illum inuadebãt, aut eorum naues ingentibus saxis obruebat, aut diuersorum generum telis interimebat: sed & plures capiebat quos semiuiuos deuorabat. Nocte ergo sequenti in secunda hora, assumpto Caio dapifero & Beduero pincerna, clam ceteris tẽtoria egressus, viam montem versus arripuit. Tanta namque virtute præualendo, negligebat contra talia monstra exercitum ducere: cum & ipsos hoc modo animaret, & solus ad illa destruenda sufficeret. Vt igitur prope montem venerunt, aspexerunt quendam rogum super eum ardentem: alium vero super minorem qui non longe ab altero distabat. Dubitantes ilico, super quem eorum habitaret gigas; Beduerum dirigunt vt rei certitudinem exploret. At ille inuenta quadam nauicula, prius ad minorem nauigauit. quem aliter nequibat adire, quoniam intra mare situs erat. Cuius cum cacumen incepisset ascendere, audito desuper fœmineo vlulatu, primo inhorruit: quia dubitabat monstrum illud adesse. Reuocata ocyus audacia, gladium euaginauit, & ascenso culmine nihil aliud reperit præter rogum quem prospexerat. Inspexit quoque tumulum recenter factum, & iuxta eum, quandam anum flentem, & eiulantem. quæ vt eum conspexit, confestim fletu impediente, in hunc modum est profata: O infelix homo, quod infortunium te in hunc locum subuectat! O inenarrabiles mortis pœnas passure: miseret me tui: miseret, quia tam detestabile monstrum florem iuuentutis tuæ in hac nocte consumet. Aderit namque sceleratissimus ille inuisi nominis gigas qui neptem ducis, quam modo hic intumulaui, & me altricem illius, in hunc montem aduexit: qui inaudito mortis genere te absque cunctamine afficiet. Proh tristia fata! serenissima alumna, recepto intra tenerrimum pectus timore, dum eam nefandus ille amplecteretur, vitam diuturnioremq; lucem finiuit. Vt igitur illam, quæ erat mihi alter spiritus, altera vita, altera dulcedo iocunditatis, fœdo coitu suo deturpare nequiuit, detestanda venere succensus, mihi inuitæ (Deum & senectutem meam testor) vim & violẽtiam ingessit. Fuge dilecte mi, fuge: ne si more suo mecum coiturus aduenerit, te hoc modo repertũ miserabili cæde dilaniet. At ille, quantum humanæ naturæ possibile est, commotus, eam amicis sedauit verbis, & promisso festinantis auxilij solamine, ad Arturum reuersus est, & omnia quæ inuenerat indicauit. Arturus autem casum ingemiscẽs puellæ, præcepit eis vt sibi soli illum inuadere permitterent: sed si necessitas accideret, in auxilium procedentes, viriliter aggrederentur. Direxerunt inde iter ad maiorem montem, & equos suos armigeris commiserunt, & cum Arturo præcedente ascenderunt. Aderat autem inhumanus ille ad ignem, illitus ora tabo semesorum porcorum, quos partim deuorauerat, partim vero verubus infixos suppositis prunis torrebat. Mox vt illos, nihil tale præmeditatus, aspexit, festinauit clauam suam sumere, quam duo iuuenes vix a terra erigerent. Euaginauit ergo rex gladium suum, & prætenso clypeo, quantum velocitas sinebat, properabat eum præpedire, antequam clauam cepisset. At ille non ignarus meditationis, iam ceperat eam, regemque interposito clypeo tanto percussit conamine, quod sonitu ictus & tota littora repleuit, & aures eiusdem vltra modum hebetauit. Arturus vero acri ignescens ira, erecto in frontem

ipſius enſe, vulnus intulit, tametſi non mortale, vnde tamen ſanguis in faciem & oculos eius profluens, eiuſdem excæcauit aciem. Interpoſuerat namq; clauam ictui, & frõtem ſuam a letali vulnere muniuerat. Excæcatus autem profluente ſanguine, acrior inſurgit, & velut aper per venabulum in venatorẽ, ita irruit per gladium in regem, & cõplectendo eum per medium, coegit eum genua humi flectere. Arturus itaq; reuocata virtute, ocyus elabitur: & celeriter nũc hinc nunc illinc nefandũ gladio diuerberat: nec requieuit, donec letali vulnere illato totũ mucronẽ capiti impreſſit, qua cerebrũ teſta protegebatur. Exclamauit vero inuiſus ille, & velut quercus ventorũ viribus eradicata, cum maximo ſonitu corruit. Rex ilico in riſum ſolutus, præcepit Beduero amputare ei caput, & dare vni armigerorum ad deferendum ad caſtra: vt ſpectaculum intuẽtibus fieret. Præcepit intuentibus fieri ſilentiũ: dicebat autẽ ſe non inueniſſe alium tantæ virtutis, poſtquam Rithonem gigantem in Arauio monte interfecit, qui eum ad prælium inuitauerat. Hic namq; ex barbis regũ quos peremerat, fecerat ſibi pelles, & mandauerat Arturo vt barbam ſuam diligenter excoriaret, atque excoriatam ſibi dirigeret: & quemadmodum ipſe ceteris præerat regibus, ita quoque in honorem eius ceteris barbis ipſam ſuperponeret. Sin autem prouocabat cũ ad prælium: & qui fortior ſuperueniſſet, pelles & barbam deuicti tuliſſet. Inito itaq; certamine, triumphauit Arturus, & barbam alterius cepit & ſpolium, & poſtea nulli fortiori iſto obuiauerat, vt ſuperius aſſerebat. Victoria igitur (vt prædictum eſt) potitus, in ſecundo noctis diluculo ad tentoria ſua cum capite remeauerunt: ad quod admirandum cateruatim concurrebant, ei aſcribentes laudes, qui patriam a tanta ingluuie liberauerat. At Hoelus ob caſum ſuæ neptis triſtis, præcepit ædificare baſilicam ſuper corpus ipſius in mõte quo iacebat, qui nomen ex tumulo puellæ nactus, Tumba Helenæ, vſque in hodiernum diem, vocatur.

CAPVT IIII.

Congregatis tandem cunctis quos expectauerat Arturus, illinc Auguſtodunum progreditur, vbi imperatorem eſſe exiſtimabat. Vt autem ad Albam fluuium venit, annunciatum eſt ei, illum caſtra ſua non longe poſuiſſe, & tanto incedere exercitu, quanto (vt aiebant) reſiſtere nequiret. Nec idcirco perterritus cœptis ſuis deſiſtere voluit, ſed ſuper ripam fluminis caſtra ſua metatus eſt, vnde poſſet exercitum ſuum libere conducere: & ſi opus eſſet, ſeſe intra ea recipere. Duos autem conſules, Boſonem Deuadoboum & Guerinum Carnotenſem: VValganium etiam nepotem ſuum Lucio Tiberio direxit, vt ſuggererent ei quatenus recederet e finibus Galliæ, aut in poſtero die ad experiendum veniret, vter eorum maius ius in Galliam haberet. Iuuentus ergo curiæ maximo gaudio fluctuans, cœpit inſtimulare VValganium, vt intra caſtra imperatoris inciperet, quo occaſionem haberent congrediendi cum Romanis. Perrexerunt illi ad Lucium, & præceperunt illi a Gallia recedere, aut in poſtero die ad pugnandum venire. At dum reſponderet eis, quod non deberet recedere: immo ad regendum illam accedere: interfuit Caius Quintilianus eiuſdem nepos, qui dicebat, Britones magis iactantia atque minis abundare, quam audacia & probitate valere. Iratus ilico VValganius, ſtricto enſe, quo accinctus erat, irruit in eum, & eiuſdem capite amputato, ad equos cum ſociis digreditur. Inſequuntur Romani partim pede, partim equis, vt conciuẽ ſuum in legatos omni niſu diffugientes vindicarẽt. At Guerinus Carnotenſis, dum quidam eorum ipſum attingere inciperet, ex improniſo reuerſus direxit lanceã ſuam, atq; ipſum per arma & per mediũ corpus perforatum humi, quantum potuit, proſtrauit. Inuidit ergo Boſo Deuadoboum, quoniam tãtam probitatem feciſſet Carnotenſis: & retorquens equũ ſuum, qui primo obuiauit, ingeſſit illi lanceã intra gulam, & letaliter vulneratum coegit caballũ deſerere, quo eum inſequebatur. Interea Marcellus Mutius maximo affectu volens Quintilianũ vindicare, VValganio iam imminebat a tergo, atque cœperat retinere: cum ipſe reuerſus continuo galeam cum ipſo capite vſque ad pectus gladio quem tenebat abſcidit. Præcepit etiam ei VValganius, quem intra caſtra trucidauerat, in infernũ renunciare, Britones minis & iactantia hoc modo abundare. Sociis deinde reſociatis, hortatur vt pari impetu reuerſi, quiſque ſuũ proſternere laboraret. Acquieſcentes ergo ei, reuertuntur: & quiſq; vnũ proſternit.

At Romani vſque inſequentes, quādoque lanceis, quandoq; gladiis percutiebant eos: ſed hec retinere nec proſternere valebant. Dū autem prope quandam ſiluam (vt dictum eſt) inſequerentur: confeſtim congrediuntur ex illa circiter ſex milia Britonum, qui fuga conſulum cōperta, intra eam delituerant, vt eis auxiliū ſubuectarent. Egreſſi autem ſuffixere calcaria equis ſuis; & aera clamore cōplentes, & clypeos pectoribus prętendētes, Romanos ex improuiſo inuadunt: & confeſtim in fugam propellunt. Sed & vnanimiter inſequentes, quoſdam eorum ab equis ſuis cum lanceis ſeiungunt: quoſdam autem retinent: quoſdam interficiunt. Quod cum Petreio ſenatori nūciatum eſt, decem milibus comitatus, ſubuenire ſociis ſuis feſtinauit: coegitque Britones ad ſiluam ex qua egreſſi fuerant recurrere, nec ſine detrimento ſuorum. diffugiēdo etenim Britones reuertebantur inſtructi locis, atque inſequētibus ſtragem ingerebant maximam. Quibus hoc modo cedentibus, Hiderus cum quinq; milibus accelerabat, vt eiſdem ſubueniret. Reſiſtunt ergo ipſi, & quibus terga paulo ante dederant, nunc pectora opponentes, validos ictus viriliter inferre elaborant. Reſiſtūt etiam Romani, & quandoq; eos proſternunt: quandoq; vero ab illis proſternuntur. At Britones toto affectu deſiderabant militiam: ſed nec multum curabāt in quem euentum inciderent, dum eam incipiebāt. Romani autem ſapientius agebant, quos Petreius Cotta, more boni ducis, nunc ad inuadendum, nunc ad diffugiendum, ſapienter edocebat: & ita maximum damnum ceteris impendebat. Quod cum Boſoni compertum eſſet, plures eorum quos audaciores nouerat, ſeiunxit a ceteris, & hoc modo affatus eſt: Quoniā neſciente Arturo iſtud prçlium incepimus, cauendum nobis eſt, ne in peiorem partem incepti noſtri decidamus. Nam ſi in illam deciderimus, & maximum damnum militum noſtrorum incurremus, & regem noſtrum ad execrandum nos commouebimus. Reſumite audaciam: & ſequimini me per cateruas Romanorum: vt ſi fortuna fauerit, Petreium interficiamus ſiue capiamus. Subduxerunt itaque calcaria equis ſuis, & cuneos hoſtium pari impetu penetrantes, ad locum quo Petreius ſocios ſuos commonebat, venerunt. In quem ocyus Boſo irruens, eundem per collum amplectitur, & ſicut præmeditatus fuerat, cum illo in terram corruit. Concurrunt ergo Romani, vt eum hoſtibus eripiant: concurrerunt autem Britones, vt Boſoni auxilientur. Fit itaque inter eos maxima cædes: fit clamor: fit turbatio: dum hi ducem ſuum liberare, illi eum retinere conantur. Inuicem ergo vulnerabant & vulnerabantur: proſternebant & proſternebantur. Illic itaque videri poterat quis haſta, quis gladio, quis telo præualeret. Denique Britones denſata caterua incedentes, impetumque Romanorum ferentes, ſeſe intra fortitudinem prçlij ſui cum Petreio recipiunt. Sed confeſtim impetum fecerunt in illos, iam rectore ſuo orbatos, iam in maiori parte debilitatos, iam etiam dilapſos, atque terga eiſdem oſtendentes. Incumbentes igitur, ipſos a tergo cæduūt: cæſos proſternūt: proſtratos diſpoliant: diſpoliatos prætereunt, vt ceteros inſequantur. Sed & plures capiunt, quos regi præſentare affectant. Poſtremo poſtquam ſatis periculi ipſis ingeſſerunt, remeauerunt cum ſpoliis & captiuis ad caſtra, & indicantes quod ſibi cōtigerat, Petreium Cottam, & ceteros captiuos Arturo cum victoriæ lætitia obtulerunt. Quibus ille cōgratulans, & honores, & honorum augmentationes promiſit: quoniam eo abſente tantam probitatem egerāt. Captiuos autem in carcerem trudere volens, ad ſe vocauit quoſdā qui eos in craſtinum Parrhiſios ducerent, & cuſtodibus opidi ſeruandos traderent, donec ex illis aliud fieri præcepiſſet. Iuſſit etiam Cadorem ducem, Beduerumque pincernam, nec non & duos conſules Borellum & Richerium cum famulis ſuis ipſos conducere, donec venirent eo, quo minime diſturbationem Romanorum timuiſſent.

CAPVT V.

At Romani forte comperientes iſtum apparatum, imperatore iubente, elegerunt quindecim milia ſuorum, qui nocte illa iter eorū præcederent: atque cum ipſis cōgreſſuri ſuorū liberationi inſtarent. Ipſis quoq; præfecerunt Vulteium Catellum & Quintū Carutium ſenatores: Euandrū etiam regem Syriæ, & Sertoriū Libyæ regem: qui nocte illa cū prædictis milibus iuſſum iter arripuerūt, & latibulis conuenientē locum adepti delituerunt, per quē ipſos ituros arbitrabātur. Mane autē facto Britones viā ineunt cum

cum captiuis: & iam prope locum incedũt, nescij quos dolos versuti hostes instituerãt. Cum vero penetrare incepissent: egressi ex improuiso Romani, ipsos nihil tale præmeditatos occupauerunt, & penetrauerunt. At illi quamuis tam ex improuiso occupati fuissent: tandem tamen resociati, viriliter resistunt, & quosdam circa captiuos statuunt: quosdam autem per cateruas distribuunt, qui cum hostibus congrediantur. Agmini autem illi quod ad conseruandos statuerant captiuos, Richerium & Beduerum præfecerunt: Cador vero dux Cornubiæ atque Borellus ceteris præponuntur. Sed Romani omnes sine ordine eruperant, nec curabant suos per turmas disponere: immo omni nisu præstantes, Britonibus stragem dabant, dum turmas disponere, dum semetipsos defendere elaborarent. Vnde vltra modum debilitati, illos quos conducebant turpiter amisissent, nisi fortuna optatum auxilium eis accelerasset. Guitardus etenim dux Pictauensium comperto dolo, cum tribus milibus aduenerat, cuius freti auxilio tandem præualuerunt: & vicem prædictæ stragis impudentibus grassatoribus reddidere. Attamen multos suorum in primo congressu amiserunt. Amiserunt etenim inclytum illum Cenomanorum consulem Borellum: qui dum cum Euandro rege Syriæ cõgrederetur, lancea ipsius intra gulam infixa vitam cum sanguine eructauit. Amiserunt quoque quatuor proceres, Hirelgam Deperirum, Mauricium Cadorcanensem, Aliduc de Tintagol, & filium Hider: quibus audaciores non facile reperiri poterant. nec tamen audaciæ suæ desistentes sibi desperauerunt: sed omni nisu instantes, & captiuos custodire, & inimicos prosternere intendebant. Romani tandem congressum eorum ferre non valẽtes, ocyus relinquere campum, & castra sua petere cœperunt. At Britones vsq; insequentes stragem inferunt, complures capiunt, nec requieuerunt, donec Vulteio Catello & Euandro rege Syriæ peremptis, ceteros penitus dissipauerunt. Habita igitur victoria, captiuos quos ducebãt, miserunt Parrhisios: atq; cum illis quos recenter ceperant, ad regem suum repedantes, spem summæ victoriæ promittebant, cum admodum pauci de tot superuenientibus hostibus triumphum habuissent.

CAPVT VI.

Lvcivs autem Tiberius, tales casus moleste ferens, animum suum diuersis cruciatibus vexatum, nunc huc, nuc illuc reuoluit, hæsitando an cœpta prælia cum Arturo committat, an intra Augustodunum receptus, auxilium Leonis imperatoris expectet. Acquiescens tandem formidini, nocte sequenti prædictam ciuitatem aditurus, Lengrias cum exercitibus suis ingreditur. Quod vt Arturo compertum est, affectans iter eius præcedere, eadem nocte, relicta a leua, ciuitate, quãdam vallem, quam Lucius transgressurus erat, ingreditur, quæ Suesia vocabatur. Commilitones ergo suos per cateruas disponere volens, legionem vnã cui præfecerat Moruid consulẽ Claudiocestriæ, iussit adesse, vt si opus accidisset, sciret quo posset sese recipere, & resociatis turmis iterum hostibus prælia ingerere. Ceteros etiã per cateruas septenas distribuens, & in vnaquaque caterua quinquies mille, quingentos & quinquaginta quinque viros omnibus armis instructos collocauit. Pars quoq; statutarum turmarũ disponitur, equestris: pars autem altera pedestris: daturque pręceptum inter eos, vt dum pedestris turma ad inuadendum intendat: equestris illico ab obliquo superueniens, stricto agmine dissipare hostes nitatur. Erant autem pedestres cateruæ, Britannico more, cum dextro & sinistro cornu in quadrum statutæ: quarum vni Auguselus rex Albaniæ, & Cador dux Cornubiæ, vnus in dextro cornu, & alter in sinistro præficiuntur: alij vero, duo insignes consules, Guerinus videlicet Carnotensis, & Boso de Richiden, quæ lingua Saxonum Oxineford nuncupatur: tertiæ vero turmæ Aschil rex Dacorum, atque Lot rex Norvvegensium: quartæ Hoelus dux Armoricorum atque VValguainus nepos regis. Post has autem quatuor, fuerunt aliæ quatuor a dorso statutæ, quarum vni præponuntur Caius dapifer, & Beduerus pincerna: alij autem præficiuntur Holdinus dux Rutenorum, & Guitardus dux Pictauensium: tertiæ Vigenis de Legecestria, & Ionathal Dorecestrensis, atque Cursalem de Caiestria: quartæ vero Vrbgennius de Badone. Ipse quoque elegit post hos sibi & legioni vni quam sibi adesse affectauerat, locum quendam, quo aureum draconem infixit, quem pro vexillo habebat, quo vulnerati

& fatigati, si necessitas compelleret, quasi ad castra diffugerent. Aderant autem in legione illa quam secum habebat, sex milia, sexcenti & sexaginta sex.

CAPVT VII.

DISPOSITIS itaque cunctis, commilitones suos in hæc verba affatur: Domestici mei, qui Britanniam terdenorum regnorum fecistis dominam, vestræ congratulor probitati, quam nullatenus deficere, immo magis vigere considero: licet quinque annis inexercitati, oblectamentis ocij potius, quam vsui militiæ deditifuistis hactenus: nequaquam tamen ab innata bonitate degenerauistis: sed in ipsa perseuerantes, Romanos propulistis in fugam: qui instimulante superbia suorum, libertatem vobis clemere affectauerunt: qui ampliori numero incedentes, ingerere prælia cœperunt: qui congressui vestro resistere non valentes, sese turpiter intra ciuitatē istam receperunt. ex qua ad præsens egressuris, & per istam vallem, Augustodunū petituris, obuiam poteritis adesse: & nihil tale præmeditatos, veluti pecudes occupare. Sane Orientalium gentiū segnitiam in vobis esse existimabant: dum patriam vestram facere tributariam, & vosmetipsos subiugare affectarent. Num quid nouerunt quæ bella Dacis atque Norvvegensibus, Gallorumque ducibus intulistis? quos meæ subdidistis potestati, & ab eorum pudendo dominio liberauistis? Qui igitur in grauiori decertatione valuimus: in hac leuiori sine dubio præualebimus, si pari affectu semiuiros illos elaborauerimus opprimere. Quantos honores quisque vestrum possidebit, si voluntati meæ atque præceptis meis, vt fideles commilitones, acquieueritis? Subiugatis etenim ipsis, continuo Romam petemus, petitam capiemus, captam possidebimus: & sic aurum, argentum, palatia, turres, opida, ciuitates, & ceteras victorum diuitias habebitis. Adhuc autem ipso dicente talia, omnes vno clamore assentiunt: parati mortem prius recipere, quam viuente ipso campum diffugiendo relinquere.

CAPVT VIII.

AT Lucius Tiberius comperiens insidias, quæ ipsi parabantur, noluit vt affectauerat diffugere: sed reuocata audacia, ipsos in eandem vallem aditurus, duces suos conuocauit, atque his verbis allocutus est: Patres venerandi, quorum imperio & orientalia & occidētalia regna subiici debuerant, maiorum vestrorum memores estote: qui vt aduersarios Reipublicæ superarent, non abhorrebant effundere sanguinem suum, sed exemplum probitatis & militiæ posteris suis relinquentes, ita decertabant, ac si in prælio Deus non prouidisset eos morituros. Triumphabant ergo sæpius, & triumphādo mortem euadebant: quia nulli alia erant prouentura, quam quæ ex prouidentia Dei condescendebant. Augebatur itaque Respublica: augebatur eorundem probitas: & quod honestatis, quod honoris, quod largitatis in generosis esse solebat, in eis diutius vigens, ipsos & ipsorum posteros in dominium totius orbis promouebat. Id igitur in vobis excitare desiderans, hortor vos vt pristinam bonitatem reuocetis, atque in eadē perstantes, inimicos nostros in valle qua nobis insidiantur, petētes, quod nostrum est ab illis exigere contendatis. Ne existimetis me idcirco intra ciuitatem hanc receptū esse, vt vel eos vel eorum congressum abhorruerim: immo arbitrans quod nos stulte prosequerentur, & vt prosequentibus ex improuiso obuiaremus, atque ipsos segregatim irruentes magna strage infestaremus. Nunc autem quoniam aliter quam rati eramus fecerunt, & nos aliter faciamus. Petamus etenim illos, & audacter inuadamus: vel si conualuerint, vnanimiter resistamus, & primum impetum toleremus, & sic proculdubio triumphabimus. In pluribus etenim decertationibus, qui in primo cōgressu perstare potuit, cum victoria sæpissime abiuit. Vt his itaque & pluribus aliis finem dicendi fecit, omnes vno assensu fauentes, socias quoque manus iureiurando promittentes, ad armandum sese festinant. Armati tandem Lengrias egrediuntur, atque prædictam vallem adierunt, vbi Arturus caterua suas statuerat. Porro & illi duodecim cuneata agmina, atque omnia pedestria fecerunt, quæ Romano more ad modum cunei ordinata, sex milia militum sexcentos sexaginta sex, exercitum suum disponentes continebant. Sed & vnicuique suos ductores dederunt: vt monitu eorum & inuaderent &

ceteris

ceteris irruentibus resisterent. Vni etenim præfecerunt Lucium Catellum senatorem, & Alifantinam regem Hispaniæ. Alij vero Hirtacium regem Parthorum, & Marium Lepidum senatorem: tertio Boccum regem Medorum, & Caium Metellum senatorem: quarto Sertorium regem Libyæ, & Quintum Miluium senatorem. Hæc quatuor agmina in prima acie statuta fuerunt. Post ipsa vero alia quatuor a dorso, quorum vni Sersem regem Itureorum præfecerunt: alij vero Pandrasum regem Ægypti: tertio Polytetem ducem Bithyniæ: quarto Teucrum ducem Phrygiæ. Post hæc quoque alia quatuor agmina, & cuidam illorum dederunt Quintum Carucium senatorem: alij autem Lælium Hostiensem: tertio Sulpitium Subuculum: quarto Mauricium Siluanum. Ipse autem inter eos nunc hac nunc illac incedebat, suggerendo & docendo, qualiter sese haberent. In medio etiam auream aquilam, quam pro vexillo duxerat, iussit firmiter poni: & quoscunque casus segregasset, submonuit vt ad eam reuerti conarentur.

CAPVT IX.

Postqvam autem in aduersa parte, hinc Britones, illinc Romani erectis steterūt telis: confestim (audito classicorum sonitu) agmen illud cui rex Hispanię & Lucius Catellus præerant, in cateruam illam quam rex Scotiæ & dux Cornubiæ ducebant, audacter irruit: sed illam stricte irruentem nequaquam dissgregare potuit. Cui itaque sæuissime inuadenti occurrit caterua quam Guerinus & Boso regebant: & dum alia, vt prædictū est, resisteret, subito cursu equorum, impetum in eandem fecit: & illa penetrata, obuiauit agmini, quod rex Parthorum ducebat contra turmam Aschillij regis Dacorum. Nec mora, concurrunt hinc & inde cateruæ, & mutuo sese penetrātes, maximam pugnam lacessunt. Fit itaque miseranda cædes inter eos cum supremo clamore, & terram vertice & calcaneis pulsantes, vitam in vtraque parte cum sanguine eructant. Sed primum damnum Britonibus illatū est: quia Beduerus pincerna peremptus fuit: Caius dapifer letaliter vulneratus. Nam cum Beduerus Bocco Medorū regi obuiaret, lancea eiusdem confossus inter hostiles cateruas peremptus corruit. Caius autem dapifer, dū ipsum vindicare conaretur, intra Medorum turmas circundatus, mortiferum vulnus recepit: qui tamen more boni militis, cum ala quam ducebat viam aperiens, cæsis & dissipatis Medis, sese intra suos, integra caterua recepisset, nisi obuiam venisset agmini regis Libyæ, cuius irruptio illos quos ducebat omnes dissgregauit: vtcūque tamen cum paucis retrocedens, ad aureum diffugit Draconem cum corpore Bedueri. O quāta lamenta Neustriensium, dum corpus sui ducis tot vulneribus dilaniatum aspicerēt! O quantos Andegauensium planctus, dum Caij consulis sui vulnera pluribus modis tractarent! Sed non opus erat querela, quia vndique sanguinolentæ acies mutuo irruentes, non permittebant eis spatium prædicti gemitus: quin ipsos ad defendendum sese coegissent. Hirelgas ergo nepos Bedueri vltra modum ob mortem ipsius commotus, trecentos suorum associauit sibi, & velut aper intra turmam canum, sic per hostiles cateruas subito cursu equorum, locum vbi vexillum regis Medorum aspexerat, petiuit: parum cogitans quid sibi contingere posset, dum auunculum suum vindicaret. Adeptus tandem locum quem affectauerat, prædictum regem peremit, peremptumque ad socios suos deportauit, deportatumque iuxta corpus pincernę omnino dilaniauit. Deinde maximo clamore conciuium suorum turmas inanimando, hortabatur in hostes irruere, crebrisque irruptionibus infestare, dum eis virtus recenter feruebat, dum illis formidolosis pectus tremebat, dum cominus eminentes, sapientius quam ceteri per cateruas dispositi essent, atque crudelius damnum ingerere sæpius valuissent. Inanimati igitur hortamine illius, impetum in hostes vndique fecerunt: quo maxima strages vtrinque facta fuit. In parte namque Romanorum, exceptis innumerabilibus aliis, Alifantinam rex Hispaniæ, & Micipsa Babyloniensis, Quintus quoque Miluius, & Marius Lepidus senatores corruerunt. Corruerunt etiam in parte Britonum, Holdinus rex Rutenorum & Leodegarius Bolonensis: tres etiam consules Britanniæ, Cursalem Kaicestrensis: Galluc, Salesberiensis, & Vrbgennius de Badone. Vnde turmæ quas conducebant, vltra modum debilitatæ, retrocesserunt, donec venerunt ad aciem

Armoricorum Britonum, quam Hoelus & VValgainus regebant. Quæ itaque velut flamma igneſcens, impetum fecit in hoſtes, & reuocatis illis qui retroceſſerant, illos qui paulo ante ſequebantur, diffugere coegit. Sed & vſque inſequens, nunc ipſos diffugientes proſternit, nunc interficit: nec ſtragem ingerere ceſſat, donec ad turmam imperatoris venit: qui viſa calamitate ſociorum, properat ipſis ſuccurſum præſtare.

CAPVT X.

INITO itaque congreſſu, debilitantur Britones. Kimarcocus ſiquidem conſul Trigeriæ, necnon & duo milia cum eo corruerunt. Corruerunt etiam tres inclyti proceres, Richomarcus & Bloccouius atque Iagiuius de Bodloano: qui ſi principes fuiſſent regnorum, ob tantam probitatem quam habebant, ventura ætas famam eorum celebraret. Nam & dum prædictum impetum cum Hoelo & VValgaino facerent, non euadebat hoſtis cui imminebant, quin ei vitam vel gladio vel lancea eripuiſſent. Sed poſtquam intra aciem Lucij ventum fuit, vndique a Romanis circumſepti, cum prædicto conſule & prædictis militibus conciderunt. Hoelus ergo & VValgainus, quibus meliores præterita ſecula non genuerunt, comperta ſtrage ſuorum, acriores inſtiterũt: & nunc hac nunc illac, vnus ex vna parte, alter ex altera, diſcurrentes, cuneum imperatoris infeſtabant. At Gualgainus ſemper recenti virtute exæſtuans, nitebatur vt aditum congrediendi cum Lucio haberet: nitendo vt audaciſſimus miles irruebat: irruẽdo hoſtes proſternebat: proſternendo cædebat. Hoelus quoque non inferior illo, ex alia parte fulminabat. Socios etiam ſuos hortabatur, inimicos feriebat, eorumque ictus haud timidus recipiebat: nec vlla hora deficiebat quin ſępiſſime & percuteretur & percuteret. Non facile definiri poterat, vter eorum alterius vires excederet.

CAPVT XI.

PORRO Gualgainus turmas (vt prædictum eſt) inuadens, inuenit tandem aditum quem optabat: & in imperatorem irruit, & cum illo congreſſus eſt. At Lucius prima iuuentute florens, multum audaciæ, multum vigoris, multum probitatis habebat: nihilque magis deſiderabat, quam congredi cum milite tali, qui ipſum cogeret experiri, quantum in militia valeret. Reſiſtens itaque Gualgaino, congreſſum eius inire lætatur, & gloriatur, quia tantam famam de eo audierat. Commiſſo diutius inter ſe pręlio, dant ictus validos, & clypeos ictibus prętendendo, vterque neci alterius imminere elaborabat. Dum autem acrius in hunc modum decertarent: ecce Romani ſubito vires recuperantes, impetum in Armoricos faciunt, & imperatori ſuo ſubueniẽtes, Hoelum & Gualgainum cum ſuis turmis cædendo propulerũt, donec Arturo obuiam & eiuſdem agmini ex improuiſo venerunt: ipſe etenim audita ſuorum ſtrage, quæ paulo ante eiſdem dabatur, cum legione irruerat, & abſtracto Caliburno gladio optimo, excelſa voce atque verbis commilitones ſuos inanimabat, inquiens: Quid facitis viri? Vt quid muliebres permittitis illæſos abire? Ne abſcedat illorum vllus viuus. Mementote dextrarum veſtrarum, quæ tot præliis exercitatæ, terdena regna poteſtati meæ ſubdiderunt. Mementote auorum veſtrorum, quos Romani, dum fortiores erant, tributarios fecerunt. Mementote libertatis veſtræ, quam ſemiuiri iſti, & vobis debiliores, demere affectant. Ne abeat vllus viuus, ne abeat. Quid facitis? Hæc & plura alia vociferando, irruebat in hoſtes, proſternebat, cædebat, & cuicunque obuiabat, aut ipſum aut ipſius equum vno ictu interficiebat. Diffugiebant ergo ipſum velut pecudes ferocem leonem, quem ſæua fames inſtimulat ad deuorandum quicquid caſus ſubuectat. Arma ſua nihil eis proficiebant, quin Caliburnus dextera tam virtuoſi regis vibratus, cogeret ipſos animas eructare cum ſanguine. Duos reges, Sertorium Libyæ, Bithyniæque Polytetem infortunium illi obtulit, quos abſciſſis capitibus, ad tartara direxit. Viſo igitur rege ſuo in hunc modum decertante, Britones maiorem audaciam capeſſunt: Romanos vnanimiter inuadunt: denſata caterua incedunt: & dum ex vna parte pedeſtres hoc modo infeſtarent, equeſtres ex alia proſternere & penetrare conantur. Reſiſtunt tamen acriter Romani: & monitu Lucij, illuſtris regis vicem illatæ cladis Britonibus reddere elaborabant. Tanta igitur vi in vtraque parte

pugnatur, ac si tunc primum recenter conuenirent. Hinc autem Arturus sæpius ac sæpius (vt prædictum est) hostes percutiens, Britones ad perstandum hortabatur: illinc vero Lucius Tiberius Romanos suos, & monebat, & in præclaras probitates multotiens ducebat. Nec ipse cessabat ferire: sed in omnes partes turmas suas circuiens, quemcũq; hostẽ casus offerebat, vel lãcea, vel gladio perimebat. Fiebat itaq; in vtraq; parte cædes abhorrenda: quia quandoq; Britones, quandoque Romani versa vice præualebant. Postremo dum talis decertatio inter eos fieret, ecce Moruid consul Claudiocestriæ cum legione, quam esse intra colles superius dixi, subito cursu occurrit: & hostes nihil tale præmeditatos a dorso inuasit: inuadens penetrauit: penetrans dissipauit, atque maximam stragem fecit. Tunc multa milia Romanorum conciderunt. Tunc etiam Lucius imperator intra turmas occupatus, cuiusdam lancea confossus interiit. At Britones vsque insequentes, victoriam, licet maximo labore, habuerunt.

CAPVT XII.

DISGREGATI igitur Romani, partim deuia & nemora, cogente timore, carpebant: partim ad ciuitates & opida, & ad quæque tutissima loca diffugiebant. Quos Britones omni nisu insequendo, miserabili cæde afficiunt, capiunt, despoliant. ita quod maxima pars eorum vltro protendebat manus suas muliebriter vinciendas: vt pauxillum spatium ad viuendum haberent. Quod diuinæ prouidentiæ stabat loco, cum & veteres eorum priscis temporibus auos istorum iniustis inquietationibus infestassent: & isti nunc libertatem, quam illi eisdem demere affectabant, tueri instarent, abnegantes tributum, quod ab ipsis iniuste exigebatur.

CAPVT XIII.

HABITA deniq; victoria illa, Arturus corpora procerũ suorum ab hostilibus cadaueribus separari iubet: separata autem, regio more parari: parata vero ad cõprouinciales Abbatias deferri, vt ibidem honorifice sepelirentur. At Beduerus pincerna ad Baiocas ciuitatem suam, quam Beduerus primus & proauus eius ædificauerat, ab Neustriensibus cum maximis lamentis deportatur. Ibi in quodam cœmeterio quod in Australi parte ciuitatis erat, iuxta murum honorifice positus fuit: Cheudo autem ad Camum opidum, quod ipse construxerat, grauiter vulneratus asportatur, & paulo post eodem vulnere defunctus, in quodam nemore, in cœnobio eremitarum, qui ibidem non longe ab opido erant: vt decuit Andegauensium ducem, humatus fuit. Holdinus quoque dux Rutenorum Flandrias delatus, in Teriuana ciuitate sua sepultus est. Ceteri autem consules & proceres, vt præceperat Arturus, ad vicinas Abbatias delati sunt. Hostes quoque suos miseratus, præcepit indigenis sepelire eos: corpusque Lucij ad senatum deferre, mandans non debere aliud tributum ex Britannia reddi. Deinde post subsequentem hyemem, in partibus illis moratus est: & ciuitates Allobrogum subiugare vacauit. Adueniente vero æstate, cum Romam petere affectaret, & montes transcendere incœpisset, nunciatur ei Modredum nepotem suum, cuius tutelæ commiserat Britanniam, eiusdem diademate per tyrannidem & proditionem insignitum esse: reginamque Ganhumaram, violato iure priorum nuptiarum, eidem nefanda Venere copulatam esse.

LIBER VNDECIMVS.

CAPVT PRIMVM.

DE hoc quidem, consul Auguste, Gaufridus Monumetensis tacebit. Sed vt in Britannico præfato sermone inuenit, & a Gualtero Oxinefordensi in multis historiis peritissimo viro audiuit, vili licet stylo, breuiter tamen propalabit, quæ prælia inclytus ille rex post victoriam istam in Britanniam reuersus, cum nepote suo commiserit. Vt igitur infamia prænunciati sceleris aures ipsius attigit, continuo dilata inquietatione, quam Leoni regi Romanorum ingerere affectauerat: dimisso Hoelo duce Armoricanorum cum exercitu Galliarum, vt partes illas pacificaret: confestim cum Insulanis tantummodo regibus, eorumq; exercitibus in Britanniam remeauit. Prædictus autem sceleratissimus proditor ille Modredus, Cheldricum Saxonum ducem in Germaniam direxerat, vt in illa quoscũque posset associaret sibi, & associatis quibuscunque, iterum citissimis velis rediret. Spoponderat etiam se ipsi hoc pacto daturum partem illam insulæ, quæ a flumine Humbro vsque ad Scotiam porrigebatur, & quicquid in Cantia tempore Vortegirni Horsus & Hengistus possederant. At ille peracto ipsius præcepto, octingentis nauibus plenis armatis Paganis applicuerat: & fœdere dato, huic proditori quasi suo regi parebat. Associauerat quoque sibi Scotos, Pictos, Hibernienses, & quoscunq; callebat habuisse auunculum suum odio. Erant autem omnes numero quasi octoginta milia, tam Paganorum quam Christianorum, quorum auxilio fretus, & quorum multitudine comitatus, Arturo in Rutupi portum applicãti obuiam venit: & commisso prælio maximam stragem dedit applicantibus. Auguselus etenim rex Albaniæ, & VValgainus nepos regis, cum innumerabilibus aliis in die illa corruerunt. Successit antem Auguselo in regnum Euentus filius Vriani fratris sui, qui postea in decertationibus istis, multis probitatibus claruit. Postquam tandem, etsi magno labore, littora adepti fuerunt, mutuam reddendo cladem, Modredum & exercitum eius pepulerunt in fugam. Assiduis namque debellationibus vsi, sapienter turmas suas disposuerant: quæ partim pede, partim equo distributæ, tali modo decertabant: quod cum pedestre agmen ad inuadendum vel resistendum intenderet, equestre ilico ab obliquo irruẽs, omni nisu hostes penetrare conaretur. vnde eos ad diffugiendum coegerunt. Periurus ergo ille reuocatis vndique suis, insequenti nocte Guintoniam ingressus est. Quod vt Ganhumaræ reginæ annunciatum est, confestim desperans, ab Eboraco ad vrbem Legionum diffugit, atque in templo Iulii martyris, inter monachas eiusdem caste viuere proposuit, & vitam monachalem suscepit.

CAPVT II.

AT Arturus acriori ira accensus, quoniam tot centena cõmilitonum suorum amiserat: in tertia die datis prius sepulturæ peremptis, ciuitatem adiuit: atque intra eam receptum nebulonem obsedit. Qui tamen cœptis suis desistere nolens, sed ipsos qui ei adhærebant pluribus modis inanimans, cum agminibus suis egreditur, atq; cum auunculo suo præliari disponit. Inito ergo certamine, facta est maxima cædes in vtraq; parte, quæ tandem magis in partem illius illata, coegit eum campum turpiter relinquere. Qui deinde non multum curans, quæ sepultura peremptis suis fieret: cito remige fugæ euectus, Cornubiam versus iter arripuit. Arturus autem interna anxietate cruciatus, quoniam totiens euasisset, confestim prosecutus est eum in prædictam patriam vsq; ad flumen Cambula, vbi ille aduentũ eius expectabat. Porro Modredus, vt erat omnium audacissimus, & semper ad inuadendum celerrimus, confestim milites suos per cateruas distribuit, affectans vincere vel mori potius, quam prædicto modo diutius fugere. Remanserant adhuc ei ex prædicto numero sociorum suorum sexaginta milia, ex quibus fecit turmas tres: & in vnaquaque posuit sex milia arma-

torum & ſexcentos ſexaginta ſex. Præterea vero fecit vnam turmam ex ceteris qui ſuperfuerant, & vnicuique aliarum ductoribus datis, eam tutelæ ſuæ permiſit. His itaque diſtributis, quemlibet eorum inanimabat, promittens ceterorum poſſeſſiones eis, ſi ad triumphandum perſtarent. Arturus quoque ſuum exercitum in aduerſa parte ſtatuit, quem per nouem diuiſit agmina pedeſtria cum dextro ac ſiniſtro cornu quadrata: & vnicuique præſidibus commiſſis, hortatur vt periuros & latrones interimant, qui monitu proditoris ſui de externis regionibus in inſulam aduecti, ſuos eis honores demere affectabant. Dicit etiam diuerſos diuerſorum regnorum Barbaros imbelles atque belli vſus ignaros eſſe, & nullatenus ipſis virtuoſis viris & pluribus debellationibus vſis reſiſtere poſſe, ſi audacter inuadere & viriliter decertare affectarent. Ipſis itaque commilitones ſuos hinc & inde cohortantibus, ſubito impetu concurrunt acies, & commiſſo prælio crebros ictus innectere elaborant. Fiunt ilico in vtriſque partibus tantæ ſtrages, tanti morientium gemitus, tanti inuadentium furores, quantos & doloroſum & laborioſum eſt deſcribere. Vndique etenim vulnerabant & vulnerabantur: perimebant & perimebantur. Poſtquam autem multum diei in hunc modum duxerunt, irruit tandem Arturus cum agmine vno, quo ſex milia ſexcentos & ſexaginta ſex poſuerat, in turmam illam vbi Modredum ſciebat eſſe, & viam gladiis aperiendo, eam penetrauit, atque triſtiſſimam cædem ingeſſit. Concidit namque proditor ille nefandus, & multa milia cum eo. Nec tamen ob caſum eius diffugiunt ceteri: ſed ex omni campo confluentes, quantum audaciæ dabatur, reſiſtere conantur. Committitur ergo diriſſima pugna inter eos, qua omnes fere duces qui in ambabus partibus affuerant, cum ſuis cateruis corruerunt. Corruerunt etenim in parte Modredi, Cheldricus, Elafius, Egbrictus, Bunignus, Saxones: Gillapatriæ, Gillamor, Giſlafel, Gillatiũ, Hibernenſes. Scoti etiam & Picti cum omnibus fere quibus dominabatur. In parte autem Arturi Olbrictus rex Norvvegiæ, Aſchillius rex Daciæ, Cador Limenic Caſsibellaunus, cum multis milibus ſuorum tam Britonum quam ceterarum gentium quas ſecum adduxerat. Sed & inclytus ille rex Arturus letaliter vulneratus eſt, qui illinc ad ſananda vulnera ſua in inſulam Auallonis aduectus, cognato ſuo Conſtantino, filio Cadoris ducis Cornubię, diadema Britanniæ conceſsit, Anno ab incarnatione dominica quingenteſimo quadrageſimo ſecundo.

CAPVT III.

Constantino igitur diademate inſignito, inſurrexerunt Saxones, & duo filij Modredi, nec in eum præualere quiuerunt: ſed poſt plurima prælia diffugiendo, vnus Londonias, alter vero Guintoniam ingreſſus, eas obtinere cœperunt. Tunc defunctus eſt ſanctus Daniel Bangornenſis eccleſiæ religioſiſsimus Antiſtes, & Theonus Glouceceſtrenſis epiſcopus in Archiepiſcopatum Londoniarum eligitur. Tunc obiit ſanctiſſimus vrbis Legionum archiepiſcopus Dauid in Meneuia ciuitate, intra abbatiã ſuam, quam præ ceteris ſuæ diœceſis monaſteriis dilexerat, quia beatus Patricius, qui natiuitatem eius prophetauerat, ipſam fundauit. Dum enim ibi apud confratres ſuos moram faceret, ſubito languore grauatus, defunctus eſt, & iubente Malgone Venedotorum rege in eadem eccleſia ſepultus. Pro eo ponitur in Metropolitana ſede Kincus Lampaternenſis eccleſiæ antiſtes, & ad altiorem dignitatem promouetur.

CAPVT IIII.

At Conſtantinus inſecutus eſt Saxones, & eos poteſtati ſuæ ſubiugauit. Et prædictos filios Modredi cepit: & alterum iuuenem Guintoniæ in eccleſiam ſancti Amphibali fugientem, ante altare trucidauit: alterum vero Londoniis in quorundam fratrum Cœnobio abſconditum, atque tandem iuxta altare inuentum, crudeli morte affecit. Exin tertio anno interfectus eſt a Conano, ſententia Dei percuſſus, & iuxta Vtherpendragon intra lapidum ſtructuram ſepultus fuit, quæ haut longe a Salesberia mira arte compoſita Anglorum lingua Stranheng nuncupatur.

CAPVT V.

Hvic ſucceſſit Aurelius Conanus miræ probitatis iuuenis, & ipſius nepos, qui

monarchiam totius insulæ tenens, eiusdem diademate dignus esset, si non foret ciuilis belli amator. auunculum etenim suum, qui post Constantinum regnare debuit, inquietauit, atque in carcerem posuit: eiusque duobus filiis peremptis, regnum obtinuit, secundoque regni sui anno defunctus est.

CAPVT VI.

CONANO successit VVortiporius: in quem insurrexerunt Saxones, conducentes conciues suos ex Germania maximo nauigio. Sed ipse prælium cum ipsis iniuit, & superauit: & monarchiam totius regni adeptus, populum quatuor annis gubernauit cum diligentia & pace.

CAPVT VII.

CVI successit Malgo omnium fere Britanniç pulcerrimus, multorum tyrannorum depulsor: robustus armis, largior ceteris: & vltra modum probitate præclarus, nisi Sodomitana peste volutatus, sese Deo inuisum exhibuisset. Hic etiam totam insulam obtinuit: & sex comprouinciales Oceani insulas, Hiberniam videlicet, atque Islãdiam, Godlandiam, Orcades, Norvvegiam, Daciam, adiecit dirissimis præliis potestati suæ.

CAPVT VIII.

MALGONI successit Careticus, amator ciuilium bellorum, inuisus Deo & Britonibus. Cuius inconstantiam comperientes Saxones, iuerunt propter Gormundum regem Africanorum in Hiberniam, in quam maximis nauigiis aduectus, gentem patriæ subiugauerat. Exin proditione eorum, cum centum sexaginta sex milibus Africanorum ad Britanniam transfretauit, quam in vna parte mentitæ fidei Saxones, in alia vero ciues patriæ, ciuilia bella inter se assidue agentes, penitus deuastabant. Inito ergo fœdere cum Saxonibus oppugnauit Careticum regem: & post pluria prælia inter eos, fugauit eum de ciuitate in ciuitatem, donec eum trusit in Cirecestriã, & obsedit. Vbi Isembardus nepos Ludouici regis Francorum venit ad eum, & cum eo fœdus amicitiæ iniuit, & Christianitatem suam tali pacto pro amore eius deseruit, vt auxilio eius regnum Galliæ auunculo eripere posset, a quo (vt aiebat) vi & iniuste expulsus erat. Capta tandem prædicta ciuitate & succensa, commisit prælium cum Caretico, & eum fugauit vltra Sabrinam in Guallias. Mox depopulans agros, ignem cumulauit in finitimas quasque ciuitates: qui non quieuit accensus, donec cunctam pene superficiem insulæ, a mari vsque ad mare exussit: ita vt cunctæ coloniæ crebris arietibus, omnesque coloni cum sacerdotibus ecclesiæ, mucronibus vndique micãtibus, ac flammis crepitantibus, simul humi sternerentur. Diffugiebant ergo reliquiæ tantis cladibus affectæ, quocunque tutamen ipsis cedentibus patebat.

CAPVT IX.

QVID ociosa gens pondere immanium scelerum oppressa: quid semper ciuilia bella sitiens, tete domesticis intantum debilitasti motibus, quæ cum prius longe posita regna potestati tuæ subdideris, nunc velut bona vinea degenerata, in amaritudinem versa, patriam & coniuges liberosque nequeas ab inimicis tueri? age ergo, age ciuile dissidium; parum intelligens Euangelicum illud: Omne regnum in se ipsum diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet. Quia ergo regnum tuum in se diuisum fuit: quia furor ciuilis discordiæ & liuoris fumus mentem tuam hebetauit: quia superbia tua vni regi obedientiam ferre non permisit: cernis idcirco patriam tuam ab impiissimis paganis desolatam, domos etiam eiusdem supra domos ruentes, quod posteri tui in futurum lugebunt. Videbunt etenim barbaræ leænæ catulos opida, ciuitates, atque ceteras eorundem possessiones obtinere. Ex quibus misere expulsi, prioris dignitatis statum vel nunquam vel vix recuperabunt.

CAPVT X.

POSTQVAM autem (vt prædictum est) infaustus Tyrannus cum innumerabilibus Africanorum milibus totam fere insulam vastauit, maiorem partem eius quæ Loëgria

voca-

vocabatur, præbuit Saxonibus, quorum proditione applicuerat. Secesserunt itaque Britonum reliquiæ in Occidentales regni partes, Cornubiam videlicet atque Gualias. Vnde crebras & ferales irruptiones incessanter hostibus fecerunt. Tres igitur archipræsules, videlicet vrbis Legionum, Theonus Londoniensis, & Thadioceus Eboracensis, cum omnes ecclesias sibi subditas, vsque ad humum destructas vidissent; cum omnibus ordinatis, qui in tanto discrimine superfuerant, diffugiunt ad tutamina nemorum in Gualias cum reliquiis sanctorum, timentes ne barbarorum irruptione delerentur tot & tantorum veterum sacra ossa, si ipsa in imminenti periculo desererent, & sese instanti martyrio offerrent. Plures etiam Armoricanam Britãniam maximo nauigio petiuerunt: ita vt tota ecclesia duarum prouinciarum, Loegriæ videlicet & Northãhumbrię, a conuentibus suis desolaretur. sed hæc alias referam, cum librum de exulatione eorum transtulero.

CAPVT XI.

AMISERVNT deinde Britones regni diadema multis temporibus, & insulæ monarchiam, nec pristinam dignitatem recuperare nitebantur: immo partem illam patriæ quæ eis adhuc remanserat, non vni regi; sed tribus tyrannis subditam, ciuilibus præliis sæpissime vastabant. Sed nec Saxones diadema insulæ adhuc adepti sunt, qui tribus etiam regibus subditi, quandoque sibiipsis, quandoque Britonibus inquietationem ingerebant.

CAPVT XII.

INTEREA missus est Augustinus a beato Gregorio papa in Britanniam, vt Anglis verbum Dei prædicaret, qui Pagana superstitione cæcati in illa insulæ parte quam habebant, totam deleuerant Christianitatem. In parte autem Britonum adhuc vigebat Christianitas, quæ a tempore Eleutherij papæ habita, nunquam inter eos defecerat. Postquam autem venit Augustinus, inuenit in eorum prouincia septem Episcopatus & Archiepiscopatum religiosissimis præsulibus munitos, & abbatias complures: in quibus grex domini rectum ordinem tenebat. Inter ceteras, erat in ciuitate Bangor quædam nobilissima ecclesia, in qua tantus fertur fuisse numerus monachorum, vt cum in septem portiones esset cum præpositis sibi Prioribus monasterium diuisum, nulla harum portio minus quam trecentos monachos haberet: qui omnes labore manuum suarum viuebant. Abbas autem eorum Dinoot vocabatur: miro modo liberalibus artibus eruditus. Qui, Augustino petenti ab episcopis Britonibus subiectionem, & suadenti vt secum genti Anglorum communem euangelizandi laborem susciperent; diuersis argumentationibus, ipsos ei nullam subiectionem debere respondit, nec suam prædicationem inimicis suis impendere: cum & suum Archipræsulem haberet, & gens Saxonum patriam propriam eisdem auferre perstarent. Vnde eos summo habebant odio: fidemque & religionem eorum pro nihilo habebant: nec in aliquo Anglis magis quam canibus communicabant.

CAPVT XIII.

HEDELBERTVS ergo rex Cantiorum, vt vidit Britones dedignantes subiectionem Augustino facere, & eosdem prædicationem suam spernere: hoc grauissime ferens, Edelfridum regem Northãhumbrorum, & ceteros regulos Saxonum instimulauit, vt collecto grandi exercitu, in ciuitatem Bangor abbatem Dinoot & ceteros clericos, qui eos spernerent, perditum irent. Acquiescentes ergo consilio eius, collegerunt mirabilem exercitum, & prouinciam Britonum petentes, venerunt Legecestriam, vbi Brocinail consul vrbis aduentum eorũ expectabat. Venerãt autem ad eandem ciuitatem ex diuersis Britonũ prouinciis innumerabiles monachi & eremitæ, & maxime de ciuitate Bãgor, vt pro salute populi sui oraret. Collectis igitur vndiq; exercitibus, Edelfridus rex Northãhumbrorũ, pręliũ iniuit cum Brocinail; qui pauciori numero militũ resistẽs, ad vltimũ relicta ciuitate, sed prius maxima strage hostibus illata, diffugit. At Edelfridus ciuitate capta, cũ intellexisset causam aduẽtus prędictorũ monachorũ, iussit in eos primum arma verti, & sic mille ducenti eorum in ipsa die martyrio decorati, regni cęlestis adepti sunt sedem. Deinde cum prædictus Saxonum tyrannus Bangornensium vrbem

peteret: audita ipsius insania, venerunt vndique obuiam illi duces Britonum, Bledericus videlicet dux Cornubię, & Margadud rex Demetorum, Caduanus Venedotorum: & conserto prælio, ipsum vulneratum in fugam propulerunt: sed & tantum numerum exercitus eius peremerunt, ita quod decem milia circiter & sexaginta sex corruerunt. In parte etiam Britonum cecidit Bledericus dux Cornubiæ, qui ducatum in eisdem præliis præstabat.

LIBER DVODECIMVS.

CAPVT PRIMVM.

EXIN conuenerunt omnes principes Britonum in ciuitatem Legecestriam, communemque assensum habuerunt, vt Caduanum facerent sibi regem, ipsoque duce Edelfridum vltra Humbrum persequerentur. Insignitoque illo regni diademate, vndique confluentes Humbrum præterierunt. Cumque id Edelfrido nunciatum esset, associauit sibi omnes reges Saxonum, obuiusque Caduano perrexit. Denique cum cateruas suas in vtraque parte statuerent, venerunt amici eorum, talique pacto pacem inter eos fecerunt: vt Edelfridus trans Humbrum: Caduanus vero citra Humbrum fluuium Britanniam possiderent. Cum autem conuentionem suam obsidibus iureiurando confirmassent, orta est tanta amicitia inter eos, vt omnia sua communia haberent. Interea contingit vt expulsa propria coniuge Edelfridus aliam duceret: expulsamque tanto haberet odio, vt eam ex regno Northãhumbriæ expelleret. Porro illa puerum in vtero habens regem Caduanum adiuit: orans vt eius interuentione marito suo resociaretur. Cumque id ab Edelfrido nullatenus impetrari potuisset: remansit illa in thalamo Caduani, donec dies partus filium quem conceperat in mundum produxit. Natus est etiam paulo post Caduano regi filius ex regina coniuge sua: nam & illa eodem tempore grauida facta fuerat. exin nutriti sunt pueri, vt regium genus decebat, quorũ alter videlicet Caduallo nuncupatur, alter vero Eduuinus. Interea cum progressior ætas ipsos in adolescentiã promouisset: miserunt eos parentes ad Salomonem regem Armoricanorum Britonum, vt in domo eius documenta militiæ, ceterarumque curialium consuetudinem addiscerent. Excepti itaque diligenter ab eo, in familiaritatem ipsius accedere cœperũt; ita vt non esset alter ætatis eorum in curia, qui posset cum rege aut esse secretius, aut loqui iucundius. Denique frequenter ante illũ in præliis congressum cum hostibus faciebant: virtutemque suam præclaris probitatibus famosam agebant.

CAPVT II.

SVCCEDENTE tandem tempore, defunctis parentibus in Britanniam reuersi sunt, susceptoque regni gubernaculo, eam amicitiam, quã prius patres eorum, exercere cœperunt. Emenso deinde biennio, rogauit Caduallonẽ Eduuinus, vt sibi diadema habere liceret, celebraretque statutas solennitates in partibus Northanhumbrorum, quemadmodum ipse citra Humbrum antiquo more consueuerat. Cumque inde iuxta fluuium Duglas colloquium facere incœpissent, disponẽtibus sapientioribus vt melius fieri poterat: iacebat Caduallo in alia parte fluminis in gremio cuiusdam nepotis sui, quem Brianum appellabãt. At dum legati hinc & inde mutua responsa deferrent, fleuit Brianus, lacrimæque ex oculis eius manantes ita ceciderunt, vt faciem regis & barbam irrorarent. Qui imbrem cecidisse ratus, erexit vultum suum, vidensque iuuenem in fletum solutum, causam tam subitæ mœstitiæ inquisiuit. Cui ille: Flendum mihi est, gentique Britonum perpetuo: quæ a tempore Malgonis barbarorum irruptione vexata, nõdum adepta est talem principem, qui eam ad pristinam dignitatem reduceret. Adhuc etiam id tantillum honoris quod ei remanebat, te patiente minuitur, cum aduenæ Saxones, qui semper proditores eius extiterãt, in vno cum illo regio diademate incipiãt insigniri.

Nomine etenim regis elati, famosiores per patriā ex qua venerunt efficientur, citiusq; conciues suos inuitare poterunt, qui genus nostrū exterminare insistent. Consueuerunt namque proditionem semper facere, nec vlli firmā fidem tenere. Vnde a nobis opprimendos esse, non exaltandos censerem. Cum ipsos primo rex Vortegirnus retinuit, sub vmbra pacis remanserūt, quasi pro patria pugnaturi: sed cum nequitiā suā manifestare quiuerunt, malū pro bono reddentes, prodiderunt eū, populumq; regni sęua clade affecerunt. Prodiderunt deinde Aureliū Ambrosium: cui post horribilia sacramenta, vna cum eo conuiuantes, venenum potare dederunt. Prodiderunt quoq; Arturum, quādo cum Modredo nepote suo, postposito iure quo obligati fuerant, contra illum dimicauerunt. Postremo Caretico regi fidem mentientes, Gormondum Africanorum regem super ipsum conduxerunt: cuius inquietatione & patria ciuibus erepta est, & prædictus rex indecenter expulsus.

CAPVT III.

Haec eo dicente, pœnituit Caduallonem incœptę pactionis: mādauitq; Eduuino, quod nullatenus a consiliariis suis impetrare poterat, vt permitterent eum petitioni illius acquiescere. Aiebant enim contra ius veterumque traditionem esse, insulā vnius coronæ duobus coronatis submitti debere. Iratus igitur Eduuinus, dimisso colloquio, secessit in Nortāhumbriam, dicens sese sine licentia Caduallonis regali diademate initiandum. Quod cum Caduallonì indicatum esset, nuntiauit ei per legatos, se amputaturum ei caput sub diademate, si intra regnum Britanniæ coronari præsumeret.

CAPVT IIII.

Orta igitur discordia inter eos, cum vtrorumque homines sese plurimis decertationibus inquietauissent: conuenerunt ambo vltra Humbrū, factoque congressu, amisit Caduallo multa milia suorum, & in fugam versus est. Arrepto quoque per Albaniam itinere, Hiberniam insulā adiuit. At Eduuinus vt triūpho potitus fuit, ducit exercitum suum per prouincias Britonū: combustisque ciuitatibus, ciues & colonos pluribus tormētis affecit. Dum autem sæuitię suę indulgeret, conabatur Caduallo semper nauigio in patriā suam reuerti; nec poterat: quia ad quemcunque portum applicare incipiebat, obuiabat ei Eduuinus cum multitudine sua, introitumq; ei negabat. Venerat namq; ad eū quidam sapientissimus augur ex Hispania, vocabulo Pellitus, qui volatus volucrum cursusque stellarū edoctus, prędicebat ei omnia infortunia quæ accidebant. Vnde reditu Caduallonis notificato, obuiauit ei Eduuinus, nauesque eius illidebat, ita vt mersis sociis eidem omnem portū abnegaret. Nescius ergo Caduallo quid faceret, cum fere in desperationem reuertendi incidisset: tandem apud se deliberat, quod Salomonē regem Armoricanorū Britonum adiret, rogaretq; illū auxilium & consilium, quo in regnū suum reuerti queat. Cumque vela Armoricā versus dirigeret, tēpestates ex improuiso validæ ruunt, disperguntque naues sociorum eius, ita vt in breui nulla cum altera remaneret. Inuasit ilico timor nimius rectorem nauis regis, quam, relicto remige, dispositioni fortunæ commisit. Vt igitur cum periculo mortis tota nocte inter obstantes vndas nunc huc nunc illuc expulsa fuit: in sequentis diei aurora applicuerunt in quandam insulam quæ Garnareia nuncupatur; vbi maximo labore nacti sunt tellurem. Occupauit continuo Caduallonem tantus dolor ob suorum sociorum amissionem, vt tribus diebus & noctibus cibo vesci aspernaretur, ac in lecto infirmatus iaceret. Quarto deinde instante die cœpit eum maxima cupiditas edendi ferinam carnem: vocatoque Briano, indicauit quod concupiscebat. At ille sumpto arcu cum pharetra, iuit per insulam, vt si casus aliquam feram afferret, escam ille ex ea acquireret. Cumque eam totam peragrasset, nec id quod quærebat reperiret, maximis cruciatus est angustiis, quia domini subuenire nequiret affectui. Timebat ei ne mors infirmitatem illius subsequeretur, si appetitum suum explere non valuisset. Vsus ergo arte noua, scidit femur suum, & inde frustum carnis abstraxit: paratoque veru torruit illud, & ad regem pro venatione portauit. Mox ille ferinam carnem esse existimans, cœpit ea vesci & sese reficere, admirans quod tantam dulcedinem in aliis carnibus non reperisset. Satiatus tandem, hilarior factus est & leuior, ita vt post tres dies totus sanus fieret. Incumbente deinde congruo vento, armamenta nauis parat: erectoque velo æquoreum

iter aggrediuntur, & in Kidaletam vrbem applicant. Deinde venientes ad regem Salomonem, suscepti ab illo sunt benigne, & vt decebat venerati: & cum causam aduentus eorum didicisset, auxilium eis in hunc sermonem promisit:

CAPVT V.

DOLENDVM nobis est, egregij iuuenes, patriam auorum vestrorum a Barbara gente oppressam esse, & vos ignominiose expulsos. Et cum ceteri homines regna sua tueri queant, mirum est populum vestrum tam fœcundam insulam amisisse: nec genti Anglorum, quam nostrates pro vili habent, resistere posse. Dum gens huius meæ Britanniæ vna cum vestratibus in vestra Britannia cohabitaret, dominabatur omnium prouincialium regnorum, nec fuit vspiam populus, præter Romanos, qui eam subiugare quiuisset. Nec hoc quidem per suam potestatem Romani fecerunt, vt mihi nuper dictum est: sed per dissidium inter nobiles dictæ insulæ ortum. Romani autem, licet eam ad tempus subditam habuissent, amissis rectoribus suis ac interfectis, cum dedecore expulsi abscesserunt. Sed postquam Maximiano & Conano ducibus ad hanc venerunt prouinciam, residui qui remanserunt nunquam eam deinceps gratiam habuerunt, vt regni diadema continue haberent. Quãquam enim multi principes eorum antiquam patrum dignitatem seruarent, plures tamen debiliores heredes succedebant, qui eam penitus, inuadentibus hostibus, amittebãt. Vnde debilitatem populi vestri doleo, cum ex eodem genere simus: & sic Britones nominentur, sicut & gens regni quæ patriam quam videtis omnibus vicinis aduersatam viriliter tuetur.

CAPVT VI.

POSTQVAM his & aliis finem dicendi fecit, aliquantulum verecundans Caduallo, in hunc modum respondit: Gratias multimodas tibi ago rex, regibus atauis edite: quia auxilium mihi promittis, vt regnum meum recuperem. Hoc autem quod dicebas, mirum esse gentem meam non seruasse auorum dignitatem, postquam Britones ad has prouincias venerunt: nequaquam id admirandum censeo. Nobiliores namque totius regni prædictos duces secuti fuerunt, & ignobiles remanserunt, qui ipsorum potiti sunt honoribus. Qui cum vicem nobilium obtinere cœpissent, extulerũt se vltra quam dignitas expetebat, & ob diuitiarum affluentiam superbi, cœperunt tali & tantæ fornicationi indulgere, qualis nec inter gentes audita est: & (vt Gildas historicus testatur) non solum hoc vitium, sed omnia quæ humanæ naturæ accidere solent, perpetrarunt. Et inualuit præcipue, quod totius boni euertit statum, odium veritatis cum assertoribus suis: amorque mendacij cum fabricatoribus suis: susceptio mali pro bono: veneratio nequitiæ pro benignitate: exceptio Satanæ pro Angelo lucis. Vngebantur reges non propter Deum, sed qui ceteris crudeliores exstarent: & paulo post ab vnctoribus, non pro veri examinatione, trucidabantur; aliis electis trucioribus. Si quis vero eorum mitior, & veritati aliquatenus propior videretur, in hunc quasi Britanniæ subuersorem, omnium odia telaque torquebantur. Denique omnia quæ Deo placebant & displicebant, æquali lance inter eos pendebant, si non grauiora essent displicentia. Itaque agebantur cuncta quæ saluti fuerant contraria: ac si nihil medicinæ a vero omnium medico largiretur. Et non solum hoc seculares viri, sed & ipse grex domini, eiusque pastores sine discretione faciebant. Non igitur admirandum est, degeneres tales, Deo ob talia scelera inuisos, patriam illam amittere, quam prædicto modo maculauerant. Volebat etenim Deus vindictam ex ipsis sumere, dum externum populum superuenire passus est, qui nos patriis agris exterminaret. Dignum tamen esset, si Deus permitteret, ciues pristinæ dignitati restituere: ne generi nostro opprobrium sit, nos debiles fuisse rectores, qui tempore nostro in id non desudauerimus. Idem etenim nobis atauus fuit: vnde auxilium tuum securius postulo. Malgo namque summus ille rex Britanniæ, qui post Arturum quartus regnauerat, duos genuit filios, quorũ vnus Ennianus, alter vero Runo vocabatur. Ennianus autem genuit Belin: Belin Iagonem: Iago Caduanum patrem meum. Runo autem, qui post obitũ fratris expulsus fuit inquietatione Saxonum, hanc prouinciã adiuit: deditq; filiam suam Hoelo duci, filio magni Hoeli: qui cum Arturo patrias subiugauerat. Ex illa natus est Alanus: ex Alano Hoelus pater tuus, qui dum vixit toti Galliæ non minimum inferebat timorem.

CAPVT VII.

INTERREA hiemante eo apud Salomonem, consilium inierunt, vt Brianus in Britanniam transfretaret, Magumq; Eduuini regis aliquo modo perimeret, ne solita arte aduentum Caduallonis ei indicaret. Cumque in portum Hamonis applicuisset, finxit se intra vestimēta cuiusdam pauperis, pauperē: fecitq; sibi baculū ferreum & acutum, quo Magum interficeret, si illum casus obtulisset. Deinde perrexit Eboracum. Nam tunc Eduuinus in eadem vrbe manebat. Vt igitur illam ingressus est, associauit se pauperibus, qui ante ianuam regis eleemosynam expectabant. Eunte autē eo & redeunte, egressa est soror eius ex aula, habens peluim quandam in manu, vt aquam reginę apportaret. illam rapuerat Eduuinus ex vrbe Guigornensium, dum post fugam Caduallonis in prouincias Britonum desæuiret. Cum itaque ante Brianum præteriret, agnouit eam continuo, & in fletum solutus, eam demissa voce vocauit. Ad vocē ergo ipsius, faciem puella vertens, dubitauit primò quis ipse esset. at vt propius accessit, agnito fratre, pene in extasim collapsa est, timens ne aliquo infortunio notificatus ab hostibus caperetur. Postpositisq; osculis & familiaribus verbis, indicauit fratri breuiter, quasi aliud loquens, statum curiæ, & Magum, quem ipse quærebat, qui forte tunc inter pauperes deambulabat, dum eleemosyna eisdem distribueretur. Porro Brianus, vt viri notitia vsus est, præcepit sorori, nocte sequenti ex thalamis furtim egredi, & ad se extra vrbem iuxta quoddam templum vetus venire, vbi ipse aduentum eius in crepidinibus loci expectaret. Deinde intromisit se intra turbam pauperum, in parte illa vbi Pellitus ipsos collocabat. Nec mora: cum aditum percutiendi habebat, erexit burdonem quem supra dixi, infixitq; Magum sub pectore, atque eodem ictu interfecit. Mox proiecto baculo inter ceteros delituit, nulli astantium suspectus, & præfata latibula fauente Deo petiuit. At soror, instante iam nocte pluribus modis egredi conata est: nec valuit, quia Eduuinus ob necem Pelliti exterritus, vigiles circa curiam posuerat, qui quæque abdita explorantes, egressum ei abnegabant. Cumque id comperisset Brianus, recessit ex illo loco, iuitque Exoniam, vbi cōuocatis Britonibus, ea quæ fecerat, notificauit. Missis postmodum ad Caduallonem legatis, muniuit vrbem illam: mandauitq; vniuersis Britonum proceribus, vt opida sua & ciuitates defensare insisterent, lætique aduentum Caduallonis expectarent, qui in breui Salomonis auxilio fretus, eis præsidio veniret. Hoc itaque per totam insulam diuulgato, Peanda rex Merciorum cum maxima multitudine Saxonum venit Exoniam, Brianumque obsedit.

CAPVT VIII.

INTERREA applicuit Caduallo cum decem milibus militum, quos ei Salomon rex commiserat: petiuitq; celeriter obsidionem quam prædictus rex tenebat. Vt autē cominus perrexit; diuisit milites suos in quatuor partes, hostesque suos adire non distulit. Conserto deinde prælio, captus est Peanda continuo, & exercitus eius peremptus. Cūque ipse alium aditum salutis nō haberet, subdidit se Caduallonì, deditq; obsides, promittens sese cum illo Saxones inquietaturum. Triumphato itaq; illo, conuocauit Caduallo proceres suos multo tempore dilapsos: petiuitque Northamhumbriam contra Eduuinum, patriamque vastare non cessauit. Quod cum Eduuino nunciatum esset: associauit sibi omnes regulos Anglorum, & in campo, qui Heuefeld appellatur, obuiam veniens, bellum cum Britonibus commisit. Illato ocyus prælio interficitur Eduuinus, & totus fere populus quem habebat: nec non & filius eius Offridus cum Godboldo rege Orcadum, qui eis in auxilium venerat.

CAPVT IX.

HABITA igitur victoria, Caduallo vniuersas Anglorum prouincias peruagando ita debacchatus est in Saxones, vt vix sexui quidem muliebri vel paruulorum ętati parceret: quoniam omne genus Anglorum ex finibus Britanniæ abradere volens, quoscūque reperiebat, inauditis tormentis afficiebat. Deinde commisit prælium cum Osrico qui Eduuino successerat: atque illum interemit, & duos nepotes eius, qui post illum regnare debuerunt. Sed & Adanum regem Scotorum, qui eis auxilio venerat.

CAPVT X.

Eis itaq; interfectis, successit Osvvaldus in regnum Nortãhumbriæ, quem Caduallo post ceteros qui eum inquietauerũt, in prouinciam, vsque ad murum, quem Seuerus Imperator olim inter Britanniam Scotiamq; construxerat, fugauit. Postea misit Peãdam regem Merciorum, & maximam partem sui exercitus ad eundem locum, vt cum eo bellum cõsereret. At Osvvaldus, dum a prædicto Peanda, in loco qui vocatur Heuefeld, id est, celestis campus, quadam nocte obsideretur: erexit ibidem crucem domini, & cõmilitonibus suis indixit, vt suprema voce in hæc verba clamarent: Flectamus genua omnes, & Deum omnipotẽtem viuum & verum in commune deprecemur, vt nos ab exercitu superbo Britannici regis, & eiusdem nefandi ducis Peandæ defendat. Scit enim ipse, quia iusta pro salute gentis nostræ bella suscepimus. Fecerunt ergo omnes vt iusserat: & sic incipiente diluculo in hostes progressi, iuxta suæ fidei meritum victoria potiti sunt. Quod vt Cadualloni nunciatum fuit, acri ira ignescens, collegit exercitum suum, & sanctum regem Osvvaldum insequutus est: & collato prælio, in loco qui Burne vocatur, irruit in eum Peanda atque interfecit.

CAPVT XI.

Perempto igitur Osvvaldo cum multis milibus suorũ, successit ei in regnũ Northãhumbrorũ frater eius Osuuinus, qui multa donaria auri & argenti Cadualloni toti iam Britanniæ imperanti donans, pacẽ eius adeptus est, & sese ipsi submisit. Nec mora, insurrexerunt in eum Alfridus frater eius & Oiduuald filius fratris eius. Sed cum perstare nequiuissent, diffugerũt ad Peandã regẽ Merciorũ, ipsum implorantes, vt collecto exercitu cum eis trãs Humbrũ iret: regiq; Osuuino regnum suum auferret. At Peanda timens pacem infringere, quã rex Caduallo per regnum Britanniæ statuerat, distulit sine licentia ipsius inquietationem incipere, donec illum aliquo modo incitaret: vt vel ipse in Osuuinum regem insurgeret, vel sibi cum eo congrediendi copiam concederet. Quadam igitur solennitate Pentecostes, cum rex Caduallo diadema Britanniæ portando, festum Londoniis celebraret; & vniuersi Anglorum reges, prȩter Osuuinum solum, nec non & Britonum duces adessent, adiuit Peanda regem, & ab eo quæsiuit, cur Osuuinus solus aberat, cum ceteri Saxonum principes adessent. Cui cum Caduallo respondisset, ipsum infirmitatis causa deesse: adiecit ipse, dicens, illum misisse propter Saxones in Germaniam, vt fratrem suum Osvvaldum in ipsos vtrosque vindicaret. Adiecit etiam, illum pacem regni infregisse, qui solus præliũ & contẽtionem inter eos inceperat, cum Edelfridum regem Northãhumbrorum, & Oiduualdũ fratris sui filium, bellis inquietatos, a patria propria expulisset. Petiuit quoque licentiam vt eum, vel interficeret, vel a regno fugaret.

CAPVT XII.

Rex igitur in diuersas meditationes inductus, familiares suos seuocauit, præcepitque coniicere quid super tali re autumarent. Coniicientibus eis plura, Margadud rex Demetiorum inter ceteros dixit: Domine, quoniam genus Anglorũ te ex finibus Britanniȩ explsurum proposuisti, cur a proposito tuo diuertens, ipsos inter nos in pace manere pateris? Eia ergo, permitte saltem, vt ipsi inter semetipsos ciuilem habeant discordiam, & mutuis cladibus affecti a patria nostra exterminentur. Non est enim fides illi seruanda, qui semper insidiatur, vt eum cui eam debet versutis laqueis capiat. Saxones ergo, ex quo primum patriam nostram ingressi sunt, semper insidiantes gentẽ nostram prodiderunt. Quam itaque fidem eis tenere debemus? Da ocyus Peandȩ licentiam, vt in prȩdictum Osuuinum insurgat: vt sic ciuili discordia inter eos exorta alter alterum perimens, ab insula nostra deleantur.

CAPVT XIII.

His igitur & pluribus aliis dictis motus Caduallo, Peandæ licentiam dedit congrediendi cum Osuuino. Qui deinde collecto innumerabili exercitu, petiuit Humbrum, & prouinciam eiusdem patriȩ vastando, prȩdictum regem acriter cœpit inquietare. At Osuuinus ad vltimum necessitate coactus, promisit ei innumera regia ornamenta, & maiora donaria quam credi potest, vt patriam suam vastare de-

sineret,& prætermissa inquietatione quam inceperat, domum rediret. Cumque ille precibus eius nullatenus assensum prębèret: rex ille ad diuinũ respiciens adiutorium, licet minorem haberet exercitum, iniuit tamẽ prælium cum illo iuxta fluuium VVinned & Peanda, nec non & triginta ducibus peremptis, victoriam adeptus est. Interfecto igitur Peanda, VVlfredus filius eiusdem, donãte Caduallone, successit in regnum, qui cõsociat sibi Eba & Edberto Merciorũ ducibus, rebellauit aduersus Osuuinum: sed iubente tandẽ Caduallone, pacem cũ illo habuit. Cõpletis tandem quadraginta octo annis, nobilissimus ille atque potentissimus Caduallo rex Britonũ, senio & infirmitate grauatus, xv. Kalendas Decemb. ab hoc seculo migrauit. Cuius corpus Britones Balsamo & aromatibus conditum in quadam ænea imagine, ad mensurã staturæ eius fusa, mira arte posuerunt. Imaginem autem illam super æneum equum, miræ pulcritudinis armatam, & super Occidentalem portam Londoniarum erectam in signum prædictæ victoriæ, & Saxonibus in terrorem statuerunt. Sed & ecclesiam subtus, in honorem sancti Martini ædificauerunt, in qua pro ipso & fidelibus defunctis, diuina celebrantur obsequia.

CAPVT XIIII.

SVCCESSIT itaq; in regni gubernaculum Caduallladrus filius eius, quẽ Beda Elidualdam iuuenem vocat, & in initio viriliter & pacifice tractauit. At cum duodecim annos post sumptum diadema præteriisset, in infirmitatem cecidit, & ciuile dissidium inter Britones ortum est. Mater eius fuerat soror Peandæ; patre tantum eodem; matre vero diuersa, ex nobili genere Genuisseorũ edita fuerat. Eam memoratus rex Caduallo, post factam cum fratre concordiam, in societatem thori accepit; & Caduualladrum ex illa progenuit.

CAPVT XV.

QVO igitur (vt dicere cœperam) languente, discordia afficiuntur Britones, & opulentam patriam detestabili dissidio destruunt. Accessit etiam aliud infortunium: quia fames dira ac famosissima insipienti populo adhęsit, ita vt totius cibi sustentaculo quęque vacuaretur prouincia, excepto venatoriæ artis solatio. Quam famẽ pestifera mortis lues consecuta est: quæ in breui tantam populi multitudinem strauit, quantam non poterant viui humare. Vnde miseræ reliquiæ, patriam factis agminibus diffugientes, transmarinas petebãt regiones, & cum vlulatu magno sub velorum sinibus hoc modo cantantes: Dedisti nos Deus tanquam oues escarum: in gentibus dispersisti nos. Ipse etiam rex Caduualladrus cum nauigio miserabili Armoricam petens, prædictum planctum hoc modo augebat: Væ nobis peccatoribus, ob immania scelera nostra, quibus Deum nullatenus offendere diffugimus, dum pœnitẽtiæ spatium habebamus. Incumbit ergo illius potestatis vltio: quæ nos ex natali solo extirpat: quos nec olim Romani, nec deinde Scoti vel Picti: nec versutæ Saxonum proditiones exterminare quiuerunt. Sed in vanum patriam contra illos totiens recuperauimus: cum non fuit Dei voluntas, vt in ea perpetuo regnaremus. Ipse verus iudex, cum vidisset nos nullatenus a sceleribus nostris cessare velle, ac neminem genus nostrum a regno expellere posse: volẽs corripere stultos, indignationem suam direxit, qua propriam nationem cateruatim deserimus. Redite ergo Romani: redite Scoti & Picti: redite Ambrones & Saxones: ecce patet vobis Britannia, ira Dei deserta: quam vos desertam facere nequiuistis. Non nos fortitudo vestra expellit: sed summi regis potentia, quã nũquam offendere distulimus.

CAPVT XVI.

VT igitur inter hos & alios gemitus in Armoricanũ littus appulsus fuit: venit cum tota multitudine sua ad regem Alanum Salomonis nepotem: & ab illo digne susceptus est. Britannia ergo cunctis ciuibus, exceptis paucis, quibus in Gualliarum partibus mors pepercerat, desolata, per vndecim annos Britonibus horrenda fuit. Saxonibus quoque eadem tempestate ingrata, qui in illa sine intermissione moriebantur. Quorũ residui, cum tam feralis lues cessauisset, continuum morem seruantes, nunciauerunt conciuibus suis, Britanniam insulam indigena gente carentem, facile illis subdendam, si in illam habitaturi conuenirent. Quod cum ipsis indicatum fuisset, nefandus popu-

lus ille,collecta innumerabili multitudine virorum ac mulierum, applicuit in partes Northāhumbriæ: & desolatas prouincias ab Albania vsque ad Cornubiā inhabitauit. Non enim aderat habitator qui prohiberet, præter pauperculas Britonum reliquias quæ superfuerant,quæ intra abdita nemorum in Gualiis commanebant. Ab illo tempore potestas Britonum in insula cessauit:& Angli regnare cœperunt.

CAPVT XVII.

DEINDE cum aliquantulum temporis emensum esset,& prędictus populus roboratus fuisset,recordatus Caduallad rus regni sui iam a supradicta contagione purificati auxilium ab Alano petiuit: vt pristinæ potestati restitueretur. At cum id a rege impetrauisset,intonuit ei vox angelica,dum classem pararet,vt cœptis suis desisteret. Nolebat enim Deus Britones in insula Britanniæ diutius regnare, antequam tempus illud venisset,quod Merlinus Arturo prophetauerat.Præcepit etiam illi,vt Romam ad Sergium Papam iret,vbi peracta pœnitentia inter beatos annumeraretur. Dicebat etiam populum Britonum per meritum suę fidei insulam in futuro adepturum,postquam fatale tempus superueniret. Nec id tamen prius futurum,quam Britones reliquiis eius potiti,illas e Roma in Britanniam asportarent. Tunc demum reuelatis etiam ceterorū sanctorum reliquiis, quæ propter paganorum inuasionem abscōditę fuerant, amissum regnum recuperarent. Quod cum auribus beati viri intimatum fuisset: accessit ilico ad Alanum regem, & quod sibi indicatum fuerat,indicauit.

CAPVT XVIII.

TVNC Alanus sumptis diuersis libris, & de prophetiis Aquilæ qui Sehstoniæ prophetauit,& de carminibus Sibyllæ ac Merlini,cœpit scrutari omnia, vt videret, an reuelatio Caduallad ri scriptis oraculis concordaret. Et cum nullam discrepantiam reperisset:suggessit Caduallad ro,vt diuinæ dispēsationi pareret: & Britannia postposita, quod angelicus ei præceperat monitus,perficeret. Filium autem suum Iuor, ac Ini nepotem suum ad reliquias Britonum regendas in insulam dirigeret; ne gens antiquo illorum genere edita,libertatem barbarica irruptione amitteret. Tūc Caduallad rus abiectis mundialibus,propter Deum regnumque perpetuum,venit Romam, & a Sergio Papa confirmatus;inopino etiam languore correptus, duodecima autem die Kalendarum Maiarum,anno ab incarnatione Dominica sexcentesimo octogesimo nono, a contagione carnis solutus,cœlestis regni aulam ingressus est.

CAPVT XIX.

CVM autem Iuor & Ini naues sibi collegissent, quos potuerunt associauerunt sibi, & applicuerunt in insulam ,atq; XLIX. annis gentem Anglorum sæuissima inquietatione affecerunt:sed non multum profuit. Supra dicta namq; mortalitas, & fames,atque consuetudinarium dissidium, intantum coegerat populum superbum degenerare,quod hostes longius arcere nequiuerant.Barbarie etiam irrepente,iam non vocabātur Britones,sed Gualenses: vocabulum siue a Gualone duce eorū,siue a Guales eorum regina,siue a barbarie trahentes. At Saxones sapientius agentes, pacem etiam & concordiam inter se habentes,agros colentes,ciuitates & opida reædificantes, & sic abiecto Britonum dominio, iam toti Loegriæ imperauerant, duce Adelstano,qui primus inter eos diadema portauit.Degenerati autem a Britannica nobilitate Gualenses, nūquam postea monarchiam insulæ recuperauerunt:immo, nunc sibi interdum Saxonibus ingrati,consurgentes,internas atque domesticas clades incessanter habebant.

CAPVT XX.

REGES autem illorum qui ab illo tempore in Gualiis successerunt:Karadoco Lācarbanensi contemporaneo meo,in materia scribendi permitto. Reges vero Saxonum Guillelmo Malmesberiensi, & Henrico Hontendonensi: quos de regibus Britonum tacere iubeo,cum non habeant illum librum Britannici sermonis, quem Gualterus Oxenefordensis archidiaconus ex Britannia aduexit.quem de historia eorum veraciter editum in honore prædictorum principum, hoc modo in Latinum sermonem transferre curaui.

FINIS.

PONTICI VIRVNNII BRITANNICAE HISTORIAE

LIBER PRIMVS.

BRITANNIA insularum optima in occidentali Oceano inter Galliam & Hiberniam sita, octingenta milia in longum, ducenta vero in latum continens, quicquid mortalium vsui cõgruit, indeficienti fertilitate ministrat. omni genere metallorum fœcunda, campos late pansos habet, collesque præpollenti culturæ aptos, in quibus frugum diuersitates vbertate glebæ temporibus suis proueniunt. Habet & nemora vniuersis ferarum generibus repleta, floribus, apibusq; mirifice, pratis, fontibus amœnis per nitidos riuos murmurantibus, lacubus & piscosis fluuiis irrigua est, & absq; meridianæ plagæ freto, quo ad Gallias nauigatur, tria nobilia flumina, Tamesim videlicet, & Sabrinam nec nõ & Humbrum, veluti tria brachia extendit, quibus transmarina commercia ex vniuersis nationibus eidem nauigio ferũtur. Bis denis, etiam bis quaternis ciuitatibus olim decorata erat, quarum quędam dirutis mœnibus in desertis locis squalescunt, quædam vero adhuc integræ, templa sanctorum cum turribus perpulcra altitudine erecta continent, in quibus religiosi cœtus virorum, ac mulierũ, obsequium Domini iuxta traditionem Christiaram præstant. Postremo quinque inhabitatur populis, Normãnis videlicet, & Britannis, Saxonibus, Pictis, id est Pictonibus, & Scotis: ex quibus Britones olim ante ceteros a mari vsque ad mare insederunt, donec vltione diuina propter ipsorum superbiam superueniẽte, Pictis & Saxonibus cesserunt. Mirum autem est, in tot, & tantis turbinibus rerum, semper literas amauit, & vtraque lingua sæpe plurimum floruerunt magni vates, sicut Plenydius Oronius; philosophi quoque & oratores, etiam temporibus nostris probabiles modo profundo artium prima, & in reliquis insignes.

Primi autem habitatores qui sint, in antiquis annalibus ipsorum sunt hoc modo:

ASCANIO filio Æneæ, filius fuit Siluius, qui ex quadam nepte Lauiniæ clam sustulit filium Brutum nomine. cognito stupro, Magi dixerunt parituram puerum, qui patrem occideret. Adultus puer vaticinium perfecit: Nam Siluium in venatione patrem inuitus sagitta interemit. Quo facto exulauit, atque in Gręciam diuertit, vbi cum Heleno habitauit. tandem multa prælia gessit, & vicit. Inde recedens, templum Dianæ adiuit, in quandam insulam desertam, vbi litauit Deæ iuxta ritum, nouies circuens aram cruore ceruæ, & vino, dicens:

Diua potens nemorum, terror syluestribus apris,
Cui licet amfractus ire per æthereos,
Infernasque domos: terrestria iura resolue,
Et dic quas terras nos habitare velis?
Dic certam sedem, qua te venerabor in æuum,
Qua tibi virgineis dedico templa choris?

Versus sunt Gildæ poetæ Britannici nobilissimi, qui circa tempora Claudij fuit imperatoris Augusti, quos e Græco transtulit. Peracto sacrificio ibi noctu quiescenti dea apparuit, dicens:

Brute sub occasu solis trans Gallica regna,
Insula in Oceano est vndique clausa mari:
Insula in Oceano est habitata Gigantibus olim,
Nunc deserta quidem, gentibus apta tuis.
Hanc pete: namque tibi sedes erit illa perennis.
Hic fiet natis altera Troia tuis,
Hic de prole tua reges nascentur: & ipsis
Totius terræ subditus orbis erit.

EXPERRECTVS (iam mane erat) Gerioni auguri socio heroi inclyto omnia explicat. Lęti hortantur, naues CCCXXIIII. repetiere, in Aphricā venerunt, deinde ad aras Philistenorū, ad Iouem salinarum: & nauigarunt inter Russicadam & mōtes Azaræ, piratas superant, flumen Maluæ transeunt, applicarunt in Mauritaniam: introgressi in Tyrrhenum, inuenerunt Troianorum gentes quasdam cum Antenore fugatas, quibus dux erat Corineus forma gigantea, qui gigantes superabat tanquam pueros: cuius populus, quia multi erant, heroum nomine vocati ab isto, dicebatur populus Cornubiensis. Inde facta amicitia & societate, Brutus recessit, peruenitque in Aquitaniam, & ostium Ligeris ingressus est. Regnabat tunc in Aquitania Goffarius Pictus, qui armatos contra hos misit, quibus præfectus erat Imbertus, quem Corineus interemit, vix nuncius remansit. facto exercitu venit Goffarius rex, cuius ducem Suardum ille perimit. omnes in illum solum, & ipse solus in omnes irruebat.

TVNC in Galliis duodecim reges regnabant, qui auxilia miserunt Goffario. Erat quidam Tros nomine Turnus semigigas, nepos Bruti, qui solo suo gladio sexcentos homines interfecit; tandem occiditur, de cuius nomine ciuitas Turonis vocabulum nacta est, propterea quod ibidem fuit sepultus. Sed cum Troiani assidue minuerentur, & Galli augerentur, decreuit Brutus recedere, venitque in littora Totonesia. Erat tunc nomen insulæ Albion, quæ a nemine habitabatur, nisi a quibusdam gigantibus; quos Troius Corineus, & Brutus ad cauernas fugant, cæduntque, & insulæ dominio potiuntur, & habitare cœperunt: ac Brutus de nomine suo Britanniam appellauit, & socios Britannos vocauit, vnde & Græce ΒΡΕΤΤΑΝΟΙ dicuntur. Quod autē Troiani venerint in Britanniam, tradunt Græci, pariter magni autores, & in Italiā, & Gallicos campos. Portionem regni sui Corineus vocauit Corinensem, quam sibi elegit; quæ nunc ab cornu Britanniæ, vel per corruptionem Cornubia appellatur. Et mirum fuit de illa ætate, in qua fuerunt viri maximi, sed plurimum in Britannia gigantes nomine & viribus, qui tunc erant statura gigantea, vt scribit Homerus, inter quos erat quidam gigas, nomine Goermagog, statura duodecim cubitorum, qui cum viginti gigantibus impetu facto contra Brutum, multos Troianos interficit. Tandem cæduntur gigantes, fugantur, Goermagem captum, vt in lucta cum Corineo certaret, reseruauit. qui dum in lucta essent, Corineum quasi suffocauit, ruptis tribus costis. Corineus eleuatione gigantem tulit in altum, ac illum de rupe præcipitauit in mare: vnde adhuc quoque in Britannia locus ille de præcipitatione gigantis etiam in præsentem diem dicitur, Saltus Goermagog. Brutus elegit ad Tamensem fluuium vrbem condere, Troiamque appellauit, tandem per corruptionem Trinouantum dicta fuit. At postquam Lud frater Cassibellauni, qui cum Iulio Cæsare dimicauit, regni gubernaculum adeptus est, cinxit eam nobilissimis muris, & turribus arte mira fabricatis, & de nomine suo iussit eam dici Caer Lud, id est, ciuitas Lud. vnde postea maxima orta est seditio inter illum, & fratrem Nennium, quoniam vellet nomen Troiæ in patria sua delere. Quam contentionem, quia Gildas historicus & poeta insignis, satis prolixe exequitur, elegi pręterire, ne id, quod tantus scriba tanto stylo perornauit, videar vili dictamine maculare. Regnabat tunc in Iudæa Heli sacerdos, & arca testamenti capta erat a Philistæis. regnabant etiam in Troia filij Hectoris, expulsis posteris Antenoris.

LIBER SECVNDVS.

COGNOVERAT vxorem ſuam Brutus Enogen, Græcam, pulcerrimam omniū mulierum; quam habuit dum eſſet cum Heleno, & tres filios habuerat inclytos, Locrinum, Albanaćtum, Cambrum: qui mortuo Bruto, regnum inter ſe diuiſerunt. Locrinus maior natu dimidium inſulæ tenuit, quæ de nomine ſuo dićta eſt Loegria. Camber autem partem aliam, quæ eſt vltra Sabrinam flumen, quę nunc Gualia vocatur; ſed de nomine ipſius poſtea Cambria dićta eſt. vnde adhuc lingua Britannica vocant ſe gens illa Cambry. Et Albanaćtus iunior poſſedit patriam quæ lingua noſtra his temporibus appellatur Scotia: & nomen ei ex nomine ſuo Albania datum fuit. Paucis poſt annis illuc applicuit Humber rex Hunnorum in Albaniam: & commiſſo prælio Albanaćtus interficitur, & gens ad Locrinū fugere cogitur. Locrinus cum Cambro fratre obuiant exercitui citra fluuium, qui nunc vocatur Humber: Humbrum fugant, & merſus nomen dedit fluuio. Sic Britanniæ pars eſt Cambria de nomine Cambri filij, ex Bruto filio Syluij filij ex Aſcanio. Sic tres puellas dućtas ab Humbro retinuit Locrinus. Prima erat filia cuiuſdam regis Germaniæ, quam cū vrbem expugnaſſet, ceperat Humber. Dicebatur autem illa Eſtrildis, quam Locrinus dum vellet deſponſare allećtus pulcritudine eius diuina, Corineus audito quod deſponſare filiam ſuam recuſaret, bipenne eleuata ait: Hæccine rependis Locrine, ob vulnera mea? ac eum occidiſſet, niſi amici interpoſuiſſent ſe placantibus verbis. Vnde Locrinus duxit filiam Corinei Guendoloenam nomine. Eſtrildem in vrbe Trinouanto ſub terra ſeruauit metu Corinei. Demū pręgnās dedit Habren nomine puellam. Grauida etiā fáćta Guendoloena genuit puerum Maddan. mortuo Corineo Eſtrildem duxit in vxorem, ſpreta filia Corinei. indignata Guendoloena abit Cornubiam, ibi fáćto exercitu iuxta flumen Sturam, vbi Locrinus ſagitta occubuit, regnū occupat, & paterna inſania furens, Eſtrildem & Habren filiolam in fluuium facit pręcipitari, qui nunc dicitur Sabrina: facitq; edićtum per totam Britanniam, vt nomine puellæ fluuius diceretur, quam eius maritus generauerat. vnde adhuc lingua Britānica fluuius dicitur Habren, qui per corruptionem alia lingua nominatur Sabrina. Tunc ſceptrum dat filio Guendoloena Maddæ, retenta ſibi regione Cornubiæ. Tunc Samuel propheta regnabat in Iudæa, & Homerus poeta viuebat. Maddan genuit Mempricium, & Malim: ſed Mēpricius, vt ſolus regnaret, fratrem interfecit, fićta concordia ad allocutionem vocatū: ſæuiſſimus in omnes ardet; ex vxore habuerat Ebraucū filium, qui pædico maximus a lupis in venatione deuoratus eſt. Tūc Saul regnabat in Iudæa. Defunćto Mempricio Ebraucus filius ſuus vir magnæ ſtaturæ & fortitudinis, regnū Britāniæ ſuſcepit. qui primus poſt Brutum fáćta claſſe Gallos infeſtauit, & vrbem cōdidit trans Humbrū de nomine ſuo Caerebrauc, id eſt ciuitas Ebrauci. Et tunc Dauid rex regnabat in Iudæa, & Gad & Aſaph prophetabant in Iſrael. condidit etiā Ebraucus vrbem Alclud, verſus Albaniam, & opidū montis Agned, quod nunc Caſtellū puellarū dicitur, & montem doloroſum. Ex proſapia longa regnauit Rudhudibras, qui condidit opidum montis Paladur, quod nunc Sefronia dicitur. ibi tunc Aquila locuta eſt, dum muri ædificarentur; cuius ſermones ſi veros eſſe arbitrarer, ſicut cetera, memorię dare non diffugerem. Tūc Ioel & Azarias prophetabāt. Succeſſit ei Bladus filius ſuus, qui viginti annis regnauit. hic vrbem ædificauit Caerbladum, quæ nunc Badonia nuncupatur, fecitq; balnea in illa, & templum Mineruæ igne inextinguibili; ſed cum deficere inciperet, in ſaxeos globos vertebatur. (Tunc Helias orauit, ne plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, menſes ſex.) Hic valde ingenioſus fuit, docuitq; Necromantiā per regnum Britanniæ, nec præſtigia facere ceſſauit tanquā Proteus in oculis hominum, & mortuos in aulam loqui inducebat, & rem in aliā rem vertēdo, & ſiſtendo flumina & aues, cum terræ motu turbabat elementa, donec paratis ſibi alis ire per ſummitatē aeris tentauit, ceciditq; ſuper templum Apollinis tritus infra vrbem Trinouantum. Huius filius Leirus vrbem

condidit super flumen Suram, quę Britannice de nomine ipsius Caerleir vocatur: Saxonice autem Lececheſtre. Rebus succedentibus Cunedagius Britanniam tenuit. Tūc Esaias & Osee prophetabant; & Roma est condita 11. Cal. Maij. Post hunc successit Riuallo, cum triduum pluuia cruenta pluisset, & muscarum affluentia, quibus homines moriebantur. huic sacrificanti in templo Dianæ, perdix magnitudine, & varietate pennarum incredibili aduolans locuta est prophetiam; quam quia Gildas nobili epigrāmate est complexus, & grandi marmore in eodem templo res notata idiomate peruetusto, non curo memorare. Deinde regnauit Dunvvallo Cloteni regis Cornubię filius, forma pręstantissimus, coma aurea, & intorta vsque ad suras, gratia incredibili. Hic autem cum contra eum insurrexissent Rudacus rex Cambriæ, atque Staterius rex Albaniæ, confirmatoq; inter se fœdere, duxerunt secum exercitus in prouinciam Dunvvallonis. His cum 2000. obuiauit. cum iam dies abiret, nec adhuc bellum declinaret, seuocauit sexcentos audacissimos iuuenes, & cūctis arma defractorum hostium sumere præcepit, & indui; id quoque ipse facit. deinde deduxit illos inter concurrentes hostium catervas, incedendo quasi ex ipsis esset. nactus quoque locum quo Rudacus, & Staterius erant, commilitonibus indixit, vt in ipsos irruerent. Et sic Rudacum & Staterium interficiens, cum victoria rediit. Hic igitur est qui primus sibi totius insulæ auri diadema constituit: & qui leges patris, quæ Molmutinæ dicebantur, instituit inter Britones, quæ vsque ad hoc tempus celebrantur inter Anglos. Vrbes, templa fecit, vt qui ad illa fugeret, etiam coram inimico abiret: & vię tutæ essent simili modo, quæ ad templa recte ibant, & ad aratra colonorum. postea mortuus, & in vrbe Trinouantum sepultus iuxta templum Concordiæ.

LIBER TERTIVS.

EXIN duo filij eius, Belinus videlicet, austera facie, & supercilio altero demisso, & Brennus, in regnum succedere volentes, maxima contriti sunt discordia: contendebant enim quisque eorum, vt diademate regni insigniretur. sæpe arma deposuerunt, consiliariis demulcentibus: censuerunt enim regnum inter eos ea conditione diuidendum esse; vt Belinus diadema insulæ cum Loegria, atque Cambria, nec non & Cornubia possideret. Erat enim primogenitus, petebatque Troiana consuetudo, vt dignitas hereditatis ei proueniret. At Brennus, quoniam iunior fuerat, fratri subditus Northumbriam ab Humbro vsque ad Catanesia adeptus est. Confirmato igitur super his pactionibus fœdere, tractauerunt patriam per quinquennium cum pace & iustitia. Sed quia discordia sese prosperis rebus miscere conatur, affuerunt quidam fabricatores mendacij, qui Brennum accesserunt, dicentes, eum esse subditum fratri, cum tamen disciplina militari esset insignis, qui toties Ceulfum ducem Morinorum profligasset ex prouincia sua. Te defendens rumpe fœdus, & duc filiam Elsingij regis Norvegiensium, vt ipsius auxilio amissam dignitatem recuperes. Quod factum audiens Belinus frater, primus petiuit Northumbriam, cepitque prouincialium ciuitates, quas custodibus suis muniuit. Porro Brennus eo audito, adducit secum magnas copias Norvegiensium, paratāque classe rediit in Britanniam. cumque æquora securius & prospero vento sulcaret, obuiauit ei Guthlacus rex Dacorum, qui ipsi insidiatus fuerat, æstuauerat namq; amore puellæ, quam Brennus duxerat; vnde vltra modum dolens, classem parauerat & exercitum, ipsumque citissimis velis sequebatur. Nauali ergo aggressu facto, cepit forte nauem, in qua prædicta puella fuerat, illatisque vncis, illam inter consocios attraxit. Illis autem hinc, & illinc in profundo cōgredientibus, ruunt ex improuiso venti auersi, factoque turbine naues dissipantur, dissipatas vero dissipata littora compellunt. Rex igitur Daciæ mirata vi impulsus, peracto quinque dierum cursu cum ventorum timore applicuit cum puella in Northumbriam, nesciens quam patriam inopinabilis euentus obtulisset. cum id a Pagensibus compertum esset; ceperunt illos, du-

xeruntque ad Belinum, qui supra maritima, aduentum fratris expectabat. Erant ibi cum naui Guthlaci, tres aliæ naues, quarum vna fuit ex Brenni nauigio: post autem qui essent, regi indicauerunt, admodum gauisus est id sibi contigisse, dum sese in fratrem vindicare captaret. Emensis deinde aliquot diebus, ecce Brennus refectis nauibus in Albaniam applicuit. Exinde cum captiuitas vxoris, ceterorumque notificata fuisset, & quod frater regnum Northumbriæ, dum aberat, surripuisset; misit nuncios suos ad eum, mandans vt regnum, & sponsam redderet; sin minus, protestans totam insulam se a mari ad mare vastaturum, ipsum etiam fratrem interfecturum, si copia congrediendi præstaretur. Quod cum Belinus audisset, negauit plane quod petebat: collectoque milite contra illum venit in Albaniam. At Brennus ei obuiauit in nemore, quod vocatur Calaterium, vt cum eo congrederetur. Vt igitur eum locum nacti, ordinarunt quisque acies, cominusque accedentes, prælium cœperunt, asperrimeque pugnatum est: concidebant inter corruentes cohortes, vulnerati, quemadmodum segetes, cum a falcatoribus aggrediuntur. denique præualentibus Britonibus, diffugiunt Noruegienses; Belinus insequitur, quindecim milia ceciderunt, vulnerati multi, pauci sani. At Brennus vix vnam nauim nactus, vt fortuna tulit, Gallica littora petiuit: alij quo sors tulisset, fugerunt. Belinus autem, habita victoria, conuocatis regni proceribus intra Eboracum, consultat quid de rege Dacorum faceret: mandauerat enim sibi ex carcere quod se & regnum Daciæ submitteret, tributumque singulis annis exhiberet, si cum amica sua libere abire sineretur: & pactum iuramento, & obsidibus firmaret. Proceres procurant vt hac conditione Belinus Guthlacum regem Dacorum emitteret: & sic actum est. Videns autem Belinus quod iam haberet totius Britanniæ dominium sine timore, paternas leges confirmauit, & vias ad templa, ne essent ambiguæ, quales fuerant, lapidibus strauit per longitudinem insulæ; illas leges statuit quas Gildas historicus & poeta nobilissimus cõuertit in Latinum: Rex vero Aluredus de Latino in Anglicum sermonem transtulit. Brennus autem sic fatigatus, decreuit ire ad principes Galliarum, duodecim militibus solummodo comitantibus. Cum autem nemo ei succurreret, venit tandem ad Seginum ducem Allobrogum, & ab eo honorifice suscipitur: cui Brennus ita charus fuit, vt nemo ei præferretur; ita vt omnia, vel pace, vel bello Brenni cura gererentur: erat enim pulcer aspectu, procera & gracilia membra habens. Cum ita esset amabilis, dux ei vnicam filiam desponsatam habere voluit: hac tamen conditione, si masculis careret, post obitum Brenni regnum cederet Allobrogibus, qui nunc dicuntur Sauoini; si autem filium haberet, promittit auxilium, vt fieret rex Britanniæ. non solum autem id a duce, sed ab omnibus heroibus appetebatur, quia charus æque omnibus erat. Desponsata igitur filia Brenno, statim donat regnum, nam eo anno moritur dux. Dux constitutus Brennus, thesaurum auorum, & atauorum ducis erogat principibus Allobrogum, cum eis omnibus communia habens omnia, & publica conuiuia eis faciens. Proceres igitur illecti eo modo, proponunt vt Brennus vlciscatur fratrem Belinum, idque publico consilio confirmatum est. nec mora, collecto grandi exercitu fœdus cum Gallis iniuit, vt per Gallorum prouincias tuto ire cum exercitu in Britanniam sineretur. Exinde parata in littore Neustriensium classe, in insulam Britanniam prosperis ventis venit. Belinus facto quam magno potuit exercitu contra Brennum fratrem venit conflicturus. Sed cum hinc inde statutæ cohortes fere commisceri cœpissent, accelerauit mater amborum, quæ adhuc viuebat, & per dispositas turmas incedens, (erat autem nomen eius Conuenna) æstuabat filium videre, quoniam tam diu non viderat: vt proximauit, brachia collo iecit, desiderata basia ingeminãs, nudatis quoq; vberibus illum affabatur multis lacrimis; Memento fili, memento vberum istorum quæ suxisti, matrisque tuæ vteri, quem Deus creauit angustiis mea viscera cruciantibus: fratri tuo veniam cõcede, iram tuam compesce, in eum nullam habere debes contumeliam, qui tibi nullam intulerit. nam quod causaris te ob eum a patrio solo expulsum, si euentum rei intuearis diligenter, conqueri non poteris; non enim fugauit te, vt deterius tibi contingeret, sed coëgit deteriora postponere, vt ad potiora sublimareris: subditus namque illi partem regni

possidebas, quam amisisti, par illi factus es, Allobrogum regnum adeptus. Quid igitur fecit? nisi de paupere regulo, magnum regem promouit, & clariorem sponsam: adde, dissidium inter vos ortum non propter ipsum, sed per te incœptum fuit, qui auxilio regis Norvegiæ fretus insurrexisti. Quibus verbis matris delinitus, deposita galea, cum matre ad fratrem perrexit. Belinus vidēs inermem, vultu pacis eum amplexus est, & facta magna pace, vrbem Trinouantū venerunt: ibi consilio inito quid agendum esset, pararunt magnum exercitum in Galliarum prouincias, vt eas superarent. Emenso anno in Gallias transfretarunt, & Galli multis asperrimisque conflictibus attriti, Belino & Brenno concesserunt. Mox Britones & Allobroges victores, Gallos prosequuntur, donec captis regibus ipsos submittere sese coegerunt. In eo anno totas Gallias acquisiuerunt multis vrbibus euersis. Pacatis ibi regni Galliarum rebus, Romam petere deliberant, & Italiam pessumdare. Ingenti itaque apparatu Britānorum & Gallorum, vrbes & prouincias Italiæ statim depopulantur. Erant tunc Romæ duo Consules, Gabius & Porsenna, quorum regimini patria commissa fuerat: qui cum resistere non possent, assensu Senatorum venerunt ad illos concordiam & amicitiam petentes; obtulerunt etiam plurima dona auri & argenti, singulis annis tributum, vt sua, cum pace possidere sinerentur. sumptis ergo obsidibus veniam reges donauere, cohortesque suas in Germaniam duxerunt, instaurato prius Rhegio Ligustico, quod immanitate Brennus euerterat, ad cōmoditatem rei gerendæ: vbi per biennium immoratus Germanos subegit, & Brennonam condidit de nomine ipsius, quæ nunc corrupte dicitur Verona. Cumque populos infestare cœpissent, piguit Romanos initi fœderis: & reuocata audacia Germanis in auxilium processerunt. Deinde reges habito consilio, vt vtrosque & Germanos & Italos vlciscerentur: Belinus remanet contra Germanos; Brennus cum Gallis & suis Romam contendit; ruptum fœdus vlturus. Romani id videntes, iter præoccupant, vt obstarent furori Barbarorum. Belinus id audiens, reuocato exercitu accelerauit; vallem quandam nactus, qua hostes prætcrituri erant, in illa delituit. Sequenti die adueniunt Itali, visis hostibus attoniti, arbitrati vtique sunt Brēnum, & Gallos & Senones adesse. Belinus acriter Italos inuadit de improuiso, inermes & sine ordine aduenientes. Romani facile profligantur, & sine pietate cęduntur: sed nocte superueniente incœptam stragē perficere nequiuit Belinus. Romam Belinus etiam ipse contendit, & Brenno iūgitur, qui iam triduo antea Romam obsidere cœperat. Romam igitur ambo oppugnant, ante portas furcas erigunt, & obsessis mandant, quod obsides, quos dederant, in patibulo suspenderent, nisi sese dederent. Romani autem despecta pietate fratrum, filiorum, & nepotum, in proposito permanent, & sese defendere intendunt. hinc inde a mœnibus pugnatur. Iratus Brennus vigintiquatuor obsidum nobiliorum statim crucifigit, & alij multi suspenduntur in conspectu parentum suorum. Romani proteruiores, & freti legatione Gabij, & Porsennæ consulum, qui ipsis mandauerunt, vt in auxilium eorum sequenti die venirent; vrbem egredi statuerunt, & cum hostibus pręlia committere. & cum turmas suas sapienter distribuerent, ecce consules refectis sociis adsunt, densisque agminibus inuadunt Allobroges & Britones: & ciues Roma egressi stragem non minimam fecerunt. Porro fratres cum cladem commilitonum tam subito illatam conspexissent, admodum anxiati socios hortantur turmas reficere, & crebras irruptiones facientes hostes retrocedere coëgerunt. tandem multis milibus cæsis, victores sunt fratres interfecto Gabio, captoque Porsenna, vrbem ceperunt, & absconditas ciuium opes commilitonibus tradiderunt. Habita ergo victoria, remansit Brennus in Italia, inaudita tyrannide incolas afficiens. Tandem in Græciam perrexit, vbi tegula templi Apollinis occiditur: exercitus eius adhuc Galatæ nominantur. Ceteros autem actus ipsius & hominum, quoniam Græcorum, & multæ Romanæ historiæ declarant, tractare non curaui, cum nimiam prolixitatem huic operi ingessissem, & id replicans, quod etiam alij tradunt, satis est quæ non habent Latinæ historiæ percurrere. Belinus autem in Britanniam reuersus vixit. Vrbes vetustate collapsas reparauit; nouas condidit multas; & inter alias vnam super Oscam fluuium prope Sabrinum mare, quæ multis temporibus Caerusc dicta est, & Metropolis Demetiæ fuerat. Postquam autem

Romani venerunt, deleto nomine priore vocata est vrbs Legionum, vocabulum trahens a Romanis legionibus, quę ibi hiemare solebant. Fecit etiam in vrbe Trinouantum ianuam miræ fabricæ super ripam Tamesis, quam de nomine suo ciues temporibus istis Belinesgatam appellant. Iustitiam maxime obseruauit: in eius diebus tot ad tantæ diuitiæ fuerunt, quantas viderit vnquam vlla ætas. Mortuus autem combustus est, & cinis in aureo cado reconditus in turris cacumine portę prædictæ, quam fecerat supra portam naualem. Huic filius successit, nomine Barbtruch, vir prudentissimus, grossis & cruentis oculis notandus; cui cum rex Daciæ tributum negaret, quod patri tribuere solitns esset, parata classe in Daciam nauigat, regem interficit, regionem subiugauit pristino iugo. In patriam autem remeans per Orcadas insulas veniebat, ibi triginta naues inuenit, viris & mulieribus plenas: istarum autem nauium dux, Bartolinus nomine, venit obuiam, & adorato eo, veniam & pacem rogauit, dicebatque se ex Hispania pulsum, loca, nouasque sedes quærere: petiit portiunculam Britanniæ inhabitandam, ne maris odiosum iter de cetero peragraret. Vt igitur audiuit Gurguint Barbtruch, eos Bassalenses vocatos esse, misit homines cum eo ad insulam Hiberniæ, quæ tunc omni incola carebat, eamque illis concessit; quam multiplicati vsque in hodiernum diem tenent. Gurguint autem Barbtruch moriens, in vrbe Legionum sepultus est. Post illum Guitellinus successit, vir prudentissimus, iustissimusque, & facie humana; habuit vxorem Martiam nomine, lacte candidiorem, omnibus artibus eruditam: hæc inter multa, & inaudita, quæ proprio ingenio repererat, inuenit legem, quam Britones Martianam appellarunt. Hanc rex Aluredus inter cetera transtulit in Saxonicam linguam, & *Mercheanlegen* vocauit. Mortuo Guitellino, regnauit Martia, & filius puer, qui Sisyllus vocabatur, septennis. Quo mortuo successit Cimarus; quo mortuo successit Elanius; quo defuncto successit ex Tāgustela cōcubina Morindus, semper per lineam regalem, formosissimus & fortissimus. cuius prouinciam cum inuasisset quidam rex Morinorum, hic eum profligauit, nec viuus dimissus fuit vllus; iubebat enim vnum post alium ante se adduci, vt quemque perimens crudelitatem suam propria manu satiaret. Et cum fatigatus paulisper cessasset aggeribus occisorum: præcipiebat ipsos viuos excoriari, & excoriatos comburi: ingentes piræ erant, & spectaculum horrendum. Cum ergo crudelissime imperaret, accidit infortunium, quod nequitiā suam domuit. quoniam ex partibus Hibernici maris, inauditæ feritatis, & formæ monstrosissimæ belua aduenit, quæ incolas iuxta maritimas oras sine intermissione deuorabat. Quod cum Morindus audisset, accessit ad beluam paucis comitantibus, & solus cum ea voluit certare; sed cum tela hausisset, accelerat monstrum aduersus Morindum, & apertis faucibus ipsum veluti pisciculum deuorauit. Huius filius successit Gorbonianus, sanctissimus rex: post cuius mortē regno fuit heres Archigallo frater, vir pessimus in omni genere vitiorum, scurris erogabat, bonos insectabatur, quid mos vel virtus, nesciebat ipse, sed ventrosus, & facie tanquam simij posticum: vnde fuit dimissus, facta populi conspiratione, qui erexerunt Helidurum eius fratrem, qui Pius cognominatus est ob eius in omnes misericordiam. Hic autem post quinquennium, frater neminem auxiliatorem, vt in regnum remitteretur, habens, venit in Britanniam incognitus, decem sociis comitatus, & paupertate vltima aggrauatus transibat Calaterium nemus, vbi frater obuiauit Helidurus venationi regaliter intentus. Cognito autem fratri basia infinita iungens, calamitatem miseratus, clandestina via eum reduxit in vrbem Alclud, quamuis corpore & animo monstrosum: acciuit autem proceres omnes & principes, vt se ægrotum viserent, (simulauerat enim se valida ægritudine correptum de regni rebus velle eos consulere) eo audito cum venissent, singulos stricto gladio armatis satellitibus iuramento coegit fratrem in regnum pristinum resumere. Quo facto Helidurus ipsum regnum fratri pientissime præbuit, coronam de suo capite accipiens fratris capiti collocauit. Itaque meliore via reformatus imperauit: denique languore obiit eueniente, & in vrbe Caerleir sepelitur. Erigitur Helidurus iterum, qui mœsto aspectu erat, sed dum Gorbonianum primogenitum sequitur in omni bonitate, duo residui fratres insurgunt, & capiunt Helidurum, & in turri in carceribus custoditur; regnum diuidunt ipsi; pars enim Britāniæ versus occasum datur Ingenio (ita enim dicebatur) ab Humbro

flumine, altera vero cum tota Albania Pereduro: poſt ſeptem annos obiit Ingenius & totum regnum ceſſit Pereduro: ſed cita morte correptus, iterum erigitur Helidurus. Eo mortuo, cum omni ſolita vita ſanctiſſima ſucceſſit Gorboniani filius, qui ſanctitatem exercuit ſupremam. Poſt illum regnauit Marganus Archigallonis filius, qui etiam exemplo parentum ſerenatus, gentem Britonum cum tranquillitate tractauit. Huic ſucceſſit Ennianus frater ſuus; qui cum eſſet monſtroſus corpore & moribus ſeptimo anno ſeditione regni depoſitus eſt: ea enim tyrannide, qua vſus fuerat, populum concitauerat. in cuius loco frater eius Eduallo nomine ſublimatus eſt Ingenij filius. Huic ſucceſſit Runo Pereduri filius: cui Geruntius Heliduri filius. Poſt illum Catellus eius filius: poſt Catellum, Coëlus: poſt Coëlum Porrex: poſt Porrecem Cherin. huic tres filij fuerunt, Fulgenius videlicet, & Eldadus, & Androgius; qui omnes alter poſt alterum regnauerunt. Exinde ſucceſſit Vrianus Androgij filius: cui Eluidius: Eluidio autem Cledaucus: Cui Cletonus: cui Gurguntius: cui Marianus: cui Bleiducus: cui Caphus: cui Oenus: cui Siſillus: cui Blegabret hilari vultu. Hic omnes cantores quos retro ætas habuerat, & in modulis, & in omnibus muſicis inſtrumẽtis excedabat, ita vt Deus Ioculatorius appellaretur. Poſt illum regnauit Archmael frater ſuus; poſt Eldol; poſt Redion; cui Roporicus; cui Samuel Peniſel; cui Pir; cui Capoir. deinde ſucceſſit Gilquellus Capoiri filius, vir optimus: poſt illũ, Heli filius eius ſucceſſit per quadraginta annos. hic generauit tres filios, Lud, Caſſibellaunũ, Nẽniũ: quorũ Lud, maior natu, & amplis membris ſucceſſit; ædificiorum renouator, muros vrbis Trinouantum renouauit, in dandis epulis profuſus, & quoniam ibi præ aliis vrbibus immoraretur, Trinouantum dicta eſt Caer-Lud, id eſt ciuitas Lud, & deinde per corruptionem nominis Caer Lunda, a ſuccedente tempore per commutationem linguarum dicta fuit Londone, & poſtea Londres; vnde & panni de Lundra dicuntur optimi. Mortuus autem in dicta vrbe fuit, ſepultus iuxta portam illam, quæ adhuc de nomine ſuo Porthlud Britannice, Saxonice vero Ludeſgate nuncupatur. Nati fuerunt ei duo filij, Androgeus, & Theomantius; qui cum pueri imperium regere nequirent, Caſſibellaunus frater ſuus loco illorum ſublimatur, pius & ſanctiſſimus fuit, ita vt pueros ſine portione regni eſſe noluerit; nam magnam partem eis tribuit: Trinouantũ cum Ducatu Cantiæ largitus eſt Androgeo; Ducatũ vero Cornubiæ Theomantio. ipſe autem regni Diademate illis maior habitus eſt.

LIBER QVARTVS.

INTEREA erant iam tẽpora, quibus erat Iulius Cęſar, & contigerat Iulium eundem ſubiugata Gallia ad littus Rutenorum veniſſe: & cum illinc in Britanniã inſulam aſpexiſſet, quęſiuit a circũſtantibus quæ patria & quę gens eam inhabitaſſet, dum ad Oceanũ intueretur: cumq; nomen regni accepiſſet & populi, dixit: Hercle ex eadẽ proſapia nos Romani, & Britones orti ſumus, quoniã ex Troiana gẽte proceſſimus: nobis Æneas poſt deſtructionem Troiæ primus pater fuit; illis autẽ Brutus, quem Syluius Aſcanij Ænea geniti procreauit. ſed niſi fallor, valde degenerati ſunt a nobis, nec quid ſit militia nouerunt, tã procul extra orbẽ ſiti; leuiter cogendi erunt tributũ nobis præbere, & continuũ obſequium Romanæ præſtare dignitati. Prius tamẽ mãdandũ eſt eis, vt inacceſſi a Romano populo, & intacti vectigal reddant, vt ceterę etiã gẽtes, ne nos ipſorũ cognatorum noſtrorũ ſanguinem fundẽtes, antiquã nobilitatem patris noſtri primi offendamus. Quod cũ literis ſuis Caſſibellauno regi mandaſſet, indignatus eſt Caſſibellaunus, & literas ad cũ in hæc verba direxit.

Mirãda eſt, Cęſar, P. R. cupiditas, qui quicquid auri vel argẽti ſitiens, nequit nos in particula Oceani extra orbem poſitos pati, quin cẽſus noſtros appetere præſumat, quos hactenus quiete poſſedimus. nec quidem ſufficit, niſi poſtpoſita libertate ſubiectionem eis faciamus, perpetuã ſeruitutẽ ſubituri. Opprobriũ tibi petiuiſti Cæſar cum communis nobilitatis vena Britonibus & Romanis ab Ænea defluat, & eiuſdem cognationis vna, & eadem

» & eadem catena præfulgeat, quia in firmam amicitiam coniungi deberent. illa a nobis » petenda est, non seruitus; quoniam eam potius largiri didicimus, quam seruitutis iu» gum ferre. libertatem namque in tantum consueuimus habere, quod prorsus ignora» mus quid sit seruituti obedire. quam si ipsi dij conarentur nobis eripere, elaboraremus » vtique omni nisu resistere, vt eam retineremus. Liqueat igitur, Cæsar, dispositioni tuæ » nos pro illa, & pro regno nostro pugnaturos, si, vt cominatus es, infra insulam Britanniæ » superuenire incœperis. His visis C. Iu. Cæsar classem parat, & expectatis ventis dat vela, & in ostium Tamesis fluminis cum exercitu applicuit. cui & Cassibellaunus cum omni apparatu occurrit, & ad Dorobellum opidum veniens, ibi consilium cum principibus regni iniuit de hoste propulsando. Aderat autem secum princeps militiæ suæ Belinus, cuius consilio totum regnum tractabatur. Aderant etiam duo eius nepotes, Androgeus dux Trinouantum & Theomantius dux Cornubiæ; tres quoque reges subditi, videlicet, Cerdious Albaniæ, & Cuitahet Venedotiæ, atque Brochmael Demetiæ: qui in summum pugnandi desiderium ceteros duxerunt, & consuluerunt vt recenter castra Cæsaris adirent, ipsumque antequam ciuitatem aliquam vel opidum cepisset, expellere insisterent: quia si sese intra munitiones suas reciperet, tunc foret difficilius. Quo laudato, cuncti littora petiuerũt, quibus Iulius castra & tentoria erexerat. Ibi dispositis in vtraque parte cateruis, manus hostibus immiserunt, pila pilis, ictus ictibus obiicientes; magna strages efficitur. Dum igitur tellus madet sanguine, obtulit casus Nennium & Androgeum cum Catuariis, & ciuibus vrbis Trinouantum, quibus præsidebant, agmini quo imperator aderat. Vt ergo conuenerunt, pene dissipata fuit imperatoria cohors, Britonibus densa acie inuadentibus. & cum viritim ictus ingeminarent, dedit casus aditum Nennio congressum cum Iulio faciendi. Irruens igitur Nennius in illum, vltra modum lætatur se posse vel solum viro tanto ictum ingerere. Quem Cęsar, vt impetum in se facientem vidit, prætenso clypeo excepit, & quantum vires permiserunt, cum nudato ense ipsum super cassidem percussit. Erecto iterum gladio, voluit exequi primum ictum: sed cum Nennius calluisset, interposuit clypeum suum, in quo mucro Iulij, ante cassidem maximis labens viribus, inhæsit, ita vt, cum turmis irruentibus diutius congredi nequirent, ipsum Imperator extrahere non potuerit. Nennius ergo gladium Cæsaris prædicto modo adeptus, abiecit suum quem tulerat, & abstracto altero in hostes irruere festinat; quemque cum ipso percutiebat, vel ei caput amputabat, vel ipsum saucium præteribat, ita vt nulla spes in eo maneret viuendi. Illi tandem sic sæuienti obuiauit Labienus Tribunus, qui in primo congressu peremptus est a Nennio. Denique multa parte diei emensa, irruentibus Britonibus, strictis turmis, & audaces impetus facientibus victoria, fauentibus diis, prouenit: & Cęsar sese in castra, & naues suas laceratis Romanis recepit. Deinde nocte illa resociatis sociis naues intrauit, & Neptunum pro castris se habere lætatur. Cumque sibi dissuasissent socij prælio diutius contendere; acquiescens monitionibus eorum reuersus est in Galliam. Cassibellaunus vero ob receptum triumphum lætus, grates diis cõsoluens, socios victoriæ conuocauit, & quemque iuxta meritum probitatis, maximis muneribus donauit. Angebatur tamen dolore ex alia parte, quod frater suus Nennius letaliter vulneratus in dubio vitæ iacebat. Vulnerauerat enim illum Iulius Cæsar in supradicto congressu, & plagam immedicabilem intulerat, vnde x v. die post, vitam morte commutauit, & in vrbe Trinouantum iuxta portam Aquilonarem sepultus est. Exequias autem regias facientes, posuerunt cum eo gladium Cæsaris in sarcophago, quem in clypeum suum pugnans retinuerat. erat nomen gladij *Crocea mors*, quia nullus euadebat, qui vix illo læderetur. Terga igitur vertente Iulio, & in Gallicana littora appulso, rebellionem moliuntur Galli, dominium Iulij abiicientes. arbitrabantur namque ipsum ita debilitatum, vt nullatenus eis amplius timori esset. Fama etiam apud omnes vna & eadem erat, totum mare iam nauibus Cassibellauni feruere, fugam ipsius insectaturis: vnde audaciores insistentes cogitabant quo Cæsarem a finibus eorum arcerent. Quod Iulius callens, noluit anceps bellum cum feroci populo committere, sed apertis thesauris quosque nobiliores adire, vt singulos munificatos in concordiam reduceret. plebi libertatem pollicetur; exheredatis amissas possessiones; seruis etiam libertatem. qui prius leonina

feritate fulminans, ipsis omnia abstulerat, nunc mitis agnus humili voce balans omnia posse reddere lætatur: nec ab iis blanditiis quieuit, donec pacificatis ciuibus amissam potestatem recuperauit. nullus interim dies præteribat quin fugam suam, Britonumque victoriam recoleret. Emenso itaque biennio, parat iterum Oceanum transfretare, & sese in Cassibellaunum vindicare. Quod cum Cassibellaunus comperisset, vrbes vbique muniit, dirupta mœnia renouat, armatos milites in singulis portubus statuit. præterea alueo Tamesis fluuij, quo ad vrbem Trinouantum Cæsar nauigaturus erat, palis ferreis atque plumbatis & ad modum humani femoris grossis, subtus amnem infixis, vt naues Iulij superuenturæ illiderentur, & cum magno militum apparatu iuxta maritima mansitat, aduentum hostium expectans. Cæsar cum omnia, quæ necessaria videbantur, parasset, innumerabili multitudine pugnatorum mare ingressus est, optatam stragem populo, qui eum deuicerat, inferre affectans: quam proculdubio ingessisset, si ille sua classe tellure potitus fuisset. nam dum per Tamesis flumen, prędictam ciuitatem peteret, naues eius palis, & harpagonibus sub aquis infixę, subitum passæ sunt periculum, & fatiscunt: vnde ad milia submergebantur, dum ipsas foratas ingrediens fluuius absorberet. Cumque id Cæsari compertum esset, velis maxima vi retortis ad terram reuertere festinat: ipsi quoque, qui in tanto periculo superfuerant, vix elapsi cum illo tellurem scandunt. Hoc plane Cassibellaunus ex ripa, qua aderat aspiciens, gaudet periculo submersorum; sed tristatur ob salutem ceterorum. Dato igitur commilitonibus suis signo, impetum in Romanos fecit. At Romani, quanquam periculum in fluuio perpessi fuissent, vt terra potiti sunt, viriliter Britonum irruptioni restiterunt: audaciam quoque pro muro habentes, stragem non minimam fecerunt: sed tamen maiorem patiuntur, quam inferebant. periclitati namque in fluuio, pauciores incedebant: Britones vero singulis horis affluentia suorum augmentati, tricies maiorem numerum habebant. Vnde debellatis hostibus adepti sunt triumphum. Cæsar vero cum se deuictum intueretur, cum paucis ad naues diffugit, & tutamen maris ex voto nactus, tempestiuis etiam ventis instantibus vela erexit, & Morinorum littus petiuit. ingressus est deinde turrim quandam, quam in loco qui Odicea vocatur, construxerat, antequam Britanniam vice hac secunda adiuisset. Timebat enim Gallorum fidem, & instabilitatem, ne in eum secundo irruerent, vt supra diximus ipsos fecisse, quando primo illum Britonibus terga Lucanus testatus est ostendisse. Hanc igitur ob causam, turrim sibi in refugium ædificarat, vt rebelli populo resistere valeret. Cassibellaunus autem secundo de Cæsare triumphauit. Quare maximo gaudio fluctuans, edicit omnes proceres Britanniæ in vrbem Trinouantum conuenire cum vxoribus suis oportere, debitasque solennitates more antiquorum patriis diis calebraturos, qui de tanto Imperatore sibi victoriam cōcessissent. Cumque omnes postposita mora aduenissent, diuersa sacrificia facientes, occisioni pecudum indulserunt, litaruntque ibi vndecim milia vaccarum, & centum milia ouium, diuersorumque generum volatilia, quæ leuiter sub numero non cadebant. Præterea XXX. milia siluestrium ferarum cuiusq; generis collectarum. Mox cum diis suis honores perfecissent, combustis cauda, pedibus & capite, abiectis intestinis, postea refecerunt se superfluis epulis, vt in sacrificiis fieri mos erat. Deinde diuersis ludis incumbunt. sed dum luderent contingit inclytos iuuenes, quorum vnus nepos erat regis, alter vero Androgei ducis, pariter in palæstra contendere, & ob dubiam victoriam litigare. erat nomen nepotis regis Irelgas, alterius vero Cuelinus, qui vt mutua conuicia inuicem contulissent, arripuit Cuelinus gladium, & nepoti regis caput amputauit: quo interfecto perturbata est curia, & rumor ad Cassibellaunum volauit. qui commotus, Androgeo præcepit, vt Cuelinum in curiam coram pręsentia sua adduceret, sententiam quam proceres dictarent subiturum, vt non inultus Irelgas foret, si iniuste interfectus fuisset. Cumque de animo regis dubitasset Androgeus, respondet sese curiam suam habere, & in illa definiri debere quicquid aliquis in homines suos clamasset. quare si rectitudinem de Cuelino decreuisset appetere, ipsam in vrbe Trinouantum ex veterum traditione reciperet. Cassibellaunus itaque cum non posset nepotem vlcisci comminatus est Androgeo, testans se ferro, & flamma prouinciam illius populaturum, nisi petitioni suæ acquiesceret. Indignatus vero Androgeus distulit petitioni

parere

parere. Iratus Caſſibellaunus vaſtat illius prouincias. ille per cognatos, & amicos ſupplicabat, vt ab ira deſiſteret. quod cum non faceret; ſcribit ad imperatorem Romanorum, auxilium quærens, hoc modo:

C. IVLIO Cæſari Androgeus dux Trinouantum poſt optatam mortem, optandam ſalutem. Pœnitet me aduerſum te hactenus egiſſe, dum prælia cum rege meo committeres. ſi enim me a talibus abſtinuiſſem, deuiciſſes Caſſibellaunum; cui poſt triumphum ſuum tanta irrepſit ſuperbia, vt me, per quem triumphauit, a finibus ſuis exterminare inſiſtat. Hæccine rependenda eſſent? ego illum hereditaui; ipſe me exheredare conatur: ego eum in regnum bis reſtitui; ipſe me deſtruere affectat. Me etenim contra te pugnante, omnia iſta largitus ſum. Numina cœlorum teſtor, me non promeruiſſe iram ipſius, niſi promereri dicar, quia diffugio nepotem meum ei tradere, quem iniuſta nece damnare adoptat. Quod vt manifeſtius diſcretioni tuæ liqueat, cauſam rei aduerte. Contigerat nos ob lætitiam triumphi noſtri ſolennitates diis patriis celebrare. quas cum peregiſſemus, iuuentus noſtra diuerſos ludos faciebat: tunc nepos meus lucta nepotem illius vicit, & laceſſitus probris, eo quod gladium quo eum percutere volebat, capta manu illius, eriperet; cecidit ille ſuper mucronem, confoſſuſque morti ſubiacuit. Rex volebat puerum meum plectere. cui cum contradixiſſem, venit vaſtans prouincias meas. Quare miſericordiam tuam implorans, a te peto, vt ego per te dignitati meæ reſtituar, & tu per me Britannia potiaris. De hoc autem nihil hæſitaueris; quoniam omnis abeſt proditio. Ea enim conditione mouentur mortales, vt poſt inimicitias amici fiant, poſt fugam ad triumphum accedant. Iulius autem conſulatus cum ſuis, obſides quærit, quibus ſecurius applicare valeret. Nec mora; miſit ei Androgeus Scæuam filium ſuum, qui poſtea inclytam fortitudinem ſub Cæſare exercuit, & triginta iuuenes ex cognatione ſua propinquos. Datis obſidibus, factus ſecurus eſt Cæſar, reuocatiſque cateruis cum inſtanti vento in Rutupino portu applicuit. Interea obſidere cœperat Caſſibellaunus vrbem Trinouantum, & villas prouinciales vaſtabat. ſed cum aduentum Iulij comperiſſet, deſeruit obſidionem, & imperatori feſtinans obuiat. Vt igitur vallem prope Doroberniam intrauit, aſpexit in eadem Romanorum exercitum, caſtra & tentoria ponentem: adduxerat enim eos Androgeus eodem, vt illinc occultum impetum vrbi ingererent. nec mora, aduertentes Romani Britones superuenire, ocyus armantur, cateruas turmaſque coniungunt. At Androgeus cum quinque milibus armatorum in prope ſito nemore delituit, vt in auxilium Cæſari occurrens furtiuam & improuiſam irruptionem Caſſibellauno cum ſociis faceret. Vt itaque hinc illinc conueniunt, ſtatim conſerunt manus: cadunt ſaucij tanquam folia in autumno. Illis igitur cormentibus, egreditur Androgeus ex nemore, & aciem Caſſibellauni, ex qua totum bellum pendebat, a tergo inuadit. mox illa in vna parte irruptione Romanorum paulo ante vaſtata; in alia vero a conciuibus ſuis modo oppreſſa, non potuit ſtationem facere. vnde diſſipatis ſociis, arrepta fuga, campum deſeruit. Aſtabat prope quidam mons Cotulus nomine, ſaxoſus & denſum coryletum habens: ad illum confugit Caſſibellaunus cum ſuis, poſtquam in debiliorem partem reciderunt. Summitatem vero eius nactus, ſeſe viriliter defendebat, & inſequentes hoſtes nece afficiebat. inſecuti namque fuerant eum Romani, & Androgei cateruæ, fugientes eius turmas lacerantes. montem igitur aſcendentes crebros impetus faciebant, nec præualebant; ſaxa enim montis arduitaſque eius cacuminis Britonibus defenſio erat, ita vt a ſummo occurrentes hoſtibus ſtragem darent. Obſedit itaque Cæſar montem illum tota nocte, quæ iam ſuperueniebat, omnes exitus præcludens. affectabat namque regem fame ad deditionem cogere, quem armis nequiuerat. O admirabile tunc genus Britonum, qui eum bis in fugam expulerunt, qui totum orbem ſibi ſubmiſerat Occidentis, cui quaſi totus mundus poſtea nequiuit reſiſtere, illi etiam fugati reſiſtunt, parati mortem pro patria & libertate ſubire. Hinc ad laudem eorum canit Lucanus de Cæſare:

Territa quæſitis oſtendit terga Britannis. Emenſo iam die ſecundo cum non haberet quod ederet Caſſibellaunus, timens ne fame caperetur, carcerem ſubiturus

Cæsaris, mandat Androgeo, vt sese cum Iulio pacificaret; ne dignitas gentis, ex qua natus fuerat, capto ipso deleretur. mandauit etiam ei se non promeruisse, vt mortem ipsius optaret, quamuis inquietudinem intulisset. Tunc Androgeus nunciis respondit: Non est diligendus princeps qui in bello est mitis vt agnus, in pace ferus vt leo. Proh dij cœli & terræ lorat me dominus meus nunc, qui prius imperabat: pacem nunc a Cæsare petit, cum prius desiderasset Cęsar. Non est illius victoria qui triumphat, sed qui pro illo sanguinem fundit. hoc debebat prius aduertere, & quæ pro illo ego gessissem. tamen pacificabo si potero; quoniam iniuria, quam mihi intulit, satis vindicata est in illo, cum misericordiam meam implorat. Statimque ad Iulium se confert, ac eius genua amplectens, eum supplicat: satis vltionis pro illo esse in Cassibellaunum: misericordiam de illo habe; dabit vectigal Romanæ dignitati. Cumque nihil respondisset Cæsar; iterum Androgeus; Hoc solum tibi pactus sum, Cæsar, vt submisso Cassibellauno Britanniam tibi subdere laborarem. Rex victus est, & Britannia tibi, auxilio meo, subdita est: non vult Deus dominum meum mihi implorantem a te vinculis vinciri. Non leue est interficere Cassibellaunum me viuente, cui auxilium meum reddere non erubescam, nisi consilio meo parueris. Timore igitur Androgei mitigatus Iulius, cepit a Cassibellauno concordiam cum annuo vectigali. Erat autem vectigal quod spopondit, tria milia librarum argenti; & inde amici facti inuicem multis donis congratulati sunt. mirabatur autem Cæsar eius proceritatem, & vultum austerum. Deinde hiemauit Cæsar in Britannia, & redeunte vere in Gallias transfretauit. Succedente postmodum tempore, collectis vndique omni genere militibus, Romam contra Pompeium perrexit Cum postmodum septem anni præterissent, defunctus est Cassibellaunus, & in Eboraco sepelitur. Cui successit Theomantius dux Cornubiæ, frater Androgei. nam Androgeus paruus corpore, sed animo magnus, cum Cæsare Romam profectus fuerat. Diademate igitur insignitus Theomantius regnum in diligentia obtinuit. erat ipse bellicosus vir, & vigorem iustitiæ colebat. Post illum promotus est ad culmen regale Cimbelinus filius suus, miles strenuus, laudabili forma, quem Augustus Cæsar nutrierat, & armis decorauerat: hic in tantam amicitiam venerat Romanorum, vt cum poterat tributum detinere, gratis impendebat. In diebus illis natus est Dominus Iesus Christus. Cimbelinus ergo cum Britanniam decem annis gubernasset, genuit duos filios; quorum prior natu erat Guiderius, alter autem Aruiragus. Exinde expletis vitæ suæ diebus, cessit gubernaculum regni Guiderio. Cum igitur tributum, quod appetebant, Romanis denegaret; superuenit Claudius, qui in imperium subrogatus fuerat. aderat secum princeps militiæ vocabulo Lælius Hammo, cuius consilio prælia gerenda tractabantur. Hic itaque vt in vrbem Porcestriam applicuit, cœpit portas eius muro præcludere, exitumque ciuibus denegare. cupiebat enim ipsos fame affectos vel deditioni compellere, vel sine clementia perimere. Diuulgato itaque Claudij Cæsaris aduentu, collegit Guiderius exercitum omnem, & Romanorum castra statim petiuit. commisso deinde prælio, acerrime cœpit hostes infestare, plus solus cum gladio suo, quam maior pars exercitus sui perimens. Erat enim aspectu terribilis, & animo terribilior. Iam Claudius naues petebat, iam Romani penè dissipabantur, cum versutus Hammo proiectis illis quibus indutus fuerat, arma Britannica cepit, & quasi Britannus contra suos pugnabat: deinde hortatur Britannos ad insequendum, festinatum triumphum promittens: didicerat enim linguam eorum & mores, quoniam inter Britannicos obsides Romę nutritus fuerat: exin accessit paulatim iuxta regem, adituque inuento, ipsum nihil tale timentem mucrone turpiter confodit. elapsus deinde inter hostium cuneos, sese cum nefanda victoria inter suos recepit. At Aruiragus eiusdem frater, vt eum interfectum audiuit, confestim arma deposuit, armisque regis indutus, hinc inde Britones ad perstandum inanimauit, quasi ipse Guiderius esset. qui nescientes casum regis, monitu eius resistebant, pugnabant, stragemque non minimam Romanis inferebant. ad vltimum dilabuntur Romani in duas partes, campum turpiter deserentes. Cæsar namque tutamina in vna parte nauium petebat. Hammo autem nemora, quia non habebat spatium naues adeundi. Aruiragus igitur arbitrans Claudium cum eo diffugere, festinauit persequi eum, nec cessauit, dum inuenit eos super ripam maris, quæ nunc de nomine

mine eiusdem Hammonis, Hammontonia nuncupatur. Erat ibi portus applicantibus congruus, nauesque mercatorum appulsæ, quas cum Hammo ingredi affectasset, superuenit de improuiso Aruiragus, ipsumque subito interfecit. Portus autem ille ab illo tempore vsque in præsentem diem portus Hammonis appellatur. Interea Claudius resociatis sociis oppugnat prædictam ciuitatem quæ tunc Caerperis, nunc autem Porcestria vocatur. nec mora; mœnibus eius dirutis, ciuibusque subactis, insecutus est Aruiragum iam in Vintoniam ingressum: exinde obsedit ciuitatem diuersisque machinationibus illam opprimere nitebatur. Aruiragus vero vt sese obsessum inspexit, desociauit cateruas suas, appertisque portis ad conflictum egressus est magnanime. Cumque irruptionem in hostes facere affectasset, direxit Claudius nuncium ad ipsum, mandans, vt concordiam iniret. quippe timebat regis audaciam, Britonumque fortitudinem, præferebatque ipsos sensu & sapientia subiugare, potius quam dubium certamen inire. promittebat Claudius illi filiam se daturum in vxorem, si tantummodo regnum Britanniæ sub Romana potestate recognouisset. Postpositis ergo debellationibns, suaserunt maiores natu Aruirago promissionibus Claudij acquiescere debere: dicebant vtique ei dedecori non esse, si fuerit sponte concors cum Romanis, quando propemodum totius orbis imperio potiantur. quibus persuasus subiectionem Cęsari fecit. Mox Claudius filiam acciuit, & auxilio Aruiragi vsus, Orcadas & prouinciales insulas potestati suæ submisit. Emensa deinde hieme, rediērūt legati cum filia, eamq; patri tradiderunt. Erat autem nomen puellæ Gennissa, (quanquam Inuenissam vocat Gildas poëta) pulcritudine summa & facile supranaturali, qua tantum rex inflammatus fuit, vt quasi moreretur, & Claudio gener ingereret, vt vrbem ibi facerēt, vbi primo ei visa obuianti, & nupserat, quæ memoriam tantarum nuptiarum in ventura tempora præberet: & sic facta ibi fuit vrbs, quæ de nomine eius Caerglou, id est Claudiocestria nuncupata vsque in hodiernum diem, in cōfinio Cambriæ & Loēgriæ super ripam Sabrinæ sita est, [condique historias & versus, & poëmata Cambrem, de qua etiam libro quinto Epigrammaton Gildas poëta Britannicus insignis ait:

Iucundæ toties cecini tibi carmina Cambres.

Et dixit; Sambuca tu ruis ex Venere, nunc tibi vilescit Omnidasituus. Sambuca autem est musicum instrumentum (harpam dicunt vulgo) triangulare, cuius pars lata, & concaua tenetur ad pectus, digiti per cordas crepitant, Gallice Bandosam vulgariter vocant. Ostendit Plutarchus in libro de Musica, sic etiā Apollonius M detraxit, Typanō pro Tympanon, & Basamon, pro Balsomon, sic Sabucā pro Sambucam, ac insuper quasi Cambrei carminis ipse fuerit scriptor, videtur insinuare, & ex Sphera Veneris suauitatem canoris descendere. vel igitur Cābre, id est Britānia, vt supra, id est liber Britannicus, qui Romę legebatur: semper enim docta Britānia fuit, etiā Grece (vt supra ostendimus) vel poëma Gildæ non est dubitandum] quanquam alij dicant, ipsam Caerglou vrbem traxisse nomen a Gloio duce, quem Claudius in illa generauerat, cui post Aruiragum gubernaculum Demetici ducatus cessit. Ædificata igitur vrbe, & pacata insula, rediit Romam Claudius, regnumque prouincialium insularum Aruirago commisit. Eodem tempore Petrus Apostolus Antiochenam acclesiam fundauit: Romamque deinde veniens, tenuit ibidem episcopatum, misitque Marcum Euangelistam in Ægyptum ad prædicandum Euangelium quod scripserat. Aruiragus vt Claudius recessit, cœpit sensum & probitatem habere, cœpitque ciuitates & opida ædificare iustitia summa, vt atiam longinquis esset terrori. Hinc autem subsecuta superbia, despexit Romanam potestatem, nec Senatui voluit subiectionem diutius tenere, sed sibimet omnia vindicauit. Quo audito missus est Vespasianus a Claudio, vt Aruiragum vel pacificaret, vel subiectioni Romanæ restitueret violenter. Cum igitur in Rutupi portu applicuisset Vespasianus, obuiat ei Aruiragus, prohibuitque portum ingredi; tantam habebat multitudinem vt Romanis esset terrori, ita vt nec solum videre nec terram adire auderent. Retraxitque se Vespasianus illinc, & retortis velis, in Totonesium littus applicuit: nactus deinde tellurem Caer-Penuchelgoet, quæ Exonia vocatur, obsessurus eandem adiuit. Cum autem per septem dies obsedisset, superuenit Aruiragus cum exercitu, & prælium commisit. Die illa valde vterque fuit

laceratus exercitus, sed neuter potitus est victoria. Mane autẽ facto, mediãte Gennissa regina, concordes effecti sunt duces, commilitonesque suos in Hiberniam legauerunt. Hieme vero emensa, rediit Vespasianus Romam, & Aruiragus in Britannia remansit. deinde in senectutem vergens, cœpit senatum diligere, & regnum suum in pace tractare, leges veteres confirmare, nouas inuenire, cuique probo grandia dona largiens: fama eius per totam Europam diuulgata fuerat. Quamobrem diligebant eum summopere Romani, & timebant eo modo, vt præ omnibus regibus sermo de ipso apud Romam iugiter fieret. Vnde Iuuenalis cæcum quendam Neroni dixisse in libro suo commemorat, cum de capto rombo loqueretur:

Regem aliquem capies aut de temone Britanno

Decidet Aruiragus. Nullus enim in bello ferocior, nullus in pace mitior, nullus iocosior, vel in dandis muneribus profusior. Erat facie affabilis, proceritate mediocri. subnigris capillis. Sepultus est Claudiocestriæ in quodam templo, quod in honorem Claudii dicauerat, ac singulis mensibus sacrificabat, tanto eum amore prosequebatur, tantum vxorem venustissimam obseruabat, vt exemplum mirabile videri possit, si quis singula gesta tanto rege digna percurrat. Successit ei filius Manius, vir prudentissimus, non autem Marius vt Græci codices antiquissimi testantur. (Quid enim est dicere Marium per r literam asinalem?) quo regnante, quidam rex Pictorum vocabulo Rhodric de Scythia cum magna classe veniens applicuit in Aquilonarem partem Britanniæ, quæ Albania dicitur, cœpitque prouinciam vastare. Manius parato exercitu obuiat, collatisque signis illum interfecit, & victoria potitus est; & lapidem erexit in signum triumphi in prouincia, quæ post de nomine suo Maesmania appellata est, in quo inscriptus titulus memoriam eius vsque in hodiernum diem testatur. Perempto vero Rhodric dedit deuicto populo, qui cum eo venerat, partem Albaniæ ad habitandum quæ Catanesia nuncupatur. Erat autem deserta nullo habitatore, multis diebus inculta: cumque vxores non habentes, filias & cognatas Britonum ab illis petiuissent, dedignati fuerunt Britones huiusmodi populo suas natas maritare. At illi vt passi repulsam transfretarunt in Hiberniam, duxeruntque ex patria illa mulieres: ex quibus creata sobole multitudinem auxerunt. Sed hæc hactenus: cum non proposuerim tractare historiam eorum, siue Scotorum qui ex illis, & Hibernensibus originem duxerunt. Manius igitur exercuit iustitiam, & amicus Romanis fuit. Huic Coëlus successit filius eius, Romæ nutritus, qui cum Romanis similiter amicitiam tenuit; & tributum soluebat, vt pater. Temporibus autem Neronis, Bunduica mulier, ex regio nata sanguine, congregatis trecentis milibus, aut eo amplius pugnatorum (ob crudelitatem Paulini, qui in Mona insula mulieres capillis suspendebat, & mammas abscissas ligabat ori mandendas ad terrores; sed barbari nesciunt timere, & magis crudelitate stimulantur:) facto congressu exercitum Romanorum deleuit, & Paulinum crudeliter pœna eadem affecit: venit in Gallias cuncta superans, Italiam properabat delere; sed prope Alpes labore bellorum fessa ægrotauit, & periit mulierum gloria. Tunc tantus terror Romam inuaserat, & Italiam, quantus nunquam antea, neque in aduentu Brenni, neque Annibalis, aut alterius ducis. Erat mulier procera, flaua, & coma alba vsque ad crura. Addit autem aliud etiam Dion historicus Græcus, vestitum scilicet. ipse quoque multa scribit de ipsa ductrice, dicens: vestem fuisse ποικίλην, id est segmentatam, listatam dicunt vulgo, variorum colorum. Sed sequamur quo Manio filio Aruiragi successerit Coëlus; cui filius fuit vnicus nomine Lucius. Hic sane vir bonus, & laudabilis erga populos fuit, viros doctos summa prosequebatur beneuolentia, & honoribus: virtutis cultor semper fuit, de quo Gildas multa tradit multis in locis. Exitum quoque suum præferre volens principio, epistolas suas Eleutherio Papæ direxit, petens vt ab eo Christianitatem acciperet. Serenauerant enim eius mentem sanctorum miracula. Pontifex igitur Faganũ, & Doëvanum doctores ad illum misit, qui incarnationem Dei, & mysteria fidei docuere: sic Lucium baptizarunt, & omnes gentes Britanniæ, & diuersis cœtibus ordinatorũ insulam repleuere, Diis gentilium expulsis, & superstitionibus multis. fuerant enim in Britannia octo & viginti Flamines, nec non & tres Archiflamines, quorum potestati ceteri

iudices morum, atque phanatici ſubmittebantur. Hos etiam ex præcepto Apoſtolico idololatriæ eripuerunt: & vbi erant Flamines, Epiſcopos; vbi autem Archiflamines, Archiepiſcopos poſuerunt, mira ſanctitate & incredibili deuotione. Sedes autem Archiflaminum (quæ fuit antiquiſſima religio) in tribus nobilioribus ciuitatibus fuerant, Londoniis videlicet, atque Eboraci, & in vrbe Legionum, quam ſuper Oſcam fluuium in Glamorgantia veteres muri, & ædificia ſitam fuiſſe teſtantur. His igitur tribus Metropolitanis, euacuata ſuperſtitione, octo & viginti Epiſcopi ſubduntur. Diuiſis quoque parochiis ſubiacuit Metropolitano Eboracenſi, Deira & Albania, quas magnum flumen Humber a Loëgria ſecernit. Londonienſi vero Metropolitano ſubmiſſa eſt Loëgria & Cornubia. Has duas prouincias ſeiungit Sabrina a Cambria, id eſt VValia, quæ vrbi Legionum ſubiacuit. Poſtea Romam Antiſtites redierunt, & cuncta quæ fecerant a Pontifice confirmari impetrarunt. Confirmatione facta, cum pluribus aliis redierunt in Britanniam, quorum doctrina Britonum fides in Chriſto breui corroborata fuit. Eorum nomina & actus in libro reperiuntur, quem alter Gildas de victoria Aurelij Ambroſij inſcripſit.

LIBER QVINTVS.

HIS peractis Lucius vitam finiuit in vrbe Claudioceſtriæ ſupultus anno ab incarnatione Domini, CLIIX. caruerat ipſe ſobole. Oritur ſeditio inter Britones de ſucceſſuro in regnum, & Romana poteſtas infirmata eſt. Senatus itaque Romanus ſenatorem elegit Seuerum, duaſque illi legiones dedit, vt Romanæ ditioni reſtitueret Britanniam. Hic igitur conſerto prælio, partem ſubiugauit, & partem inuincibilem infeſtabat aſſidue, vt eam trans Deiram & Albaniam fugaret. At illa duce Fulgenio omni niſu reſiſtebat, & ſæpius ſtragem maximam Romanis inferebat. Quare imperator inſtituit fieri vallum inter Deiram & Albaniam, vt impetum eius propius accedere prohiberet. Sic communicato ſumtu illud a mari vſque ad mare fecerunt. At Fulgenius transfretauit in Scythiam, vt Pictorum auxilio dignitati reſtitueretur. vnde magna claſſe rediit in Britanniam atque Eboracum obſedit. Quod cum per alias nationes diuulgatum eſſet, maxima pars Britonum Seuerum deſeruit, & tranſit ad Fulgenium. Seuerus, conuocatis Romanis & fautoribus, obſidionem petiuit; vbi vulnere graui affectus Fulgenius moritur, & in acri certamine interficitur Seuerus, & ſepultus tandem eſt in vrbe Eboraci, quam obtinuit: reliquit autē duos filios, Baſſianum & Getam. Geta autem Romana matre genitus; Baſſianus autem Britannica generatus erat. Romani igitur Getam eligunt in regem, Britanni autem Baſſianum. committitur pugna: interficitur Geta; Baſſianus regno potitus eſt. Eo tempore erat quidam iuuenis in Britannia, nomine Carauſius, ex plebe, ſtrenuus tamen. Hic iuit Romam, petit a ſenatu, vt partem maritimam tuteturnauigiis ab incurſionibus barbarorum. Annuit ſenatus: venit cum ſigillatis chartis in Britanniam. ſtatim parato exercitu, non ſolum circuit Britannorum loca, ſed populos inſulares, vaſtabat omnia, vrbes ſubuertit, incolis omnia eripiendo. omnes ad illum confluebant, ita vt breui maximum haberet exercitum. Tumens ergo proponit Britonibus, ſi ipſum eligant regem, ille Romanis interfectis Britanniam liberaret: quod factum eſt. Dimicat cum Baſſiano, & eum interfecit, & regnum obtinuit. Prodiderunt enim Baſſianum Picti, qui in conflictu rebellarunt. Quod cum Romani audiſſent, miſerunt Alectum cum tribus legionibus, vt tyrannum interficeret, & Romanis regnum vindicaret, a quo facto interficitur Carauſius; & in eius ſequaces ſæuitum eſt. Vnde irati Britones in regem erexerunt Aſclepiodotum ducem Cornubiæ, & Alectum perſecuti ſunt. Erat ipſe tunc Lōdoniis, & diis patriis ſacrificabat. viſis hoſtibus armatur, & ſtrenue pugnat, interficitur tamen Alectus. Liuius Gallus autem Alecti collega reſiduos Romanos cōuocauit in vrbē, fortificaturque ibi, obſidetur ab Aſclepiodoto; qui conuocat omnes Britānos vt obſeſſos

interficerent. Venerunt igitur Demeti, Venedoti, Deiri, & Albani: muris dirutis ingrediuntur, cæduntur Romani crudeliter. Copiæ Gallo suadent, vt deditionem faceret Asclepiodoto, vt viui abirent: omnes enim interfecti præter vnam solam legionem. Tunc venerunt Venedoti, & omnes Romanam gentem inuadunt, & omnes interficiuntur vna die, super torrentem in vrbe, qui postea de nomine ducis Britannice *Nautgallim*, Saxonice vero *Galabrec* dictus fuit. Triumphauit Asclepiodotus de Romanis sub iugo missis & cæsis: & clamante populo, vt diadema caperet, rex creatur, & per decem annos iustissimus fuit. Interea oritur Diocletiani imperatoris Augusti ingens illa Christianorum persecutio, ita vt quasi deleta fuerit Christianitas in regno Britannorum, quæ a Lucio rege semper manserat immaculata. Superuenerat Maximianus Herculius, princeps militiæ prædicti imperatoris, cuius imperio subuersæ sunt Ecclesiæ. Volebat enim nomen Dei delere, & omnes quæcunque sacræ scripturæ poterant inueniri, in mediis foris exustæ sunt. In tanta autem persecutione, insurrexit Coëlus dux Caercolim, id est Colcestriæ, in Asclepiodotum, qui eum interfecit, & regni diademate potitus, Romani gauisi sunt tanto hoste interfecto; & legauerunt Constantium Senatorem, qui illis Hispaniam subdiderat, virum sapientem & audacem; & qui præ ceteris Rempublicam augere laborauerat. Porro rex Britannorum Coëlus, cum aduentum eius comperisset, timuit illi prælia ingerere ob famam illius. Vt igitur venit Constantius, direxit illi legatos Coëlus, petēs pacem, & subiectionem promittens, eo pacto, vt regnum Britanniæ possideret, & daret solitum tributū Romanis. acquieuit Constantius, & acceptis obsidibus pacem confirmarunt mutuo. sed intra mensem emoritur Coelus. Quo defuncto insigniuit se diademate Constantius, duxitque filiam Coeli, cui nomen erat Helena, pulcritudinis inauditæ, nec vspiam reperiebatur altera, quæ in musicis instrumentis, siue liberalibus artibus doctior illa censeretur: nam in vtraque lingua excellebat. vnde extant adhuc carmina quædam Græca, quæ illius fuisse perhibentur. Caruerat pater alia sobole, quæ solio regni potiretur; quare eam ita docere laborauerat, vt facilius regnum tractaret post eius obitum. Constantius ex ea genuit filium Constantinum, sed post vndecim annos Constantius emoritur apud Eboracum. Successit Constantinus filius, qui quamuis puer esset, cœpit tamen feritatem corporis sui leoninam exercere, iustitiam summam inter populos tenere, omnia bene agere. erat faciei similis irato, vir magnis superciliis, procerus & pinguis, sic etiam numismata ostendunt.

Ea tempestate erat quidam tyrannus Romæ Maxentius, qui nobiles senatores spoliabat, occidebat: cuius tyrannide perterriti multi veniebant in Britanniam ad Constantinum, & ab ipso honorifice excipiebantur: incitarunt Constantinum contra tyrannum. vnde Constantinus magno exercitu venit Romam, eam subiugauit, & Monarchiam quasi totius mundi obtinuit illic. Conduxerat secum tres auunculos Helenæ, Leolinum videlicet & Trahernum, nec non & Marium, ipsosque in senatorum ordinem promouit. Interea insurrexit Octauius dux Genuisseorum in proconsules Romanæ dignitatis, quibus regimen regni Britanniæ fuerat demandatum, & solio regni ipsis interfectis potitus est. Constantinus Tahernum direxit auunculum Helenæ, cum tribus legionibus, vt insulam populo Romano restitueret. Appulsus itaque Trahernus in littore Britanniæ iuxta vrbem quæ Britannice dicitur Caerperis, in quam impetum fecit, eamque infra duos dies cepit. Eo audito Octauius magno quam potuit exercitu contrauenit: non procul a Guintonia congrediuntur. profligatus autem Trahernus nauibus suis retrogradus in Albaniam profectus est. Octauius insequitur; in prouincia autem quæ VVestmarlandia vocata est, præliatur; sed fugatur Octauius: Trahernus insequitur, nec vnquam desistit donec regnum eriperet. Octauius tristis Noruegiam petiuit, vt auxilium a rege Gumberto acquireret, cum interea edicto familiaribus suis mandasset, vt, si possent, Trahernum interficerent. Comes ergo opidi municipij obsequens, dum Trahernus ex vrbe Londoniarum quadam die recederet, delituit cum centum militibus in quadam conualle nemoris, qua ille transiturus erat, atque inopinum obtruncat. Octauius audiens,

audiens, in Britanniam reuersus, Romanos dissipauit, regno potitus est, & fœliciter regnauit vsque ad Gratianum Augustum. Huic cum sola filia relicta esset: alij vt pacem haberent cum Romanis, iubent eam vxorem dari alicui senatorum Romæ; alij erigi in solium regni Conanum Meriadocum Octauij nepotem voluerunt.

VENIT interea Caradocus Dux Cornubiæ consiliumque dedit, vt Maximum senatorem inuitarent, filiamque ei cum regno donarent, & sic perpetua pace fruerentur. Erat autem patre Britannus, quoniam Leolinus auunculus Constantini, de quo supra diximus, eum genuerat: matre vero & natione Romanus, vtraque parte regalis vir: pacem sic putabant reddi Britannis. Cum sic consuluisset dux Cornubiæ, indignatus est Conanus nepos regis, qui regnum affectabat; qui curiam totam propter talia turbauit. At Caradocus incœptis suis desistere nolens, misit Mauricium filium suum Romam, vt ea Maximo indicaret. Erat ipse Mauricius pulcræ staturæ, magnæque probitatis & audaciæ, singularique certamine clarus: ita vt Romæ maximo in honore haberetur. Erat autem tunc maxima inquietudo inter ipsum Maximum & duos imperatores Gratianum, & fratrem eius Valentinianum, propterea quod passus fuerat repulsam de tertia parte imperij, quam petebat. Vt igitur Mauricius vidit Maximum ab imperatoribus oppressum, tunc ait: O Maxime, quid times? veni mecum in Britanniam & diadema regni possidebis. Octauius enim senio grauis, solam habet filiam, non quærit aliud nisi vt generum haberet se dignum. Heroes Britanniæ me ad te miserunt, vt statim venias, & sic Gratianum & Valentinianum castigabis: auri copia & argenti plurima, milites bellicosissimi non deerunt. Romam postea redibis, & subiugabis, pulsis imperatoribus. sic egit cognatus tuus Constantinus, pluresque reges qui imperium ascenderunt. Maximus autem Britanniam petit, & in itinere Francorum vrbes capit, auro spoliat. Oceanum ingressus in portum Hammonis secundis velis applicuit. Rex stupidus timens hostilem exercitum, Conanum nepotem vocat, & mandat facto subito exercitu obuiare. Quo facto, Mauricius videns tantam Britonum multitudinem, ait: non venimus vt Britanniam prælio subiugaremus, pax roganda est & licentia hospitandi, donec animum regis sciamus, dicamusque nos ab imperatoribus ipsis missos, & mandata Octauio deferre. Eo audito, duodecim canos proceres capit secum cum ramis oliuæ in manibus, venit Conano obuiam. videres sapientiores Britonum honorifice eis assurgere, & date viam: mox illi in præsentia Conani Meriadoci stantes, salutarunt eum imperatorum nomine & senatus, & Maximum dixerunt missum ad regem Octauium, vt mandata Gratiani, & Valentiniani eidem diceret. Tunc Conanus: Quid tanta multitudo sequitur? non hæc facies legatorum, sed hostium. Tunc Mauricius ait; Non decebat tantum virum inglorium incedere sine commilitonibus, præsertim ob potentiam Romanam, & actus auorum suorum. nemini hic nocuimus, propria pecunia emimus necessaria. Cum autem pacem ferrent vel bellum, Conanus ambigeret; Dux Cornubiæ accessit Caradocus, dissuadens bellum Maximo inferre, quoniam amicus venisset. Quapropter Caradocus Maximum secum Londonias assumpto etiam Mauricio, ad regem adduxit, & rem ex ordine apperuit, semotis omnibus aliis, dicens: Iussisti proceres regni cōsulere de regno, & de filia tua, in senio tuo vt pax esset in regno. Huic neminem potes prępponere: ex sanguine nostro est, & sanguine est Romanorū imperatorum, nepos Coeli nostri regis, cuius filiam Helenam nequiuimus abnegare hereditario iure regnum istud possidere. Quibus persuasus rex, dedit filiam cum assignatione imperij. Conanus autem iratus in Albaniam secessit, exercitum parans contra Caradocum ducem Cornubiæ: Humbri fluminis vicina omnia depopulatur. Maximus cum id audiisset, facto exercitu obuiat, superatque: tamen iterum Conanus copias refecit. sic sæpe alter ab altero victi, donec proceres pacem tractarunt. Postea ob multitudinem auri superbiens Maximus, parata classe quinquennio post vult Gallias superare, cum parum Britannia ei videretur. deinde cum transfretasset primo contra Armoricum regnum, quod nunc minor Britannia dicitur, bellum mouet, ibi-

que populum Francorum debellare cœpit. Franci autem duce Imbaldo obuiant Maximo: ſed fugantur Franci, quoniam Imbaldus interficitur, & quindecim milia pugnatorum, qui ex omni regno illuc conuenerant. Exultat Maximus, ſperans leuiter patriam ſubiugare. conuocanſque Conanum extra acies, ait ridens; En iam Galliarum cepimus ſpem, ad vlteriora feſtinemus, antequam armentur vniuerſi Galliarum populi, quia regnum iſtud capiemus, nec pigeat tibi regnum Britannicum mihi ceſſiſſe, quoniam tibi hoc regnum erit: quod expulſis indigenis, Britonibus noſtris expleamus. Conanus gratias egit; exinde conuocatis copiis Redonum petunt, & eodem die ipſam vrbem capiunt: fugiebant enim Galli, audita crudelitate Maximi, fugiunt mulieres cum infantibus: vix enim mulieribus parcebant, ſed non infantibus nec ſenibus. Fugatis itaque omnimodis Gallis, Britonibus militibus regionem impleuit Maximus. Nulla ſpes erat aliis longinquioribus principibus, niſi tributum ſoluere vellent, vel regnum dedere & non expectare hoſtem. Maximus cognoſcens ſe terrori iam eſſe, maiorem præſumit audaciam, ac exercitum profuſis donis deuincit, hortatur eſſe præſtantes. vnde tantam armatorum collegit multitudinem quantam ad ſuperandam totam Galliam ſibi videretur ſufficere. Diſtulit tamen ſæuitiam ſuam pauliſper vlterius infligere, donec regnum quod ceperat impleſſet Britannicis militibus: fecit enim edictum, vt centum milia pugnatorum plebeorum in Britannia inſula colligerentur qui facto nauium magno apparatu ad eum propere venirent. Præterea triginta milia militum mandauit fieri, qui tuerentur populos Britanniarum, illic vigilanter manſuri. eos igitur per vniuerſas Armorici regni nationes ſtatuit, fecitque alteram Britanniam, & eam Conano Meriadoco affectione quadam donauit. Ipſe magno & terribili exercitu vlteriorem Galliam adiuit, & grauiſſimis præliis, & crudelitate inaudita eam ſubiugauit, nec non & totam Germaniam. erat enim terror gentibus cunctis, eo terrore barbarico ſemper vbique vincens, fulminare videbatur. In tanta autem victoria thronum imperij ſui apud Treueros ſtatuens, contra Italiam moliebatur, ita debacchatus eſt in duos imperatores, Gratianum & Valentinianum, quod vno interempto, alterum ex vrbe Roma fugauerit. Interea inquietabant Conanum, & Armoricos Britones Galli & Aquitani, crebriſque irruptionibus infeſtabant: quibus ipſe reſiſtens, & mutuam cladem reddens, patriam viriliter defendebat. Cum autem victor fuiſſet, voluit militibus ſuis coniuges dare, quaſi more Alexandri magni, vt tradit Arrianus hiſtoricus Græcus, vt ex ipſis forent heredes, qui regionem illam perpetuo poſſiderent. Et vt non Gallorum haberent affinitatem, vel commiſtionem, ex Britannia abduci mandauit mulieres, & ad Dionotum ducem Cornubiæ ſcribit, qui fratri ſuo Caradoco in regnum ſucceſſerat, vt curam huius rei ſuſciperet, qui & ipſe habebat filiam forma præſtantiſſimam, quam adoptauerat mire Conanus. Dionotus audito nuncio, collegit per diuerſas prouincias vndecim milia filiarum nobilium, ex infima autem gente ſexaginta milia, & omnes in vrbem Londoniæ conuenire præcepit. Præparata autem claſſe, quamuis publica acerbitate indolerent filias & ſorores præbere longius, & tali modo, tanto tumultu, tamen paratas naues ingrediuntur mulieres, & per Tameſis flumen maria petunt. & cum velo verſus Armoricos diuertiſſent, veniunt venti contrarij, & in breui tota ſocietas tam præſtantium puellarum diſſipata eſt, magna parte nauium ſubmerſæ ſunt; ſed in morte beatas ſe dicere potuerunt, quoniam quæ euaſerunt, veniunt ad barbaras inſulas, & ab illis vel trucidatæ vel mancipatæ: inciderant ſiquidem in nefandum exercitum Guanij, & Melgæ, qui iuſſu Gratiani nationes maritimorum Germaniæ dira clade opprimebant. Erat enim Guanius rex Hunnorum, Melga vero Pictorum: ipſos ſibi aſciuerat Gratianus, miſeratque in Germaniam, vt eos qui Maximo fauerent, inquietarent. Per maritima igitur ſæuientes obuiarunt prædictis puellis in partes illas appulſis. Inſpicientes autem earum pulcritudinem, laſciuire cum eis voluerunt: cum negaſſent puellæ, irruerunt Ambrones in eas, maximamque partem ſine pietate trucidarunt. Tunc nefandi Pictonum, & Hunnorum duces, Guanius & Melga, cum accepiſſent inſulam Britanniæ omni armato

milite vacuatam, in illam accelerant; associatisque lateralibus insulis, in Albaniam applicant, regnum inerme inuadunt, (quoniam Maximus omnes qui arma ferre possent, abduxerat) diripiunt omnia. Quod audiens Maximus Gratianum municipem cum duabus legionibus auxilio misit: a quo reges in Hiberniam profligantur. Interea interfectus fuit Maximus in Aquileia ab amicis Gratiani, & Britones quos secum duxerat interfecti & dissipati. qui euadere poterant, venerunt ad conciues suos in Armoricam, quæ iam altera Britannia vocabatur.

LIBER SEXTVS.

GRATIANVS municeps audita nece Maximi, regnum subiugauit Britanniæ, sed ob crudelitatem eius, facta manu colonorum interficitur. Guanius autem & Melga audientes, in Britanniam redeunt, Scotos ducentes secum & Norvegienses, & Dacos: omnia ferro & flamma lacerant. Statim legati Romam mittuntur magnis lacrimis postulantes subsidium, & subiectionem perpetuam vouentes Romano imperio. quo facto liberati sunt, & murus erigitur inter Albaniam, & Deiram a mari ad mare, ad arcendos barbaros. Et cum iam omnes conuenissent, eligitur Guitolinus Londinensis Archipræsul, vt multitudinem alloqueretur Britonum ad collectorem de muro struendo statuendum, quod Romani volunt potius amittere vectigal, quam assidue tanto itinere fatigari: Struite igitur turres, & sic fit. Sed fama vulgata, quod Romani non amplius sunt auxiliaturi, prædicti reges Guanius & Melga insulam inuadunt, & murum capessunt, vncinatis telis turbam in terram trahunt (hocque ob amentiam Maximi, qui Britanniam vacuauit viris, qui toti mundo erant terrori) muri capiuntur, fugantur ciues. Statim Romam mittunt ad Agitium Romanæ potestatis virum epistolas: AGITIO ter consuli gemitus Britonum. & post pauca adiiciunt querentes: Nos mare ad barbaros, barbari ad mare repellunt: aut igitur mergimur aut iugulamur. Nullum auxilium habentes, tristes redeunt, atque conciuibus repulsam suam denunciant. Inito itaque consilio, transfretauit Guitolinus Londinensis Archiepiscopus in minorem Britanniam, quæ tunc Armorica siue Letauia dicebatur, vt auxilium a confratribus suis postularet. Regnabat tunc in illa Aldroenus, quartus a Conano, cui Maximus regnum illud donarat, vt diximus supra. Ei proponit Guitolinus regnum Britanniæ ob affinitatem, & misericordiam petit, vt in eorum auxilium venire non dedignetur. Ille negat, videns instabile diadema illius. Sed Constantinum fratrem suum misit Aldroenus, & duo milia militum, vt eum regem constituant, & Deo auxiliante liberet eam. Plures, inquit, non trado, quia Galli me quotidie infestant. Missus Constantinus, vincit, & erigitur in regnum: Doroberniæ erigitur ciuitas, nunc Cantuaria dicitur. in partibus Cantiæ. Saxones autem adorabant deos, præsertim Mercurium, quem lingua sua *VVoden* appellabant, cui septimanæ quartam feriam dicarunt, quam ex nomine eius *VVodensday* vocabant. Post illum summo in honore habebant potentissimam deam, *Fream* nomine, cui sextam feriam consecrarunt, eam vocantes *Freiday*. Saxones autem non sunt populi Britanniæ magis Septentrionales, sed Germaniæ versus tamen Britanniam, vbi insula Thanet. Ciuitas est etiam in Britannia Caercaradauc, quæ nunc dicitur Salesburia. Ambrones autem, Saxones, & Angli idem, sed respectiue. Beduero Pincerna regis Arturi, circa annum Domini 15. XXVIII. cui Arturus rex Britanniæ donauit Neustriam, quæ nunc Normania dicitur, a quo filius, a quo Beduara familia Venetorum, cui R[illegible] tecta domorum aurea erant.

HAEC autem & multa alia, describit idem Gaufridus Monumotensis, historicus egregius, & Cardinalis: multa & Gildas poeta insignis. Sed ego Ponticus Virunnius excepi, quæ ad rem Romanam attinerent plurimum, ex quibus etiam videri potest nullam in toto orbe magis vexatam prouinciam armis, quam Britannia fuerit, vsque ad nouissima tempora. Præterij monstra gigantum, & insulas mirandas, vbi aquilæ vaticinia dabant, humana voce loquentes: erant enim spiritus mali: & de Merlino multa miranda, qui incubo fuit generatus, ne tædium afferret.

In subsequentibus autem alias historias connectam (de quibus diximus in procemio istius Historiæ) in compendio redactas.

FINIS.

EPIST.

GILDAE SAPIENTIS, DE EXCIDIO ET CONQVESTV Britanniæ EPISTOLA.

PROLOGVS GILDAE.

IN HAC Epistola quicquid deflendo potius quam declamando, vili licet stylo, tamen benigno, fuero prosecutus, ne quis me affectu cunctos spernantis, omnibusve melioris (quippe qui commune bonorum dispendium malorumque cumulum lacrymosis querelis defleam) sed condolentis patriæ incommoditatibus miseriisque eius ac remediis cōdelectantis, edicturum putet: quia non tam fortissimorum militum enuntiare trucis belli pericula mihi statutum est, quam desidiosorum. Silui, fateor, cum immenso cordis dolore, vt mihi renum scrutator testis est Dominus, spatio bilustri temporis, vel eo amplius, prætereuntis imperitia, sicut & nunc vna cum vilibus me meritis inhibentibus, ne qualemcunque admonitiunculam scriberem. Legebam nihilominus admirandum legislatorem ob vnius verbi dubitationem, terram * desiderabilem non introiisse, filios Sacerdotis † alienum admouendo altari ignem, cito exitu periisse: populum verborum Dei præuaricatorem * sexcentorum milium, duobus exceptis veracibus, & quidem Deo carissimum (quippe cui iter leuissime stratum ‡ profundi glarea maris rubri, cibus * cœlestis panis, potus nouus † ex rupe viator, acies inuicta * manuum sola intensa erectio fuerit) ‡ bestiis, * ferro, † igni per Arabiæ deserta sparsim cecidisse: post ingressum ignotæ ac si * Iordanis portæ, ‡ vrbisque aduersa mœnia, solis tubarum clangoribus iussu Dei subruta: * palliolum auriq; parum de anathemate præsumptum multos strauisse: † Gabaonitarū irritum fœdus callliditate licet extortum, nonnullis intulisse exitium, ob peccata hominum querulas sanctorum Prophetarum voces, & maxime Ieremiæ ruinam ciuitatis suæ quadruplici plangentis alphabeto. Videbam etiam nostro tempore, vt ille defleuerat, * *Solam sedisse vrbem viduam, antea populis plenam, gētium dominam, principem prouinciarum sub tributo fuisse factam*, id est Ecclesiam, ‡ *obscuratum aurum, coloremque optimum mutatum*, quod est verbi Dei splendorē: * *Filios Sion*, id est, sanctæ matris Ecclesiæ, *inclytos & amictos auro primo*, amplexatos fuisse stercora. Et quod illi intolerabiliter vt pote præcipuo, mihi quoque licet abiecto, vtcunque ad cumulum doloris crescebat, dum ita eosdem statu prospero viuentes egregios luxerat vt diceret: † *Candidiores Nazaræi eius niue, rubicundiores ebore antiquo Saphyro pulcriores.* Ista ego & multa alia veluti speculum quoddam vitæ nostræ in Scripturis veteribus intuens, conuertebar etiam ad nouas, & ibi legebam clarius, quæ mihi forsitan antea obscura fuerant, cessante vmbra, ac veritate firmius illucescente. Legebam, inquam, Dominum dixisse: * *Non veni nisi ad oues perditas domus Israel.* Et e contrario: ‡ *Filij autem regni huius eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium.* Et iterum: * *Non est bonum tollere panem filiorum, & mittere canibus.* Itemq; : † *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ.* Audiebam: * *Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum.* Et e diuerso: ‡ *Et tunc dicam eis: Discedite a me operarij iniquitatis.* Legebam: * *Beatæ steriles, & vbera quæ non lactauerunt.* Et e contrario: † *Quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, postea venerunt & reliquæ virgines dicentes: Domine, Domine aperi nobis.* Quibus responsum fuerat: *Non noui vos.* Audiebam sane: * *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui autem non crediderit, con*

* Num.20.12.
† Leuit.10.1.
* Num.14.28.& 26.65. 31.32.10.
‡ Exo.14.28
* Exo.16.14
† Exo.17.6 & Num.20 8.
* Exo.17.11.
‡ Num.21.6.
* Num.14.45.& Deut.1.44.
† Num.11.1.& 16.35.
* Iof.3.19.
‡ Iof.6.20.
* Iof.7.21.& 24.
† Samu.21.1
* Thre.1.1.
‡ Thre.4.1.
* Thren.4.8.
† Thre.4.7
* Mat.15.24
‡ Matt.8.12
* Matt.15.26 Marc.7.27.
† Matth.23.13.
* Matt.8.11
‡ Mat.7.23. Luc.13.27.
* Luc.23.29
† Matt.25.10.
* Mar.16.16

[‡ Rõ. 11.17.] *demnabitur*. Legebam Apostoli voce,‡ Oleastri ramũ bonæ oliuæ insertũ fuisse: sed a societate radicis pinguedinis eiusdẽ, si nõ timuisset, sed alta saperet, excidendũ. Sciebam misericordiã Domini, sed & iudiciũ timebã. laudabã gratiã, sed redditionẽ vnicuiq; secundũ opera sua verebar. Oues vnius ouilis dissimiles cernẽs, merito beatissimũ dicebã Petrum ob Christi integram cõfessionem, at Iudam infelicissimũ, propter cupiditatis amorem: Stephanum gloriosum ob martyrij palmam, sed Nicolaum miserũ propter [* Act. 4.32.] immundæ hęreseos notam. Legebam certe: * *Erant illis omnia communia*, sed & quod di- [* Act. 3.9.] ctum est: *Quare conuenit vobis tentare spiritum Dei?* Videbam e regione quantum securitatis hominibus nostri temporis, acsi non esset quod timeretur, increuerat. Hæc igitur & multo plura, quæ breuitatis causa omittenda decreuimus, cum qualicumq; cordis cõpunctione, attonita mente sæpius voluens: si inquam peculiari ex omnibus nationibus, [* Exo. 4.21] populo semini regali, gentiq; sanctæ (ad quam dixerat: * *Primogenitus meus Israel*) eiusque Sacerdotibus, Prophetis, Regibus per tot secula, Apostolo ministro, membrisq; illius primitiuę Ecclesiæ Dominus non pepercit cum a recto tramite deuiarint: quid tali huius atramento ætatis facturus est? cui præter illa nefanda immaniaque peccata, quæ communiter cum omnibus mundi sceleratis agit, accidit etiam illud veluti ingenitum quid, & indelebile insipientiæ pondus, & leuitatis ineluctabile. Quid? (mihimet aione miser) tibi veluti conspicuo ac summo doctori talis cura committitur, vt obstes ictibus tam violenti torrentis, & contra hunc inolidorum scelerum funem per tot annorum spatia interrupte lateq; protractum, serues depositũ tibi creditum? Et: Taceas, alioquin hoc est dixisse pedi. Speculare, & manu fatere. Habet Britannia rectores, habet speculatores. Quid tu nugando mutire disponis? Habet inquam, habet, si nõ vltra, non citra numerum. Sed quia inclinati tanto pondere sunt pressi, idcirco spatium respirandi non habent. Præoccupabant igitur se mutuo talibus obiectionibus, vel multo his [* Eccle. 3.7.] mordacioribus, veluti cõdebitores sensus mei. Hi non paruo, vt dixi, tempore (cum legerim tempus esse loquendi & tacendi) & in quadam ac si angusta timoris porticu luctabantur. Obtinuit, vicitq; tandem aliquando Creditor: Si non es, inquiens, talis au- [His notis [ ] inclusa. al. absunt.] daciæ, vt [inter veridicas rationalis secundæ a nuntiis deriuationis creaturas] nõ per- [Num. 22.23] timescas, libertatis aureæ decenti nota inuri, affectum saltem intelligibilis asinę eatenus elinguis non refugito spiritu Dei afflatæ, nolẽtis se vehiculum fore tiarati magi deuoturi populum Dei, quæ in angusto maceriæ vinearum, resolutũ eius attriuit pedem, ob id licet verbera hostiliter senserit, cuiq; Angelum cœlestem ensem vacuum vagina habentem, atque contrarium, quem ille cruda stoliditate cæcatus non viderat, digito quodammodo, quanquam ingrato ac furibundo & innoxia eius latera contra ius fasq; cædenti demõstrauit. In zelo igitur domus Domini, sacræ legis, seu cogitatuum rationibus, vel fratrum religiosis precibus coactus nunc persoluo debitum multo tempore antea exactum; vile quidem, sed fidele, vt puto, & amicale quibusq; egregiis Christi tyronibus, graue vero & importabile apostatis insipientibus. Quorum priores, ni fallor, cum lacrymis forte quæ ex Dei caritate profluunt; alij cum tristitia, sed quæ de indignatione & pusillanimitate deprehensæ conscientię extorquetur, illud excipient. Sed ante promissum, Deo volente, pauca. I. De situ. II. De contumacia. III. De subiectione. IIII. De rebellione. V. Item de subiectione ac diro famulatu. VI. De religione. VII. De persecutione. VIII. De Sanctis Martyribus. IX. De diuersis hæresibus. X. De tyrannis. XI. De duabus gentibus vastatricibus. XII. De defensione. XIII. Itemque vastatione. XIIII. De secunda vltione. XV. Tertiaque vastatione. XVI. De fame. XVII. De epistolis ad Agitium. XVIII. De victoria. XIX. De sceleribus. XX. De nuntiatis subito hostibus. XXI. De famosa peste. XXII. De consilio. XXIII. De sæuiore multo primis hoste. XXIIII. De vrbium subuersione. XXV. De reliquiis. XXVI. De postrema patriæ victoria, quæ temporibus nostris Dei nutu donata est, dicere conamur.

EPIST.

EPISTOLA GILDAE.

BRITANNIA insula in extremo ferme orbis limite circium occidentemque versus, diuina, vt dicitur, statera terræ totius ponderatrice librata: ab Africo boreali propensius tensa axi octingentorum in longo milium, ducentorum in lato spacium, exceptis diuersorum prolixioribus promontoriorum tractibus, quæ arcuatis Oceani sinibus ambiuntur, tenens: cuius diffusiore, &, vt ita dicam, intransmeabili vndique circulo absque meridianæ freto plagæ, quo ad Galliam Belgicam nauigatur, vallata duorum ostiis nobilium fluminum Tamesis ac Sabrinæ veluti brachiis, per quæ eidem olim transmarinæ delitiæ ratibus vehebantur, aliorumque minorum meliorata, bis denis, bisque quaternis ciuitatibus, ac nonnullis castellis, murorum, turrium serratarum, portarum, domorum (quarum culmina minaci proceritate porrecta in edito forti compage pangebantur) munitionibus non improbabiliter instructis decorata: campis late pansis, collibusque amœno situ locatis præpollenti culturæ aptis, montibus alternandis animalium pastibus maxime conuenientibus, quorum diuersorum colorum flores humanis gressibus pulsati, non indecentem ceu picturam eisdem imprimebat, electa veluti sponsa monilibus diuersis ornata. fontibus lucidis, crebris vndis niueas veluti glareas pellentibus, pernitidisq; riuis leni murmure serpentibus, ipsorumque in ripis accubantibus suauis soporis pignus prætendentibus, & lacubus frigidum aquæ torrentem viuæ exundantibus irrigua. *De situ Insulæ.*

II Hæc erecta ceruice & mente, ex quo inhabitata est, nunc Deo, interdum ciuibus, nonnunquã etiam transmarinis Regibus, & subiectis ingrata consurgit. Quid enim deformius, quidque iniquius potest humanis ausibus vel esse, vel intromitti negotium, quam Deo timorem, bonis ciuibus caritatem, in altiore dignitate positis, absque fidei detrimẽto, debitum denegare honorem, & frangere diuino sensui humanoque fidem, & abiecto cœli terræque metu propriis adinuentionibus aliquem & libidinibus regi? Igitur omittens priscos illos communesque cum omnibus gentibus errores, quibus ante aduentum Christi in carne omne humanum genus obligabatur adstrictum, nec enumerans patriæ portenta, ipsa diabolica pene numero Ægyptiaca vincentia: quorum nonnulla lineamentis adhuc deformibus intra vel extra deserta mœnia, solito more rigentia, toruis vultibus intuemur: neque nominatim inclamitans montes ipsos aut colles, vel fluuios olim exitiales, nunc vero humanis vsibus vtiles, quibus diuinus honor a cæco tunc populo cumulabatur: & tacens vetustos immanium tyrannorum annos, qui in aliis longe positis regionibus vulgati sunt; ita vt Porphyrius rabidus orientalis, aduersus Ecclesiam canis dementiæ suæ ac vanitatis stylo hoc etiam adnecteret: *Britannia*, inquiens, *fertilis prouincia tyrannorum*: illa tantum proferre conabor in medium, quæ temporibus Imperatorum Romanorum & passa est & aliis intulit ciuibus, & longe positis mala. quantum tamen potuero, non tam ex scriptis patriæ, scriptorumue monumentis; quippe quæ vel si qua fuerint, aut ignibus hostium exusta, aut ciuium exulum classe longius deportata non compareant; quam transmarina relatione quæ crebris irrupta intercapedinibus non satis claret. *De contumacia gentis.*

III, Etenim reges Roman. cum orbis imperium obtinuissent, subiugatisque finitimis quibusq; regionibus vel insulis, orientẽ versus, primæ Parthorũ, Indorum confiniũ parte pace, qua peracta in omni pene terra tum cessauere bella, & potioris famę viribus firmassent; non acies flammæ quodam modo rigidi tenoris ad occidentem cæruleo Oceani torrente potuit vel cohiberi, vel extingui: sed transfretans insulæ parendi leges nullo obsistente aduexit, imbellemque populum & infidelem, non tam ferro, igni, machinis, vt alias gentes, quam solis minis vel iudiciorum concussionibus in superficie tantum vultus, presso in altum cordis dolore, sui obedientiam proferentem edictis subiugauit. *De gentis subiectione.*

IIII. Quibus statim Romam ob inopiam, vt aiebant, cespitis repedantibus, & nihil *De rebellione.*

de rebellione suspicantibus, rectores sibi relictos ad enuntianda plenius vel confirmanda Romani regni molimina Leæna trucidauit dolosa. Quibus ita gestis, cum talia Senatui nuntiarentur, & propero exercitu vulpeculas, vt fingebat, subdolas vlcisci festinaret: non militaris in mari classis parata fortiter dimicare pro patria, neque quadratum agmen, neq; dextrū cornu, aliiue belli apparatus in littore cōspiciuntur; sed terga pro scuto fugantibus dantur, & colla gladiis, gelido per ossa tremore currente, manusq; vinciendæ muliebriter protenduntur: ita vt in prouerbium & derisum longe lateque efferretur, quod non Britanni sunt in bello fortes, nec in pace fideles.

De secunda gentis subiectione.

V. Itaq; multis Romani perfidorū cæsis, nonnullis ad seruitutem, ne terra penitus in solitudinem redigeretur, mancipalibus reseruatis, patria vini oleiq; experte relicta, Italiam petunt, suorum quosdam relinquentes præpositos indigenarum dorsis mastigias, ceruicibus iugum, solo nomen Romanæ seruitutis hærere facturos, ac non tā militari manu quam flagris callidam gentem maceraturos, & si res sic postulauisset, ensem, vt dicitur, vagina vacuum lateri eius accōmodaturos, ita vt non Britannia, sed Romania cēseretur; & quicquid habere potuisset æris, argēti, vel auri, imagine Cæsaris notaretur.

De religione.

VI. Interea glaciali frigore rigenti insulæ, & velut longiore terrarum secessu soli visibili non proximæ verus ille non de firmamento solū tēporali, sed de summa etiam coelorum arce tempora cuncta excedente, vniuerso orbi præfulgidum sui coruscum ostēdens [tempore, vt scimus, summo Tiberij Cæsaris, quo absq; vllo impedimento, eius propagabatur religio comminata Senatu nolente a principe morte dilatoribus militum eiusdem, radios suos primum indulget, id est, sua præcepta Christus.]

De persecutione.

VII. Quæ licet ab incolis tepide suscepta sunt, apud quosdam tamē integre, & alios minus vsq; ad persecutionem Diocletiani tyranni nouennem: in qua subuersæ per totum mundū sunt Ecclesiæ, & cunctæ sacræ scripturæ, quæ inueniri potuerunt in plateis exustæ, & electi Sacerdotes gregis Domini cum innocētibus ouibus trucidati: ita vt ne vestigiū quidem, si fieri potuisset, in nōnullis prouinciæ locis Christianæ religionis appareret, permansere. Tunc quantæ fugæ, quantæ strages, quantæ diuersarum mortium poenæ, quantæ apostatarū ruinæ, quantæ gloriosorum martyrum coronæ, quanti persecutorum rabidi furores, quantæ e contrario Sanctorum patientiæ fuere, ecclesiastica historia narrat: ita vt agmine denso certatim, relictis post tergum mundialibus tenebris, ad amoena coelorum regna, quasi ad propriam sedem, tota festinaret Ecclesia.

De sanctis Britonum martyribus.

VIII. Magnificauit igitur misericordiam suam nobiscū Deus, volēs omnes homines saluos fieri, & vocans non minus peccatores, quam eos qui se putāt iustos: qui gratuito munere supradicto, vt cōiicimus, persecutionis tēpore, ne penitus crassa atræ noctis caligine Britannia obfuscaretur, clarissimos lāpades Sanctorū martyrum nobis accēdit; quorū nunc corporū sepulturę, & passionum loca, si non lugubri diuortio barbarorum, quā plurima ob scelera nostra, ciuibus adimerentur, non minimū intuentium mētibus ardorem diuinæ caritatis incuterent. Sanctū Albanum Verolamiensem, Aaron & Iulium Legionum vrbis ciues, ceterosq; vtriusq; sexus diuersis in locis summa magnanimitate in acie Christi perstantes dico: quorū prior postquā caritatis gratia cōfessorem persecutoribus insectatū, & iam iamq; cōprehendendum (imitans & in hoc Christum animam pro ouibus ponentem) domo primum, ac mutatis dein mutuo vestibus occuluit, & se discrimini in fratris supradicti vestimentis libenter persequendum dedit: ita Deo inter sacram confessionem cruoremq; coram impiis Romana tum stigmata cum horribili phantasia præferentibus placens signorū miraculis mirabiliter adornatus est, vt oratione feruenti illi Israeliticæ arenti viæ minusq; tritæ (*stante diu arca prope glareas testamenti in medio Iordanis canali) simile iter ignotum trans Tamesis nobilis fluuij alueum cum mille viris sicco ingrediens pede, suspensis vtrinq; modo præruptorum fluuialibus mōtium gurgitibus aperiret, & priorem carnificem tanta prodigia videntē in agnum ex lupo mutaret; & vna secū triumphalem martyrij palmam sitire vehementius, & excipere fortius faceret. Ceteri vero sic diuersis cruciatibus torti sunt, & inaudita membrorum discerptione lacerati, vt absque cunctamine gloriosi in egregiis Hierusalem veluti portis, martyrij sui tropæa defigerent. Nam qui superfuerant syluis ac desertis abditisque speluncis se occultauere, expectantes a iusto rectore omnium

*Iosu.3.17.

omnium Deo carnificibus seuera quãdoq; iudicia, sibi vero animarũ tutamina. Igitur bilustro supradicti turbinis nec dum ad integrum expleto, emarcescẽtibusq; nece suorũ autorũ nefariis decretis lætis luminibus omnes Christi tyrones quasi post hiemalem ac prolixam noctem temperiem lucemq; serenam auræ cœlestis excipiunt, renouant Ecclesias ad solum vsq; destructas, basilicas Sanctorum martyrũ fundant, construunt, perficiunt, ac velut victricia signa passim propalant, dies festos celebrant, sacra mundo corde oreq; conficiunt, omnes exultant filij gremio acsi matris ecclesiæ confoti.

IX Mansit namq; hęc Christi capitis membrorum consonantia suauis, donec Arriana perfidia atrox ceu anguis transmarina nobis euomens venena, fratres in vnum habitãtes exitiabiliter faceret seiungi, ac sic quasi via facta trans Oceanum omnes omnino bestiæ feræ mortiferum cuiuslibet hęreseos virus horrido ore vibrantes, letalia dẽtium vulnera patriæ noui semper aliquid audire volenti, & nihil certe stabiliter obtinenti infigebant. *De diuersis hæresibus.*

X. Itemq; tandem tyrannorum virgultis crescentibus, & in immanem siluam iam iamq; erumpentibus, insula nomen Romanũ, nec tamen morem legemq; tenens, quin potius abiiciens germen suæ plantationis amarissimæ, ad Gallias magna comitante satellitum caterua, insuper etiam imperatoriis insignibus (quæ nec decẽter vsquam gessit) non legitime, sed ritu tyrãnico & tumultuante initiatum milite Maximum mittit. Qui callida primum arte potius quam virtute finitimos quosque pagos vel prouincias contra Romanum statum, retia periurij mendaciiq; sui facinoroso regno adnectens, & vnam alarum ad Hispaniam, alteram ad Italiam extendens, & thronum iniquissimi imperij apud Treueros statuens, tanta insania in dominos debacchatus est, vt duos Imperatores legitimos, vnum Roma, alium religiosissima vita pelleret. Nec mora, tam feralibus vallatus audaciis apud Aquilegiam vrbem capite nefando cæditur, qui decorata totius orbis capita regni quodammodo deiecerat. *De tyrannis.*

XI. Exin Britannia omni armato milite, militaribus copiis, rectoribus, licet immanibus, ingenti iuuentute spoliata (quæ comitata vestigiis supradicti tyranni domũ nusquam vltra rediit) & omnis belli vsu penitus ignara, duabus primum gentibus trãsmarinis vehementer sæuis Scotorum a Circio, Pictorum ab Aquilone calcabilis multos stupet gemet que annos. *De duabus gentibus vastatricibus.*

XII. Ob quarum infestationem ac dirissimam depressionem, legatos Romam cum epistolis mittit, militarem manum ad se vindicandam lacrimosis postulationibus poscens, & subiectionem sui Romano imperio continue tota animi virtute, si hostis longius arceretur, vouens. Cui mox destinatur legio præteriti mali immemor, sufficienter armis instructa. Quæ ratibus trans Oceanum in patriam aduecta, & cominus cum grauibus hostibus congressa, magnamq; ex eis multitudinem sternens, & omnes e finibus depulit, & subiectos ciues tam atroci dilaceratione ex immenẽti captiuitate liberauit. Quos iussit construere inter duo maria trans insulam, murum; vt esset arcendis hostibus a turba instructus terrori, ciuibusque tutamini. Qui vulgo irrationabili absq; rectore factus, non tam lapidibus quam cespitibus, non profuit. *De defensione.*

XIII. Illa domum cum triumpho magno & gaudio repedante, illi priores inimici acsi Ambrones lupi profunda fame rabidi, siccis faucibus ouile transilientes non comparente pastore a lis remorũ, remigumq; brachiis, ac velis vento iuuatis vecti, terminos rũpunt, cęduntq; omnia, & quæq; obuia maturã ceu segetem metunt, calcãt, trãseunt. *Iterum de vastatione.*

XIIII. Itemq; mittuntur queruli legati, scissis, vt dicitur, vestibus, opertisq; sablone capitibus, impetrantes a Romanis auxilia, ac veluti timidi pulli matrũ fidelissimis alis succumbentes ne penitus misera patria deleretur, nomenq; Romanorum, quod verbis tantum apud eos auribus resultabat, vel exterarum gentium opprobrio obrosum vilesceret. At illi quantum humanæ naturæ possibile est, commoti tantæ historia tragœdiæ, volatus ceu aquilarum, equitum in terra, nautarum in mari cursus accelerantes inopinatos, primum tãdem terribiles inimicorum ceruicibus infigunt mucronum vngues, casibusq; foliorum tempore certo assimilanda iisdem peragunt stragẽ, acsi mõtanus torrens crebris tempestatum riuulis auctus, sonoroq; meatu alueos exundãs, [ac sulcato dorso fonteque acra erectis, vt aiunt, ad nebulas vndis (luminum quibus pupilli *De secunda vltione.* *Quæ passim his notis [ ] includuntur a Polydori Virgilii codice absunt.*

persæpe licet palpebrarum conuolatibus innouati adiunctissimarum rotarum lineis fuscantur) mirabiliter spumās, ast] vno obiectas sibi euincit gurgite moles: ita æmulorum agmina auxiliares egregij, si qua tamen euadere potuerant, præpropere trans maria fugauerunt, quia anniuersarias auide prædas nullo obsistente trans maria exaggerabant. Igitur Romani patrię denunciantes nequaquam se tam laboriosis expeditionibus posse frequentius vexari, & ob imbelles erraticosq; latrūculos Romana stigmata tantū talemq; exercitum terra ac mari fatigari: sed, vt potius sola consuescendo armis ac viriliter dimicando terrā, substantiolam, coniuges, liberos, &, quod his maius est, libertatem vitamq; totis viribus vindicaret, & gentibus nequaquā se fortioribus, nisi segnitia & torpore dissolueretur, inermes vinclis vinciendas nullo modo, sed instructas peltis, ensibus, hastis, & ad cædem prōptas protenderet manus, suadentes (quia & hoc putabant aliquid de relinquendo populo cōmodi accrescere) murum non vt alterum sumptu publico priuatoq; adiūctis secū miserabilibus indigenis solito structuræ more tramite a mari vsque ad mare inter vrbes, quæ ibidem forte ob metum hostiū collocatæ fuerant, directo librant, fortia formidoloso populo monita tradunt, exēplaria instituendorū armorum relinquūt. In littore quoq; Oceani ad meridianā plagam, quo naues eorum habebantur, quia & inde barbaricæ feræ bestiæ timebantur, turres per interualla ad prospectum maris collocant, & valedicunt tanquam vltra non reuersuri.

De tertia vastatione.

XV. Itaq; illis ad sua remeantibus, emergunt certatim de curucis quibus sunt trans Scythicam vallē euecti, quasi in alto Titane, incalescenteq; caumate, de arctissimis foraminum cauerniculis fusci vermiculorū cunei, tetri Scotorum Pictorūq; greges moribus ex parte dissidentes, & vna eademq; sanguinis fundendi auiditate concordes, furciferosq; magis vultus pilis, quam corporū pudenda, pudēdisq; proxima vestibus tegētes: cognitaq; condebitorum reuersione, & reditus denegatione, solito confidentiores omnem aquilonalem extremamq; terræ partem pro indigenis murotenus capessunt. Statuitur ad hæc in edito arcis acies segnis ad pugnam, inhabilis ad pugnam, trementibus præcordiis inepta, quæ diebus ac noctibus stupido sedili marcebat. Interea non cessant vncinata nudorum tela, quibus miserrimi ciues de muris tracti solo allidebantur. Hoc scilicet eis proficiebat immaturæ mortis supplicium, qui tali funere rapiebantur, quo fratrum pignorumque suorum miserandas imminentes pœnas cito exitu deuitabant. Quid plura? Relictis ciuitatibus muroque celso, iterum illis fugæ, iterum dispersiones solito desperabiliores: item ab hoste insectationes: item strages accelerantur crudeliores, & sicut agni a lanionibus, ita deflendi ciues ab inimicis discerpuntur, vt commoratio eorum ferarum assimilaretur agrestium.

De fame.

XVI. Nam & ipsos mutuo nec per exigui victus breui sustentaculo miserrimorum ciuium latrocinando temperabant, & augebātur externæ clades domesticis motibus, quod huiuscemodi tam crebris direptionibus vacuaretur omnis regio totius cibi baculo, excepto venatoriæ artis solatio.

De epistolis ad Agitium.

XVII. Igitur rursum miseræ mittentes epistolas reliquiæ ad Agitium Romanę potestatis virum (hoc modo loquentes: AGITIO ter consuli gemitus Britannorum: Et post pauca querentes: Repellunt Barbari ad mare, repellit mare ad Barbaros. Inter hęc duo genera funerum, aut iugulamur, aut mergimur) nec pro eis quicquam adiutorij habent. Interea famis dira ac famosissima vagis ac nutabundis hæret, quæ multos eorum cruentis compulit prædonibus sine dilatione victas dare manus, vt pauxillum ad refocillandam animam cibi caperent, alios vero nunquam. quin potius de ipsis mōtibus, speluncis, ac saltibus dumis consertis continue rebellabant.

De victoria.

XVIII. Et tum primum inimicis per multos annos prædas in terra agentibus strages dabant, non fidentes in homine, sed in Deo, secundum illud Philonis: *Necesse est adesse diuinum; vbi humanum cessat auxilium.* Quieuit parumper inimicorum audacia, nec tamen nostrorum malitia. Recesserant hostes a ciuibus, nec ciues a suis sceleribus.

De sceleribus.

XIX. Moris namque continui erat genti sicut & nunc est, vt infirma esset ad retundenda hostiū tela, & fortis esset ad ciuilia bella, & peccatorū onera sustinenda: Infirma, inquā, ad exequēda pacis ac veritatis insignia, & fortis ad scelera & mēdacia. Reuertūtur ergo impudentes grassatores Hiberni domū, post non longū tēporis reuersuri. Picti

in extrema parte insulæ tūc primū & deinceps requieuerūt, prædas & cōtritiones nonnunquā facientes. In talibus itaq; induciis desolato populo sæua cicatrix obducitur famis alia virulentiore tacite pullulante. Quiescente autē vastitate, tantis abūdantiarum copiis insula affluebat vt nulla habere tales retro ætas meminisset, cū quibus omnimodis & luxuria crescit. Creuit etenim germine præpollenti, ita vt competenter eodem tempore diceretur: *Omnino talis auditur fornicatio, qualis nec inter gentes.* 1.Cor.5.1. Non solum vero hoc vitium, sed & omnia quæ humanæ naturæ accidere solent, & præcipue (quod & nunc quoque in ea totius boni euertit statum) odium veritatis cum assertoribus, amorque mendacij cum suis fabricatoribus; susceptio mali pro bono; veneratio nequitiæ pro benignitate, cupido tenebrarum pro sole, exceptio Satanæ pro Angelo lucis. Vngebantur reges non per Deum, sed qui ceteris crudeliores extarent: & paulo post ab vnctoribus non pro veri examinatione trucidabantur, aliis electis trucioribus. Si quis vero eorum mitior, & veritate aliquatenus propior videretur, in hunc, quasi Britanniæ subuersorem, omnium odia telaque sine respectu contorquebantur, & omnia quæ displicuerint Deoque placuerint æquali saltim lance pendebantur, si non gratiora fuissent displicentia: ita vt merito patriæ illud propheticum, quod veteri illi populo denunciatum est, potuerit aptari: *Filij*, inquiens, *sine lege dereliquistis Deum, & ad iracundiam prouocastis Sanctum Israel. Quid adhuc percutiemini apponentes iniquitatem? Omne caput ad languidum, & omne cor mærens, a planta vsque ad verticem, non est in eo sanitas.* Esai.1.5. Sicque agebant cuncta, quæ saluti contraria fuerint, acsi nihil mundo medicina a vero omnium medico largiretur. Et non solum hæc seculares viri, sed & ipse grex Domini eiusque pastores, qui exemplo esse omni plebi debuerint. Ebrietate quamplurimi quasi vino madidi torpebant resoluti, & animositatum tumore, iurgiorum contentione, inuidiæ capacibus vngulis, indiscreto boni malique iudicio carpebantur: ita vt perspicue sicut & nunc est, effundi videretur *Contemptio super principes, seduci vanis eorum & errore in inuio & non in via.* In Psalm. 106.40.

XX. Interea volente Deo purgare familiam suam, & tanta malorum labe infectam auditu tantum tribulationis emendare, non ignoti rumoris penniger ceu volatus arrectas omnium penetrat aures, iamiamque aduentus veterum hostium volentium penitus delere, & inhabitare solito more a fine vsque ad terminum regionem. *De nunciatu subito hostibus.* Nequaquam tamen ob hoc proficiunt; sed comparati iumentis insipientibus, strictis, vt dicitur, morsibus rationis frenum obfirmantes, Psa.32.4. per latam diuersorum vitiorum ad mortem procliue ducentem, relicto salutari licet arcto itinere, discurrebant viam.

XXI. Dum ergo, vt Solomon ait, *Seruus durus non emendatur verbis, flagellatur stultus, & non sentit:* *De famosa peste.* Pestifera namque lues feraliter insipienti populo incumbit, quæ in breui tantam eius multitudinem remoto mucrone sternit, quantam ne possent viui humare. Prou.29.19. Sed ne hac quidem emendatur, vt illud Esaiæ Prophetæ in eo quoque impleretur dicentis: *Et vocauit Deus ad planctum & ad caluitium, & ad cingulum sacci: ecce vitulos occidere & iugulare arietes, ecce manducare & bibere & dicere: Manducemus & bibamus; cras enim moriemur.* Esa.22.12. Appropinquabat siquidem tempus, quo eius iniquitates, vt olim Amorrhæorum, complerentur.

XXII. Initur namque consilium quid optimum, quidue saluberrimum ad refellendas tam ferales & tam crebras supradictarum gentium irruptiones prædasque, decerni deberet. *De cōsilio.*

XXIII. Tum omnes consiliarij vna cum superbo tyranno cæcantur adinuenientes tale præsidium imo excidium patriæ, vt ferocissimi illi nefandi nominis Saxones Deo hominibusque inuisi, quasi in caulas lupi in insulam ad retundendas aquilonales gentes intromitterentur. *De sæuiore multo primis hoste: s. Anglosaxonico.* Quo vtique nihil ei vsquam perniciosius, nihilque amarius factum est. O altissimam sensus caliginem, ô desperabilem crudamque mentis hebetudinem! Quos propensius morte, cum abessent, tremebant, sponte (vt ita dicam) sub vnius tecti culmine inuitabant stulti Principes, vt dictum est, Taneos dantes Pharaoni consilium insipiens. Tum erumpens grex catulorum de cubili leænæ barbariæ tribus, vt lingua eius exprimitur, Cyulis, nostra longis nauibus, secundis velis omine auguriisque quibus vaticinabatur certo apud eum præsagio, quod ter centum annis patriam, cui proras

librabat,insideret, C. vero L. hoc est dimidio temporis sæpius vastaret. Euectus primum in Orientali parte insulę,iubente infausto tyranno,terribiles infixit vngues,quasi pro patria pugnaturus,sed eam certius impugnaturus. Cui supradicta genetrix(comperiens primo agmini fuisse prosperatum)item mittit satellitum canumque prolixiorem catastam,quæ ratibus aduecta adunatur cum manipularibus spuriis. Inde germen iniquitatis,radix amaritudinis, virulenta plantatio nostris condigna meritis in nostro cespite ferocibus palmitibus pampinisque pullulat. Igitur intromissi in insulam barbari veluti militibus & magna,vt mentiebantur,discrimina,pro bonis hospitibus,subituris,impetrant sibi annonas dari. Quæ multo tempore impertitæ clauserunt,vt dicitur,canis faucem. Item queruntur non affluenter sibi epimenia contribui, occasiones de industria colorantes, & ni profusior eis munificentia cumularetur, testantur se cuncta insulæ rupto fœdere depopulaturos.Nec mora,minas effectibus prosequuntur.

De vrbium subuersione.

XXIIII. Confouebatur namque vltionis iustæ præcedentium scelerum causa de mari vsque ad mare ignis Orientali sacrilegorum manu exaggeratus,& finitimas quasque ciuitates agrosque populans non quieuit accensus, donec cunctam pene exurens insulæ superficiem rubra occidentalem truciqueOceanum lingua delamberet.In hoc ergo impetu Assyrio olim in Iudam comparando,completur quoque in nobis secundum historiam,quod Propheta deplorans ait : *Incenderunt igni sanctuarium tuum,in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.* Et iterum: *Deus,venerunt gentes in hereditatem tuam: coinquinauerunt templum sanctum tuum,*&c. Ita vt cunctæ coloniæ crebris arietibus,omnesque coloni cum præpositis Ecclesiæ, cum Sacerdotibus ac populo mucronibus vndique micantibus, ac flammis crepitantibus simul solo sternerentur, & miserabili visu in medio platearum vna turrium edito cardine auulsarum , murorumque celsorum saxa sacra altaria,cadauerum frusta crustis, ac sigillantibus purpurei cruoris tecta velut in quodam horrendo torculari mixta viderentur, & nulla esset omnimodis præter domorum ruinas, bestiarum volucrumque ventres in medio sepultura, salua sanctarum animarum reuerentia,si tamen multæ inuentæ sint,quæ arduis cœli id temporis a sanctis Angelis veherentur. Ita enim degenerauerat tunc vinea illa, olim bona, in amaritudinem,vti raro secundum Prophetam videretur quasi post tergum vindemiatorum aut messorum racemus vel spica.

Psal.73.7.
Psal.78.1.

De reliquiis.

XXV. Itaque nonnulli miserarum reliquiarum in montibus deprehensi, aceruatim iugulabantur:alij fame confecti accedentes manus hostibus dabant in æuum seruituri,si tamen non continuo trucidarentur, quod altissimæ gratiæ stabat loco:alii transmarinas petebant regiones, cum vlulatu magno seu celeusmatis vice hoc modo sub velorum finibus cantantes: *Dedisti nos tanquam oues escarum, & in gentibus dispersisti nos:* alij montanis collibus,minacibus præruptis,vallatis,& densissimis saltibus, marinisq; rupibus vitam suspecta semper mente credentes, in patria, licet trepidi perstabant. Tempore igitur interueniente aliquanto cum recessissent domum crudelissimi prædones,roboratæ DEO reliquiæ(quibus confugiunt vndique de diuersis locis miserrimi ciues tam auide,quam apes aluearij procella imminente) simul deprecantes eum toto corde,&,vt dicitur,innumeris onerãtes æthera votis, ne ad interncionem vsque delerentur, duce Ambrosio Aureliano viro modesto (qui solus forte Romanæ gentis tantæ tempestatis collisione occisis in eadem parentibus purpura nimirum indutis superfuerat,cuius nunc temporibus nostris soboles magnopere auita bonitate degenerauit) vires capessunt victores prouocantes ad prælium, queis victoria Domino annuente cessit.

Psal. 43.12.

De postrema patriæ victoria.

XXVI. Ex eo tempore nunc ciues, nunc hostes vincebant,vt in ista gente experiretur Dominus solito more præsentem Israelem , vtrum diligat eum an non : vsque annum obsessionis Badonici montis,nouissimæque ferme de furciferis non minime stragis,quique quadragesimus quartus(vt noui)orditur annus mense iam vno emenso, qui & meæ natiuitatis est. Sed ne nunc quidem,vt antea,ciuitates patriæ inhabitantur, sed desertę dirutæque hactenus squalent,cessantibus licet externis bellis,sed non ciuilibus. Hæsit etenim tam desperati insulæ excidij, insperatique mentio auxilij memoriæ eorum,qui vtriusq; miraculi testes extitere:& ob hoc Reges, publici , priuati,sacerdotes,

ecclesia-

eccleſiaſtici ſuum quique ordinē ſeruarunt. At illis decedentibus, cum ſucceſſiſſet ætas tempeſtatis illius neſcia, & præſentis tantum ſerenitatis experta, ita cuncta veritatis ac iuſtitiæ moderamina concuſſa ac ſubuerſa ſunt, vt earum, non dicam veſtigium, ſed ne monimentum quidem in ſupradictis propemodum ordinibus appareat, exceptis paucis, & valde paucis, qui ob amiſſionem tantæ multitudinis, quæ quotidie prona ruit ad tartara, tam breuis numerus habentur, vt eos quodammodo venerabilis mater Eccleſia in ſuo ſinu recumbentes non videat, quos ſolos veros filios habet. Quorum ne quis me egregiam vitam omnibus admirabilem, Deoque amabilem carpere putet, quibus noſtra infirmitas in ſacris orationibus, vt non penitus collabatur, quaſi columnis quibuſdam ac fulcris ſaluberrimis ſuſtentatur, ſiqua liberius de his, imo lugubrius, cumulo malorum compulſus, qui ſeruiunt non ſolum ventri, ſed diabolo potius quam Chriſto, qui eſt benedictus in ſecula Deus, non tam diſceptauero quam defleuero.

Quippe quid celabunt ciues, quod non ſolum norunt, ſed exprobrant iam in circuitu nationes? Reges habet Britannia, ſed tyrannos; iudices habet, ſed impios; ſæpe prædantes & concutientes, ſed innocentes; vindicantes & patrocinantes, ſed reos & latrones; quamplurimas coniuges habentes, ſed ſcortas & adulterantes; crebro iurantes, ſed periurantes; vouentes, & continuo propemodum mentientes; belligerantes, ſed ciuilia & iniuſta bella agentes; per patriam quidem fures magnopere inſectantes, & eos qui ſecum ad menſam ſedent non ſolum amantes, ſed & munerantes; eleemoſynas largiter dantes, ſed e regione immenſum montem ſcelerum exaggerantes; in ſede arbitraturi ſedentes, ſed raro recti iudicij regulam quærentes, innoxios humileſque deſpicientes, ſanguinarios, ſuperbos, parricidas, commanipulares & adulteros Dei inimicos ſi ſors, vt dicitur, tulerit (qui cum ipſo nomine certatim delendi erant) ad ſidera, prout poſſunt, efferentes; vinctos plures in carceribus habentes quos dolo ſui potius quam merito proterunt catenis onerantes; inter altaria iurando demorantes, & hæc eadem acſi lutulenta paulo poſt ſaxa deſpicientes. Cuius tam nefandi piaculi non ignarus eſt immundæ leænæ Dannoniæ tyrannicus catulus Conſtantinus. Hoc anno poſt horribile iuramenti ſacramentum (quo ſe deuinxit nequaquam dolos ciuibus, Deo primum iureque iurando, ſanctorum demum choris & genitrice comitantibus fretis facturum) in duarum venerandis matrum ſinibus Eccleſiæ carnaliſque ſub ſancti abbatis amphibalo latera regiorum tenerrima puerorum, vel præcordia crudeliter duum totidemque nutritorum (quorum brachia nequaquam armis, quæ nullus pene hominum fortius hoc eis tempore tractabat, ſed Deo altarique protenta in die iudicij, ad tuæ ciuitatis portas Chriſte veneranda patientiæ ac fidei ſuæ vexilla ſuſpendent) inter ipſa, vt dixi, ſacroſancta altaria nefando enſe haſtaque prodentibus lacerauit, ita vt ſacrificij cœleſtis cædem purpurea acſi coagulati cruoris pallia attingerent, & hoc ne poſt laudanda quidem merita egit. Nam multis ante annis, crebris alternatiſque fœtoribus adulteriorum victus, legitima vxore contra Chriſti Magiſtrique gentium interdictum, depulſa, dicentium: * *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Et, † *Viri diligite vxores veſtras.* Amariſſimum enim quoddam de vitæ Sodomorum in cordis ſui infructuoſa bono ſemini gleba ſurculamen incredulitatis & inſipientiæ plantauerat, quod vulgatis domeſticiſque impietatibus velut quibuſdam venenatis imbribus irrigatum, & ad Dei offenſam auidius ſe erigens parricidij ſacrilegiique crimē produxit in medium; ſed nec adhuc priorum retibus malorum expeditus priſcis recentia auget malis. Age iam quaſi præſentem arguo, quem adhuc ſupereſſe non neſcio. Quid ſæue ſtupes animæ carnifex propriæ? Quid tibi flāmas inferni voluntarie accendis nequaquam defecturas? Quid inimicorum vice proprijs te confodis ſponte enſibus, haſtis? Anne ipſa quidem virulenta ſcelerum acſi pocula pectus tuum ſatiare quiuerunt? Reſpice quæſo, & veni ad Chriſtū, ſiquidem laboras, & immenſo pondere curuaris: & ipſe te, vt dixit, requieſcere faciet. Veni ad eum qui non vult *peccatoris mortem, ſed vt conuertatur & viuat.* * *Diſſolue*, ſecundum Prophetam, *vincula colli tui fili Syon.* † Redi (rogo) e longinquis licet peccatorum receſſibus ad piiſſimum patrem, qui deſpicienti porcorum ſordidos cibos ac pertimeſcenti diræ famis mortē, & reuertenti ſibi lætus occidere conſueuit *vitulum* filio *ſaginatum*, & proferre *primam* erranti *ſtolam*, & regium

Increpatio in Conſtantinum.

* Mat. 19. 6. Mar. 10. 9.
† Eph. 5. 28. Coloſ. 3. 19.

Ezec. 33. 11.
* Eſai. 52. 2.
† Luc. 15. 13

[Psal.33.9.] *annulum.* & tum spei cœlestis acsi saporem prægustans senties *Quam suauis est Dominus.* Nam si hæc contempseris, scias te inextricabilibus tenebrosisque ignium torrentibus iamiamque rotandum vrendumque. [*Increpatio in Aurelium.*] Quid tu quoque, vt Propheta ait, catule leonine Aureli Conane agis? Nonne eodẽ quo supradictus, si non exitiabiliore parricidiorum, fornicationum, adulteriorumque cœno, velut quibusdam marinis irruentibus tibi voraris feraliter vndis? Nonne pacem patriæ mortiferum ceu serpentem odiens, ciuiliaque bella & crebras iniuste prædas sitiens animæ tuæ cœlestis portas pacis ac refrigerij præcludis? Relictus, quæso, iam solus acsi arbor in medio campo arescens, recordare patrum fratrumque tuorum superuacuam phantasiam, iuuenilem immaturamque mortem. Num centenis tu ob religiosa merita, vel coæuus Mathusale exceptus pene omni prole seruaberis? Nequaquam. Sed, nisi citius, vt Psalmista ait, conuersus fueris ad Dominum, [Psal.7.13.] *ensem* in te *vibrabit* in breui suum Rex ille, qui per Prophetam, *Ego,* inquit, [Deut.32.39.] *occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego sanabo, & non est qui de manu mea possit eruere.* Quamobrem [Esa.52.2.] *excutere de* fœtido *puluere* tuo, & conuertere ad eum toto corde, qui creauit te, vt [Psal.2.12.] *cum exarserit in breui ira eius, beatus* sis *sperans in eum*: sin alias, æternæ te manebunt pœnæ conterendum sæua continue & nequaquam absumendum tartari fauce. [*Increpatio in Vortiporium.*] Quid tu quoque pardo similis moribus & nequitiis discolor, canescente iam capite, in throno dolis pleno, & ab imis verticetenus diuersis parricidiis & adulteriis constuprato, boni regis nequam fili, vt Ezechiæ Manasses, Demetarum tyranne Vortipori stupide riges? Quid te tam violenti peccatorum gurgites, quos vt vinum optimum sorbes, imo tu ab eis voraris, appropinquante sensim vitæ limite, non satiant? Quid quasi culminis malorum omnium stupro, propria tua amota coniuge, eiusdemque honesta morte impudentis filiæ quodam ineluctabili pondere miseram animam oneras? Ne consumas, quæso, dierum quod reliquum est in Dei offensam: Quia [2.Cor.6.2.] *nunc tempus acceptabile, & dies salutis* vultibus pœnitentium lucet, in quo bene operari potes, [* Matt.24.20.] * *ne fiat fuga* tua *hieme vel sabbato*: [† Psal.33.15.] † *Diuerte*, secũdum Psalmistam, *a malo, & fac bonum: inquire pacem* bonam, *& sequere eam*, quia *oculi Domini* super te bona agentem, *& aures eius* erunt *in preces* tuas, & non perdet *de terra viuentium memoriam* tuam. Clamabis, & exaudiet te, *& ex omnibus tribulationibus* tuis eruet te. [Psal.50.19.] *Cor* siquidem *contritum & humiliatum* timore eius nusquã Christus spernit. Alioquin [Esa.66.24. Marc.9.44.] *vermis* tortionis tuæ *non morietur, & ignis* vstionis tuæ *non extinguetur.* Vt quid in nequitiæ tuæ volueris vetusta fece, & tu ab adolescentiæ annis vt se multorum sessor, aurigaque currus receptaculi vrsi, Dei contemptor, sortisque eius depressor [*Increpatio in Cuneglasum.*] Cuneglase Romana lingua, lanio fulue? Quare tantum certamen tam hominibus quam Deo præstas, hominibus ciuibus scilicet armis specialibus, Deo infinitis sceleribus? Quid præter innumerabiles casus propria vxore pulsa furciferam germanam eius perpetuam Deo viduitatis castimoniam promittentem, vt Poëta ait, summam seu teneritudinem cœlicolarum tota animi veneratione, vel potius hebetudine nympharum contra interdictum Apostoli [Gal.5.21.] denegantis posse adulteros regni cœlestis esse municipes, suspicis? Quid gemitus atque suspiria Sanctorum, propter te corporaliter versantium vice immunis leænæ dentium ossa tua quandoque fractura crebris instigas iniuriis? [Psal.36.8.] *Desine*, quæso, vt Propheta ait, *ab ira & derelinque* exitialem, ac temetipsum maceraturum (quem cœlo ac terræ, hoc est, Deo gregique eius spiras) *furorem*: fac eos potius mutatis pro te orare moribus, quibus suppetit supra mundum alligandi, cum in mundo reos alligauerint; & soluendi, cum pœnitentes, potestas, soluerint. [1.Tim.6.17.] *Noli*, vt ait Apostolus, *superbe sapere, vel sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo, qui præstat tibi multa abunde*, vt per emendationem morum thesaurizes tibi *fundamentum bonum in futurum, &* habeas *veram vitam*, perennem profecto, nõ deciduam. Alioquin scies, & videbis etiam in hoc seculo, quam malum & amarum est reliquisse te, Dominum Deum tuum, & non esse timorem eius apud te, & in futuro tetro ignium globo æternorum te exuri, nec tamen vllo modo mori. Siquidem tam sceleratorum sint perpeti immortales igni animæ, quam Sanctorum lætitiæ. [*Increpatio in Maglocunum.*] Quid tu etiam insularis draco, multorum tyrannorum depulsor tam regno quam etiam vita, supradictorum nouissime stylo, prime in malo, maior multis potentia, simulque malitia, largior in dando, profusior in peccato, robuste armis, sed animæ fortior excidiis Maglocune

in tam vetusto scelerum atramento, *veluti madidus vino* de Sodomitana vita expresso [Iere.23.9.] stolide volutaris? Quare tantas peccaminum regiæ ceruici sponte, vt ita dicam, ineluctabiles celsorum seu montium innectis moles? Quid te non ei regum omnium regi, quem cunctis pene Britanniæ ducibus tam regno fecit, quam status lineamento editiorem, exhibes ceteris moribus meliorem, sed versa vice deteriorem? quorum indubitatam æquanimiter conuitiorum auscultato parumper adstipulationem omissis domesticis leuioribusque, si tamen aliqua sunt leuia, palata solum longe lateque per auras admissa testaturam. Nonne in primis adolescentiæ tuæ annis auunculum regem cum fortissimis propemodum militibus (quorum vultus non catulorum leonis in acie magnopere dispares visebantur) acerrime ense, hasta, igni oppressisti? parum cogitans propheticum dictum: *Viri*, inquiens, *sanguinum & doli non dimidiabunt dies suos.* [Psal.54.24.] Quid pro hoc solo retributionis a iusto iudice sperares (& si non talia sequerentur quæ secuta sunt) itidem dicente per Prophetam: *Væ tibi qui prædaris: nonne & ipse prædaberis? & qui* [Esa.33.1.] *occidis, nonne & ipse occideris? & cum desiueris prædari, tunc cades.* Nonne postquam tibi ex voto violenti regni phantasia cessit, cupiditate iniectus ad viam reuertendi rectam, diebusque ac noctibus, id temporis (conscientia forte peccaminum remordente) de deifico tenore monachorumque decretis sub dente primum multa ruminans, deinde popularis auræ cognitioni proferens monachum sine vllo infidelitatis, vt aiebas, respectu coram omnipotente Deo, Angelicis vultibus humanisque (ruptis vt putabatur capacissimis illis, quibus præcipitanter inuolui solent pingues tauri moduli tui retibus omnis regni, auri, argentique, & quod maius est propriæ voluntatis distentionibus ru- [Sapi.5.11.] ptis) perpetuo vouisti, & te te ac si stridulo cauum lapsu aerem vali de secantem, sæuosque rapidi harpagones accipitris sinuosis flexibus vitantem, ad sanctorum tibi magnopere fidas speluncas refrigeriaque salubriter rapuisti ex coruo columbam? O quanta Ecclesiæ matri lætitia, si non te cunctorum mortalium hostis de sinu quodammodo eius lugubriter abstraxisset, foret? O quam profusus spei cœlestis fomes desperatorum cordibus (te in bonis permanente) inardesceret? O qualia quantaque animam tuam regni Christi præmia in die iudicij manerent, si non lupus callidus, ille agnum ex lupo factum te ab ouili dominico, non vehementer inuitum facturus lupum ex agno sibi similem rapuisset? O quantam exultationem pio omnium patri Deo sanctorum tua salus seruanda præstaret, si non te cunctorum perditorum infaustus pater, veluti magnarum aquila alarum vnguiumque dæmon infelici filiorum suorum agmini contra ius fasque rapuisset? Ne multa, tantum gaudij ac suauitatis tum cœlo terræque tua ad bonam frugem conuersio, quantum nunc mœroris ac luctus ministrauit ad horribilem more molossi ægri vomitum nefanda reuersio. Qua peracta, exhibentur *membra* [Prou.26.11. & 2. Pet.2.11.] *arma iniquitatis peccato* ac diabolo, quæ oportuerat saluo sensu auide exhiberi *arma iustitiæ Deo:* [Rom.6.13.] arrecto aurium auscultantur captu non Dei laudes canora Christi tyronum voce suauiter modulante, neque Ecclesiasticæ melodiæ, sed propriæ (quæ nihil sunt) furciferorum referto mendaciis simulque spumanti flegmate proximos quosque rusci daturo præconum ore ritu bacchantiū concrepante, ita vt vas Dei quondam ministerio præparatum vertatur in zabuli organum, quodque honore cœlesti putabatur dignum, merito proiiciatur in tartari baratrum. Nec tamen tantis malorum offendiculis tuus hebetatus insipientiæ cumulo sensus velut quodam obice tardatur, sed feruidus (acsi pullus amœna quæque imperagrata putans) per extensos scelerum campos irreuocabili furore raptatur, augendo priscis noua piaculis. Spernuntur namque primæ, post monachi votum irritum, illicite licet, tamen propriæ coniugis præsumptiue nuptiæ, alia viri viuentis non externi, sed fratris filij adamata. Ob quod dura ceruix illa multis iam peccaminum fascibus onerata bino parricidiali ausu occidendo supradictum, vxoremque tuam aliquamdiu a te habitam, velut summo sacrilegij tui culmine, de imis ad inferiora curuatur. Dehinc illam cuius dudum colludio ac suggestione tantæ sunt peccatorum subitæ moles publico & (vt fallaces parasitorum linguæ tuorum conclamant, summis tamen labiis non ex intimo cordis) legitimo vtpote viduatam *thoro*, nostræ vero sceleratissimo adsciuisti connubio. Cuius igitur sancti viscera, tali stimulata historia, non statim in fletus singultusque prorumpant?

Quis sacerdos, cuius cor rectum Deo patet, non statim hæc audiens magno cum vlu-
Iere.9.1. latu illud propheticum dicat? *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacryma-*
Eccle.41.11. *rum & plorabo in die & nocte interfectos populi mei?* Heu siquidem parum auribus captasti
propheticam obiurgationem ita dicentem: *Væ vobis viri impij, qui dereliquistis legem Dei*
altissimi, & si nati fueritis in maledictionem erit pars vestra. Omnia quæ de terra sunt, in terram
ibunt: sic impij a maledictione in perditionem, (subauditur) si non reuertantur ad Dominum,
Eccle.21.1. exaudita saltem tali admonitione, *Fili peccasti, ne adiicias vltra*, sed & *de pristinis tuis de-*
Eccle.5.8. *precare.* Et iterum: *Non tardes conuerti ad Dominum, neque differas de die in diem. Subito enim*
Prou.29.13. *venit ira eius*, quia vt scriptura ait: *Rege audiente verbum iniquum, omnes qui sub illo sunt, sce-*
Prou.29.4. *lesti sunt.* Nimirum *rex*, vt Propheta dixit, *iustus suscitat regionem.* Sed monita tibi profe-
Prou.29.4. cto non desunt, cum habueris præceptorem pene totius Britanniæ magistrum elegan-
Eccle.22.8. tem. Caueto igitur ne tibi, quod a Solomone notatur, accidat: *Quasi qui excitat dor-*
mientem de graui somno, sic qui enarrat stulto sapientiam. in fine enim narrationis dicet: Quid
primum dixeras? Laua a malitia cor tuum, sicut dictum est, *Hierusalem, vt saluus sis.* Ne
contemnas, quæso, ineffabilem misericordiam Dei, hoc modo per Prophetam a pec-
Iere.18.7. catis impios reuocantis: *Repente loquar ad gentem & ad regnum vt euellam, & dissipem, &*
destruam, & disperdam. Peccatorem hoc vehementer ad pœnitentiam hortatur. *Et si*
pœnitentiam egerit gens illa a peccato suo, pœnitentiam & ego agam super malo quod locutus sum
Iere.18.8. *vt facerem ei.* Et iterum: *Quis dabit eis tale cor, vt audiant me, & custodiant præcepta mea, &*
Deu.32.28. *bene sit eis omnibus diebus vitæ suæ?* Itemque in cantico Deuteronomij: *Populus*, inquit,
absque consilio & prudentia vtinam saperent & intelligerent ac nouissima prouiderent, quomodo
persequatur vnus mille, & duo fugent decem millia. Et iterum in Euangelio Dominus: *Ve-*
Matt.11.28. *nite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego vos requiescere faciam. Tollite iugum meum*
super vos, & discite a me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.
Nam si hæc surdis auribus audias, Prophetas contemnas, Christum despicias, nosque,
licet vilissimæ qualitatis simus, nullius momenti ducas Propheticum illud sincera ani-
mi pietate seruantes (vtcunque si non ego impleuero fortitudinem in spiritu & virtute
Esai.58.1. Domini vt enuntiem *Domui Iacob peccata eorum, & domui Israel scelera eorum*) ne simus
Esai 56.10. *canes muti non valentes latrare.* Et illud Solomonis ita dicentis: *Qui dicit impium iustum*
Pro.24.24. *esse, maledictus erit populis, & odibilis gentibus (nam qui arguunt, meliora sperabunt.)* Et iterum:
Eccle.4.27. *Non verearis proximum in casum suum, nec retineas verbum in tempore salutis.* Itemque:
Pro.24.11. *Erue eos qui ducuntur ad mortem, & redimere eos qui interficiuntur ne parcas*, quia *non prode-*
Prou.11.4. *runt*, vt idem Propheta ait, *diuitiæ in die iræ, iustitia a morte liberat. Si iustus quidem vix saluus*
Prou.11.31. & 1.Pet.4.18. *sit, impius & peccator vbi parebit?* Ille profecto te tenebrosus tartari torrens ferali rotatu
vndisque acsi acerrimis inuoluet semper cruciaturus & nunquam consumpturus, cui
tunc erit sera inutilisque pœnæ oculata cognitio, ac mali pœnitudo, a quo in hoc tem-
pore accepto & die salutis ad rectum vitæ iter differtur conuersio. Hic sane vel antea
concludenda erat (vti ne amplius loqueretur os nostrum opera hominum) tam flebilis
hæc querulaque malorum æui huius historia. Sed ne formidolosos nos aut lassos putet,
Esa.5.20. quo minus illud Isaianum infatigabiliter canamus, *Væ*, inquiens, *qui dicunt bonum ma-*
lum, & malum bonum: ponentes tenebras in lucem, & lucem in tenebras: amarum in dulce, & dulce
Matt.13.13. *in amarum* (qui *videntes non vident, & audientes non audiunt*, quorum cor crassa obtegitur
quadam vitiorum nube) libet quid quantumque [his supradictis lasciuientibus insa-
nisque satellitum Pharaonis, quibus eius periturus mari prouocatur exercitus strenue
rubro eorumque similibus quinque equis] minarum prophetica inclamitent strictim
edicere oracula, quibus veluti pulcro tegmine opusculi nostri molimen (ita vt ne cer-
tatim irruituris inuidorum imbribus extet penetrabile) fidissime contegatur. Respon-
deant itaque pro nobis sancti vates nunc vt ante (qui os quodammodo Dei, organum-
que Spiritus sancti mortalibus prohibentes mala, bonis fauentes extitere) contumaci-
bus superbisque huius ætatis principibus, ne dicant nos propria adinuentione & loqua
ci tantum temeritate tales minas eis tantosque terrores incutere. Nulli namque sa-
Hebr.10.28. pientium dubium est, in quantis grauiora sunt peccata huius temporis quam primi,
Samuel cōtra Saul Regem. Apostolo dicente: *Legem quis transgrediens duobus mediis vel tribus testibus moritur; quan-*
to putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit? En primus occurrit nobis

Samuel

Samuel iussu Dei legitimi regni stabilitor, Deo antequam nasceretur dedicatus, a Dan vsque Barsabeæ omni populo Israel veridicus Propheta signis indubitanter admirandis notus, ex cuius ore Spiritus sanctus cunctis mundi potestatibus intonuit, denuntiando primo regi apud Hebræos duntaxat Sauli, pro eo quod quædam de mandatis Domini non conpleuerat, dicens: *Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, iam nunc pararet Deus regnum tuum super Israel in sempiternum: Sed nequaquam regnum tuum vltra consurget.* [1. Sam. 13. 13] Quid ergo simile huius temporis sceleribus, adulteriumne vel parricidium fecit? Nullo modo. Sed iussionis ex parte mutationem, quia, vt bene quidam nostrum ait: *Non agitur de qualitate peccati, sed de transgressione mandati:* Itaque illum obiecta, velut putabat, purgantem & apologias, vt generi humano moris est, sagaciter hoc modo adnectentem, *imo audiui vocem Domini, & ambulaui in via per quam misit me,* [1. Sam. 15. 20.] tali animaduersione multauit. *Nunquid vult,* inquit, *Dominus holocausta aut victimas, & non potius vt obediatur voci Domini? Melior est enim obedietia quã victimæ, & audire magis quam offerre adipem arietum. Quoniam sicut peccatũ ariolãdi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Pro eo ergo quod abiecisti sermonem Domini, abiecit & te, ne sis Rex.* [1. Sa. 15. 22.] Et post pauca, *Scidit,* inquit, *Deus regnum Israel a te hodie, & dedit illud proximo tuo meliori te. Porro triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur, neque enim homo est vt agat pœnitentiam,* [1. Sa. 15. 28.] subauditur super duris malorum præcordiis. Notandum ergo est, quod dixit scelus idololatriæ esse, nolle Deo acquiescere. Non sibi scelerati isti, dum non gentium diis perspicue litant, subplaudant, siquidem conculcantes porcorum more pretiosissimas Christi margaritas idololatriæ. Sed licet hoc vnum exemplum acsi inuictus adstipulator ad corrigendos iniquos abunde sufficeret: tamen, vt in ore multorum testium omne comprobetur Britanniæ malum, transeamus ad cetera. Quid Dauid numerando populum euenit, dicente ad eum Propheta Gad? *Hæc dicit Dominus:* [2. Sa. 24. 12.] *Trium tibi optio datur: elige vnum quod volueris ex his, vt faciam tibi: Aut septem annis veniet tibi fames: aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos, & illi te persequentur: aut certe tribus diebus erit pestilentia in terra tua.* [Gad contra Dauid regem.] Nam arctatus tali conditione, & volens magis incidere in manus misericordis Dei quam hominum, lxx. milium populi sui strage humiliatur; & ni pro contribulibus apostolicæ caritatis affectu vt illos plaga non tangeret mori optasset, dicendo: *Ego sum qui peccaui, ego pastor inique egi: isti qui oues sunt, quid peccatrunt? Vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei,* [2. Sa. 24. 17.] vt inconsideratam cordis elationem propria morte piaret. Nam quid scriptura in consequentibus de filio eius narrat, *Fecit,* inquiens, *Solomon quod non placuerat coram Domino, & non adimpleuit vt sequeretur Dominum sicut pater eius. Dixit Dominus ad eum: Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, & præcepta mea quæ mandaui tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo.* [1. Reg. 11. 6.] [Contra Solomonem Regem.] Quid duobus sacrilegis, æque vt isti sunt, Israel regibus Ieroboæ & Baasæ accidit, audite; quibus sententia Domini dirigitur per Prophetam ita dicentis: *Propter quod magnificaui te Principem super Israel, † quia exacerbauerunt me in vanis eorum: Ecce ego suscito post Baasam & post domum eius, & tradam domum eius sicut domum Ieroboæ Nabath. Qui mortuus fuerit de suis in ciuitate, comedent eum canes, & mortuum corpus illius in campo comedent volatilia cæli.* [1. Reg. 11. 1.] [Contra Ieroboam & Baasam Reges.] [1. Reg. 14. 7.] Quid illi quoque scelerato regi Israel istorum commanipulari (cuius colludio & vxoris dolo Naboth innocens propter paternam vineam oppressus est) sancto ore illius Heliæ atque ignifero Domini alloquio instructo minatur, ita dicentis: [1. Reg. 19. 2.] [† 1. Reg. 16. 2.] *Occidisti insuper & possedisti. & post hæc addes: Hæc dicit Dominus: In loco hoc in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque tuum sanguinem.* [1. Reg. 21. 19.] [Helias contra Achab Regem.] Quod ita factum fuisse certissima ratione cognitum est. Sed ne forte secundum supradictum Achab *spiritus mendax* loquens vana *in ore Prophetarum* vestrorum seducat vos, ne sermones Michææ Prophetæ audiatis, *Ecce permisit Deus spiritum mendacij in ore omnium Prophetarum tuorum qui hic sunt, & Dominus locutus est contra te malum.* [1. Reg. 22. 22.] [1. Reg. 22. 23.] Nam & nunc certum est aliquos esse doctores contrario spiritu repletos, & magis prauam voluptatem quam veritatem asserentes: quorum verba *super oleum molliuntur, & ipsa sunt iacula* * *qui dicunt pax pax, & non erit in peccatis permanentibus pax*: vt alibi Propheta dicit, *Non est gaudere impiis, dicit Dominus.* [Psal. 54. 22.] [* Iere. 6. 14. & 8. 11.] [Esa. 48. 22. & 57. 21.] Azarias quoque filius Obed ad se reuertenti de cæde decies centenum millium exercitus Æthiopum locutus est dicens,

2.Para.15.2. *Dominus vobiscum est dum estis cum ipso, & si exquisieritis eum, inuenietur a vobis. Et si dereli-*
Contra Io- *queritis eum, derelinquet vos.* Nam si Iosaphat ferẽs præsidium iniquo regi, ita ab Iehu Pro-
saphat Re- pheta Ananiæ filio increpatur, dicente: *Si peccatorem tu adiuuas, aut quem Dominus odit, tu*
gem. *diligis? propterea ira Dei est super te*: quid illis, qui propriis scelerum suorum criniculis
2.Par.19.2. compediuntur, fiet? Quorum nos necesse est, si in acie dominica volumus dimicare,
Psal.96.10. peccata odisse non animas, dicente Psalmista: *Qui diligitis Dominum, odite malum.* Quid
Contra Io- ad supradicti Iosaphat filium currus & auriga Israel Propheta Helias Ioram, scilicet
rã Regem. parricidã, qui egregios fratres suos, vt pro ipsis regnaret, spurius trucidauit, effatus est:
2.Para.21. *Sic dicit*, inquit, *Dominus Deus patris tui Dauid: Eo quod non ambulaueris in via Iosaphat pa-*
12. *tris tui, & in viis Asæ regis Iuda, & ambulasti in viis regum Israel, & stupore se vt gessit domus*
Achab, & fratres tuos filios Iosaphat meliores te interfecisti, ecce Dominus percutiet plaga magna
2.Par.21.15. *te, & filios tuos.* [Et post pauca: *Et tu eris in magna valetudine in lãguore vẽtris tui, donec exeat*
venter tuus cum ipsa infirmitate de die ex die.] Et ad Ioram regem Israel, vt vos, derelin-
quentem dominum, quid Zacharias filius Ioiadæ vatis minatus sit, attendite. qui sur-
2.Para.24.20. gens a populo dixit: *Hæc dicit Dominus: Quare præteritis præcepta Domini, & non prospera-*
mini? Quia dereliquistis Dominum, & derelinquet vos. Quid de autore Prophetarum Esaia
Esa.1.2. dicam? qui proœmium prophetiæ suæ vel visionem ita exorsus est, dicens: *Audite cæli &*
auribus percipite terra, quoniam Dominus locutus est: Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spre-
uerunt me. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui; Israel autem me non cogno-
uit, & populus meus non intellexit. [Et post pauca, minas meritas tantæ insipientiæ aptans,
Esa.1.8. *Derelinquetur*, inquit, *filia Syon vt tabernaculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario,*
Esa.1.10. *sicut ciuitas quæ vastatur.* Et Principes specialiter conueniens, ait: *Audite verbum Domini*
Principes Sodomorum, percipite legem Domini populus Gomorrhæ. Notandum sane quod in is
qui reges, principes Sodomorum vocentur. Prohibens namque Dominus sacrificia &
dona sibi a talibus offerri (& nos inhiantes suscipimus quæ Deo ab omni natione sunt
non placita eademque egenis & pene nihil habentibus distribui in perniciem nostram
Esa.1.13. non sinimus) cum latis diuitiis oneratis sordibus peccatorum intentis ait: *Ne afferatis*
Esa.1.15. *vltra sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi.* Itemque denunciat; *Et cum extenderi-*
tis manus vestras, auertam oculos meos a vobis, & cum multiplicaueritis orationem, nõ exaudiam.
Et hoc quare facit ostendit: *Manus*, inquiens, *vestræ sanguine plenæ sunt.* Simulque osten-
Esa.1.16. dens quomodo placaretur, ait: *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestra-*
rum ab oculis meis, quiescite agere peruerse, discite benefacere, quærite iudicium, subuenite oppresso,
Esa.1.18. *iudicate pupillo.* Quasi placoris vicissitudinem adiungens, ait: *Si fuerint peccata vestra vt*
coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Si
volueritis & audieritis me, bona terræ manducabitis. Quod si nolueritis, & me prouocaueritis ad
iracundiam, gladius deuorabit vos. Accipite veracem publicumque adstipulatorem boni
malique vestri retributionem absque vllo adulationis fuco (non vt parasitorum vene-
rata vestrorum venena in aures sibilant ora) testantem. Itemque ad rapaces iudices sen-
Esa.1.23. tentiam dirigens, ita affatur: *Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sectan-*
tur retributiones, pupillo non iudicant, causa viduæ non ingreditur ad eos. Propter hoc ait Domi-
nus exercituum fortis Israel: Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis,
& conterentur scelerati & peccatores simul, & omnes qui dereliquerunt Dominum consumentur.
Esa.2.11. Et infra: *Oculi sublimis hominis humiliabuntur, & incuruauit altitudo virorum.* Et iterum: *Væ*
Esa.3.11. *impio in malum, retributio enim manuum eius fiet ei.* Et post pauca: *Væ qui consurgitis mane ad*
Esa.5.11. *ebrietatem sectandam, & ad potandum vsque ad vesperam vt vino æstuetis. Cithara, & lyra, &*
tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis vestris, & opus Domini nõ respicitis, & opera manuum
eius non consideratis. Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, &
nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit. Propterea dilatauit infernus animam
suam, & aperuit os suum absque vllo termino, & descendent fortes eius, & populus eius, & sublimes
Esa.5.22. *gloriosique eius ad eum.* Et infra: *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad mis-*
cendam ebrietatem, qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo. Propter
hoc sicut deuorat stipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit: sic radix eorum quasi fauilla erit,
& germen eorum vt puluis ascendet. Abiecerunt enim legem Domini exercituũ, & eloquium sancti
Israel despexerunt. In omnibus his non est auersus furor Domini, sed adhuc manus eius extenta.

Et post

Et post aliquanta de die iudicij & peccatorum ineffabili metu disceptans ait: *Vlulate* Esa.13.6. *quia prope est dies Domini* (si tunc prope erat, quid nunc putabitur?) *Quia vastitas a Deo veniet. Propter hoc omnes manus dissoluentur, & omne cor hominis tabescet & conteretur, tortiones & dolores tenebunt, quasi parturiens dolebunt. Vnusquisque ad proximum suum stupebit, facies combustæ vultus illorum. Ecce dies Domini veniet crudelis & indignationis plenus, & iræ furorisque ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores eius conterendos de ea, quoniam stellæ cæli & splendor earum non expandent lumen suum; obtenebrabitur Sol in ortu suo, & Luna non splendebit in tempore suo, & visitabo super orbis mala, & contra impios iniquitatem ipsorum, & quiescere faciam superbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo.* Et iterum: *Ecce Dominus* Esa.24.1. *dissipabit terram, & nudabit eam, & affliget faciem eius, & disperget habitatores eius, & erit sicut populus sic sacerdos; & sicut seruus sic dominus eius; sicut ancilla sic domina eius; sicut emens sic ille qui vendit; sicut fœnerator sic ille qui mutuum accipit; sicut qui repetit sic qui debet. Dissipatione dissipabitur terra & direptione prædabitur. Dominus enim locutus est verbum hoc: Luxit & defluxit terra; defluxit orbis, infirmata est ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum. Propter hoc maledictio vorabit terram.* Et infra: *Ingemiscent omnes qui lætantur corde, cessabit gaudium tympanorum, quiescet sonitus lætantium,* Esa.24.7. *conticescet dulcedo citharæ, cum cantico non bibent vinum, amara erit potio bibentibus illam. Attrita est ciuitas vanitatis, clausa est omnis domus nullo introeunte. Clamor erit super vino in plateis, deserta est omnis lætitia, translatum est gaudium terræ, relicta est in vrbe solitudo, & calamitas opprimet portas, quia hæc erunt in medio terræ & in medio populorum.* Et post pauca: *Præuaricantes* Esa.24.16. *præuaricati sunt, & præuaricatione transgressorum præuaricati sunt. Formido, & fouea, & laqueus super te qui habitator es terræ. Et erit: qui fugerit a voce formidinis, cadet in foueam, & qui se explicuerit de fouea, tenebitur laqueo: quia cataractæ de excelsis apertæ erunt, & concutientur fundamenta terræ. Confractione confringetur terra, commotione commouebitur, agitatione agitabitur sicut ebrius, & auferetur quasi tabernaculum vnius noctis, & grauabit eam iniquitas sua, & corruet, & non adiiciet vt resurgat. Et erit: in die illa visitabit Dominus super militiam cæli in excelso, & super reges terræ qui sunt super terram, & congregabuntur in congregationem vnius fascis in lacum, & claudentur ibi in carcerem, & post multos dies visitabuntur. Et erubescet Luna, & confundetur Sol cum regnauerit Dominus exercituum in monte Syon & in Ierusalem, & in conspectu senum suorum fuerit glorificatus.* Et post aliquanta, rationem reddens quãobrem talia minaretur, ita ait: *Ecce non est abbreuiata manus Domini vt saluare nequeat, neq; aggra-* Esa.59.1. *uata est auris eius vt non exaudiat. Sed iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius a vobis ne exaudiret. Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate: labia vestra locuta sunt mendacium, & lingua vestra iniquitatem fatur. Non est qui vocet iustitiam, neque est qui iudicet vere, sed confidunt in nihil, & loquuntur vanitates, & conceperunt dolorem, & pepererunt iniquitatem.* Et infra: *Opera eorum inutilia &* Esa.59.6. *opus iniquitatis in manibus eorum. Pedes eorum in malum currunt, & festinant vt effundant sanguinem innocentem. Cogitationes eorum cogitationes inutiles, vastitas & contritio in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt, & non est iudicium in gressibus eorum. Semitæ eorum incuruatæ sunt eis, omnis qui calcat in eis, ignorat pacem. Propter hoc elongatum est iudicium a vobis, & non apprehendit vos iustitia.* Et post pauca: *Et conuersum est retrorsum iudiciũ, & iustitia longe stetit,* Esa.59.14. *quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi. Et facta est veritas in obliuione, & qui recessit a malo, prædæ patuit. Et vidit Dominus & non placuit in oculis eius, quia non est iudicium.* Huc vsque Esaiæ Prophetæ pauca de multis dixisse sufficiat. Nunc vero illũ (qui priusquam formaretur in vtero præscitus, & priusquã exiret de vulua sanctificatus, & in cunctis gentibus propheta positus est) Ieremiã scilicet, qui de populo insipiente rigidisque regibus pronũciauerit, parũper attendẽtes audite, hoc modo leniter verba initiãtem: *Et factum est verbũ Domini ad me, dicens: Vade & clama in auribus Ierusalẽ, & dices: Audite ver-* Iere.2.1. *bũ Domini domus Iacob, & omnes cognationes domus Israel. Hæc dicit Dominus: Quid inuenerũt in me patres vestri iniquitatis, qui elongati sunt a me, & ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt, & non dixerunt; vbi est qui ascendere nos fecit de terra Ægypti?* Et post pauca: *A seculo* Iere.2.20. *confregisti iugum meum, rupisti vincula mea, dixisti non seruiam. Ego plantaui te vineam electam, omne semen verum. Quomodo ergo conuersa est in prauum vinea aliena? Si laueris te nitro & multiplicaueris tibi herbam borith, maculata es iniquitate tua coram me, dicit Dominus.*

Iere.2.29. Et infra: *Quid vultis mecum iudicio contendere? Omnes me dereliquistis, dicit Dominus. Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt. Audite verbum Domini: Nunquid solitudo factus sum Israel, aut terra serotina? Quare ergo dixit populus meus, Recessimus, nō veniemus vltra ad te? Nunquid obliuiscitur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? Populus vero*
Iere.4.22. *meus oblitus est me diebus innumeris. Quia stultus est populus meus, me non cognouit: filij insipientes sunt, & vecordes: Sapientes sunt vt faciant mala, bene autem facere nescierunt.* Tum Pro-
Iere.5.3. pheta ex sua persona loquitur dicens: *Domine oculi tui respiciunt fidem, percussisti eos, & non doluerunt, attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam. Indurauerunt facies suas super petram,*
Iere.5.20. *& noluerunt reuerti.* Itemque Dominus: *Annunciate hoc domui Iacob, & auditū facite in Iuda dicentes: Audi popule stulte qui non habes cor, qui habentes oculos non videtis, & aures & non auditis. Me ergo non timebitis, ait Dominus, & a facie mea non dolebitis, qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit, & commouebuntur & non poterunt, intumescent fluctus eius, & non transibunt illud. Populo autem huic factum est cor incredulum & exasperans, recesserunt & abierunt, & non dixerunt in corde suo, metuamus Dominū Deum nostrum.*
Iere.5.26. Et iterum: *Quia inuenti sunt in populo meo impii, insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes &*
Contra iudices malos. *pedicas ad capiendos viros. Sicut decipula plena auibus, sic domus eorum plena dolo. Ideo magnificati sunt & ditati, incrassati sunt & impinguati, & præterierunt sermones meos pessime, causam pupilli non dixerunt, & iudicium pauperum non iudicauerunt. Nunquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut super gentem huiusmodi non vlciscetur anima mea?* Sed absit vt vobis eue-
Iere.7.27. niat quod sequitur: *Loquere ad eos omnia verba hæc, & non audient te, & vocabis eos & non respondebunt tibi, & dices ad eos: Hæc est gens, quæ non audiuit vocem Domini Dei sui, nec recipit dis-*
Iere.8.4. *ciplinam, periit fides, & ablata est de ore eorum.* Et post aliquanta: *Nunquid qui cadit non resurgit, & qui auersus est non reuertetur? Quare ergo auersus est populus iste in Ierusalem auersione contentiosa? Apprehenderunt mendaciū, & noluerunt reuerti. Attendi & auscultaui, nemo quod bonum est loquitur. Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens, quid feci? Omnes conuersi sunt ad cursum suū, quasi equus impetu vadens in prælium. Miluus in cœlo cognouit tempus suum, turtur & hirundo & ciconia custodierunt tempus aduentus sui, populus meus non cognouit iudiciū Dei.* Et tam vehemēti sacrilegiorū cæcitate & ineffabili ebrietate Propheta conterritus, & deflens eos qui seipsos non deflebant (vt & nunc infelices tyranni agunt)
Iere.8.21. optat sibi auctionē fletuum a Domino concedi, hoc modo dicens: *Super contritione filiæ populi mei contritus sum, stupor obtinuit me. Nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est*
Iere.9.1. *ibi? Quare ergo non obducta est cicatrix filiæ populi mei? Quis dabit capiti meo aquā, & oculis meis fontem lacrimarum, & plorabo die & nocte interfectos populi mei? Quis dabit mihi in solitudine diuersorium viatorū, & derelinquam populū meum, & recedam ab eis, quia omnes adulteri sunt cœtus præuaricatorū? Et extenderunt linguā suam quasi arcū mendacij & non veritatis: confortati sunt in terra, quia de malo ad malū egressi sunt, & me non cognouerunt, dicit Dominus.* Et iterum: *Et*
Iere.9.13. *dixit Dominus: Quia dereliquerunt legem meam quam dedi eis, & non audierunt vocem meam, & non ambulauerunt in ea: Et abierunt post prauitatem cordis sui. Idcirco hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Ecce ego cibabo populū istum absynthio, & potum dabo eis aquam fellis.* Et post
Iere.11.14. pauca (quod etiā crebrius stylo Propheta adiunxit, dicens ex persona Dei:) *Tu ergo noli orare pro populo hoc, & ne assumas pro eis laudem & orationem, quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me, & afflictionis eorū.* Quid ergo nunc infausti duces facient? Illi pauci inuenientes viam angustā amota spaciosa, prohibiti a Deo ne preces pro vobis fundant perseuerantibus in malis, & tātopere incitantibus (queis e contrario ex corde ad Deum repedantibus Deo nolente animam hominis interire; sed retractante ne penitus pereat qui abiectus est, vindictam non potuissent inducere, quia nec Ionas, & quidē cum multum concupiuerit Niniuitis Propheta). Sed omissis interim nostris, audiamus potius,
Iere.13.22. quid prophetica tuba persultet: *Quod si dixeris* (inquiens) *in corde tuo: Quare venerūt mala hæc? Propter multitudinem iniquitatis tuæ. Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere cum didiceritis malum*, subauditur, quia non vul-
Iere.14.10. tis. Et infra: *Hæc dicit Dominus populo huic: Qui dilexit mouere pedes suos & non quieuit, & Domino non placuit: Nunc recordabitur iniquitatum eorum, & visitabit peccata eorum. Et dixit Dominus ad me: Noli orare pro populo isto in bonum. Cum ieiunauerint non exaudiā preces eorum:*
Iere.15.1. *& si obtulerint holocausta, & victimas, non suscipiam ea.* Et iterum: *Et dixit Dominus ad me.*

Si steterit

Si steterit Moyses & Samuel corã me, non est anima mea ad populũ istum. Eiice illos a facie mea & egrediãtur. Et post pauca: *Quis miserebitur tui Ierusalem, aut quis contristabitur pro te, aut quis ibit ad rogandum pro pace tua? Tu reliquisti me, dicit Dominus, & retrorsum abiisti, & extendam manum meam super te, & interficiam te.* [Iere. 15. 5.] Et post aliquanta: *Hæc dicit Dominus: Ecce ego fingo contra vos cogitationem; reuertatur vnusquisque a via sua mala, & dirigite vias vestras & studia vestra. Qui dixerunt: Desperamus, post cogitationes nostras ibimus, & vnusquisque prauitatẽ cordis sui mali faciemus. Ideo hæc dicit Dominus: Interrogate gentes, quis audiuit talia horribilia quæ fecit nimis virgo Israel? Nunquid deficiet de petra agri nix Libani, aut velli possunt aquæ erumpentes frigidæ defluentes? quia oblitus est me populus meus.* [Iere. 18. 11.] Et post aliquanta, optione proposita loquitur dicens: *Hæc dicit Dominus: Facite iudicium & iustitiam, & liberate vi oppressum de manu calumniatoris, & aduenam & pupillum & viduam nolite contristare, neque opprimatis inique, & sanguinem innocentem ne effundatis. Si enim facientes feceritis verbum istud, ingredientur per portas domus huius reges sedentes de genere Dauid super thronum eius. Quod si non audieritis verba hæc, in memetipso iuraui, dicit Dominus, quia in solitudinem erit domus hæc.* [Iere. 22. 3.] Et iterum: (de rege enim scelesto loquebatur) *Viuo ego, dicit Dominus, quia si fuerit Iechonias annulus in manu dextra mea, inde euellam eum & dabo in manu quærentium animam eius.* [Iere. 22. 24.] ⌉ Sanctus quoque Abacuc proclamat dicens: *Væ qui ædificant ciuitatem in sanguine, & præparant ciuitatem in iniquitatibus dicentes: Nonne hæc sunt a Domino omnipotente? Et defecerunt populi multi in igne, & gentes multæ minoratæ sunt?* [Abac. 2. 12.] Et ita prophetiam querulus incipit: *Vsquequo clamabo & non exaudies? vociferabor ad te, vt quid mihi dedisti labores & dolores inspicere miseriam & impietatem?* [Abac. 1. 2.] ⌊ Contra: *Et factum est iudicium, & iudex accepit. Propter hoc dissipata est lex, & non perducitur ad finem iudicium: quia impius per potentiam deprimit iustum. Propter hoc exiit iudicium peruersum.* [Abac. 1. 3.] ⌉ Sed & beatus Osee Propheta, attendite quid loquatur de principibus dicens: *Pro eo quod transgressi sunt pactum meum, & aduersus legem meam tulerunt, & exclamabant: Cognouimus te, quia aduersum sis Israel. Bonum vt iniquum persecuti sunt: Sibi regnauerunt, & non per me: tenuerunt principatum, nec me agnouerunt.* [Osee. 8. 1.] Sed & sanctum Amos Prophetam hoc modo minantem audite: *In tribus impietatibus filiorum Iuda, & in quatuor non auertam eos; propter quod repulerunt legem Domini, & præcepta non custodierunt: sed seduxerunt eos vana eorum. Et emittam ignẽ super Iudam & comedet fundamenta Ierusalem.* [Amos. 2. 4.] *Hæc dicit Dominus: In tribus impietatibus Israel, & in quatuor non auertam eos, propter quod tradiderunt pecunia iustum, & pauperem pro calciamentis quæ calciant super puluerem terræ, & colaphis cædebant capita pauperum, & viam humilium declinauerunt.* [Amos. 2. 6.] ⌊ Et post pauca: *Quærite Dominum & viuetis, vt non reluceat sicut ignis domus Ioseph, & comedat eam, nec erit qui extinguat.* [Amos. 5. 6.] *Domus Israel odio habuerunt in portis redarguentem, & verbum iustum abominati sunt.* [Amos. 5. 10.] Qui Amos prohibitus ne prophetaret in Israel, absque adulationis tepore respondens, *Non erã,* inquit, *ego Propheta, nec filius Prophetæ, sed eram pastor caprarius vellicans sycomoros, & suscepit me Dominus ab ouibus, & dixit Dominus ad me: Vade & prophetiza in plebem meam Israel, & nunc audi verbum Domini:* [Amos. 7. 14.] (Regem namque alloquebatur) *Tu dicis, noli prophetare in Israel, & non congreges turbas in domum Iacob. Propter quod hæc dicit Dominus: Vxor tua in ciuitate meretricabitur, & filij tui & filiæ tuæ gladio cadent, & terra tua funiculo metietur, & tu in terra immunda morieris, Israel autem captiuus ducetur a terra sua.* Et infra: *Audite itaque hæc, qui contribulatis immane pauperem, & dominationem exercetis in inopes super terram, qui dicitis, Quãdo transibit mensis vt acquiramus, & sabbata vt aperiamus thesauros.* [Amos. 8. 4.] Et post pauca: *Iurat Dominus contra superbiam Iacob, si obliuiscetur in contemptione opera vestra, & in his non conturbabitur terra, & lugebit omnis qui commorabitur in ea, & ascendet sicut flumen consummatio, & conuertam dies festos vestros in luctum, & iniiciam in omnẽ lumbum ciliciũ, & in omne caput decaluationem, & ponã eum sicut luctũ dilecti, & eos, qui cum eo sunt, sicut diem mœroris.* [Amos. 8. 7.] Et iterũ: *Gladio morientur omnes peccatores populi mei, qui dicũt: Non appropinquabũt neq; venient super nos mala.* [Amos 9. 10] ⌉ Sed & sanctus Micheas vates attẽdite, quid sit effatus: *Audi,* inquiẽs, *tribus: Et quid exornabit ciuitatẽ? nunquid ignis? Et domus iniquorum thesaurizans thesauros iniquos, & cum iniuria iniustitiã. Si iustificabitur in statera iniquus, & in sacello põdera dolosa, ex quibus diuitias suas in impietate repleuerũt.* [Mich. 6. 9.] Sed & Sophonias Propheta clarus, quas minas exaggerat, audite: *Prope est,* inquit, *dies Domini magnus: prope & velox valde. Vox diei Domini amara constituta est & potens, dies iræ dies ille, dies tribulationis & necessitatis, dies nubis & nebulæ, dies tubæ &* [Sopho. 1. 14.]

clamoris, dies miseriæ & exterminationis, dies tenebrarum & caliginis super ciuitates firmas &
super angulos excelsos.⌊Et contribulabo homines, & ibunt sicut cæci, quia Domino peccauerunt,
& effundam sanguinem sicut puluerem, & carnes eorum sicut fimum boum, & argentum eorum
& aurum non poterit eximere eos in die iræ Domini. Et in igne zeli eius consumetur omnis terra,
quando consummationem & solitudinem faciet Dominus super omnes commorantes in terrā. Con-
Agg.2.22. uenite & coniungimini gens indisciplinata priusquam efficiamini sicut flos præteriens, priusquam
veniat super vos ira Domini.⌉Et quid Aggæus sanctus Propheta dicat, attēdite: Hæc dicit
Dominus: Semel ego mouebo cœlum, & terram, & mare, & aridum, & auertam sedes regum, & ex-
terminabo virtutem regum gentium, & auertam quadrigas & ascensores. Nunc quoque quid
Zacharias filius Addo Propheta electus dixerit, intuemini, hoc modo prophetiā suam
Zach.1.3. exordiens: Reuertimini ad me, & reuertar ad vos, dicit Dominus: & nolite tales esse sicut patres
vestri, quibus imputauerunt Prophetæ priores, dicētes: Hæc dicit Dominus omnipotens: Auertite
Zach.5.2. vos a viis vestris. & non intenderunt vt obaudirent me.⌊Et infra: Et dixit ad me Angelus: Quid
tu vides? Et dixi: Falcem ego video volantem longitudinis cubitorum viginti. Maledictio quæ
procedit super faciem totius terræ: quoniam omnis fur ex ea vsque ad mortē punietur, & proiiciam
eum, dicit Dominus omnipotens, & intrabit in domum furoris & in domum iurationis in nomine
Malac.4.1. meo mendacium.⌉Sanctus quoque Malachias Propheta dicit: Ecce dies Domini veniet suc-
censa quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes iniquitatem vt stipula, & inflam-
mabit eos dies adueniens dicit Dominus exercituum quæ non relinquet ex eis radicem & germen.
Sed & sanctus Iob attendite, quid de principio impiorum & fine disceptauerit, dicens:
Iob.21.7. Propter quid impij viuunt, & senuerunt inhoneste, & semen eorum secundum desiderium eorum,
& filij eorum ante conspectum eorum, & domus eorum fructuosæ sunt, & timor nunquam nec plaga
Domini est super eos. Vacca eorum non abortiuit, & prægnans eorum pertulit partum, & non er-
rauit, sed permanet sicut oues æternæ: & pueri eorum gaudent, & psalterium sumentes & citharam,
finierunt in bonis vitam suam, in requiem inferorum dormierunt. Nunquid Deus facta im-
Iob.21.17. piorum non respicit? Non ergo, sed lucerna impiorum extinguetur, & superueniet eis euersio,
& dolores tanquam parturientis, eos ab ira tenebunt. Et erunt sicut paleæ a vento, & sicut puluis
quem abstulit turbo. Deficiant filiis eius bona, videant oculi eius occisionem suam, nec a Domino
Iob.24.2. resaluetur. Et post aliquanta de eisdem: Qui gregem, inquit, cum pastore rapuerunt, & iumen-
tum orphanorum abduxerunt, & bouem viduæ pignorauerunt, & declinauerunt: imponentes a
via necessitatis. Agrum ante tempus non suum demessi sunt, pauperes potentium vineas sine merce-
de & sine cibo operati sunt, nudos multos dormire fecerunt sine vestimentis, tegmen animæ eorum
abstulerunt. Et post pauca, cum ergo sciret eorum opera, tradidit eos in tenebras: Male-
Iob.24.18. dicatur ergo pars eius a terra, pariant plantationes eius aridæ. Retribuatur ergo illi sicut egit,
Iob.24.20. contribuletur omnis iniquus sicut lignum sine sanitate. In iracundia enim surgens impotentem
Iob.24.22. euertit. Propterea enim non credet de vita sua cum infirmari cœperit, non speret sanitatem, sed
cadet in languorem. Multos enim læsit superbia eius, & marcidus factus est sicut malua in æstu, ve-
Iob.27.14. lut spica cum de stipula sua decidit. Et infra: Quod si multi fuerint filij eius, in occisionem erunt.
quod & si collegerit vt terram argentum, & similiter vt lutum parauerit aurum, hæc omnia iusti
consequuntur.⌉Quid præterea beatus Esdras Propheta ille bibliotheca legis minatus
4.Esdr.15.22. sit, attendite, hoc modo disceptans: Hæc dicit Dominus meus: Non parcet dextera mea super
peccantes, nec cessabit romphæa super effundentes sanguinem innocuum super terram. Exibit ignis
ab ira mea, & deuorabit fundamenta terræ, & peccatores quasi stramen incensum. Væ eis qui pec-
cant, & non obseruant mandata mea, dicit Dominus, non parcam illis. Discedite filii apostatæ, &
nolite contaminare sanctificationem meam. Nouit Deus qui peccant in eum, propterea tradet eos
4.Esd.16.3. in mortem, & in occisionem. Iam enim venerunt super orbem terrarum mala multa. Immissus est
gladius vobis ignis, & quis est qui recutiet ea?⌊Nunquid recutiet aliquis leonem esurientem in
silua? aut nunquid extinguet ignem cum stramen incensum fuerit? Dominus Deus mittet mala,
& quis est qui recutiet ea? & exibit ignis ex iracundia eius, & quis extinguet eū? Coruscabit, & quis
non timebit? tonabit, & quis non horrebit Deus cuncta minabitur, & quis non terrebitur? A
facie eius tremet terra, & fundamēta maris fluctuātur de profundo.⌉Ezechiel quoq; prophe-
ta egregius, quatuorq; Euangelicorū animalium mirandus inspector, quid de scelera-
tis edixerit, attendite: cui primum Dominus miserabiliter plagam Israel deflenti ait:
Ezech.9.9. Iniquitas domus Israel & Iuda inualuit nimis, quia impleta est terra iniquitate & immunditia.

Ecce ego sum, non parcet oculus meus neque miserebor. Et infra: *Quoniam terra plena populis, & ciuitas plena iniquitate est, & auertam impetum virtutis eorum, & polluetur sancta eorum.* [Ezech. 5. 8. & 1.] [Eze. 7. 23.] *Exoratio veniet, & quaeret pacem, & non erit.* Et post aliquanta: *Factus est*, inquit, *sermo Domini ad me dicens: Fili hominis terra quae peccauerit mihi, vt delinquat delictum, extendam manum in eam, & conteram eius firmamentum panis, & emittam in eam famem, & tollam de ea hominem, & pecora. Et si sint tres viri isti in medio eius Noe, Daniel, & Iob, non liberabunt eam, sed ipsi in sua iustitia salui erunt, dicit Dominus. Quod si etiam bestias malas inducam super terram, & puniam illam, & erit in exterminium, & non erit qui iter faciat a facie bestiarum. Et tres viri isti in medio eius sint, viuo ego, dicit Dominus, si filij & filiae eius liberabuntur, sed ipsi soli salui erunt, terra autem erit in interitum.* [Eze. 14. 12.] Et iterum: *Filius non accipiet iniustitiam patris, neque pater accipiet iniustitiam filij. Iustitia iusti super ipsum erit. Et iniquus si auertat se ab omnibus iniquitatibus quas fecit, & custodiat omnia mandata mea, & faciat iustitiam & misericordiam multam, vita viuet & non morietur. Omnia delicta eius, quaecunq; fecit, non erunt: in sua iustitia, quam fecit, vita viuet: Nunquid voluntate volo mortem iniusti (dicit dominus) quam vt auertat se a via sua mala & viuat? Cum se autem conuerterit iustus a iustitia sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes iniquitates quas fecit iniquus, omnes iustitiae, quas fecit, non erunt in memoria. In delicto suo, quo excidit, & in peccatis suis, quibus peccauit, morietur.* [Eze. 18. 20.] [Et post aliquanta: *Et scient omnes gentes, quia propter peccata sua captiui ducti sunt domus Israel, eo quod reliquerunt me. Et auerti faciem meam ab eis, & tradidi eos in manus inimicorum eius & omnes gladio ceciderunt. Secundum immundicias suas, & secundum iniquitates suas feci illis, & auerti faciem meam ab eis.*] [Eze. 29. 23.] Haec de sanctorum prophetarum minis dixisse sufficiat: pauca tātum de sapientia Solomonis, quae cum hortationem vel denuntiationem exprimant regibus, non minus quam minas, huic opusculo inserere necessarium duxi, ne dicant me grauia & importabilia in humeros hominum verborum onera velle imponere, digito autem meo ea (id est consolatorio affatu) nolle mouere. Audiamus itaque quid propheta dixit: *Diligite*, inquit, *iustitiam, qui iudicatis terram.* Hoc vnum testimonium, si toto corde seruaretur, abunde ad corrigendos patriae duces sufficeret. [Sap. 1. 1.] Nam si dilexissent iustitiam, diligerent vtique fontem quodammodo & originem totius iustitiae Deum. *Seruite Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quaerite eum.* [Sap. 1. 1.] Heu quis victurus est, vt quidam ante nos ait, quando ista a ciuibus perficiantur, si tamen vsquam perfici possunt, *Quoniam inuenitur ab his qui non tentant illum, apparet autem eis qui fidem habent in eum.* [Sap. 1. 2.] Nam isti sine respectu tentant Deum, cuius praecepta contumaci despectione contemnūt, nec fidem seruant illi, cuius oraculis blandis vel aliquantulum seueris dorsum versant & non faciem. *Peruersae enim cogitationes separant a Deo.* [Sap. 1. 3.] Et hoc in tyrannis nostri temporis perspicue deprehenditur. Sed quid nostra mediocritas huic tam aperto sensui miscetur? Loquatur namque pro nobis, vt diximus, qui solus verax est, Spiritus scilicet sanctus, de quo nunc dicitur: *Spiritus autem sanctus disciplinae effugiet fictum.* [Sap. 1. 2.] Et iterum: *Quoniam spiritus Dei repleuit orbem terrarum.* [Sap. 1. 5.] Et infra (finem malorum bonorumque oculato iudicio praetendens) ait: *Quomodo spes impij tanquam lanugo est quae a vento tollitur, & tanquam fumus qui a vento diffusus est, & tanquam spuma gracilis quae a procella dispergitur, & tanquam memoria hospitis vnius diei praetereuntis. Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Deum est merces illorum, & cogitatio eorum apud altissimum. Ideo accipient regnum decoris, & diadema speciei de manu domini. Quoniam dextera sua proteget eos, & brachio sancto suo defendet illos.* [Sap. 5. 15.] Dissimiles etenim qualitate sunt valde iusti & impij, nimirum, vt dixit Dominus, *Eos, qui honorant*, inquiens, *me, honorabo: & qui me spernunt, erunt ignobiles* [1. Sam. 2. 30.] [Sed transeamus ad cetera: *Audite* (inquit) *omnes reges & intelligite, discite iudices finium terrae, praebete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum. Quoniam data est a Deo potestas vobis, & virtus ab altissimo qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur. Quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis; neque custodistis legem iustitiae, neque secundum voluntatem eius ambulastis. Horrende & celeriter apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his, qui praesunt, fiet. Exiguis enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim personas subtrahet, qui est omnium dominator: nec reuerebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & aequaliter cura est illi pro omnibus. Fortioribus autē fortior instat cruciatio.*] [Sap. 6. 2.]

Ad vos ergo reges hi sunt sermones mei, vt discatis sapientiam, & non decidatis. Qui enim custodierint iusta, iustificabuntur, & qui didicerint sancta, sanctificabuntur. Hactenus cum regibus patriæ non minus prophetarum oraculis quam nostris sermonibus disceptauimus, volentes eos scire quæ propheta dixerat, (Eccle. 21.2.) *Quasi*, inquiens, *a facie colubri fuge peccata. Si accesseris ad illa, suscipient te dentes leonis, dentes eorum interficientes animas hominum.* Et iterum: (Eccle. 17.28) *Quam magna misericordia Domini, & propitiatio eius conuertentibus ad se.* Et si non habemus in nobis illud apostolicum, vt dicamus, (Rom. 9.3.) *Optabam enim anathema esse a Christo pro fratribus meis*, tamen illud propheticum toto corde possimus dicere: *Heu quia anima perit.* Et iterum: (Thre. 3.40.) *Scrutemur vias nostras, & quaramus & reuertamur ad Dominum: leuemus corda nostra cum manibus ad Deum in cælo.* Sed & illud Apostoli: (Philip. 1.8.) *Cupimus vnumquemque vestrum in visceribus Christi esse.* Quam enim libenter hoc in loco ac si marinis fluctibus iactatus & in optato euectus portu remis, si non tantos talesque malitiæ episcoporum, vel ceterorum sacerdotum, aut clericorum in nostro quoque ordine erigi aduersus Deum vidissem montes quos me secundum legem ceu testes primum duris verborum cautibus, dein populum, si tamen sanctionibus inhæret, non vt corporaliter interficiantur, sed mortui vitiis viuant Deo (ne personarum arguar exceptionis) totis necesse est viribus lapidare, verecundia interueniente quiescerem. Sed mihi quæso, vt iam in superioribus dixi, ab his veniam impertiri (quorum vitam non solum laudo, verumetiam cunctis mundi opibus præfero, cuiusque me, si fieri possit, ante mortem esse aliquandiu participem opto & sitio) nostris iam nunc obuallatis sanctorum duobus clypeis [lateribus inuictis dorso aduersitatis mœnia, stabilito capite pro galea adiutorio domini fidissime contecto crebro veracium volatu, vel alitent conuiuiorum cautes.]

Sacerdotes habet Britannia, sed insipientes: quam plurimos ministros, sed impudentes: clericos, sed raptores subdolos: pastores, vt dicuntur, sed occisioni animarum lupos paratos (quippe non commoda plebi prouidētes, sed proprij plenitudinem ventris quærentes:) ecclesiæ domus habentes, sed turpis lucri gratia eas adeuntes: populos docentes, sed præbendo pessima exempla, vitia, malosque mores: raro sacrificantes, & nunquam puro corde inter altaria stantes: plebem ob peccata non corripientes, nimirum eadem agentes: præcepta Christi spernentes, & suas libidines votis omnibus implere curantes: sedem Petri Apostoli immundis pedibus vsurpantes, sed merito cupiditatis in Iudæ traditoris pestilentem cathedram decidentes: veritatem pro inimico odientes, & mendaciis ac si carissimis fratribus fauentes: iustos inopes immanes quasi angues toruis vultibus conspicantes, & sceleratos diuites absque vllo verecundiæ respectu sicut cœlestes angelos venerantes: egenis eleemosynam esse dandam summis e labiis prædicantes, sed ipsi vel obolum non dantes: nefanda populi scelera tacentes, & suas iniurias quasi Christo irrogatas amplificantes: religiosam forte matrem seu sorores domo pellentes, & externas veluti secretiori ministerio familiares indecenter leuigantes, vel potius (vt vera dicam licet inepta non tam mihi quam talia agentibus) humiliantes: ecclesiasticos post hæc gradus propensius quam regna cœlorū ambientes, & tyrannico ritu acceptos defendentes, nec tamen legitimis moribus illustrantes: ad præcepta sanctorum (si aliquando duntaxat audierint quæ ab illis sæpissime audienda erāt) oscitantes ac stupidos, & ad ludicra & ineptas secularium hominum fabulas, ac si iter viæ, quæ mortis, pandunt strenuos & intentos: pinguedinis gratia taurorum more raucos, & ad illicita infeliciter promptos: vultus arroganter in altum habentes, & sensus conscientia remordente ad ima vel tartarum demersos: vno sane perdito denario mœstos, & ad vnum inquisitum lætos: in Apostolicis sanctionibus ob inscitiam vel peccatorum pondus (ora etiam scientium obturantes) hebetes ac mutos & in flexibus mundialium negotiorum mendacibus doctissimos: quorum de scelerata conuersatione multos sacerdotio irruentes, potius vel illud pene omni pecunia redimētes, quam tractos, & in eodem veteri infaustoque intolerabilium piaculorum cœno post sacerdotalem episcopatus vel presbyterij sedem) qui nec ibidem vsquam sederunt) vt pote indigne porcorum more volutantes, rapto tantum sacerdotali nomine, nec tamen tenore, vel apostolica dignitate accepta, sed qui nondum ad integram fidem sunt vel malorum pœnitentiam idonei, quomodo ad quemlibet ecclesiasticum (vt non dicam summum)

ſummum) conuenientes & apti gradum, quem non niſi ſancti atque perfecti, & Apoſtolorum imitatores, & (vt magiſtri gentium verbis loquar) irreprehenſibiles legitime & abſque magno ſacrilegij crimine ſuſcipiunt. Quid enim tam impium tamq; ſceleſtum eſt, quam ad ſimilitudinem Simonis Magi (non interuenientibus licet interea [Act.8.18.] promiſcuis criminibus) epiſcopatus officium vel presbyterij terreno pretio, quod ſanctitate rectiſque moribus decentius acquiritur, quempiam velle mercari? Sed in eo iſti propenſius vel deſperatius errant, quo non ab apoſtolis vel apoſtolorum ſucceſſoribus, ſed a tyrannis & a patre eorum diabolo fucata & nunquam profutura emunt ſacerdotia: quin potius velut culmen tectumque malorum omnium quoddam quo non facile eis improperentur a quoquam admiſſa priſca vel noua, & cupiditatis gulæque deſideria (vt pote præpoſiti multorum facilius rapiant,) ſceleſtæ vitæ ſtructuræ ſuperponunt. Nam ſi talis profecto coemptionis conditio ab impudentibus iſtis non dicam apoſtolo Petro, ſed cuilibet ſancto Sacerdoti pioque regi ingeſta fuiſſet, eadem reſpōſa accepiſſent, quæ ab apoſtolo autor eorundem magus Simon dicente Petro, *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.* [Act.8.20.] Sed forte heu, qui ambitores iſtos ordinant, (imo potius humiliant, atque pro benedictione maledicunt, dum ex peccatoribus non pœnitentes quod rectius fuerat, ſed ſacrilegos & deſperatos faciunt, & Iudam quodammodo in Petri cathedra Domini traditorem, ac Nicolaum in loco Stephani martyris ſtatuunt immundæ hæreſeos adinuentorem) eodem modo ſacerdotio adſciti ſunt: & ideo non magnopere deteſtantur in filiis, quinimmo venerantur, quod ſimiliter vt patribus ſubinde veniſſe certiſſimum eſt. Etenim eos, ſi in parochia reſiſtentibus ſibi & tam pretioſum quæſtum denegantibus ſeuere commeſſoribus huiuſcemodi margaritam inuenire non poſſint (præmiſſis ante ſolicite nuntiis) tranſnauigare maria terraſque ſpatioſas tranſmeare non tam piget quam delectat, vt omnino talis ſpecies inæquiparabiliſq; pulcritudo & (vt verius dicam) zabolica illuſio vel venditis omnibus copiis comparetur. Dein cum magno apparatu magnaque phantaſia, vel potius inſania repedantes ad patriam ex erecto erectiorem inceſſum pingunt, & dudum ſummitates mōtium conſpicantes, nunc recte ad æthera vel ad ſumma nubium vellera luminum ſemidormitantes acies librant, ac ſeſe noua quædam plaſmata, imo, diabolica organa (vt quondam Nouatus Romæ, dominicæ conculcator margaritæ porcus niger) patriæ ingerunt, violenter manus non tam venerabilibus aris quam flammis inferni vltricibus dignas in tali ſchema poſiti ſacroſanctis Chriſti ſacrificiis extenſuri. Quid tū infelix popule a talibus (vt dixit Apoſtolus) beſtiis ventris præſtolaris? [Tit.1.12.] His ne corrigeris, qui ſeipſos non modo ad bona non inuitant, ſed ſecundum prophetæ exprobrationem *laborant vt inique agant*? [Iere.9.5.] Talibus ne oculis illuſtraberis, qui hæc tantum auide ſpeculantur, quæ procliue vitiis (id eſt, tartari portis) ducant? Vel certe ſecundum ſaluatoris dictum, ſi non iſtos rapaciſſimos vt Arabiæ lupos, ac ſi Loth ad montem igneum [Matt.15.14] Sodomorū imbrem præpropere fugeritis, cæci educti a cæcis pariter in inferni foueam cadetis. [Gen.19.20.] Sed forſitan aliquis dicat, non ita omnes epiſcopi vel presbyteri vt ſuperius comprehenſi (quia non ſciſmatis, non ſuperbiæ, non immunditiæ infamia maculantur) mali ſunt, quod nec vehementer & nos diffitemur. Sed licet ſciamus eos caſtos eſſe & bonos, breuiter tamen reſpondebimus: Quid profuit Heli ſacerdoti, quod ſolus non [1.Sam.2.11. & 22.3.12.] violauerit præcepta Domini rapiendo in fuſcinulis antequam adeps domino offerretur ex ollis carnes, dū eadem mortis ira, qua filij ſunt, mulctatur? [1.Sam.4.11.] Quis rogo eorum ob [*Abel.*] inuidiam melioris hoſtiæ cœleſtique igni in cœlū euectæ, vt Abel, occiſus? [Gene.4.8.] qui etiam mediocris verbi aſpernantur conuitium. Quis *peroſus* eſt *conſilium malignantium, & cum* [*Enoch.*] *impius non* ſedit, ita vt de eo veridice quaſi de Enoch diceretur: [Pſal.25.59.] *Ambulauit Enoch cum Deo & non inueniebatur*, [Gene.5.24.] in mundi ſcilicet vanitate omnis, poſt idola, procliue id temporis claudicare (relicto Deo) incipientis. Quis eorum ſalutari in arca (hoc eſt, nunc eccleſia) [*Noe.*] nullum Deo aduerſantem, vt Noë diluuij tempore, non admiſit, [Gene.5.24.] vt perſpicue monſtraretur non niſi innoxios vel pœnitentes egregios in dominica domo eſſe debere? [*Melchiſedech.*] Quis victoribus ſolum & in tricentenario numero (hoc eſt trinitatis ſacramento) liberato iuſto regum quinq; victriciumque turmarum exercitus ferales vincentibus & re[Gen.14.18.]quaquam aliena cupientibus ſacrificium offerens, vt Melchiſedech, benedixit? Quis

sponte proprium in altari capite cædendum, vt Abraham, Deo iubente, obtulit filium, vt simile quoddam huic impleret Christi mandatum dicentis, oculum dextrum scandalizantem euelli debere, & prophetæ præcaueret, se maledictum esse *gladium & sanguinem* prohibentem? Quis memoriam malefacti de corde radicitus, vt Ioseph, euulsit? Quis in monte cum Domino locutus, & nequaquam concrepantibus tubis exinde perterritus duas tabulas cornutamque faciem aspectu incredulis inhabilem & horrendam tropico sensu, vt Moyses, aduexit? Quis eorum pro peccatis populi exorans imo de pectore clamauit, vt ipse, *Domine* (inquiens) *peccauit populus iste peccatum grande, quod si dimittis eis, dimitte: alioquin dele me de libro tuo*? [Quis zelo Dei accensus mirabili ad vltionem fornicationis sine dilatione sanando pœnitentiæ medicamine stupri affectum, ne ira populo inardesceret, sicut Phinees sacerdos (vt per hoc in æuo reputaretur illi iustitia) strenue consurrexit? Quis vero eorum vel in extirpationem vsque ad internicionem de terra repromissionis septem gentium morali intelligentia, vel ad constabilitionem spiritualis Israel pro eis Iesum Naue imitatus est? Quis eorum populo Dei finales terminos trans Iordanem (vt sciretur quid cuique tribui conueniat) sicut supradicti Phinees scilicet & Iesus sagaciter diuisere, ostendit? Quis vt aduersariorum plebi Dei innumera prosterneret gentium milia vnicam filiam (quæ propria voluptas intelligitur) imitans & in hoc Apostolum dicentem, *Non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant*, obuiantem victoribus cum tympanis & choris (id est, carnalibus desideriis) in sacrificium votiuæ placationis, vt Iephte, mactauit? Quis eorum ad conturbanda, fuganda, sternendaque superbarum gentium castra mysterij trinitatis (vt supra diximus) cum lagenas viris tenentibus egregias in manibus sonantesque tubas (id est propheticos & apostolicos sensus, vt dixit Dominus prophetæ: *Exalta quasi tuba vocem tuam*. Et Psalmista de Apostolis, *In omnem terram exiuit sonus eorum*) & lagenas splendidissimo ignis lumine noctu coruscantes (quæ accipiuntur in sanctorum corporibus bonis operibus annexis, & sancti spiritus igni ardentibus vt Apostolus, habentes, inquit, *thesaurum istum in vasis fictilibus*) post idololatriæ luci (quod moraliter interpretatum condensæ & fuscæ cupiditatis) succisionem siluæ & euidentia signa Iudaici velleris imbris cœlestis expertis, & gentilis rore sancti spiritus madefacti fide non dubia, vt Gedeon, processit? Quis eorum mori exoptans mundo & viuere Christo luxuriosos gentium conuiuas laudantes, Deos suos (id est, sensus extollentes diuitias, vt Apostolus, *& auaritia*, inquit, *quæ est simulacrorum seruitus*) concussis duabus virtute brachiorum columnis (quæ intelliguntur in voluptatibus nequam animæ carnisque, quibus domus humanæ omnis nequitiæ quodammodo pangitur ac fulcimentatur) tam innumerabiles, vt Sampson, prostrauit? Quis orationibus holocaustoque lactantis agni Philistinorum metum depellens, insperatas tonitruorum voces nubiumq; imbres concitans, absque adulatione regem constituens, eundem Deo non placentem abiiciens vncto pro illo meliore in regno, vt Samuel, valedicturus populo astabit hoc modo dicens: *Ecce præsto sum, loquimini coram Domino & Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, an asinum, si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus accepi*? Cui a populo responsum est dicente: *Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicuius quippiam.* Quis eorum igne cœlesti centum superbos exurens, quinquaginta humiles seruans, & absque adulationis fuco non Deum per prophetas, sed idolum Accaron consulenti mortem imminẽtem iniquo regi annuncians omnes prophetas simulacri Baal (qui interpretati accipiuntur sensus humani inuidiæ, auaritiæ, vt iam diximus, semper intenti) mucrone corusco (hoc est verbo dei) vt Helias egregius vates, prostrauit, & zelo Dei commotus iniquorum terræ imbres adimens ætherales, ac si fortissimo penurij clustello tribus annis sexque mensibus obseratos fame, siti moribundus in deserto conquestus est, *Domine*, inquiens, *prophetas tuos occiderunt, & altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam*? Quis eorum carissimum discipulum terrenis extra solitum ponderibus oneratum, quæ ante ea a se magnopere licet rogato vt acciperet despecta fuissent, & si non perpetua lepra, vt Helisæus, saltim expulsione mulctauit? Et quis ex illis puero in vitæ desperatione æstuanti, atque improuiso super bellico hostium apparatu ciuitatem, in qua erant, obsidentium tremefacto inter

Abraham. Gen. 22.1. Matt. 5.29. Iere. 48.10. *Ioseph.* Gen. 50.15. *Moyses.* Exod. 19.6. Exo. 34.29. Exod. 32.3. Num. 25.7. *Phinees.* Psal. 105.31. *Iesus Naue.* Ios. 24.21. *Phinees & Iesus.* *Iephte.* Iudi. 11.29. Iudi. 11.34. 1. Cor. 10.33. *Gedeon.* Iudi. 7.6. Iudi. 7.16. Esa. 58.2. & 20. Psal. 18.5. Iudi. 7.16. & 20. 2. Cor. 4.7. Iudi. 6.25. Iudi. 6.36. Iudi. 7.1. *Sampson.* Iudi. 16.30. Phil. 1.23. Iudi. 16.23. Col. 3.5. Iudi. 16.30. *Samuel.* 1. Sam. 7.9. 1. Sam. 12.17. 1. Sam. 10.1. & 17. 1. Sam. 13.14. & 15.28. 1. Sam. 16.13. 1. Sam. 22.3. 1. Sam. 12.4. *Helias.* 2. Reg. 1.9. 2. Reg. 1.13. 1. Reg. 16.13. 2. Reg. 1.16. 1. Reg. 18.40. 1. Reg. 17.1. Iac. 5.17. 1. Reg. 19.10. 2. Reg. 5.16. 2. Reg. 6.15.

inter nos (vt ille) animæ visus, feruenti exoratione ad Deum facta (ita vt intueri poterit auxiliarium cœlestis exercitus, armatorum curruum ceu equitum ignito vultu fulgētium montem plenum) patefecit, & credere quin fortior esset ad saluandum quam inimici ad pugnandum? Et quis eorum corporis tactu mortui scilicet mundo, viuentis autem Deo, alij diuerso funere occubanti, proculdubio mortuo Deo vitiis vero viuenti, quasi supradictus, proficiet, ita vt statim prosiliens Christo grates pro sanitate agat cunctorum pœne mortalium ore desperata? Cuius eorum carbone ignito de altari forcipe cherubin aduecto (vt peccata sua delerentur humilitate confessionis) labia, vt Esaiæ mundata sunt, & efficaci oratione sibi adiuncta pij regis Ezechiæ supplantatione centum octoginta quinq; millia exercitus Assyriorum nullo apparente vulneris vestigio angeli manu, vt supradicti, prostrata sunt? Quis eorum ob præcepta Dei, & minas cœlitus datas veritatemq; vel non audientibus proferendā squalores pedoresq; carcerū, vt momentaneas mortes, vt beatus Ieremias excepit? Et ne multa: Quis eorū vt magister gentium dixit, errare in montibus, & in speluncis, & in cauernis terræ, lapidari, secari, totius mortis genere pro nomine domini attentari, sicut sancti prophetæ, perpessus est? Sed quid immoramur in exemplis veteribus, acsi non essent in nouo vlla? Audiant itaque nos, qui absq; vllo labore angustum hoc iter Christianæ religionis prætēto tantum sacerdotali nomine intrare se putant, carpentes paucos flores, veluti summos de extento sanctorum noui Testamenti tyronum amœnoque prato] Quis vestrum, qui torpetis potius quam sedetis legitime in sacerdotali sede, eiectus de consilio impiorum, post diuersarum plagas virgarum, vt sancti Apostoli [quod] dignus habitus est pro Christo vero Deo contumeliam pati [toto corde trinitati gratias egit? Quis ob testimonium verum Deo ferendum fullonis vecte cerebro percussus, vt Iacobus primus in nouo duntaxat episcopus testamento, corporaliter interiit? Quis gladio vestrum ab iniquo principe, vt Iacobus Ioannis frater, capite cæsus est? Quis, vt protominister martyrque euangelicus (hoc solum criminis habens, quod viderit Deum quem persidi videre nequiuerāt) nefandis manibus lapidatus est? Quis inuersis pedibus crucis affixus pro reuerentia Christi patibulo, quem non minus morte quam vita honoraturus, vt clauicularius ille cœlorum regni idoneus, extremum halitum fudit?] Quis ex vobis gladij ictu [veridicantis] pro confessione Christi post vincula carceris, naufragia maris, virgarum cædem, post fluminum, latronum, gentium, Iudæorum, pseudoapostolorum continua pericula, post famis, ieiunij, vigiliarum labores, post perpetem solicitudinem omnium ecclesiarum, post æstum pro scandalizantibus, post infirmitatem pro infirmis, post admirabilem prædicando Christi Euangelium orbis pene circuitum, vt vas electionis magisterque gentium electus, capite plexus est? Quis vestrum, vt sanctus martyr Ignatius, Antiochiæ vrbis episcopus, post admirabiles in Christo actus, ob testimonium eius leonum molis Romæ confractus est? cuius verba cum ad passionem duceretur, audientes (si aliquando vultus vestri rubore suffusi sunt) non solum in cōparatione eius vos non putabitis sacerdotes, sed ne mediocres quidem Christianos esse. Ait enim in Epistola, quam ad Romanam Ecclesiam misit: *A Syria vsque Romam cum bestiis terra marique depugno die ac nocte, connexus & colligatus decem leopardis, militibus, dico, ad custodiam datis, qui ex beneficiis nostris sauiores fiunt: sed ego eorum nequitiis magis erudior, nec tamen in hoc iustificatus sum. O salutares bestias, quæ præparantur mihi, quādo venient? quando emittentur? quando eis frui licebit carnibus meis? quas ego exopto acriores parari, & inuitabo ad deuorationem mei, & deprecabor ne forte (vt in nonnullis fecerunt) timeant attingere corpus meum, quinimo, si cunctabuntur, ego vim faciam, ego me ingeram. Date, quæso, veniam, ego noui quid expediat mihi, nunc incipio esse Christi discipulus: facessat inuidia vel humani affectus, vel nequitia spiritualis, vt in Iesum Christum adipisci merear ignes, cruces, bestias, dispersiones ossium, discerptionesque membrorum, ac totius corporis pœnæ, & omnia in me vnum supplicia diaboli arte quæsita compleantur, dummodo Iesum Christum merear adipisci.* Quid ad hæc dormitantibus animæ oculis aspicitis? Quid talia surdis sensuum auribus auscultatis? Discutite, quæso, tenebrosam atramque cordis vestri caliginem teporis, vt veritatis & humilitatis præfulgidum lumen videre possitis. Christianus non mediocris sed perfectus sacerdos non vilis sed summus, martyr non

4.Reg.4.34
4.Reg.4.20
Esaias.
Esa. 6.6.
4.Reg.19 1. & 14. &
Esa.37.1.& 15.
Esa.37.36& 2.Reg.19.15
Esa.37.21. & 2.Reg.19 20.
Ieremias.
Iere.1.17.
Ier.20.2.32. 2.37.15.38.6
Iere.26.8.& 14.
Prophetæ.
Heb.11.38.
Act.11.50.
Act.16.23.
Act.5.41.
Iacobus primus.
Iacobus secundus.
Act.12.2.
Act 7.57.
Stephanus.
Act.7.55.
Petrus.
Paulus.
Ignatius.

segnis sed præcipuus dicit: *Nunc incipio esse Christi discipulus.* Et vos acsi lucifer ille de Esa.14.12. cœlo proiectus, verbis non potestate erigimini, & quodammodo sub dente ruminatis & gestibus prætenditis, quæ antea auctor vester depinxerat, *in cœlum*, inquiens, *conscen-* Esa.14.13. *dam & ero similis altißimo.* Et iterum: *Ego fodi & bibi aquam, & exiccaui vestigio pedum meo-* Esa.37.25. *rum omnes riuos aggerum.* Multo rectius oportebat vos imitari illum & audire, qui totius bonitatis & humilitatis vere inuictum exemplar est, dicentem per prophetam: Psal.21.7. *Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis.* O mirabile quoddam dixisse eum *opprobrium hominum*, cum omnis mundi opprobria deleuerit, [& ite- Ioan.5.30. rum in euangelio; *Non possum ego a me ipso facere quicquam*; cum ipse coæuus patri ac spiritui sancto communis eiusdemque substantiæ cœlum & terram cum omni eorum inæstimabili ornamento fecerit, non alterius sed propria potestate, & vos arroganter Eccle.10.9. verba exaltasse propheta dicente: *Quid superbit terra & cinis?*] Sed ad propositum re- *Polycarpus* uertar. Quis inquam ex vobis, vt Smyrnensis ecclesiæ pastor egregius Polycarpus Christi testis, mensam humane hospitibus ad ignem eum auide trahentibus apposuit, & obiectus flammis pro Christi caritate dixit: *Qui mihi dedit ignis ferre supplicium, dabit vt sine clauorum confixione flammas immobiliter perferam.* Vnum adhuc præter magnam ver- *Basilius.* bis volans sanctorum siluam, exempli gratia ponam, Basilium scilicet Cæsariensem episcopum, qui cum ab iniquo principe minæ huiuscemodi intentarentur, quod (nisi in crastinum Arriano cœno, vt ceteri, macularetur) esset omnino moriturus, dixisse fertur: *Ego sane ero cras qui hodie sum, tu te vtinam* [non] *mutares.* Et iterum: *Vtinam haberem aliquid digni muneris, quod offerrem huic, qui maturius Basilium de nodo follis huius absolue-* *Petrus.* *ret.* Quis ex vobis apostolici sermonis regulam, quæ ab omnibus semper sanctis sacerdotibus quibusque temporibus extantibus humanam suggestionem præcipitanter ad nequitiam festinantem recutientibus seruata est, in concussione tyrannorum indiru- Acto.5.29. pte custodiuit, hoc modo dicens: *Obedire oportet magis Deo quam hominibus?* Igitur cõfugientes solito more ad Domini misericordiam, sanctorumque prophetarum eius voces, vt illi pro nobis oraculorum suorum iacula imperfectis pastoribus (vt antea tyrannis) queis compuncti sanentur, librent, videamus quid dominus per prophetas ad desides & inhonestos sacerdotes, & non bene populum tam exempla quam verba docentes, minarum loquatur. Nam & Heli ille sacerdos in Silo pro eo quod non digno Deo zelo seuere in filios contemnentes Deum vltus fuerat, sed molliter & clementer, vt pote paterno affectu, admonuerat, tali animaduersione damnatur, dicente ad eum pro- 1.Sam.2.28. pheta: *Hæc dicit dominus: Manifeste ostendi me ad domum patris tui cum essent in Aegypto seruientes Pharaoni, & elegi domum patris tui ex omnibus tribus Israel mihi in sacerdotio.* Et post pauca: *Quare respexisti in incensum meum improbo oculo? & honorificasti filios tuos plusquam me, vt benediceres eos a primordio in omnibus sacrificiis coram me? Et nunc sic dicit Dominus: Quoniam qui honorificant me, honorabo eos: & qui pro nihilo habent me, ad nihilum redi-* 1.Sam.2.34. *gentur: Ecce dies venient & disperdam nomen tuum, & semen domus patris tui. Et hoc tibi signum sit, quod veniet super duos filios tuos Ophni & Phinees, in vno die morientur ambo in gladio virorum.* Si hæc itaque patiuntur, qui verbis tantum subiectos & non condigna vltione emendant, quid ipsis fiet, qui ad mala hortantur peccando & trahunt? [Quid illi quoque perspicuum est vero vati post expletionem signi ab eodem prædicti, & restitutionem aridæ manus impio regi misso a Iudæa prophetare in Bethel, prohibitoque ne quid ibidem cibi gustaret, ac decepto ab alio (vt dicebatur) propheta vt parum quid pa- 1.Reg.13.21. nis & aquæ sumeret, obtigit, dicente ad eum suo hospite: *Hæc dicit dominus Deus: Quia inobediens fuisti ori Domini, & non custodisti mandatum quod præcepit Dominus Deus tuus, & reuersus es & comedisti panẽ, & bibisti aquam in hoc loco, in quo mandaueram tibi ne manducares panem nec biberes aquã, non ponetur corpus tuum in sepulcro patrum tuorum. Et factum est,* inquit, *postquam manducauit panem & bibit aquam, strauit sibi asinam suam & abiit, & inuenit eum leo in via, & occidit eum.*] Esaiam quoque sanctum prophetam de sacerdotibus hoc modo Esa.3.11. loquentem audite: *Væ impio in malum, retributio enim manuum eius fiet ei: Populum meum exactores sui spoliauerunt, & mulieres dominatæ sunt eius. Popule meus qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. Stat ad iudicandum dominus, & stat ad iudicandos populos. Dominus ad iudicium veniet cum senibus populi sui & principibus eius. Vos de-*

pasti estis vineam meam, rapina pauperis in domo vestra. Quare atteritis populum meum? & facies pauperum commolitis, dicet Dominus exercituum? Et item: *Væ qui condunt leges iniquas, & scri-* Esa.10.1.
bentes iniustitiam scripserunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei, vt essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Quid facietis in die visitationis & calamitatis de longe venientis? Et infra: *Verum hi quoque præ vino nescierunt, & præ ebrietate* Esa.28.7.
errauerunt, sacerdotes nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt a vino, errauerunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignorauerunt iudicium. Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu sordium, ita vt non esset vltra locus. Propterea audite verbum Domini, viri illusores, qui dominamini Esa. 28.14.
super populum meum, qui est in Ierusalem. Dixistis enim: Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos, quia posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus. Et post aliquãta: *Et subuertet grãdo spem* Esa.28.17.
mendacij & protectionem. Aqua inundabunt, & delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactũ vestrum cum inferno non stabit: flagellũ inundans cum transierit, eritis & in conculcationem, quãdocunque pertransierit, tollet vos. Et iterũ: *Et dixit dominus: eo quod appropinquat populus iste ore* Esa.29.13.
suo, & labijs glorificant me, cor autem eorum longe est a me; ideo ecce ego addam vt admirationẽ fa- 14.
ciam populo huic miraculo grandi & stupendo. Peribit enim sapientia a sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur. Væ qui profundi estis corde, vt a domino abscondatis cõsilium, quorũ sunt in tenebris opera, & dicũt: Quis videt nos? & quis nouit nos? Peruersa enim hæc vestra cogitatio. Et post aliquãta: *Hæc dicit dominus: Cœlũ sedes mea, & terra scabellum pedũ meorum* Esa.66.1.
est. Quæ ista est domus quam ædificabitis mihi, & quis erit locus quietis mei? Omnia hæc manus mea fecit, & facta sunt vniuersa ista, dicit Dominus: Ad quem autem aspiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu & trementem sermones meos? Qui immolat bouem, quasi qui interficiat virum: qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem: qui offert oblationem, quasi qui sanguinẽ suillum offerat: qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo. Hæc omnia elegerunt in vijs suis, & in abominationibus suis anima eorum delectata est. ¶ Ieremias quoq; virgo prophetaq; quid insipientibus loquatur pastoribus, attendite: *Hæc dicit Dominus: Quid inuenerũt patres vestri in me* Iere.2.3.
iniquitatis, quia se elongauerunt a me, & ambulauerũt post vanitatem, & vani facti sunt? Et paulo post: *Et ingressi contaminastis terram meam, & hereditatem meam posuistis in abominatio-* Iere.2.7.
nem. Sacerdotes non dixerunt, vbi est Dominus? Et tenentes legem nescierunt me, & pastores præuaricati sunt in me. Propterea adhuc iudicio contendã vobiscum, ait Dominus, & cum filiis vestris disceptabo. Item post aliquanta: *Stupor & mirabilia facta sunt in terra. Prophetæ prædicabant* Iere.5.30.
mendaciũ, & sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia. Quid igitur fiet in nouissimis eius? Cui loquar & contestabor, vt audiat? Ecce incircuncisæ aures eorum, & audire Iere.6.10.
non possunt. Ecce verbum domini factum est illis in opprobrium, & non suscipiunt illud, quia extendam manum meam super habitantes terrã, dicit dominus. A minore quippe vsq; ad maiorem, omnes auaritiæ student, & a propheta vsq; ad sacerdotem cuncti faciunt dolum, & curabant contritionẽ filiæ populi mei cum ignominia dicentes, Pax pax, & non erit pax. Confusi sunt, qui abominationem fecerunt. Quin potius confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt. Quamobrem cadẽt inter ruentes, in tempore visitationis eorum corruent, dicit dominus. Et iterum: *Omnes isti principes de-* Iere.6.28.
clinantium ambulantes fraudulenter, æs & ferrum, vniuersi corrupti sunt, defecit sufflatorium in igne, frustra conflauit conflator, malitiæ autem eorum non sunt consumptæ, argentũ reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos. Et post pauca: *Ego sum, ego sum. Ego vidi, dicit Dominus.* Iere.7.11.
Ite ad locũ meum in Silo, vbi habitauit nomẽ meũ a principio: & videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israel. Et nũc quia fecistis omnia opera hæc, dicit dominus: Et locutus sum ad vos mane cõsurgens & loquens & nõ audistis, & vocaui vos & non respõdistis. Faciã domui huic in qua inuocatũ est nomen meum, & in qua vos habetis fiduciam: & loco quẽ dedi vobis & patribus vestris, sicut feci Silo, & proiiciam vos a facie mea. Et iterũ: *Filij mei exierunt a me, & nõ subsistunt: & nõ* Iere. 10.20.
est qui extendat vltra tentorium meum, & erigat pelles meas: quia stulte egerunt pastores, & dominum nõ quæsierunt. Propterea nõ intellexerunt, & grex eorũ dispersus est. Et post aliquãta: *Quid* Iere.11.15.
est quod dilectus meus in domo mea facit scelera multa? Nunquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas, in quibus gloriata es? Oliuam uberem, pulcram, fructiferam, speciosam vocauit dominus nomen tuum ad vocem loquelæ grandis, exarsit ignis in ea, & combusta sunt fruteta eius. Et iterũ: Iere.12.9.
Venite, congregamini omnes bestiæ terræ, properate ad deuorandum. Pastores multi demoliti sunt vineã meam, cõculcauerunt partẽ meam, dederũt portionem meã desiderabilẽ in desertũ solitudinis.

Iere.14.10. Itemque loquitur: *Hæc dicit dominus populo huic, qui dilexit mouere pedes suos, & non quieuit, & Domino non placuit. Nunc recordabitur iniquitatum eorum, & visitabit peccata illorũ. Prophetæ dicunt eis: Non videbitis gladium, & fames non erit in vobis, sed pacem veram dabit Dominus vobis in loco isto. Et dixit dominus ad me: Falso prophetæ vaticinãtur in nomine meo, non misi eos, & non præcepi eis; visionem mendacẽ & diuinationem, & fraudulẽtiam & seductionẽ cordis sui prophetant vobis. Ideo hæc dicit dominus: In gladio & fame consumentur prophetæ illi: & populi, quibus prophetauerunt, proiecti erunt in viis Ierusalem præ fame & gladio, & non erit qui sepeliat.*

Iere.23.1. Et iterũ: *Væ pastoribus, qui disperdũt & dilacerãt gregẽ pascuæ meæ, dicit dominus. Ideo hæc dicit dominus Deus Israel ad pastores qui pascũt populum meũ: Vos dispersistis gregem meũ, & eiecistis eos, & non visitastis illos. Ecce, ego visitabo super vos malitiam studiorũ vestrorum, dicit dominus.*

Iere.23.11. *Propheta namque & sacerdos polluti sunt, & in domo mea inueni malum eorum, dicit dominus: & idcirco via eorum erit quasi lubricum in tenebris, impellentur enim & corruent in ea: afferam enim super eos mala, annum visitationis eorum, dicit Dominus. Et in prophetis Samariæ vidi fatuitatẽ, & prophetabant in Baal, & decipiebant populum meum Israel. Et in prophetis Ierusalem vidi similitudinem, adulterium, & iter mendacij: & confortauerunt manus pessimorum, vt non conuerteretur vnusquisq; a malitia sua: facti sunt mihi omnes Sodoma, & habitatores eius quasi Gomorrha. Propterea hæc dicit Dominus ad prophetas: Ecce ego cibabo eos absinthio, & potabo eos felle. A prophetis enim Ierusalẽ est egressa pollutio super omnem terrã. Hæc dicit Dominus exercituũ: Nolite audire verba prophetarũ, qui prophetãt vobis, & decipiũt vos: visionẽ enim cordis sui loquũtur, nõ de ore domini. Dicunt enim his, qui me blasphemãt, locutus est dominus, Pax erit vobis: & omni, qui ambulant in prauitate cordis sui, dixerũt: Nõ veniet super eos malũ. Quis enim affuit in consilio domini, & vidit & audiuit sermonẽ eius? Quis cõsiderauit verbũ illius & audiuit? Ecce, turbo dominicæ indignationis egreditur, & tẽpestas erũpens super caput impiorum veniet, nõ reuertetur furor domini vsq; dũ faciat, & vsq; dũ cõpleat cogitationẽ cordis sui. In nouissimis diebus intelligetis consiliũ eius.* Parũ namq; cogitatis vel facitis, quod] sanctus quoq; Ioel monẽs inertes sacer-

Ioel 1.5. dotes, ac deflẽs detrimentũ populi pro iniquitatibus eorũ edixit: *Expergiscimini qui estis ebrij a vino vestro, & plorate, & lamentamini omnes qui bibistis vinũ in ebrietatẽ, quia ablata est*

Ioel 1.10. *ab ore vestro iucũditas & gaudiũ. Lugete sacerdotes, qui deseruitis altari, * quia miseri facti sunt cãpi. Lugeat terra quia miserũ factum est frumentũ, & siccatũ est vinum, diminutum est oleum, aruerũt agricolæ, ⌊ Lugete possessiones pro tritico & hordeo, quia perijt vindemia ex agro, vitis arefacta est, ficus diminutæ sunt. granata, & palma, & malũ, & omnia ligna agri arefacta sunt: quoniã confuderunt gaudium filij hominum.* Quæ omnia spiritualiter intelligenda erũt vobis, ne tam

Ioel 2.17. pestilenti fame verbi Dei animę vestræ arescerent. ⌉ Et iterũ: *Flete sacerdotes, qui deseruitis domino, dicentes: Parce domine populo tuo, & ne des hereditatẽ tuã in opprobrium, & ne dominẽtur eorũ gentes, vt ne dicant gentes, vbi est Deus eorũ?* Sed hæc vos nequaquã auditis, sed omnia, quibus propensius diuini furoris indignatio inardescat, admittitis. Quid etiam sanctus

Osee 5.1. Osee propheta sacerdotibus vestri moduli dixerit signãter attendite: *Audite hæc sacerdotes & intẽdat domus Israel, & domus regis, infigite auribus vestris, quoniã ad vos est iudicium, quia laqueus facti estis speculationi, & velut retiaculum extẽsum Γ super Itaberiũ quod indicatores venationis confinxerũt.*] Vobis etiã a domino alienatio huiuscemodi intenditur per pro-

Amos 5.21. phetam Amos dicentẽ: *Odio habui & repuli dies festos vestros, & non accipiam odorem, in solẽnibus conuentionibus vestris, quia etsi obtuleritis holocaustomata & hostias vestras, non accipiã ea, ⌊ & salutare declarationis vestræ non aspiciam. Transfer a me sonũ cantionũ tuarũ, & psalmum organũm tuorũ non audiã.* Famis etenim euãgelici cibi culina ipsa vestrę animę viscera ex-

Amos 8.11. comedens grassatur in vobis, sicut supradictus propheta prædixit. *Ecce*, inquiens, *dies veniunt, dicit dominus, & immittã famem in terrã, non famẽ panis, neq; sitim aquæ, sed famẽ in audiẽdo verbũ Dei, & mouebuntur aquæ a mari vsq; ad mare, & ab Aquilone vsq; ad Orientẽ percurrẽt quærentes verbũ domini, & nõ inueniẽt.* ⌉ Auribus quoq; percipite sanctũ Micheã, ac si cœ-

Mich.3.1. lestẽ quandã tubã aduersus subdolos populi principes cõcisius personantẽ: *Audite nũc,* inquiens, *principes domus Iacob: Nõne vobis est vt cognoscatis iudiciũ odientibus bona, & quærẽtibus maligna, rapientibus pelles eorum ab eis, & carnes eorũ ab ossibus eorũ? Quemadmodũ comederunt carnes plebis meæ, & pelles eorum ab eis excoriauerunt, ossa eorum cõfregerunt, & laniauerunt quasi carnes in olla, succlamabunt ad Deũ & non exaudiet eos, & auertet faciẽ suã ab eis in illo tẽpore, propter quod malitiose gesserũt in adinuẽtionibus suis super ipsos.* ⌊ *Hæc dicit dominus super*

prophetas

prophetas qui seducunt populū meum, qui mordent dentibus suis, & prædicant in eum pacē, & non est data in os eorū: excitaui in eum bellū. propterea nox erit vobis ex visione, & tenebræ vobis erūt ex diuinatione, & occidet sol super prophetas, & cōtenebrescet super eos dies, & cōfundentur vidētes somnia, & deridebūtur diuini, & obtrectabūt aduersus omnes ipsi: quoniā non erit qui exaudiat eos, si non ego impleuero fortitudinē in spiritu Domini & iudicio & potestate, vt annuntiē domui Iacob impietates suas, & Israel peccata sua. Audite hæc itaq; duces domus Iacob, & residui domus Israel, qui abominamini iudiciū, & omnia recta peruertitis, qui ædificatis Sion in sanguine, & Ierusalem in iniquitatibus: duces eius cum muneribus iudicant, & sacerdotes eius cum mercede respondebant, & prophetæ eius cum pecunia diuinabant, & in domino requiescebant, dicentes: Nonne dominus in nobis est? Non venient super nos mala. Ideo propter vos Sion sicut ager arabitur, & Ierusalem sicut specula pomarij erit, & mons domus sicut locus siluæ. Et post aliquanta: *Heu me, quia factus* Mich.7.1. *sum sicut qui colligit stipulam in messe, & sicut racemus in vindemia cum non sit botrus ad manducandum primitiua. Heu me, anima quia perijt terrenis operibus semper peccatorum reuerentia exoritur reuerens a terra, &, qui corrigat inter homines, non est. Omnes in sanguinē iudicio cōtendūt, & vnusquisq; proximū suum tribulatione tribulat, in malum manus suas præparat.* ⌉Quid Sophonias etiam propheta egregius de vestris olim comessoribus disceptauerit, attendite (de Ierusalem namque loquebatur, quæ spiritualiter ecclesia vel anima intelligitur:) *O,* inquiens, *quæ erat splendida & libera ciuitas, confidens columba, non obaudiuit vocem, nec percepit* Soph.3.1. *disciplinam, in domino non confisa est, & ad Deum suum non accessit.* Et id quare, ostendit: *Principes eius, sicut leones, rugientes, iudices sicut lupi Arabiæ non relinquebant in mane, prophetæ eius* Soph.3.3. *spiritum portātes viri contemptoris, sacerdotes eius prophanabant sancta, & impie agebant in lege: dominus autem iustus in medio eius, & nō faciet iniustum mane, mane dabit iudicium suum.* Sed & beatum Zachariam prophetam monentem vos in verbo Dei, audite: *Hæc enim dicit do-* Zach.7.9. *minus omnipotens: Iudicium iustum iudicate, & misericordiam & miserationem facite vnusquisq; ad fratrem suum, & viduam & orphanum & aduenam & pauperem, per potentiam nolite nocere, & malitiam vnusquisq; fratris sui non reminiscatur in corde suo: & contumaces fuerunt ne obseruarent, & dederunt dorsum stultitiæ, & aures suas degrauauerunt vt non audirent, & cor suū statuerunt insuadibile, ne audirent legem meam & verba, quæ misit dominus omnipotens* ⌊ *in spiritu suo in manibus prophetarū priorū, & facta est ira magna a Domino omnipotēte.* Et iterū: *Quoniā qui* Zach.10.2. *loquebātur, locuti sunt molestias, & diuini visa falsa, & somnia falsa loquebātur, & vana cōsolabātur: propter hoc aridi facti sunt sicut oues, & afflicti sunt, quoniā non erat sanitas.* ⌉ *Super pastores exacerbata est iracundia mea, & super agnos visitabo* ⌊ Et post pauca: *Vox lamentantiū pastorū,* Zach.11.3. *quia misera facta est magnitudo eorum. Vox rugientium leonum, quoniam miser factus est decursus Iordanis. Hæc dicit Dominus omnipotens: Qui possidebant interficiebant, & non pœnituit eos: & qui vendebant eas, dicebant: Benedictus Dominus, & ditati sumus, & pastores earum nihil passi sunt in eis. Propter quod non parcam iam super inhabitantes terrā, dicit dominus.* ⌉Quid prætereа sanctus Malachias propheta vobis denunciauerit, audite: *Vos,* inquiens, *sacerdotes qui* Malach.1.6. *spernitis nomen meū, & dixistis: In quo spernimus nomen tuum? Offerendo ad altare meum panes pollutos: & dixistis: In quo polluimus eos? In eo quod dixistis: Mensa domini pro nihilo est, & quæ superposita sunt spreuistis: quoniam si adducatis cæcū ad victimam, nonne malū? Si admoueatis claudum aut languidum, nonne malum? Offer itaq; illud præposito tuo si suscipiet illud, si accipiet personam tuam, dicit dominus omnipotens. Et nunc exorate faciem Dei vestri, & deprecamini eum: in manibus vestris facta sunt hæc, si accipiam ex vobis personas vestras.* Et iterū: *Et intulistis de rapi-* Mach.1.13. *na claudum & languidum, & intulistis munus. Nunquid suscipiam illud de manu vestra, dicit Dominus? Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile domino, quia rex magnus ego sum, dicit dominus exercituū, & nomen meū horribile in gentibus;* ⌊ *Et nūc* Mala.2.1. *ad vos mandatū hoc, o sacerdotes, si nolueritis audire & ponere super cor vt detis gloriā nomini meo, ait dominus exercituū, mittam in vos egestatem, & maledicā benedictionibus vestris, quoniam non posuistis super cor. Ecce ego projiciam vobis brachium, & dispergam super vultū vestrum stercus solennitatum vestrarum.* Sed interea vt auidius organa nequitiæ præparetis ad bona, quid de sancto sacerdote dicat (si quantulumcunq; adhuc interni auditus in vobis remanet) auscultate: *Pactū meum,* inquiēs, *fuit cū eo* (de Leui namq; vel Moyse secundū historiā lo- Mala.2.5. quebatur) *vitæ & pacis, dedi ei timorem, & timuit me, a facie nominis mei pauebat, lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas nō est inuenta in labiis eius, in pace & in æquitate ambulauit mecū, &*

multos auertit ab iniquitate. Labia enim sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore
eius, quia angelus Domini exercituũ est. Nũc item mutauit sensum, & malos increpare non
Malac. 2. 8. desinit: Vos, inquiens, recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege, & irritum fecistis pa-
ctum cum Leui, dicit Dominus exercituũ. Propter quod & ego dedi vos contẽptibiles & humiles in
omnibus populis, sicut non seruastis vias meas, & accepistis faciem in lege. Nunquid non pater vnus
omnium nostrum? nũquid non Deus vnus creauit nos? Quare ergo despicit vnusquisq; fratrem suũ?
Malac. 3. 2. Et iterum: Ecce veniet dominus exercituum, & quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis
stabit ad videndum eum? Ipse enim egredietur quasi ignis ardens, & quasi poa lauantium, & sedebit
conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum & quasi argen-
Malac. 3. 13. tum. Et post pauca: Inualuerunt super me verba vestra, dicit Dominus, & dixistis: Vanus est qui
seruit Deo, & quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus coram
domino exercituum tristes? Ergo nunc beatos dicemus arrogantes, siquidem ædificati sunt facientes
iniquitatem, tentauerunt Deum, & salui facti sunt. ⁊ Quid vero Ezechiel propheta dixerit,
Ezech. 7. 26 attendite: Væ, inquiens, super væ veniet, & nuntius super nuntium erit, & quæretur visio a pro-
Ezech. 13. 8. pheta, & lex peribit a sacerdote, & consilium de senioribus. Et iterum: Hæc dicit dominus: Eo quod
sermones vestri sunt mendaces, & diuinationes vestræ vanæ, propter hoc ecce ego ad vos, dicit Do-
minus, extendam manum meam super prophetas qui vident mendacia, & eos qui loquuntur vana,
in disciplina populi mei non erunt, & in scriptura domus Israel non scribentur, & in terram Israel
non intrabunt, & scietis quia ego dominus. Propterea populum meum seduxerunt dicentes: Pax do-
mini, & non est pax domini. Hic struit parietem, & ipsi vngunt eum, & cadet. Et post aliquanta:
Ezech. 13. 18 Væ his qui concinnant ceruicalia subtus omnem cubitum manus, & faciunt velamina super omne
caput vniuersæ ætatis ad subuertendas animas. ⁊ Animæq; subuersæ sunt populi mei, & animas possi-
debant, & contaminabant me ad populum meũ propter manum plenam hordei, & propter fragmẽ-
tum panis ad occidendas animas quas non oportebat mori, & ad liberandas animas quas nõ oporte-
Ezec. 22. 4. bat viuere, dum loquimini populo exaudienti vana eloquia. Et infra: Fili hominis dic; Tu es terra
quæ non cõpluitur, neq; pluuia facta est super te in in die iræ, in qua principes in medio eius, sicut leo-
nes, rugiẽtes, rapientes rapinas, animas deuorãtes in potẽtia, & pretia accipiẽtes, & viduæ tuæ mul-
tiplicatæ sunt in medio tui, & sacerdotes eius despexerũt legẽ meam, & polluebant sancta mea. Inter
sanctũ & pollutũ nõ distinguebãt, & inter mediũ immũdi & mundi nõ diuidebãt, & a sabbathis meis
obuelabãt oculos suos, & polluebãt in medio eorũ. Et iterũ: Et quærebã ex eis virũ recte conuersan-
Ezec. 22. 30 tẽ, & stantem ante faciem meã omnino in tẽpora terræ, ne in fine delerẽ eam, & non inueni. Et effudi
in eam animũ meũ in igne iræ meæ ad consumendũ eos: vias eorũ in caput eorũ dedi, dicit Dominus.
Ezech. 33. 2. Et post aliquanta: Et factus est sermo domini ad me dicens: Fili hominis loquere filiis populi mei,
& dices ad eos: Terra in quam ego gladium superinducã, & acceperit populus terræ hominem vnũ
ex ipsis, & dederit eum sibi in speculatorem, & viderit gladiũ venientem super terrã, & tuba cecine-
rit, & significauerit populo: & audierit qui audit vocem tubæ & non obseruauerit: & venerit gla-
dius & comprehenderit eum, sanguis eius super caput eius erit. Quia cum vocem tubæ audisset, non
obseruauit, sanguis eius in ipso erit: & hic, quia custodiuit animam suam, liberauit. Et speculator
si viderit gladium venientem & non significauerit tuba, & populus non obseruauerit: & veniẽs gla-
dius acceperit ex eis animam, & ipsa propter iniquitatem suã capta est, & sanguinem de manu spe-
culatoris requiram. Et tu fili hominis speculatorem te dedi domui Israel, & audies ex ore meo ver-
bum, cum dicam peccatori, morte morieris: & nõ loqueris vt auertat se a via sua impius: & ipse ini-
quus in iniquitate sua morietur, sanguinem autẽ eius de manu tua requiram. Tu vero si prædixeris
impio viã eius vt auertat se ab ea, & non se auerterit a via sua: hic sua impietate morietur, & tu ani-
mam tuam eripuisti. ⁊ Sed sufficiãt hæc pauca de pluribus prophetarũ testimonia, queis
retũditur superbia vel ignauia sacerdotũ contumacium, ne putent nos propria potius
adinuentione quam legis sanctorũve auctoritate eis talia denũtiare. Videamus igitur
quid euãgelica tuba mũdo personans inordinatis sacerdotibus eloquatur; nõ enim de
illis (vt iam diximus) qui apostolicã sedem legitime obtinẽt, quiq; bene norunt largiri
spiritualia conseruis suis in tẽpore cibaria (si qui tamen multi in præsentiarũ sunt) sed
de pastoribus imperitis, qui derelinquunt oues, & pascunt vana, & non habent verba
pastoris periti, nobis sermo est. Euidens ergo indiciũ est, non esse eum legitimũ pasto-
rẽ, sed ne mediocrẽ quidem Christianũ, qui hæc nõ tam nostra qui valde exigui sumus,
quã veteris nouiq; testamẽti decreta recusarit, vel inficiatus fuerit, sicut bene quidam

nostrorũ ait: *Optabiliter cupimus, vt hostes ecclesiæ sint nostri quoq; absq; vllo fœdere hostes: & amici ac defensores nostri, non solũ fœderati, sed etiam patres ac domini habeantur.* Cõueniant namq; singuli vero examine conscientiam suam, & ita deprehendent an secundũ rectã rationem sacerdotali cathedræ insideãt. Videamus, inquam, quid Saluator mundi factorq; [Matt.5,13] dicat: *Vos estis*, inquit, *sal terræ, quod si sal euanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet vltra, nisi vt proijciatur foras vt conculcetur ab hominibus.* Hoc vnum testimonium ad confutandos impudentes quosq; abunde sufficere posset, sed vt euidentioribus adhuc astipulationibus, quantis semetipsos intolerabilibus scelerum fascibus falsi hi sacerdotes opprimãt, verbis Christi comprobetur, aliqua annectenda sunt. Sequitur enim: *Vos estis lux mundi.* [Mat.5.14.] *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita; neq; accendunt lucernam & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt.* Quis ergo sacerdotum huius temporis, ita ignorantiæ cæcitate possessus, vt lux clarissimæ lucernæ, in aliqua domo cunctis noctu residentibus scientiæ simul & bonorum operum lampade lucet? Quis ita vniuersis ecclesiæ filiis tutum, publicum, conspicuumq; refugium, vt sit ciuibus firmissima forte æditi montis ciuitas vertice constituta, habetur? Sed & quod sequitur: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & magnificent patrem vestrum qui in cœlis est.* [Mat.5.16.] Quis eorum vno saltem die potest implere? Quin potius densissima quædam eorum nebula, atraque peccaminum omni insulæ ita incumbit nox, vt omnes pene a via recta auertat, ac per inuios impeditosq; scelerum calles errare faciat, quorum non modo pater cœlestis non laudatur [per opera] sed etiam intolerabiliter blasphematur. Velim quidem hæc scripturæ sacræ testimonia huic epistolæ inserta vel inserenda, sicut nostra mediocritas posset, omnia vtcunq; historico vel morali sensu interpretari. Sed ne in immensum modum opusculum hoc his, qui non tam nostra quam Dei despiciunt, fastidiunt, auertunt, proteletur, simpliciter & absq; vllo verborũ circuitione congesta vel congerenda sunt. Et post pauca: *Qui enim soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorũ.* [Matt.5.19.] Et iterũ: *Nolite iudicare, vt non iudicemini: in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabitur de vobis.* [Mat.7.1.] Quis, rogo, vestrũ respiciet id quod sequitur? *Quid autẽ vides*, inquit, *festucam in oculo fratris tui, & trabẽ in oculo tuo non cõsideras? aut quomodo dicis fratri tuo; Sine eiiciam festucã de oculo tuo, & ecce trabes in oculo tuo est.* [Mat.7.3.] Vel quod sequitur: *Nolite dare sanctũ canibus, neq; miseritis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conuersi disrũpant vos*, quod sępissime vobis euenit. [Mat.7.6.] Et populũ monens, ne a dolosis doctoribus, vt estis vos, seduceretur, dixit: *Attendite vobis a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ouiũ, intrinsecus autẽ sunt lupi rapaces: a fructibus eorũ cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona bonos fructus facit, & mala malos.* [Mat.7.15.] Et infra: *Nõ omnis, qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnũ cœlorum: sed qui facit voluntatẽ patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorũ.* [Mat.7.21.] Quid sane vobis fiet, qui, vt propheta dicit, labiis tantum & non corde Deo creditis? Qualiter autẽ impletis quod sequitur: *Ecce*, inquiens, *ego mitto vos sicut oues in medio luporũ*; [Matt.10.16] qui, versa vice, vt lupi, in gregẽ ouiũ proceditis? vel quod ait, *Estote prudentes sicut serpẽtes*, & *simplices sicut colũbæ*? Prudentes quidẽ estis vt aliquem ore exitiabili mordeatis, nõ vt caput vestrum, quod est Christus, obiectu quodammodo corporis defendatis, quem totis operũ malorum conatibus conculcatis. Nec enim simplicitatem colũbarum habetis, quin potius coruino assimilati nigrori ac semel de arca (id est ecclesia) euolitãtes, inuentis carnaliũ voluptatum fœtoribus, nusquã ad eam puro corde reuolatis. Sed videamus & cetera: *Nolite*, ait, *timere eos qui occidunt corpus, animam autẽ non possunt occidere; sed timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* [Mat.10.28.] Quidnam horum feceritis, recogitate. Quem vero vestrum sequens testimonium non in profundo cordis arcano vulneret, quod de prauis antistitibus Saluator ad apostolos loquitur? *Sinite illos, cæci sunt duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadent.* [Mat.15.14.] Egent sane populi, quibus præestis, vel potius quos decepistis, audire. Attendite verba Domini ad Apostolos & turbas loquentis, quæ & vos, vt audio, in medium crebro proferre non pudet: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite: secundũ vero opera eorũ nolite facere. Dicunt enim & ipsi non faciũt.* [Mat.23.2.] Periculosa certe ac superuacua sacerdotibus doctrina est, quæ prauis operibus obfuscatur. *Væ vobis* [Mat.23.13.]

hypocritæ, qui clauditis regnum cælorum ante homines, vos autem non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. Non solum enim pro tantis malorum criminibus quæ geritis in futuro, sed etiam pro his, qui vestro quotidie exẽplo pereunt, pœnali pœna plectemini: quorũ sanguis in die iudicij de vestris manibus requiretur. Mat. 24. 48. Sed quid mali quod serui parabola prætenderit, inspicite, dicentis *in corde suo, morã facit dominus meus venire.* qui pro hoc forsitan *inceperat percutere conseruos suos manducans & bibens cum ebriis. Veniet ergo*, inquit, *dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum*, a sanctis scilicet sacerdotibus, *partemque eius ponet cum hypocritis*, (cum eis certe, qui sub sacerdotali tegmine multũ obumbrant nequitiæ.) *Illic*, inquiens, *erit fletus & stridor dentium*, quibus in hac vita non crebro euenit ob quotidianas ecclesiæ matris ruinas filiorum, vel desideria regni cœlorum. Sed videamus quid Christi verus discipulus magister gẽtium Paulus, qui omni ecclesiastico doctori imitandus est, (*sicut & ego Christi*) in tali negotio præloquatur in prima epistola dicens; *Quia quũ cognouerunt Deum, non sicut Deum magnificauerunt, aut gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obcæcatum est insipiens cor eorum, dicẽtes se esse sapientes, stulti facti sunt.* Licet hoc gentibus dici videatur, intuemini tamen quia cõpetenter istius æui sacerdotibus cum populis coaptabitur. Et post pauca, *Qui cõmutauerunt*, inquit, *veritatem Dei in mendacium, & coluerunt & seruierunt creaturæ potius quam creatori qui est benedictus in secula: propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.* Et iterũ: *Et sicut non probauerũt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobũ sensum, vt faciant quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, malitia, impudicitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio*, scilicet animarum populi, *contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inuẽtores malorum, parentibus inobedientes, insensatos, incompositos, sine misericordia, sine affectione, qui cum iustitiã Dei cognouissent, non intellexerunt, quoniã qui talia agunt, digni sunt morte.* Quisnã supradictorũ his omnibus in veritate caruit? si enim esset, forte caperetur subiecto sensu in quo ait, *Non solũ qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt faciẽtibus*, nullo scilicet hoc malo eorũ exstante immuni. Et infra; *Tu autem secundum duritiam tuam, & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera sua.* Et iterum: *Non est enim acceptio personarum apud Deum. Quicunque enim sine lege peccauerunt, sine lege & peribunt: quicunq; in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum sed factores legis iustificabuntur.* Quid ergo seueritatis ingruit his qui non solum implenda non faciunt & prohibita non declinant, sed etiam ipsam verborũ Dei lectionem vel tenuiter auribus ingestam pro sæuissimo angue refugiunt? Sed transeamus ad sequentia: *Quid ergo*, inquit, *dicemus? Permanebimus in peccato vt gratia abundet? absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo iterum viuemus in illo?* Et post aliquanta: *Quis nos*, ait, *separabit a caritate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculũ? an gladius?* Quem vestrum, quæso, talis intimo corde occupabit affectus, qui nõ modo pro pietate non laboratis, sed etiam vt inique agatis & Christum offendatis, multa patimini? Vel quod sequitur: *Nox præcessit, dies autẽ appropinquauit: Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamus arma lucis, sic vt in die honeste ambulemus, non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, sed induite dominũ Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in cõcupiscentiis.* Et iterũ ad Corinthios in prima epistola: *Vt sapiens*, inquit, *architectus fundamẽtum posui, alter superædificat. Vnusquisq; autẽ videat quomodo superædificet. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id, quod est* IESVS CHRISTVS. *Si quis autem superædificet super hoc, aurũ & argentum, lapides pretiosos, ligna, fænũ, stipulam, vnũquodq; opus manifestum erit. Dies enim domini declarabit illud, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusq; opus, quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, omnia per ignem iudicabũtur. Qui superædificauerit, mercedẽ accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentũ patietur. Nescitis quia templũ Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autẽ templũ Dei violauerit, disperdet illũ Deus.* Et iterũ: *Si quis videtur apud vos sapiẽs esse in hoc seculo, stultus fiat, vt sit sapiens. Sapiẽtia enim huius mũdi, stultitia est apud Deũ.* Et post aliquãta: *Non bona gloriatio vestra. Nescitis, quia modicũ fermentũ totam massam corrumpit? Expurgate igitur vetus fermentũ, vt sitis noua conspersio.* Quomodo expurgabitur vetus fermentũ (id est peccatũ) quod a diebus indies cunctis conatibus cumulatur? Et iterũ: *Scripsi vobis in epistola, ne cõmisceamini fornicariis,*

Marginal references: Paulus. 1. Cor. 11. 1. — Rom. 1. 21. — Rom. 1. 23. — Rom. 1. 28. — Rom. 1. 32. — Rom. 2. 5. — Rom. 2. 11. — Rom. 6. 1. — Rom. 8. 35. — Rom. 13. 12. — 1. Cor. 3. 10. — 1. Cor. 3. 18. — 1. Cor. 5. 6. — 1. Cor. 5. 9.

non vtique fornicariis huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut idolis seruientibus. Alioquin debueratis de hoc mundo exire. Nunc autem scripsi vobis ne commisceri, si quis nominatur frater & est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum quidem sumere. Sed latro nequaquam pro furto vel latrocinio furem alium damnat, quem potius optat, ruetur, amat, vtpote sui sceleris consortem.⌉Item in Epistola ad Corinthios secunda: *Ideo*, inquit, *habentes hanc administrationem, iuxta* [2. Cor.4.2.] *quod misericordiam consecuti sumus, non deficiamus: Sed abiiciamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei* (per malum exemplum scilicet, & per adulationem.) In subsequentibus autem ita de malis Doctoribus dicit: *Nam eiusmodi* [2. Cor.11.13.] *pseudoapostoli sunt operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. Et non mirum. Ipse enim Satanas transfigurat se in Angelum lucis. Non est magnum igitur si ministri eius transfigurentur vt Angeli iustitiæ, quorum finis erit secundum opera eorum.* Attendite quoque quid ad Ephesios dicat: An nescitis vos pro hoc in aliquo reos teneri? *Hoc*, inquiens, *dico &* [Ephe.4.17.] *testificor in Domino, vt iam non ambuletis, sicut gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a via Dei, per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis eorum, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem omnis immunditiæ & auaritiæ.* Et quis vestrum sponte expleuerit id quod sequitur? *Propterea no-* [Ephes.5.17.] *lite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei, & nolite inebriari vino, in quo est luxuria: sed replemini Spiritu sancto.* Sed & quod ad Thessal. dicit: *Neque enim fuimus apud* [1. Thes.2.5.] *vos aliquando in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ, nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis, cum possimus bonori esse, vt ceteri Apostoli Christi. Sed facti sumus sicut paruuli in medio vestrum, vel tanquam si nutrix foueat paruulos suos, ita desiderantes vos cupide volebamus vobis tradere non solum Euangelium, sed etiam animas nostras.* Si hunc vos Apostoli retinetis in omnibus affectum, eius quoque cathedræ legitime insidere noscatis. Vel etiam quod sequitur: *Scitis*, inquit, *quæ præcepta dederim vobis. Hæc* [1. Thes.4.] *est voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis vos a fornicatione, & sciat vnusquisque vestrum* [2. & 3.] *vas suum possidere in honore & sanctificatione, non in passione desiderij, sicut & gentes quæ ignorant Deum.* ⌊*Et ne quis supergrediatur neque circumueniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de his omnibus. Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit sed Deum.* Quis etiam vestrum circumspecte cauteque custodiuit id quod sequitur: *Mortificate ergo membra vestra quæ sunt super* [Coloss.3.5.] *terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, & concupiscentiam malam. propter quæ venit ira Dei in filios diffidentiæ.* Videtis enim pro queis peccatis ira Dei potissimum consurgat.⌉ Audite itaque quid de vobis Prophetico Spiritu sanctus idem Apostolus vestrisque consimilibus prædixerit, ad Timotheum aperte scribens: *Hoc enim scito, quod in nouissi-* [2. Tim.3.1.] *mis diebus instabunt tempora periculosa. Erunt enim homines semetipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus inobedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, voluptatum amatores magis quam Dei, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Et hos deuita*; sicut & Propheta dicit: [Psal.25 5.] *Odiui congregationem malignorum, & cum impiis non sedebo.* ⌊Et post aliquanta, quod nostro tempore videmus pullulare, ait: *Semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis perue-* [2. Tim.3.7.] *nientes: Quemadmodum enim Iannes & Mambres restiterunt Moysi, ita & isti resistunt veritati: homines corrupti mente, reprobi circa fidem, sed vltra non proficient. Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit.*⌉Etenim euidenter ostendit, qualiter se exhibeant suo officio sacerdotes ita ad Titum scribens: *Te ipsum præbe exemplum bonorum operum,* [Tit.2.7.] *in doctrina, in integritate, in grauitate, verbum sanum habens, irreprehensibile, vt is qui ex aduerso est vereatur, nullum malum habens dicere de nobis.* Et iterum ad Timotheum: *Labora*, inquit, [2. Tim.2.3.] *sicut bonus miles Christi Iesu. Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus, vt placeat ei, cui se probauit. Nam & qui contendit in agone non coronatur, nisi legitime certauerit.* Hæc quidem bonorum adhortatio.⌊Quod vero item comprehendit, malorum hominum (vt vos quibusque intelligentibus apparetis) denuntiatio est. *Si quis*, inquiens, *aliter docet, &* [1. Tim.6.3.] *non acquiescit sermonibus sanis Domini nostri Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed languescens erga quæstiones, & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, cõtentiones, blasphemia, suspiciones malæ, conflictationes hominũ mente corruptorum,*

qui veritate priuati sunt, existimantium quæstum esse pietatem. Sed quid sparsim positis amplius vtentes testimoniis sensuum ac diuersorum vndis in despecta ingenij nostri cymbula fluctuabimur? Recurrere tandem aliquando vsque ad lectiones illas (quæ ad hoc non solum vt recitentur, sed etiam adstipulentur benedictioni, qua initiantur sacerdotum vel ministrorum manus, eosque perpetuo doceant, vti ne a mandatis, quæ fideliter continentur in eis, sacerdotali dignitate degenerantes recedant, ex omni pęne sanctarum scripturarum textu merito excerptæ sunt) necessarium duximus, vt apertius cunctis pateat æterna supplicia mansura eos, & non esse sacerdotes vel Dei ministros, qui earum doctrinas atque mandata opere secundum vires suas non adimpleuerint. Audiamus ergo quid Princeps apostolorum beatus Petrus de tali negotio signauerit:
1.Pet.1.3. *Benedictus*, inquiens, *Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui per magnam misericordiam suam regenerauit nos in spem vitæ æternæ, per resurrectionem a mortuis Domini nostri Iesu Christi, in hereditatem incorruptibilem, immarcessibilem, incontaminatam, conseruatam in cœlis in vos, qui in virtute Dei custodimini.* Quare enim insipienter a vobis violatur talis hereditas, quæ non sicut terrena decidua, sed immarcessibilis atque æterna est? Et post aliquanta:
1.Pet.1.13. *Propter quod succincti estote lumbos mentis vestræ, sobrij, perfecte sperantes in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in reuelatione Iesu Christi.* Rimamini namque pectoris vestri profunda an sobrij sitis & perfecte sacerdotalem gratiam examinandam in Domini reuelatione conseruetis. Et iterum dicit: *Quasi filij benedictionis, non configurantes vos illis prioribus ignorantiæ vestræ desideriis, sed secundum eum qui vos vocauit sanctos, & vos sancti in omni conuersatione estote. Propter quod scriptum est: sancti estote, quia ego sum sanctus.* Quis, rogo, vestrum ita sanctitatem toto animi ardore sectatus est, vt hoc quantum in se est auide festinaret implere? Sed videamus quid in eiusdem secunda lectione contineatur:
1.Pet.1.21. *Carissimi*, inquit, *animas vestras castificate ad obediendum fidei per Spiritum in caritate, in fraternitate, ex corde vero inuicem diligentes perseueranter, quasi renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili verbo Dei viui & permanentis in æternum.* Hæc quidem ab Apostolo mandata, & in die vestræ ordinationis lecta, vt ea indirupte custodiretis, sed nequaquam a vobis in iudicio impleta, sed nec multum cogitata vel intellecta sunt. Et infra:
1.Pet.2.11. *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationem, & inuidiam, & detractiones, sicut modo geniti infantes, rationabiles, & sine dolo lac concupiscite, vt eo crescatis in salutem, quoniam dulcis est Dominus.* Recogitate an hæc quoque surdis auribus a vobis audita crebrius conculcentur. Et iterum:
1.Pet.2.9. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus in adoptionem, vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in illud tam admirabile lumen suum.* Non solum enim per vos virtutes Dei non annunciantur, sed etiam prauissimis vestris apud incredulos quosque despiciuntur exemplis. Audistis forte in eodem
Acto.1.15. die, quod in lectione Actuum Apostolorum lectum est: *Petro in medio discipulorum surgente, qui dixit: Viri fratres, oportet scripturam impleri, quam prædixit Spiritus sanctus per os*
Acto.1.18. *Dauid de Iuda.* Et paulo post: *Hic itaque acquisiuit agrum de mercede iniquitatis.* Hoc securo vel potius hebeti corde, quasi non de vobis lectum fuisset, audistis. Quis, quæso, vestrum non quærit agrum de mercede iniquitatis? Iudas namque loculos compilabat, vos Ecclesiæ donaria filiorumque animas eius vastatis. Ille adiit Iudæos vt Deum venderet, vos tyrannos, & patrem vestrum diabolum, vt Christum despiciatis. Ille triginta argenteis venalem habuit omnium Saluatorem, vos vel vno obulo. Quid plura? Fertur vobis in medium Matthiæ in confusionem vestram exemplum, sanctorum quoque Apostolorum electione, vel iudicio Christi non propria voluntate sortiti, ad quod cæci effecti non videtis, quam longe a meritis eius distetis, dum in amorem & effectum Iudæ traditoris sponte corruistis. Apparet ergo eum, qui vos sacerdotes, sciens, ex corde dicit, non esse eximium Christianum. Sane quod sentio, proferam. Posset quidem lenior fieri increpatio, sed quid prodest vulnus manu tantum palpare, vnguentove vngere, quod tumore iam vel fœtore sibi horrescens cauterio & publico ignis medicamine eget? si tamen vllo modo sanari possit, ægro nequaquam medelam quærente, & ab hoc medico longius recedente. O inimici Dei & non sacerdotes, veterani malorum & non pōtifices, traditores & non sanctorum Apostolorum successores, impugnatores & non Christi ministri. Auscultastis quidem secundæ lectionis

Apostoli

Apostoli Pauli verborum sonum (sed in nullo modo monita virtutemque seruastis, &
simulacrorum modo, quæ non vident neque audiunt, eodem die altari astitistis) tunc
& quotidie vobis intonantis: *Fratres, inquit, fidelis sermo est, & omni acceptione dignus.* Ille 1.Tim.3.1.
dixit, fidelem & dignum, vos vt infidelem & indignum spreuistis. *Si quis episcopatum cupit, bonum opus desiderat.* Vos episcopatum magnopere auaritiæ gratia, non spiritualis
profectus obtentu cupitis, & bonum opus illi condignum nequaquam habetis. *Oportet* 1.Tim.3.2.
ergo huiusmodi irreprehensibilem esse. In hoc namque sermone lacrimis magis quam verbis
opus est, ac si dixisset Apostolus eum esse omnibus irreprehensibiliorem debere. *Vnius
vxoris virum.* Quid ita apud nos quoque contemnitur quasi non audiretur vel idem dicere & virum vxorum? *Sobrium, prudentem.* Quis etiam ex vobis hoc aliquando inesse
sibi saltem optauit? *Hospitalem.* id si forte casu euenerit, popularis auræ potius quam
præcepti gratia factum, non prodest, Domino saluatore ita dicente: *Amen dico vobis,
receperunt mercedem suam.* * *Ornatum, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum.* O feralis immutatio, o horrenda præceptorum cœlestium conculcatio; nonne infatigabiliter ad hæc expugnanda, vel potius obruenda actuum verborumque arma corripitis, pro queis conseruandis atque firmandis, si necesse fuisset, & 1.Tim.3.2.
pœna vltro subeunda, & vita ponenda erat? Sed videamus & sequentia: *Domum, inquit,
suam bene regentem, filios habentem subditos, cum omni castitate.* Ergo imperfecta est patrum
castitas, si eidem non & filiorum accumuletur. Sed quid erit, vbi nec pater, nec filius
mali genitoris exemplo prauatus conspicitur castus? *Si quis autem Domui suæ præesse
nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam adhibebit?* Hæc sunt verba quæ indubitatis effectibus approbantur. *Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non vino multum deditos, non turpe* 1.Tim.3.8.
*lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. Hi autem probentur primum, & sic
ministrent, nullum crimen habentes.* His nimirum horrescens diu immorari, vnum veridice
possum dicere, quin hæc omnia in contrarios actus mutentur, ita vt clerici, quod non
absque dolore cordis fateor, impudici, bilingues, ebrij, turpis lucri cupidi, habentes
fidem, &, vt verius dicam, infidelitatem in conscientia impura, non probati in bono
sed in malo opere præsciti ministrantes, & innumera crimina habentes sacro ministerio asciscantur. Audistis etiam illo die (quo multo dignius multoque rectius erat,
vt ad carcerem vel catastam pœnalem quam ad sacerdotium traheremini) domino
sciscitanti, quem se esse putarent discipuli, Petrum respondisse: *Tu es Christus filius Dei* Matt.16.16.
viui, eique Dominum pro tali confessione dixisse: *Beatus es Simon Bariona, quia caro &
sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est.* Ergo Petrus a Deo patre doctus, recte
Christum confitetur. Vos autem moniti a patre vestro diabolo inique Saluatorem
malis actibus denegatis. Vero sacerdoti dicitur: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Vos quidem assimilamini *viro stulto, qui ædificauit domum suam super* Matt.7.26.
arenam. Notandum vero est, quod insipientibus in ædificanda domo arenarum pendulæ mobilitati dominus non cooperetur, secundum illud: *Fecerunt sibi reges, & non
per me.* Itidemque quod sequitur eadem sonat dicendo: *Et portæ inferni non præualebunt*, eiusque peccata intelliguntur. De vestra quid exitiabili structura pronunciatur? Mat.16.29.
Venerunt flumina & flauerunt venti, & impegerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina eius Matt.7.25.
magna. Petro eiusque successoribus dicit Dominus; *& tibi dabo claues regni cœlorum:* Vobis vero, *non noui vos; discedite a me operarij iniquitatis*, vt separati sinistræ partis cum hœdis, eatis in ignem æternum. Itemque omni sancto sacerdoti promittitur: *& quæcunque solueris super terram erunt soluta & in cœlis: & quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis.* Sed quomodo vos aliquid soluetis vt sit solutum & in cœlis, a cœlo ob
scelera adempti, & immanium peccatorum funibus compediti, vt Solomon quoque
ait: *Criniculis peccatorum suorum vnusquisque constringitur?* Quaque ratione aliquid in terra ligabitis quod supra mundum etiam ligetur præter vosmetipsos, qui ita ligati iniquitatibus in hoc mundo tenemini, vt in cœlis nequaquam ascendatis, sed in infausta Pro.5.22.
tartari ergastula non conuersi in hac vita ad Dominum decidatis? Nec sibi quisquam
sacerdotum de corporis mundi solum conscientia supplaudat, cum eorum queis
præest (si qui propter eius imperitiam vel desidiam seu adulationem perierint) in die
iudicij de eiusdem manibus veluti interfectoris, animæ exquirantur. Quia nec dulcior

mors, quæ infertur a bono quoque homine quam malo. Alioquin non dixiſſet Apo-
Act. 20. 26. ſtolus velut paternum legatum ſuis ſucceſſoribus derelinquens, *Mundus ego ſum ab omnium ſanguine. Non enim ſubterfugi quo minus annuntiarem vobis omne myſterium Dei.* Multumque nam vſu ac frequentia peccatorum inebriati, & inceſſanter irruentibus vobis ſcelerum cumulatorum acſi vndis quaſſati, vnam veluti poſt naufragium (in qua ad viuorum terram euadatis) pœnitentiæ tabulam toto animi niſu exquirite, vt auertatur furor Domini a vobis miſericorditer dicentis: *Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat.* Ipſe omnipotens Deus totius conſolationis & miſericordiæ pauciſſimos bonos paſtores conſeruet ab omni malo, & municipes faciat, ſubacto communi hoſte, ciuitatis Ieruſalem cœleſtis, hoc eſt, ſanctorum omnium congregationis, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, cui ſit honor, & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

FINIS.

ECCLE.

ECCLESIASTICAE HISTORIAE GENTIS ANGLORVM LIBRI QVINQVE,

BEDA ANGLOSAXONE AVCTORE.

PRAEFATIO.

GLORIOSISSIMO REGI CEOLVVLPHO BEDA FAMVLVS CHRISTI ET PRESBYTER.

HISTORIAM gentis Anglorum Ecclesiasticam, quam nuper ædideram, libentissime tibi desideranti, Rex, & prius ad legendum ac probandum transmisi, & nunc ad transcribendum ac plenius meditādum ex tempore retransmitto. Satisque studium tuæ sinceritatis amplector, quo non solum audiendis scripturæ sacræ verbis aurem sedulus accommodas, verumetiam noscendis priorum gestis siue dictis, & maxime nostræ gentis, virorum illustrium, curam vigilanter impendis. Siue enim historia de bonis bona referat, ad imitandum bonum auditor solicitus instigatur: seu mala commemoret de prauis, nihilominus religiosus ac pius auditor siue lector, vitando quod noxium est ac peruersum, ipse solertius ad exequenda ea quæ bona ac Deo digna esse cognouerit, accenditur. Quod ipsum tu quoque vigilantissime deprehendens, historiam memoratam in notitiam tibi, simul & eis quibus te regendis diuina præfecit auctoritas, ob generalis curam salutis latius propalari desideras. Vt autem in his, quæ scripsi, vel tibi magnanime Rex, vel ceteris auditoribus, siue lectoribus huius historiæ occasionem dubitandi subtraham, quibus hæc maxime auctoribus didicerim, breuiter intimare curabo. Auctor ante omnes atque adiutor opusculi huius Albinus abbas reuerendissimus vir per omnia doctissimus, extitit. Qui in Ecclesia Cantuariorum a beatæ momoriæ Theodoro archiepiscopo & Hadriano abbate viris venerabilibus atque eruditissimis institutus, diligenter omnia quæ in ipsa Cantuariorum prouincia, vel etiam in contiguis eiusdem regionibus a discipulis beati Papæ Gregorij gesta fuere, vel monumentis litterarum vel seniorum traditione cognouerat, & ea mihi de his quæ memoria digna videbantur per religiosum Lōdoniensis Ecclesię presbyterum Nothelmum, siue litteris mandata siue ipsius Nothelmi viua voce referenda, transmisit. Qui videlicet Nothelmus postea Romam veniens, nonnullas ibi beati Gregorij papæ simul & aliorum pontificum epistolas, perscrutato eiusdem sanctæ ecclesiæ Romanæ scrinio, permissu eius qui nunc ipsi ecclesiæ præest Gregorij Pontificis, inuenit. Reuersusque nobis nostræ historiæ inserendas cum consilio præfati Albini reuerendissimi patris attulit. A principio itaque voluminis huius vsque ad tempus quo gens Anglorum fidem Christi percepit, ex priorum maxime scriptis hincinde collectis ea quæ promeremus, didicimus. Exinde autem vsque ad tempora præsentia, quæ in ecclesia Cantuariorum per discipulos bati papæ Gregorij, siue successores eorum vel sub quibus Regibus gesta sint memorati abbatis Albini industria, Nothelmo, vt diximus, perferente cognouimus.

Qui etiam prouinciæ orientalium Saxonum simul & occidentalium, necnon orientalium Anglorum atque Nordan-Humbrorum, a quibus præsulibus vel quorum tempore Regum, gratiam Euangelij perceperint, nonnulla mihi ex parte prodiderũt. Denique hortatu præcipue ipsius Albini, vt hoc opus aggredi auderem, prouocatus sum. Sed & Daniel reuerendissimus occidentalium Saxonum episcopus, qui nunc superest, nonnulla mihi de historia ecclesiastica prouinciæ ipsius, simul & proxima illius Australium Saxonum, nec non & Vectæ insulæ litteris mandata declarauit. Qualiter vero per ministerium Ceddi & Ceadda religiosorum Christi sacerdotum, vel prouincia Merciorum ad fidem Christi, quam non nouerat, peruenerit, vel prouincia orientalium Saxonum fidem quam olim exufflauerat, recuperauerit, qualis etiam ipsorum patrum vita vel obitus extiterit, diligenter a fratribus monasterij, quod ab ipsis conditum Læstingen cognominatur, agnouimus. Porro in prouincia orientalium Anglorum quæ fuerint gesta ecclesiastica, partim ex scriptis, vel traditione priorum, partim reuerendissimi abbatis Esij relatione comperimus. At vero in prouincia Lindissig quæ sint gesta erga fidem Christi, quæve successio sacerdotalis extiterit, vel litteris reuerendissimi antistitis Cyneberti vel aliorum fidelium virorum viua voce didicimus. Ad hæc quæ in Nordan Humbrorum prouincia, ex quo tempore fidem Christi perceperunt vsque ad præsens, per diuersas regiones in ecclesia sint acta, non vno quolibet auctore, sed fideli innumerorum testium, qui hæc scire vel meminisse poterant, assertione cognoui, exceptis his, quæ per meipsum nosse poteram. Inter quæ notandum, quod ea quæ de sanctissimo patre & antistite Cudberto vel in hoc volumine, vel in libello gestorum ipsius conscripsi, partim ex eis quæ de illo prius a fratribus ecclesiæ Lindisfarnensis scripta repperi, assumpsi, simpliciter fidem historiæ quam legebam accommodans; partim vero ea quæ certissima fidelium virorum attestatione per meipsum cognoscere potui, solerter adiicere curaui. Lectoremque suppliciter obsecro, vt si qua in his quæ scripsimus, aliter quam se veritas habet posita repperit, non hoc nobis imputet, qui (quæ vera lex historiæ est) simpliciter ea quæ fama vulgante collegimus ad instructionem posteritatis litteris mandare studuimus. Præterea omnes ad quos hæc eadem Historia peruenire potuerit nostræ nationis legentes siue audientes, suppliciter precor vt pro meis infirmitatibus & mentis & corporis apud supernam clementiam sæpius interuenire meminerint, & in suis quique prouinciis hanc mihi suæ remunerationis vicem rependant: vt qui de singulis prouinciis, siue locis sublimioribus quæ memoratu digna, ac quæ incolis grata credideram, diligenter adnotare curaui, apud omnes fructum piæ intercessionis inueniam.

ECCLESIASTICAE HISTORIAE GENTIS ANGLORVM

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

BRITANNIA Oceani insula, cui quondam Albion nomen fuit, inter Septentrionem & Occidentem locata est, Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, maximis Europæ partibus multo interuallo aduersa. Quæ per milia passuum octingenta in Boream longa, latitudinis habet milia ducenta; exceptis duntaxat prolixioribus diuersorum promontoriorum tractibus, quibus efficitur, vt circuitus eius quadragies octies septuaginta quinque milia compleat. Habet a meridie Galliam belgicã, cuius proximum litus transmeantibus apparet ciuitas, quæ dicitur Rutubi portus, qui portus a gente Anglorum nunc corrupte Reptacestir vocata, interposito mari a Gessoriaco Morinorum gentis litore proximo traiectu, milium quinquaginta, siue, vt quidam scripsere, stadiorum quadringentorum quinquaginta. A tergo autem, vnde Oceano infinito patet, Orcadas insulas habet. Opima frugibus atque arboribus insula, & alendis apta pecoribus ac iumentis. Vineas etiam quibusdam in locis germinans: sed & auium ferax terra marique generis diuersi; fluuiis quoque multum piscosis, ac fontibus præclara copiosis. Et quidem præcipue issicio abundat, & anguilla. Capiuntur autem sæpissime & vituli marini, & delfines, nec non & balenæ: exceptis variorum generibus conchiliorum: in quibus sunt & musculæ, quibus inclusam sæpe margaritam, omnis quidem coloris optimam inueniunt, id est, & rubicundi & purpurei & hyacinthini & prasini, sed maxime candidi. Sunt & cochleæ satis superque abundantes, quibus tinctura coccinei coloris conficitur: cuius rubor pulcherrimus nullo vnquam solis ardore, nulla valet pluuiarum iniuria pallescere: sed quo vetustior, eo solet esse venustior. Habet fontes salinarum, habet & fontes calidos, & ex eis fluuios balnearum calidarum, omni ætati & sexui per distincta loca iuxta suum cuique modum accommodos. Aqua enim, vt sanctus Basilius dicit, feruidam qualitatem recipit, cum per certa quædam metalla transcurrit, & fit non solum calida, sed & ardẽs. Quæ etiam venis metallorum æris, ferri, plumbi, & argenti fœcunda, gignit & lapidem gagatem plurimum optimumque. est autem nigrogemmeus, & ardens igni admotus, incensus serpentes fugat. Attritu calefactus adplicita detinet æque vt succinum. Erat & ciuitatibus quondam viginti & octo nobilissimis insignita, præter castella innumera, quæ & ipsa muris, turribus, portis ac seris erant instructa firmissimis. Et quia prope sub ipso septentrionali vertice mundi iacet, lucidas æstate noctes habet, ita vt medio sępe tempore noctis in quæstionem veniat intuentibus, vtrum crepusculum adhuc permaneat vespertinum, an iam aduenerit matutinum: vtpote nocturno sole non longe sub terris ad orientẽ Boreales per plagas redeunte. Vnde etiam plurimæ longitudinis habet dies æstate, sicut & noctes contra in bruma, sole nimirum tunc Libycas in partes secedente, id est, horarum decem & octo: plurimæ item breuitatis noctes æstate, & dies habet in bruma, hoc est, sex solummodo æquinoctialiũ horarum. Cum in Armenia, Macedonia, Italia, ceterisque eiusdem lineæ regionibus lõgissima dies siue nox quindecim, breuissima nouem compleat horas. Hæc in præsenti iuxta numerum librorum, quibus lex diuina scripta est, quinque gentium linguis vnam eandemque summæ veritatis & veræ sublimitatis scientiam scrutatur & confitetur, Anglorum videlicet, Britonum,

Scotorum, Pictorum, & Latinorum, quæ meditatione scripturarum ceteris omnibus est facta communis. In primis hæc insula Britones solum, a quibus nomen accepit, incolas habuit, qui de tractu Armoricano, vt fertur, Britanniam aduecti, australes sibi partes illius vindicarunt. Et cum plurimam insulæ partem, incipientes ab Austro, possedissent, contigit gentem Pictorum de Scythia, vt perhibent, lõgis nauibus non multis Oceanum ingressam, circumagente flatu ventorum extra fines omnes Britanniæ Hiberniam peruenisse, eiusque Septentrionales oras intrasse; atque inuenta ibi gente Scotorum, sibi quoque in partibus illius sedes petisse, nec impetrare potuisse. Est autem Hibernia insula omniũ post Britanniam maxima, ad Occidentem quidẽ Britanniæ sita: sed sicut contra Aquilonẽ ea breuior, ita in meridiem se trans illius fines plurimum protendens, vsque contra Hispaniæ Septentrionalia, quãuis magno æquore interiacente, peruenit. Ad hanc ergo vsque peruenientes nauigio Picti, vt diximus, petierunt in ea sibi quoque sedes & habitationẽ donari. Respondebant Scoti, quod non ambos eos caperet insula: sed possumus, inquiunt, salubre vobis dare cõsilium, quid agere valeatis. Nouimus insulam aliam esse non procul a nostra cõtra ortũ solis, quam sæpe lucidioribus diebus de longe aspicere solemus. Hanc adire si vultis, habitabilem vobis facere valetis: vel si qui restiterint, nobis auxiliariis vtimini. Itaq; petentes Britãniam Picti, habitare per Septentrionales insulæ partes cœperũt. Nam Austrina Britones occupauerant. Cumque vxores Picti non habentes peterent a Scotis, ea solum conditione dare consenserunt, vt vbi res veniret in dubium, magis de fœminea regum prosapia, quam de masculina regem sibi eligerent: quod vsque hodie apud Pictos cõstat esse seruatum. Procedente autem tẽpore Britãnia post Britones & Pictos tertiam Scotorum nationem in Pictorum parte recepit. Qui duce Reuda de Hibernia progressi, vel amicitia vel ferro sibimet inter eos sedes, quas hactenus habent, vindicarunt. A quo videlicet duce vsque hodie Dalreudini vocantur: nam lingua eorum daal partem significat. Hibernia autem & latitudine sui status & salubritate ac serenitate aërum multum Britanniæ præstat, ita vt raro ibi nix plus quam triduana remaneat: nemo propter hiemem aut fœna secet æstate, aut stabula fabricet iumentis. Nullum ibi reptile videri soleat, nullus viuere serpens valeat. Nam sæpe illo de Britannia allati serpentes, mox vt proximante terris nauigio, odore aëris illius adtacti fuerint, intereũt: quin potius omnia pæne quæ de eadem insula sunt, contra venenum valent. Denique vidimus, quibusdam a serpente percussis, rasa folia codicum, qui de Hibernia fuerant, & ipsam rasuram aquæ inmissam, ac potui datam, talibus protinus totam vim veneni grassantis, totum inflati corporis absumsisse ac sedasse tumorem. Diues lactis ac mellis insula, nec vinearum expers, piscium volucrumque: sed & ceruorum caprearumq; venatu insignis. Hęc autem proprie patria Scotorum est. Ab hac egressi, vt diximus, tertiã in Britannia Britonibus, & Pictis gentem addiderunt. Est autem sinus maris permaximus, qui antiquitus gentem Britonum a Pictis secernebat. Qui ab Occidente in terras longo spatio erumpit, vbi est ciuitas Britonum munitissima vsque hodie, quæ vocatur Alcluith. ad cuius videlicet sinus partem septentrionalem Scoti, quos diximus, aduenientes sibi locum patriæ fecerunt.

CAPVT II.

VERVM eadem Britannia Romanis vsque ad Caium Iulium Cæsarem inaccessa atque incognita fuit. Qui anno ab vrbe condita quingentesimo nonagesimo tertio, ante vero incarnationis dominicæ tempus, anno sexagesimo, functus gradu consulatus cum Lucio Bibulo, dum contra Germanorum Gallorumque gentes, qui Reno tantum flumine dirimebantur, bellum gereret, venit ad Morinos, vnde in Britanniam proximus & breuissimus transitus est. Et nauibus circiter onerariis atque actuariis octoginta præparatis in Britanniam transuehitur: vbi acerba primum pugna fatigatus, deinde aduersa tempestate correptus, plurimam classis partem & non paruum numerum militum, equitum vero pæne omnem disperdidit. Regressus in Galliam, legiones in hiberna dimisit, ac sexcẽtas naues vtriusque commodi fieri imperauit. Quibus iterum in Britãniam transuectus, dum ipse in hostem cum ingenti exercitu pergit, naues in anchoris stantes, tempestate correptæ vel collisæ inter se, vel arenis illisæ ac

dissolutæ sunt. Ex quibus quadraginta perierunt, ceteræ cum magna difficultate reparatæ sunt. Cæsaris equitatus primo congressu a Britannis victus, ibique Labienus tribunus occisus est. Secundo prælio cum magno suorum discrimine victos Britannos in fugam vertit. Inde ad flumen Tamesim profectus est, quem vno tantum loco vadis transmeabilem ferunt. In huius vlteriore ripa, Cassibellauno duce, immensa hostium multitudo consederat, ripamq; fluminis ac pæne totum sub aqua vadum acutissimis sudibus præstruxerat: quarum vestigia sudium ibidem vsque hodie visuntur, & videtur inspectantibus, quod singulæ earum ad modum humani femoris grossæ & circumfusæ plumbo immobiliter hæreāt, in profundum fluminis infixæ. Quod vbi a Romanis deprehensum ac vitatum est, Barbari legionum impetum non ferentes, siluis sese abdidere, vnde crebris eruptionibus Romanos grauiter ac sæpe lacerabant. Interea Trinouantum firmissima ciuitas, cum Androgoio duce, datis quadraginta obsidibus Cæsari sese dedidit. Quod exemplum secutæ vrbes aliæ complures, in fœdus Romanorum venerunt. iisdem demonstrantibus, Cæsar opidum Cassibellauni inter duas paludes situm, obtentu insuper siluarum munitum, omnibusque rebus confertissimum, tādem graui pugna cepit. Exin Cæsar a Britannia reuersus in Galliam, postquā legiones in hiberna misit, repentinis bellorum tumultibus vndiq; circumuentus & conflictatus est.

CAPVT III.

ANNO autem ab vrbe condita septingētesimo nonagesimo octauo, Claudius Imperator ab Augusto quartus, cupiēs se vtilem Reipublicæ ostentare principem, bellum vbique & victoriam vndecūque quæsiuit. Itaque expeditionem in Britanniam mouit; quæ excitata in tumultum propter non redhibitos transfugas videbatur. Transuectus in insulam est, quam neque ante Iulium Cæsarem, neque post eum quisquam adire ausus fuerat, ibique sine vllo prælio ac sanguine intra paucissimos dies plurimam insulæ partem in deditionem recepit. Orcadas etiam insulas vltra Britanniam in Oceano positas, Romano adiecit imperio, ac sexto quam profectus erat mense Romam rediit, filioque suo Britannici nomen imposuit. Hoc autem bellum quarto imperij sui anno compleuit, qui est annus ab incarnatione domini quadragesimus sextus. Quo etiam anno fames grauissima per Syriam facta est, quæ in actibus Apostolorum per Prophetam Agabum prædicta esse memoratur. Ab eodem Claudio Vespasianus, qui post Neronem imperauit, in Britanniam missus, etiam Vectam insulam Britanniæ proximam a meridie Romanorum ditioni subiugauit. Quæ habet ab Oriēte in Occasum triginta circiter milia passuum, ab Austro in Boream duodecim, in orientalibus suis partibus mari sex milium, in occidentalibus trium a meridiano Britanniæ litore distans. Succedens autem Claudio in imperium Nero, nihil omnino in re militari ausus est. Vnde inter alia Romani regni detrimēta innumera, Britanniam pæne amisit. Nam duo sub eo nobilissima opida illic capta atque subuersa sunt.

CAPVT IIII.

ANNO ab incarnatione domini centesimo quinquagesimo sexto, Marcus Antoninus Verus, quartusdecimus ab Augusto regnum cum Aurelio Commodo fratre suscepit. Quorum temporibus cum Eleutherius vir sanctus pontificatui Romanæ Ecclesiæ præesset, misit ad eum Lucius Britannorum rex epistolam, obsecrans vt per eius mandatum Christianus efficeretur. Et mox effectum piæ postulationis consecutus est, susceptamque fidem Britanni vsque in tempora Diocletiani Principis inuiolatam integramque quieta in pace seruabant.

CAPVT V.

ANNO ab incarnatione domini centesimo octogesimo nono, Seuerus genere Afer Tripolitanus ab opido Lepti, septimusdecimus ab Augusto imperiū adeptus, decem & septem annis tenuit. Hic natura sæuus, multis semper bellis lacessitus, fortissime quidem Rempublicam, sed laboriosissime rexit. Victor ergo ciuilium bellorum

quæ ei grauissima occurrerant, in Britannias defectu pæne omnium sociorum trahitur, vbi magnis grauibusq; prælijs sæpe gestis, receptã partẽ insulæ, a ceteris indomitis gentibus non muro, vt quidam æstimant, sed vallo distinguendã putauit. Murus etenim de lapidibus, Vallum vero, quo ad repellendã vim hostium castra muniuntur, fit de cespitibus, quibus circũcisis e terra, velut murus extruitur altus super terrã, ita vt in ante sit fossa, de qua leuati sunt cespites, supra quã sudes de lignis fortissimis præfiguntur. Itaque Seuerus magnam fossam firmissimumq; vallum, crebris insuper turribus communitum, a mari ad mare duxit. Ibique apud Eboracum opidum morbo obiit. reliquit duos filios, Bassianum & Getam; quorum Geta hostis publicus iudicatus interiit, Bassianus vero, Antonini cognomine assumpto, regno potitus est.

CAPVT VI.

Anno incarnationis Dominicæ ducentesimo octagesimo sexto, Diocletianus tricesimus tertius ab Augusto Imperator ab exercitu electus, annos viginti fuit, Maximianumque cognomento Herculium socium creauit Imperij. Quorũ tempore Carausius quidam genere quidem infimus, sed consilio & manu promptus, cum ad obseruanda Oceani litora, quæ tunc Franci & Saxones infestabãt, positus, plus in perniciem quam in prouectum reipublicæ ageret, ereptam prædonibus prædam, nulla ex parte restituendo dominis, sed sibi soli vindicando, accedens suspicionem, quia ipsos quoque hostes ad incursandos fines artificij negligentia permitteret. Quamobrem a Maximiano iussus occidi, purpuram sumpsit, ac Britannias occupauit: quibus sibi per septẽ annos fortissime vindicatis ac retentis, tandem fraude Allecti socij sui interfectus est. Allectus vero postea ereptam Carausio insulam per triennium tenuit, quem Asclepiodotus præfectus prætorio oppressit, Britanniamque post decem annos recepit. Interea Diocletianus in Oriente, Maximianus Herculius in Occidẽte vastari Ecclesias, affligi, interficique Christianos decimo post Neronem loco præceperũt: quæ persecutio omnibus fere ante actis diuturnior atque immanior fuit. Nam per decem annos incendiis Ecclesiarum, proscriptionibus innocentum, cædibus martyrum incessabiliter acta est. Denique etiam Britanniam cum plurima confessionis Deo deuotę gloria sublimauit.

CAPVT VII.

Siquidem in ea passus est sanctus Albanus, de quo presbyter Fortunatus in laude virginum, cum beatorum martyrum, qui de toto orbe ad Dominum venirẽt, mentionem faceret, ait: *Albanum egregium fœcunda Britannia profert.* Qui videlicet Albanus paganus adhuc, cum perfidorum Principum mandata aduersum Christianos sæuirẽt, clericum quendam persecutores fugientem hospitio recepit. Quem dum orationibus continuis ac vigiliis diu noctuque studere conspiceret, subito diuina gratia respectus, exemplum fidei ac pietatis illius cœpit æmulari, ac salutaribus eius exhortationibus paulatim edoctus, relictis idololatriæ tenebris, Christianus integro ex corde factus est. Cumque præfatus clericus aliquot diebus apud eum hospitaretur, peruenit ad aures nefandi Principis, confessorẽ Christi, cui necdum fuerat locus martyrij deputatus, penes Albanum latere. Vnde statim iussit milites eum diligentius inquirere. Qui cum ad tuguriũ martyris peruenissent, mox se sanctus Albanus pro hospite ac magistro suo ipsius habitu, id est caracalla qua vestiebatur, indutus, militibus exhibuit, atq; ad iudicem vinctus perductus est. Contigit autẽ iudicẽ ea hora, qua ad eũ Albanus adducebatur, aris assistere, ac dæmonibus hostias offerre. Cumq; vidisset Albanũ, mox ira succensus nimia quod se ille vltro, pro hospite quẽ susceperat, militibus offerre ac discrimini dare præsumpsisset, ad simulacra dęmonũ, quibus assistebat, eũ iussit pertrahi. Quia rebellẽ, inquiẽs, ac sacrilegũ celare, quã militibus reddere maluisti, vt contẽptor diuûm meritam blasphemiæ suæ pœnã lueret, quæcunque illi debebantur supplicia, tu soluere habes, si a cultu nostræ religionis discedere tentas. At sanctus Albanus, qui se vltro persecutoribus fidei Christianum esse prodiderat, nequaquã minas Principis metuit, sed accinctus armis militię spiritualis, palã se iussis illius parere nolle pronũtiabat. Tum iudex: Cuius, inquit, familię vel generis es? Albanus respõdit: Quid ad te pertinet, qua sim

stirpe genitus: sed si veritatem religionis audire desideras, Christianum iam me esse, Christianisque officiis vacare cognosce. Ait iudex: Nomẽ tuum quæro, quod sine mora mihi insinua. Et ille: Albanus, inquit, a parentibus vocor, & Deum verum ac viuum, qui vniuersa creauit, adoro semper & colo. Tum iudex repletus iracundia dixit: Si vis perennis vitæ felicitate perfrui, diis magnis sacrificare ne differas. Albanus respondit: Sacrificia hæc quæ a vobis redduntur dæmonibus, nec auxiliari subiectis possunt, nec supplicantium sibi desideria vel vota complere: quin immo quicunque his sacrificia simulacris obtulerit, æternas inferni pœnas pro mercede recipiet. His auditis iudex nimio furore commotus, cædi sanctum Dei confessorem a tortoribus præcepit: autumãs se verberibus, quam verbis non poterat, cordis eius emoliri constantiam. Qui cum tormentis afficeretur acerrimis, patienter hæc pro Domino, immo gaudenter ferebat. At vbi iudex illum tormentis superari, vel a cultu Christianæ Religionis reuocari nõ posse persensit, capite eum plecti iussit. Cumque ad mortem duceretur, peruenit ad flumen, quod muro & arena, vbi feriendus erat, meatu rapidissimo diuidebatur. Viditque ibi non paruam hominum multitudinem vtriusque sexus, conditionis diuersæ & ætatis, quæ sine dubio diuinitatis instinctu ad obsequium beatissimi cõfessoris ac martyris vocabatur, & ita fluminis ipsius occupabat pontem, vt intra vesperam transire vix posset. Denique cunctis pæne egressis, iudex sine obsequio in ciuitate substiterat. Igitur sanctus Albanus, cui ardens inerat deuotio mentis ad martyrium ocius peruenire, accessit ad torrentem, & dirigens ad cœlum oculos, illico siccato alueo, vidit vndam suis cessisse ac viam dedisse vestigiis. Quod cum inter alios etiã ipse carnifex, qui eum percussurus erat, vidisset, festinauit ei, vbi ad locum destinatum morti venerat, occurrere: diuino nimirum admonitus instinctu, proiectoque ense, quem strictum tenuerat, pedibus eius aduoluitur, multum desiderans, vt cum martyre, vel pro martyre, quem percutere iubebatur, ipse potius mereretur percuti. Dum ergo is ex persecutore factus esset collega veritatis & fidei, ac iacente ferro esset inter carnifices iusta cunctatio, montem cum turbis reuerendissimus Dei confessor ascendit. Qui oportune lætus gratia decentissima quingentis fere passibus ab arena situs est, variis herbarum floribus depictus, immo vsquequaque vestitus, in quo nihil repente arduum, nihil præceps, nihil abruptum, quem lateribus longe lateque deductum in modum æquoris natura complanat. Dignum videlicet eum pro insita sibi specie venustatis iam olim reddens, qui beati martyris cruore dicaretur. In huius ergo vertice sanctus Albanus dari sibi a Deo aquam rogauit, statimque incluso meatu ante pedes eius fons perennis exortus est, vt omnes agnoscerent, etiam torrentem martyri obsequium detulisse. Neque enim fieri poterat, vt in arduo montis cacumine martyr aquam, quam in fluuio non reliquerat, peteret, si hoc oportunum esse non videret. Qui videlicet fluuius ministerio persoluto, deuotione completa, officij testimonium relinquens, reuersus est ad naturam. Decollatus itaque martyr fortissimus, ibidem accepit coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Sed ille qui piis ceruicibus impias intulit manus, gaudere super mortuum non est permissus. Nam oculi eius in terram vna cum beati martyris capite ceciderũt. Decollatus est ibi etiam cum eo miles ille, qui antea superno nutu correptus, sanctum Dei confessorem ferire recusauit. De quo nimirum constat, quia & si fonte baptismatis non est ablutus: sui tamen est sanguinis lauacro mundatus, ac regni cœlestis dignus factus ingressu. Tunc iudex tãta miraculorum cœlestium nouitate perculsus, cessari mox a persecutione præcepit, honorem referre incipiens cædi sanctorũ, per quam eos opinabatur prius a Christianæ fidei posse deuotione cessare. Passus est autem beatus Albanus die decimo Kalendarum Iuliarum, iuxta ciuitatem Verolamiũ, quæ nunc a gente Anglorum Verlamacestir siue Varlingacestir appellatur: vbi postea redeunte temporum Christianorum serenitate, ecclesia est mirandi operis, atque eius martyrio condigna extructa. In quo videlicet loco vsque ad hanc diem curatio infirmorum, & frequentium operatio virtutum celebrari non desinit. Passi sunt ea tempestate Aaron & Iulius Legionum vrbis ciues, aliique vtriusq; sexus diuersis in locis perplures. Qui diuersis cruciatibus torti, et inaudita membrorum discerptione lacerati, animas ad supernæ ciuitatis gaudia perfecto agone miserunt.

CAPVT VIII.

At vbi turbo persecutionis quieuit, progressi in publicum fideles Christi, qui se tempore discriminis siluis ac desertis, abditisve speluncis occultauerant, renouant Ecclesias ad solum vsque destructas, basilicas sanctorum Martyrum fundant, construunt, perficiunt, ac veluti victricia signa passim propalant, dies festos celebrant, sacra mundo corde atque ore conficiunt. Mansitque hæc in ecclesiis Christi, quæ erant in Britannia, pax, vsque ad tempora Arrianæ vesaniæ, quæ, corrupto orbe toto, hanc etiam insulam, extra orbem tam longe remotam, veneno sui infecit erroris. Et hac quasi via pestilentiæ trans oceanum patefacta, non mora, omnis se lues hæreseos cuiusque, insulæ noui semper aliquid audire gaudenti, & nihil certi firmiter obtinenti infudit. His temporibus Constantius, qui viuente Diocletiano Galliam Hispaniamque regebat, vir summæ mansuetudinis & ciuilitatis, in Britannia mortem obiit. Hic Constantinum filium ex concubina Helena creatum imperatorem Galliarum reliquit. Scribit autem Eutropius, quod Constantinus in Britannia creatus imperator patri in regnum successerit. Cuius temporibus Arriana hæresis exorta, & in Nicæna synodo detecta atque damnata, nihilominus exitiabile perfidiæ suæ virus, vt diximus, non solum orbis totius, sed & insularum ecclesiis aspersit.

CAPVT IX.

Anno ab incarnatione Domini trecentesimo septuagesimo septimo, Gratianus, quadragesimus ab Augusto, post mortem Valentis sex annos imperium tenuit: quamuis iam dudum antea cum patruo Valente, & cum Valentiniano fratre regnaret. Qui cum adflictum & pæne collapsum Reipublicę statum videret, Theodosium Hispanum virum restituendæ Reipublicæ necessitate apud Sirmium purpuram induit, Orientisque & Thraciæ simul præfecit imperio. Qua tēpestate Maximus, vir quidem strenuus & probus, atque Augusto dignus: nisi contra sacramenti fidem per tyrannidem emersisset in Britannia: Inuitus propemodum ab exercitu creatus Imperator, in Galliam transiit, vbi Gratianum Augustum subita incursione perterritum, atque in Italiam transire meditantem, dolis circumuentum interfecit, fratremque eius Valentinianum Augustum Italia expulit. Valentinianus in Orientem refugiens, a Theodosio paterna pietate susceptus, mox etiam imperio restitutus est: clauso videlicet intra muros Aquilegiæ, & capto atque occiso ab eis Maximo tyranno.

CAPVT X.

Anno ab incarnatione Domini trecentesimo nonagesimo quarto, Arcadius filius Theodosij cum fratre Honorio quadragesimus tertius ab Augusto regnum suscipiens, tenuit annos tredecim. Cuius temporibus Pelagius Brito contra auxilium gratiæ supernæ venena suæ perfidiæ longe lateque dispersit, vtens cooperatore Iuliano de Campania, quem dudum amissi episcopatus intemperans cupido exagitabat. Quibus sanctus Augustinus, sicut & ceteri patres orthodoxi, multis sententiarum catholicarum milibus responderunt, nec eorum tamen dementiam corrigere valebant: sed quod grauius est, correpta eorum vesania, magis augescere contradicendo, quam fauendo veritati, voluit emendari. Quod pulcre versibus heroicis Prosper rhetor insinuat, cum ait:

Contra Augustinum narratur serpere quidam
Scriptor, quem dudum liuor adurit edax.
Quis caput obscuris contectum vtcunque cauernis
Tollere humo miserum propulit anguiculum?
Aut hunc fruge sua æquorei pauere Britanni;
Aut huic Campano gramine corda tument.

CAPVT XI.

Anno ab incarnatione Domini quadringentesimo septimo, tenente imperium Honorio Augusto filio Theodosij iunioris, loco ab Augusto quadragesimo quarto, ante

ante biennium Romanæ irruptionis, quæ per Alaricum regem Gotthorum facta est, cum gentes Alanorum, Sueuorum, Vandalorum, multæque cum his aliæ, protritis Francis, transito Reno, totas per Gallias sæuirent, apud Britannias Gratianus municeps tyrannus creatur, & occiditur. Huius loco Cōstantinus ex infima militia, propter solam spem nominis, sine merito virtutis, eligitur: qui continuo, vt inuasit imperium, in Gallias transiit, vbi sæpe a Barbaris incertis fœderibus illusus, detrimento magis reipublicæ fuit. Vnde mox iubente Honorio Constantius comes in Galliam cum exercitu profectus, Constantinum imperatorem apud Arelatem ciuitatem clausit, cepit, occidit. Constantemque filium eius, quem ex monacho Cæsarem fecerat, Gerontius comes suus apud Viennam interfecit. Fracta est autē Roma a Gotthis anno millesimo centesimo sexagesimo quarto suæ conditionis: ex quo tempore Romani in Britannia regnare cessarunt, post annos ferme quadringentos septuaginta, ex quo Caius Iulius Cęsar eandem insulam adiit. Habitabant autem intra vallum, quod Seuerum trans insulam fecisse commemorauimus, ad plagam meridianam, quod ciuitates, fana, pontes, & stratæ ibidem factæ vsque hodie testantur. ceterum vlteriores Britanniæ partes, vel eas etiam quæ vltra Britanniam sunt insulas iure dominandi possidebant.

CAPVT XII.

Exin Britannia omni armato milite, militaribus copiis vniuersis, tota floridæ iuuentutis alacritate spoliata, quæ tyrannorum temeritate abducta, nusquam vltra domum rediit, prædæ tantum patuit, vtpote omnis bellici vsus prorsus ignara. Denique subito duabus gentibus transmarinis vehementer sæuis, Scotorum a Circio, Pictorum ab Aquilone multos stupet gemitque per annos. Transmarinas autem dicimus has gentes, non quod extra Britanniam essent positæ, sed quia a parte Britonum erant remotæ, duobus sinibus maris interiacentibus: quorum vnus ab orientali mari, alter ab occidentali, Britanniæ terras longe lateque irrumpit, quamuis ad se inuicem pertingere non possint. Orientalis habet in medio sui vrbem Guidi. Occidentalis supra se, hoc est, ad dexteram sui, habet vrbem Alcluith, quod lingua eorum significat Petram Cluith: est enim iuxta fluuium nominis illius. Ob harum ergo infestationem gentium, Britones legatos Romam cum epistolis mittentes, lacrymosis precibus auxilia flagitabant, subiectionemque continuam: dummodo hostis imminens, longius arceretur, promittebant. Quibus mox legio destinatur armata, quæ vbi in insulam aduecta, & congressa est cum hostibus, magnam eorum multitudinem sternens, ceteros sociorū finibus expulit, eosque interim a dirissima depressione liberatos, hortata est instruere inter duo maria trans insulam murum, qui arcendis hostibus posset esse presidio: sicque domum cum triumpho magno reuersa est. At insulani murum, quem iussi fuerāt non tam lapidibus quam cespitibus construentes, vt pote nullum tāti operis artificem habentes, ad nihil vtilem statuunt. Fecerunt autem eum inter duo freta, vel sinus (de quibus diximus) maris per milia passuum plurima: vt vbi aquarū munitio deerat, ibi præsidio valli fines suos ab hostiū eruptione defenderet. Cuius operis ibidē facti, id est, valli latissimi & altissimi vsq; hodie certissima vestigia cernere licet. Incipit autem duorum ferme milium spacio a monasterio Aebercurnig ad Occidentem, in loco qui sermone Pictorum Peanuahel, lingua autem Anglorum Penueltum appellatur, & tendens contra Occidentem terminatur iuxta vrbem Alcluit. Verum priores inimici vt Romanum militem abiisse conspexerunt, mox aducti nauibus irrumpunt terminos, cæduntque omnia, & quasi maturam segetem obuia quæque metunt, calcant, transeunt. Vnde rursum mittuntur Romam legati, flebili voce auxilium implorantes, ne penitus misera patria deleretur, ne nomē Romanæ prouinciæ, quod apud eos tam diu claruerat, exterarum gentium improbitate obrutum vilesceret. Rursum mittitur legio, quæ inopinata tempore autumni adueniens magnas hostiū strages dedit, eosque qui euadere poterant, omnes trans maria fugauit, qui prius anniuersarias prædas trans maria, nullo obsistente, cogere solebant. Tum Romani denunciauere Britonibus non se vltra ob eorum defensionem tam laboriosis expeditionibus posse fatigari, ipsos potius monent arma corripere, & certandi cum hostibus studium subire, qui non aliam

ob causam, quam si ipsi inertia soluerentur, eis possent esse fortiores: quin etiam quod & hoc sociis, quos derelinquere cogebantur, aliquid commodi allaturum putabant, murum a mari ad mare recto tramite inter vrbes, quę ibidem ob metum hostium factę fuerant, vbi & Seuerus quondam vallum fecerat, firmo de lapide locarunt. Quem videlicet murum hactenus famosum atque conspicuum, sumptu publico priuatoq; adiuncta secum Britannorum manu cōstruebant, octo pedes latum, & duodecim altum, recta ab Oriente in Occasum linea, vt vsque hodie intuentibus clarum est. Quo mox condito, dant fortia segni populo monita, præbent instruendorum exemplaria armorum. Sed & in littore Oceani ad meridiem, quo naues eorum habebantur, quia & inde Barbarorum irruptio timebatur, turres per interualla ad prospectum maris collocant, & valedicunt sociis tanquam vltra non reuersuri. Quibus ad sua remeantibus, cognita Scoti Pictique reditus denegatione, redeunt confestim ipsi, & solito confidentiores facti, omnem Aquilonarem extremamq; insulæ partem pro indigenis ad murum vsque capessunt. Statuitur ad hæc in ædito arcis acies segnis, vbi trementi corde stupida diu noctuque marcebat. At contra non cessant vncinata hostium tela. Ignaui propugnatores miserrime de muris tracti solo allidebantur. Quid plura? relictis ciuitatibus ac muro, fugiunt, disperguntur. Insequitur hostis, accelerantur strages, cunctis crudeliores prioribus. Sicut enim agni a feris, ita miseri ciues discerpuntur ab hostibus. Vnde a mansionibus ac possessiunculis suis eiecti, imminens sibi famis periculum, latrocinio, ac rapacitate mutua temperabant, augentes externas domesticis motibus clades, donec omnis regio totius cibi sustentaculo, excepto venandi solatio, vacuaretur.

CAPVT XIII.

Anno dominicæ incarnationis quadringentesimo vigesimo tertio, Theodosius iunior post Honorium, quadragesimus quintus ab Augusto, regnum suscipiens, viginti & sex annis tenuit, cuius anno imperij octauo Palladius ad Scotos in Christum credentes a Pontifice Romanæ ecclesiæ Cælestino primus mittitur Episcopus. Anno autem regni eius vigesimo tertio Actius vir illustris, qui & patricius fuit, tertium cum Symmacho gessit consulatum. Ad hunc pauperculæ Britonum reliquiæ mittunt epistolam, cuius hoc principium est: Actio ter consuli gemitus Britonum. Et in processu epistolę ita suas calamitates explicant: Repellūt Barbari ad mare, repellit mare ad Barbaros; inter hæc oriuntur duo genera funerum; aut iugulamur, aut mergimur. Neq; hæc tamen agentes quicquam ab illo auxilij impetrare quiuerunt, vtpote qui grauissimis eo tempore bellis cum Bledla & Attila regibus Hūnorum erat occupatus. Et quamuis anno ante hūc proximo Bledla Attilæ fratris sui sit interemptus insidiis, Attila tamen adeo intolerabilis reipublicæ remansit hostis, vt totam pæne Europam excisis inuasisque ciuitatibus atq; castellis corroderet. Quin & iisdem temporibus fames Constantinopolim inuasit: nec mora, pestis secuta est: sed & plurimi eiusdem vrbis muri cū quinquaginta septem turribus corruerunt, multis quoque ciuitatibus collapsis, fames & aerum pestifer odor plura hominum milia iumentorumque deleuit.

CAPVT XIIII.

Interea Britones fames illa præfata magis magisque afficiens, ac famam suæ malitiæ posteris diuturnam relinquens, multos eorum coegit victas infestis prædonibus dare manus: alios vero nunquam, quin potius confidentes in diuinum, vbi humanum cessabat auxilium, de ipsis montibus, speluncis ac saltibus continue rebellabant, & tum primum inimicis, qui per multos annos prædas in terra agebant, strages dare cœperunt. Reuertuntur ergo impudentes grassatores Hiberni domus, post non longum tempus reuersuri. Picti in extrema parte insulæ tunc primum & deinceps quieuerunt, prædas tamen nonnunquam exinde & contritiones de Britonum gente agere non cessarunt. Cessante autem vastatione hostili, tantis frugum copiis insula quantis nulla retro ætas meminit, affluere cœpit: cum quibus & luxuria crescere, & hanc continuo omnium lues scelerum comitari accelerauit. Crudelitas præcipue, & odium veritatis amorque mendacij: ita vt si quis eorum mitior, & veritati aliquatenus propior

videretur,

videretur, in hunc quasi Britanniæ subuersorem, omnium odia telaque sine respectu contorquerentur. Et non solum hæc seculares viri, sed etiam ipse grex domini, eiusque pastores egerunt, ebrietati, animositati, litigio, contentioni, inuidiæ, ceterisque huiusmodi facinoribus sua colla, abiecto leui iugo Christi subdentes. Interea subito corruptæ mentis homines acerba pestis corripuit, quæ in breui tantam eius multitudinem strauit, vt ne sepeliendis quidem mortuis viui sufficerent. Sed ne morte quidem suorum, nec timore mortis, hi qui supererãt, a morte animę, qua peccando sternebantur, reuocari poterant. Vnde non multo post acrior gentem peccatricem, vltio diri sceleris secuta est. Initum namque est concilium, quid agendum, vbi quærendum esset præsidium, ad euitandas vel repellendas tam feras, tamque creberrimas gentium aquilonarium irruptiones: placuitque omnibus cum suo rege Vortigerno, vt Saxonum gentem de trãsmarinis partibus in auxilium vocarent. quod Domini nutu dispositum esse constat, vt veniret contra improbos malum, sicut euidentius rerum exitus probauit.

CAPVT XV.

Anno ab incarnatione domini quadringentesimo quadragesimo nono, Martianus cum Valentiniano quadragesimus sextus ab Augusto regnum adeptus, septem annos tenuit. Tunc Anglorum siue Saxonum gens, inuitata a rege præfato, Britanniam tribus longis nauibus aduehitur, & in Orientali parte insulæ iubente eodem Rege, locum manendi, quasi pro patria pugnatura, re autem vera hanc expugnatura, suscepit. Inito ergo certamine cum hostibus, qui ab Aquilone ad aciem venerant, victoriam sumpsere Saxones. Quod vbi domi nuntiatum est, simul & insulæ fertilitas, ac segnitia Britonum, mittitur confestim illo classis prolixior armatorum, ferens manum fortiorem, quæ præmissæ adiũcta cohorti, inuincibilem fecit exercitum. Susceperũt ergo qui aduenerant, donantibus Britannis locum habitationis inter eos, ea conditione, vt hi pro patriæ pace & salute contra aduersarios militarent, illi militantibus debita stipendia conferrent. Aduenerant autem de tribus Germaniæ populis fortioribus, id est, Saxonibus, Anglis, Vitis. De Vitarum origine sunt Cantuarij & Vectuarij, hoc est ea gens quę Vectam tenet insulam, & ea quæ vsque hodie in prouincia occidentalium Saxonum, Vitarum natio nominatur: posita contra ipsam insulam Vectam. De Saxonibus, id est, ea regione quæ nunc antiquorum Saxonum cognominatur, venere orientales Saxones, meridiani Saxones, occidui Saxones. Porro de Anglis, hoc est, de illa patria, quæ Anglia dicitur, & ab eo tempore vsque hodie manere desertus inter prouincias Vitarum & Saxonum perhibetur, orientales Angli, mediterranei Angli, Merci tota NordHumbrorum progenies, id est, illarum gentium, quæ ad Boream Humbri fluminis inhabitant, ceterique Anglorum populi sunt orti. Duces fuisse perhibentur eorum primi duo fratres Hengist & Horsa. E quibus Horsa postea occisus in bello a Britonibus, hactenus in orientalibus Cantii partibus monumentum habet suo nomine insigne. Erant autem filij Vuetgissi, cuius pater Vitta, cuius pater Vecta, cuius pater Voden. De cuius stirpe multarum prouinciarum regium genus originem duxit. Non mora ergo confluentibus certatim in insulam gentium memoratarum cateruis, grandescere populus cœpit aduenarũ, ita vt ipsis quoq;, qui eos aduocauerant, indigenis essent terrori. Tum subito inito ad tempus fœdere cum Pictis, quos lõgius iam bellando pepulerant, in socios arma vertere incipiũt. Et primũ quidem annonas sibi eos affluentius ministrare cogunt, quærentesq; occasionẽ diuortij, protestantur, nisi profusior sibi alimentorũ copia daretur, se cũcta insulæ rupto fœdere loca vastaturos: neq; aliquãdo segnius minas effectibus prosequũtur. Si quidẽ, vt breuiter dicã, accẽsus manibus paganorũ ignis, iustas de sceleribus populi Dei vltiones expetiit: nõ illius impar, qui quondã a Chaldæis succensus, Hierosolymorũ mœnia, immo & ædificia cuncta consumpsit. Sic enim & hic agente impio victore, immo disponente iusto iudice, proximas quasq; ciuitates agrosq; depopulans, ab orientali mari vsq; ad occidentale, nullo prohibente suum cõtinuauit incendiũ, totamq; prope insulę pereuntis superficiem obtexit. Ruebant ædificia publica simul & priuata, passim sacerdotes inter altaria trucidabantur, præsules cum populis sine vllo respectu honoris ferro pariter ac flammis absumeban-

tur,nec erat,qui crudeliter interemptos ſepulturæ traderet. Itaque nonnulli de miſerandis reliquiis in montibus comprehenſi aceruatim iugulabantur. Alij fame confecti procedentes,manus hoſtibus dabant,pro accipiendis alimentorum ſubſidiis,æternum ſubituri ſeruitium:ſi tamen non continuo trucidarentur. Alij tranſmarinas regiones dolentes petebant. Alij perſtantes in patria trepidi pauperem vitam in montibus,ſiluis,vel rupibus arduis,ſuſpecta ſemper mente agebant.

CAPVT XVI.

AT vbi hoſtilis exercitus,exterminatis diſperſiſque inſulę indigenis,domum reuerſus eſt,cœperunt & illi paulatim vires animoſque reſumere, emergentes de latibulis, quibus abditi fuerant, & vnanimo conſenſu auxilium cœleſte precantes, ne vſque ad internicionem, vſquequaque delerentur. Vtebantur eo tempore duce Ambroſio Aureliano,viro modeſto,qui ſolus forte Romanæ gentis præfatæ tempeſtati ſuperfuerat, occiſis in eadem parentibus regium nomen & inſigne ferentibus. Hoc ergo duce vires capeſſunt Britones , & victores prouocantes ad prælium, victoriam, ipſi Deo fauente, ſuſcipiunt. Et ex eo tempore nunc ciues, nunc hoſtes vincebant, vſque ad annum obſeſſionis Badonici montis, quando non minimas eiſdem hoſtibus ſtrages dabant quadrageſimo circiter & quarto anno aduẽtus eorũ in Britanniam. Sed hæc poſtmodum.

CAPVT XVII.

ANTE paucos ſane aduentus eorum annos , hæreſis Pelagiana per Agricolam illata Seueriani epiſcopi Pelagiani filium , fidem Britannorum fœda peſte commaculauerat. Verum Britanni cum neq; ſuſcipere dogma peruerſum, gratiam Chriſti blaſphemando nullatenus vellent, neque verſutiam nefariæ perſuaſionis refutare verbis certando ſufficerent,inueniunt ſalubre cõſilium,vt a Gallicanis antiſtitibus auxilium belli ſpiritalis inquirant. Quam ob cauſam collecta magna ſynodo, quærebatur in commune, qui illuc ad ſuccurrendum fidei mitti deberent. atque omnium iudicio eligebantur Apoſtolici ſacerdotes Germanus Altiſiodorenſis, & Lupus Trecaſenæ ciuitatis Epiſcopi, qui ad confirmandam fidem gratiæ cœleſtis Britannias venirent. Qui cum prompta deuotione preces & iuſſa ſanctæ eccleſiæ ſuſcepiſſent, intrãt Oceanum, & vſque ad medium itineris,quo a Gallico ſinu Britannias vſque tenditur,ſecundis flatibus nauis tuta volabat. Tum ſubito occurrit pergentibus inimica vis dæmonum,qui tantos taleſque viros ad recuperandam tendere populis ſalutem inuiderent. Concitãt procellas,cœlum diemque nubium nocte ſubducunt. Ventorum furores vela non ſuſtinent,cedebant miniſteria victa nautarum , ferebatur nauigium oratione nõ viribus, & caſu dux ipſe vel pontifex fractus corpore,laſſitudine ac ſopore reſolutus eſt. Tunc vero quaſi repugnatore ceſſante, tempeſtas excitata cõualuit, & iam nauigium ſuperfuſis fluctibus mergebatur. Tum beatus Lupus omneſque turbati excitant ſeniorem, elementis furentibus opponendum, qui periculi immanitate cõſtantior Chriſtum inuocat, & aſſumpto in nomine ſanctæ Trinitatis leui aquæ aſpergine, fluctus ſæuientes opprimit;collegam commonet,hortatur vniuerſos,oratio vno ore & clamore profunditur. Adeſt diuinitas, fugantur inimici,tranquillitas ſerena ſubſequitur,venti e contratio ad itineris miniſteria reuertuntur,decurſiſque breui ſpaciis pelagi, optati litoris quiete potiuntur. Ibi conueniens ex diuerſis partibus multitudo, excepit ſacerdotes, quos venturos etiam vaticinatio aduerſa prædixerat. Nunciabant enim ſiniſtri ſpiritus, quod timebant, qui imperio ſacerdotum dum ab obſeſſis corporibus detruduntur, & tempeſtatis ordinem & pericula quæ intulerant, fatebantur, victoſque ſe eorum meritis & imperio non negabant. Interea Britanniarum inſulam apoſtolici ſacerdotes raptim opinione, prædicatione, virtutibus impleuerunt. Diuinuſque per eos ſermo quotidie non ſolum in eccleſiis, verum etiam per triuia & per rura prædicabatur,ita vt paſſim & fideles catholici firmarentur, & deprauati viam correctionis agnoſcerent. Erat illis apoſtolorum inſtar & gloria & auctoritas per conſcientiam, doctrina per litteras, virtutes ex meritis. Itaq; regionis vniuerſitas in eorum ſententiam prõpta tranſierat. Latebant abditi ſiniſtræ perſuaſionis auctores, & more maligni ſpiritus

gemebant

gemebant perire ſibi populos euadentes. Ad extremum, diuturna meditatione concepta, præſumunt inire conflictum, procedunt conſpicui diuitiis, veſte fulgentes, circundati aſſentatione multorum: diſcrimenque certaminis ſubire maluerunt, quam in populo, quem ſubuerterant, pudorem taciturnitatis incurrere, ne viderentur ſe ipſi ſilentio damnauiſſe. Illic plane immenſa multitudo etiam cum coniugibus ac liberis excitata conuenerat. Aderat populus & ſpectator futurus & iudex: aſtabant partes diſpari conditione diſſimiles: hinc diuina fides, inde humana præſumptio: hinc pietas, inde ſuperbia: inde Pelagius auctor, hinc Chriſtus. Primo in loco beatiſſimi ſacerdotes Germanus atque Lupus præbuerunt aduerſariis copiam diſputandi, quæ ſola nuditate verborum diu inaniter & aures occupauit & tempora. Deinde antiſtites venerādi torrentes eloquij ſui cum apoſtolicis & euangelicis imbribus profuderunt. Miſcebatur ſermo proprius cum diuino, & aſſertiones moleſtiſſimas lectionum teſtimonia ſequebantur. Conuincitur vanitas, perfidia confutatur; ita vt ad ſingulas verborum obiectiones errare ſe, dum reſpondere nequiit, fateretur. populus arbiter vix manus continet, iudicium tamen clamore teſtatur.

CAPVT XVIII.

TVM ſubito quidam Tribuniciæ poteſtatis cum coniuge procedit in medium, filiam decem annorum cæcam curandam ſacerdotibus offerens, quam illi aduerſariis offerri præceperunt: ſed ij conſcientia puniente deterriti, iungunt cum parentibus preces, & curationem paruulæ a ſacerdotibus deprecantur. Qui inclinatos animo aduerſarios intuentes, orationem breuiter fundunt. Ac deinde Germanus plenus ſpiritu ſancto inuocat trinitatem: nec mora, adhærentem lateri ſuo capſulam cum ſanctorum reliquiis collo auulſam manibus comprehendit, eamque in conſpectu omnium puellæ oculis applicuit, quos ſtatim, euacuatis tenebris, lumen veritatis impleuit. Exſultant parentes, miraculum populus contremiſcit, poſt quam diem ita ex animis omniū ſuaſio iniqua deleta eſt, vt ſacerdotum doctrinam ſitientibus deſideriis ſectarentur. Compreſſa itaque peruerſitate damnabili, eiuſque auctoribus cōfutatis, atque animis omnium fidei puritate compoſitis, ſacerdotes beatum Albanum martyrem auctori Deo per ipſum gratias petierunt. Vbi Germanus omnium Apoſtolorum diuerſorumque martyrum ſecum reliquias habens, facta oratione iuſſit reuelli ſepulcrum, pretioſa ibidem munera conditurus: arbitrans opportunum, vt membra ſanctorum ex diuerſis regionibus collecta, quos pares meritis receperat cœlum, ſepulcri quoque vnius teneret hoſpitium. Quibus depoſitis honorifice, atque ſociatis de loco ipſo, vbi beati martyris effuſus erat ſanguis, maſſam pulueris ſecum portaturus abſtulit; in qua apparebat cruore ſeruato, rubuiſſe martyrum cædem, perſecutore pallente. Quibus ita geſtis innumera hominum eodem die ad Dominum turba conuerſa eſt.

CAPVT XIX.

VNDE dum redeunt, inſidiator inimicus caſualibus laqueis præparatis, Germani pedem lapſus occaſione contriuit, ignorans merita illius, ſicut Iob beatiſſimi, afflictione corporis propaganda. Et dum aliquamdiu vno in loco infirmitatis neceſſitate teneretur, in vicina qua manebat caſula exarſit incendium. Quod conſumptis domibus, quæ illic paluſtri arundine tegebantur, ad illud habitaculum in quo idem iacebat flabris ſtimulantibus ferebatur. Concurſus omnium ad antiſtitem conuolauit, vt elatus manibus, periculum quod imminebat, euaderet. Quibus increpatis moueri ſe, fidei præſumptione, non paſſus eſt. At multitudo omnis deſperatione perterrita, obuiam currit incendio. Sed vt Dei potentia manifeſtior appareret, quicquid cuſtodire tentauerat turba, conſumitur. Quod vero iacens & infirmus defenderat, reſerato hoſpitio ſancti viri expaueſcens flamma tranſiliuit, vltra citraque deſæuiens, & inter globos flāmantis incendij, incolume tabernaculum, quod habitator incluſus ſeruabat, emicuit. Exſultat turba miraculo, & victam ſe diuinis virtutibus gratulatur. Excubabat diebus ac noctibus ante tugurium pauperis vulgus ſine numero. Hi animas curare cupientes, hi corpora. Referri nequeunt, quæ Chriſtus operabatur in famulo, qui virtutes faciebat

infirmus. Et cum debilitati suæ nihil remedij pateretur adhiberi, quadam nocte candentem niueis vestibus vidit sibi adesse personam, quæ manu extensa iacentem videretur attollere, eumque consistere firmis vestigiis imperabat. Post quam horam ita fugatis doloribus recepit pristinam sanitatem, vt die reddito itineris laborem subiret intrepidus.

CAPVT XX.

INTEREA Saxones Pictique bellum aduersum Britones iunctis viribus susceperũt, quos eadem necessitas in castra contraxerat: & cum trepidi partes suas pęne impares iudicarent, sanctorum antistitum auxilium petierunt. Qui promissum maturantes aduentum, tantum pauentibus fiduciæ cõtulerunt, vt accessisse maximus crederetur exercitus. Itaq; apostolicis ducibus Christus militabat in castris. Aderant etiam quadragesimæ venerabiles dies, quos religiosiores reddebat præsentia sacerdotum, in tãtum, vt quotidianis prædicationibus instituti, certatim populi ad gratiam baptismatis conuolarent. Nam maxima exercitus multitudo vndam lauacri salutaris expetiit, & ecclesia ad diem resurrectionis dominicæ frondibus contexta componitur, atque in expeditione campestri instar ciuitatis aptatur. Madidus baptismate procedit exercitus, fides feruet in populo, & conterrito armatorum præsidio, diuinitatis expectatur auxilium. Institutio, vel forma castitatis hostibus nunciatur: qui victoriã quasi de inermi exercitu præsumentes, assumpta alacritate festinant: quorum tamen aduentus exploratione cognoscitur. Cumque emensa solemnitate Paschali, recẽs de lauacro pars maior exercitus arma capere ac bellum parare tentaret, Germanus se ducem prælij profitetur. Eligit expeditos, circumiecta percurrit, & e regione qua hostium sperabatur aduentus, vallem circundatam mediis montibus intuetur. Quo in loco nouum componit exercitum ipse dux agminis. Et iam aderat ferox hostium multitudo, quam appropinquare intuebantur in insidiis constituti. Tunc subito Germanus signifer vniuersos admonet & prædicat, vt voci suæ vno clamore respondeant, securisque hostibus qui se insperatos adesse confiderent, Alleluia tertio repetitum sacerdotes exclamabãt. Sequitur vna vox omnium, & elatum clamorem repercusso aere montium conclusa multiplicant: hostile agmen terrore prosternitur, & super se non solum rupes circundatas, sed etiam cœli machinam contremiscunt; trepidationique iniectæ vix sufficere pedum pernicitas credebatur. Passim fugiunt, arma proiiciunt gaudentes vel nuda corpora eripuisse discrimini, plures etiam timore præcipites, flumen quod transierant, deuorauit. Vltionem suam innocens exercitus intuetur, & victoriæ concessæ ociosus spectator efficitur. Spolia colliguntur exposita, & cœlestis palmę gaudia miles religiosus amplectitur. Triumphant Pontifices hostibus fusis sine sanguine, triumphant victoria fide obtenta, non viribus. Composita itaque insula, securitate multiplici, superatisque hostibus vel inuisibilibus vel carne conspicuis, reditum moliuntur pontifices. Quibus tranquillam nauigationem, & merita propria, & intercessio beati martyris Albani parauerunt, quietosque eos suorum desideriis felix carina restituit.

CAPVT XXI.

NEC multo interposito tempore nunciatur ex eadem insula, Pelagianam peruersitatem iterato paucis auctoribus dilatari. Rursusque ad beatissimum virum preces sacerdotum omnium deferuntur, vt causam Dei, quam prius obtinuerat, tueretur. Quorum petitioni festinus obtemperat. Nam adiuncto sibi Seuero totius sanctitatis viro (qui erat discipulus beatissimi patris Lupi Trecasenorum Episcopi, & tũc Treueris ordinatus Episcopus, gentibus primæ Germaniæ verbum Dei prædicabat) mare conscendit, & consentientibus elementis tranquillo nauigio Britannias petiit. Interea sinistri spiritus peruolantes totam insulam Germanum venire inuitis vaticinationibus nunciabant; intantum vt Elafius quidam regionis illius primus in occursum sanctorum sine vlla manifesti nuntij relatione properaret, exhibens secum filium, quem in ipso flore adolescentiæ debilitas dolenda damnauerat. Erat enim arescentibus neruis contracto poplite, cui per siccitatem cruris, vsus vestigij negabatur.

Hunc

Hunc Elafium prouincia tota subsequitur. Veniunt sacerdotes, occurrit inscia multitudo, confestim benedictio & sermonis diuini doctrina profunditur. Recognoscunt populum, in ea qua illum reliquerant credulitate, durantem; intelligunt culpam esse paucorum; inquirunt auctores, inuentosque condemnant. Tum subito Elafius pedibus aduoluitur sacerdotum, offerens filium, cuius necessitatem, ipsa debilitas etiam sine precibus allegabat. Fit communis omnium dolor, præcipue sacerdotum, qui conceptam misericordiam ad diuinam clementiam contulerunt, statimque adolescentem beatus Germanus sedere compulit, adtrectat poplitem debilitate curuatum, & per tota infirmitatis spatia medicabilis dextera percurrit, salubremque tactum sanitas festina subsequitur; ariditas succum, nerui officia receperunt, & in conspectu omnium filio incolumitas patri filius restituitur. Implentur populi stupore miraculi, & in pectoribus omniū fides catholica inculcata firmatur, prædicatio deinde ad plebem de præuaricationis emendatione conuertitur. Omniumque sententia prauitatis auctores qui erant expulsi insula, sacerdotibus adducuntur ad mediterranea deferendi, vt & regio absolutione, & illi emendatione fruerentur. Factumque est vt in illis locis multo ex eo tempore fides intemerata perduraret. Itaque compositis omnibus, beati sacerdotes ea qua venerant prosperitate redierunt. Porro Germanus post hæc ad Rauennam pro pace Armoricanæ gentis supplicaturus aduenit, ibiq; a Valentiniano & Placidia matre ipsius summa reuerentia susceptus, migrauit ad Christum. Cuius corpus honorifico agmine comitantibus virtutum operibus suam defertur ad vrbem. Nec multo post, Valentinianus ab Actij Patricij, quem occiderat, satellitibus interimitur, anno imperij Marciani sexto, cum quo simul Hesperium concidit regnum.

CAPVT XXII.

INTEREA Britannia cessatum quidem est parumper ab externis, sed non a ciuilibus bellis. Manebant exterminia ciuitatum ab hoste dirutarum ac desertarum, pugnabant contra inuicem qui hostem euaserant ciues. Attamen recenti adhuc memoria calamitatis & cladis inflictæ seruabant vtcūq; Reges, Sacerdotes, priuati, & optimates suum quiq; ordinem. At illis decedentibus, quum successisset ætas tēpestatis illius nescia, & præsentis solum serenitatis statum experta; ita cūcta veritatis ac iusticiæ moderamina concussa ac subuersa sunt, vt earum non dicam vestigium, sed ne memoria quidem præter in paucis & valde paucis vlla appareret. Quin inter alia inenarrabilium scelerum facta, quæ historicus eorum Gildas flebili sermone describit, & hoc addebāt, vt nunquam genti Saxonum siue Anglorum secum Britanniam incolenti, verbum fidei prædicandum committerent. Sed non tamen diuina pietas plebem suam quam præsciuit deseruit, quin multo digniores genti memoratæ præcones veritatis per quos crederet, destinauit.

CAPVT XXIII.

SIQVIDEM anno ab incarnatione domini quingentesimo octogesimo secundo Mauritius ab Augusto quinquagesimus quartus imperiū suscipiēs, vnum & viginti annos tenuit. Cuius anno regni decimo Gregorius vir doctrina & actione præcipuus Pōtificatum Romanæ & apostolicæ sedis sortitus, rexit annos tredecim, mēses sex, & dies decē. Qui diuino admonitus instinctu anno XIIII. eiusdem principis, aduentus vero Anglorum in Britanniam, anno circiter centesimo quinquagesimo misit seruum Dei Augustinum, & alios plures cum eo monachos timentes dominum, prædicare verbum Dei genti Anglorum. Qui cum iussis Pontificalibus obtemperantes, memoratum opus aggredi cœpissent, iamque aliquantulum itineris confecissent, perculsi timore inerti, redire domum, potius quam barbaram, feram, incredulamque gentem, cuius ne linguam quidem nossent, adire, cogitabant; & hoc esse tutius communi consilio decernebant. Nec mora, Augustinum, quem eis episcopum ordinandum (si ab Anglis susciperentur) disposuerat, domum remittunt, qui a beato Gregorio humili supplicatu obtineret, ne tam periculosam, tam laboriosam, tam incertam peregrinationem adire deberent. Quibus ille exhortatorias mittēs litteras,

in opus eos verbi, diuino confisos auxilio, proficisci suadet. Quarum videlicet litterarum ista est forma.

CAPVT XXIIII.

GREGORIVS seruus seruorum Dei, seruis Domini nostri. Quia melius fuerat bona non incipere, quam ab his quæ cœpta sunt cogitatione retrorsum redire, summo studio dilectissimi filij oportet, vt opus bonum, quod auxiliante domino cœpistis, impleatis. Nec labor ergo vos itineris, nec maledicorum hominum linguæ deterreant: sed omni instantia, omnique feruore quæ inchoastis Deo auctore peragite: scientes quod laborem magnum maior æternæ retributionis gloria sequitur. Remeanti autem Augustino præposito vestro, quem & abbatem vobis constituimus, in omnibus humiliter obedite: scientes hoc vestris animabus per omnia profuturum, quicquid a vobis fuerit in eius admonitione completum. Omnipotens Deus sua vos gratia protegat, & vestri laboris fructum in æterna me patria videre concedat. Quatenus & si vobiscum laborare nequeo, simul in gaudio retributionis inueniar, quia laborare scilicet volo. Deus vos incolumes custodiat dilectissimi filij. Datæ die decimo Kalendarum Augustarum, imperante Domino nostro Mauritio Tiberio piissimo Augusto anno XIIII. post Cōsulatum eiusdem domini nostri anno decimo tertio, indictione decima tertia.

CAPVT XXV.

MISIT etiam tunc iisdem venerandus pōtifex ad Etherium Arelatensem Archiepiscopum (vt Augustinum Britanniam pergentem benigne susciperet) litteras, quarum iste est textus: REVERENDISSIMO & sanctissimo fratri Etherio coepiscopo, Gregorius seruus seruorum Dei. Licet apud sacerdotes habentes Deo placitam caritatem, religiosi viri nullius commendatione indigeant: quia tamen aptum se tempus scribendi ingessit, fraternitati vestræ nostra mittere scripta curauimus, insinuantes latorem præsentium Augustinum seruum Dei, de cuius certi sumus studio, cum aliis seruis Dei, illuc nos pro vtilitate animarum auxiliante Domino direxisse. quem necesse est, vt sacerdotali studio sanctitas vestra adiuuare, & sua ei solatia prębere festinet. Cui etiam vt promptiores ad suffragādum possitis existere, causam vobis iniunximus subtiliter indicare. scientes quod ea cognita tota vos propter Deum deuotione ad solatiandum, quia res exigit, commodetis. Candidum præterea presbyterum, communem filium, quem ad gubernationem patrimoniali ecclesiæ nostræ transmisimus, caritati vestræ in omnibus commendamus. Deus te incolumem custodiat reuerendissime frater. Datæ die decimo Kalendarum Augustarum, imperante Domino nostro Mauritio Tiberio piissimo Augusto. anno decimo quarto; post Consulatum eiusdem domini nostri, anno decimo tertio, indictione decima quarta.

CAPVT XXVI.

ROBORATVS ergo confirmatione beati patris Gregorij Augustinus, cum famulis Christi qui erant cum eo, rediit in opus verbi, peruenitq; Britanniam. Erat eo tempore Rex Edilbertus in Cantia potentissimus, qui ad confinium vsque Humbri fluminis maximi, quo meridiani & septentrionales Anglorum populi dirimuntur, fines imperij tetenderat. Est autem ad orientalem Cantij plagam Tanetos insula non modica, id est, magnitudinis iuxta consuetudinem æstimationis Anglorum miliarium sexcentarum, quam a continenti terra secernit fluuius Vantsumu, qui est latitudinis circiter trium stadiorum, & duobus tantum in locis est transmeabilis. vtrumque enim caput protēdit in mare. In hac ergo applicuit seruus domini Augustinus, & socij eius, viri (vt fertur) ferme quadraginta. Acceperunt autem præcipiente beato Papa Gregorio de gente Francorum interpretes, & mittens ad Edilbertum mandauit se venisse de Roma, ac nuncium ferre optimum, qui sibi obtemperantibus æterna in cœlis gaudia, & regnum sine fine cum Deo viuo & vero futurum, sine vlla dubietate promitteret. Qui hæc audiens, manere illos in ea quam adierant insula, & eis necessaria ministrari, donec videret quid eis faceret, iussit. Nā & antea fama ad eū Christianę religionis peruenerat, vtpote

vtpote qui & vxorem habebat Christianam de gente Francorum regia, nomine Bertam. Quam ea conditione a parentibus acceperat, vt ritum fidei ac religionis suæ cum episcopo, quem ei adiutorem fidei dederant, nomine Luidhardo, inuiolatam seruare, licentiam haberet. Post dies ergo venit ad insulam Rex, & residens sub diuo iussit Augustinum cum sociis ad suum ibidem aduenire colloquium. Cauerat autem ne in aliquam domum ad se introirent veteri vsus augurio, ne superuentu suo, si quid maleficæ artis habuissent, eum superando deciperēt. At illi non dæmonica sed diuina virtute præditi veniebant, crucem pro vexillo ferentes argenteam, & imaginem Domini saluatoris in tabula depictam, letaniasque canentes pro sua simul & eorum propter quos & ad quos venerant salute æterna, Domino supplicabant. Cumque ad iussionem Regis residentes, verbum ei vitæ vna cum omnibus qui aderant eius comitibus prædicarent: respondit ille dicens, Pulcra sunt quidem verba & promissa quæ affertis, sed quia noua sunt & incerta, non his possum assensum tribuere, relictis eis quæ tanto tempore cum omni Anglorum gente seruaui. Verum quia de longe huc peregrini venistis, & vt ego mihi videor perspexisse, ea quæ vos vera & optima credebatis, nobis quoque communicare desideratis: nolumus molesti esse vobis, quin potius benigno vos hospitio recipere, & quæ victui vestro sunt necessaria, ministrare curamus: nec prohibemus, quin omnes, quos potestis, fidei vestræ religionis prædicando societis. Dedit ergo eis mansionem in ciuitate Dorouernensi (quæ imperij sui totius erat metropolis) eisque, vt promiserat, cum administratione victus temporalis, licentiam quoque prædicandi non abstulit. Fertur autem quod appropinquantes ciuitati, more suo cum cruce sancta & imagine magni Regis Domini nostri Iesu Christi, hanc letaniam consona voce modularentur:
,, DEPRECAMVR te Domine in omni misericordia tua,
,, vt auferatur furor tuus & ira tua a ciuitate ista, & de domo sancta tua, quoniam pec-
,, cauimus, alleluya.

CAPVT XXVII.

AT vbi sibi datam mansionem intrauerunt, cœperunt Apostolicam primitiuæ ecclesiæ vitam imitari; orationibus videlicet assiduis, vigiliis, ac ieiuniis seruiendo, verbum vitæ, quibus poterant, prædicando; cuncta huius mundi velut aliena spernendo; ea tantum, quæ victui necessaria videbantur, ab eis, quos docebant, accipiendo; secundum ea quæ docebant ipsi per omnia viuendo; & paratum ad patiendum aduersa quęque, vel etiam ed moriendum pro ea quam prædicabant, veritate, animum habendo. Quid mora? Crediderunt nonnulli, & baptizabantur, mirantes simplicitatem innocētis vitæ, ac dulcedinem doctrinæ eorum cœlestis. Erat autem prope ipsam ciuitatē ad Orientem ecclesia in honorē sancti Martini antiquitus facta, dum adhuc Romani Britāniam incolerent, in qua regina, quam Christianā fuisse prædiximus, orare consueuerat. In hac ergo & ipsi primo cōuenire, psallere, orare, missas facere, prædicare, & baptizare cœperunt, donec Rege ad fidem conuerso, maiorem prædicandi per omnia, & ecclesias fabricandi, vel restaurandi, licentiam acciperent. At vbi ipse etiam inter alios delectatus vita mundissima sanctorum, & promissis eorum suauissimis, quæ vera esse miraculorum quoque multorum ostensione firmauerant, credens, baptizatus est: cœpere plures quotidie ad audiendum verbum confluere, ac relicto gentilitatis ritu vnitati se sanctæ Christi ecclesiæ credendo sociare. Quorum fidei & conuersioni ita congratulatus esse Rex perhibetur, vt nullum tamen cogeret ad Christianismum, sed tantummodo credentes arctiori dilectione, quasi conciues sibi regni cœlestis, amplecteretur. Didicerat enim a doctoribus auctoribusquę suæ salutis, seruitium Christi voluntarium, non coactitium esse debere. Nec distulit, quin etiam ipsis doctoribus suis locum sedis, eorum gradui congruum, in Dorouernia metropoli sua donaret, simul & necessarias in diuersis speciebus possessiones conferret.

CAPVT XXVIII.

INTEREA vir domini Augustinus venit Arelas, & ab Archiepiscopo eiusdem ciuitatis Etherio, iuxta quod iussa sancti patris Gregorij acceperāt, Archiepiscopus genti Anglorū ordinatus est. Reuersusq; Britanniā, misit continuo Romam Laurentium

preſbyterum,& Petrum monachum,qui beato pōtifici Gregorio gentem Anglorum fidem Chriſti accepiſſe,ac ſe epiſcopum factum eſſe referrent. Simul & de eis,quæ neceſſaria videbantur,quæſtionibus eius conſulta flagitans. Nec mora, congrua quæſitui reſponſa recepit,quę etiam huic hiſtorię noſtræ commodum duximus indere. I. INTERROGATIO Auguſtini epiſcopi Cantuariorum eccleſiæ. De epiſcopis, qualiter cum ſuis clericis conuerſentur, vel de his, quæ fidelium oblationibus accedunt altari, quantæ debeant fieri portiones,& qualiter epiſcopus agere in eccleſia debeat? RESPONSIO Gregorij Papæ vrbis Romæ. Sacra ſcriptura teſtatur (quam te bene noſſe dubium non eſt)& ſpecialiter beati Pauli ad Timoth. epiſtolæ, in quibus eum erudire ſtuduit,qualiter in domo Dei cōuerſari debuiſſet. Mos autem ſedis apoſtolicæ eſt,ordinatis epiſcopis,præcepta tradere, vt in omni ſtipendio quod accedit, quattuor debeāt fieri portiones. Vna videlicet epiſcopo & familiæ propter hoſpitalitatem atque ſuſceptionem; alia clero; tertia pauperibus; quarta eccleſiis reparandis. Sed quia fraternitas tua monaſterij regulis erudita, ſeorſum fieri non debet a clericis ſuis in eccleſia Anglorum,quæ auctore Deo nuper adhuc ad fidem adducta eſt, hanc debet conuerſationem inſtituere,quæ initio naſcentis eccleſiæ fuit patribus noſtris, in quibus nullus eorum ex his quæ poſſidebant,aliquid ſuum dicebat; ſed erant eis omnia communia. Si qui vero ſunt clerici extra ſacros ordines conſtituti, qui ſe continere non poſſunt, ſortiri vxores debent, & ſtipendia ſua exterius accipere. Quia & de iiſdem partibus, de quibus præfati ſumus, nouimus ſcriptum quod diuidebatur ſingulis prout cuique opus erat. De eorum quoque ſtipendio cogitandum atque prouidendum eſt, & ſub eccleſiaſtica regula ſunt tenendi, vt bonis moribus viuant,& canendis pſalmis inuigilēt,& ab omnibus illicitis & cor & linguam & corpus Deo auctore conſeruent. Communi autem vita viuentibus, iam de faciendis portionibus, vel exhibenda hoſpitalitate, & adimplenda miſericordia, nobis quid erit loquendum? Cum omne quod ſupereſt, in cauſis piis ac religioſis erogandum eſt, Domino magiſtro omnium docente: Quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. II. INTERROGATIO Auguſtini. Cum vna ſit fides, ſunt eccleſiarum diuerſæ conſuetudines, & altera conſuetudo miſſarum in ſancta Romana eccleſia, atque altera in Galliarum tenetur. RESPONSIO Gregorij Papæ. Nouit fraternitas tua Romanæ eccleſiæ conſuetudinem, in qua ſe meminit nutritam. Sed mihi placet, ſiue in Romana, ſiue in Galliarum, ſeu in qualibet eccleſia, aliquid inueniſti quod plus omnipotenti Deo poſſit placere, ſollicite eligas,& in Anglorum eccleſia, quæ adhuc ad fidem noua eſt, inſtitutione precipua, quæ de multis eccleſiis colligere potuiſti, infundas. Non enim pro locis res, ſed pro bonis rebus loca amanda ſunt. Ex ſingulis ergo quibuſque eccleſiis, quæ pia, quæ religioſa, quæ recta ſunt elige, & hæc quaſi in faſciculum collecta, apud Anglorum mentes in conſuetudinem depone. III. INTERROGATIO Auguſtini. Obſecro quid pati debeat, ſi quis aliquid de eccleſia furto abſtulit? RESPONSIO Gregorij. Hoc tua fraternitas ex perſona furis penſare poteſt, qualiter valeat corrigi. Sunt enim quidam, qui habentes ſubſidia, furtum perpetrant: & ſunt alij, qui hac in re ex inopia delinquunt. Vnde neceſſe eſt, vt quidam damnis, quidam vero verberibus: & quidam diſtrictius, quidam autem lenius corrigantur. Et cum paulo diſtrictius agitur, ex caritate agendum eſt, & non ex furore: quia ipſi hoc præſtatur qui corrigitur, ne gehennæ ignibus tradatur. Sic enim nos fidelibus tenere diſciplinam debemus, ſicut boni patres carnalibus filiis ſolent, quos & pro culpis verberibus feriunt,& tamen ipſos, quos doloribus affligunt, habere heredes quærunt: & quæ poſſident ipſis ſeruant, quos irati inſequi videntur. Hæc ergo caritas in mente tenenda eſt, & ipſa modum correptionis dictat; ita vt mens extra rationis regulā omnino nihil faciat. Addis etiam, quomodo ea, quæ furto de eccleſiis abſtulerunt, reddere debeant. Sed abſit, vt eccleſia cum augmento recipiat, quod de terrenis rebus videtur amittere,& lucra de vanis quærere. IIII. INTERROGATIO Auguſtini. Si debeant duo germani fratres ſingulas ſorores accipere, quæ ſunt ab illis longa progenie generatæ? RESPONSIO Gregorij. Hoc fieri modis omnibus licet. Nequaquam enim in ſacris eloquiis inuenitur, quod huic capitulo contradicere videatur. V. INTERROGATIO Auguſtini. Vſque

ad

ad quotam generationem debeât fideles cum propinquis sibi cõiugio copulari: & nouercis & cognatis si liceat copulari coniugio? RESPONSIO Gregorij. Quædam terrena lex in Romana republica permittit, vt siue frater & soror, seu duorũ fratrum germanorum, vel duarum sororum filius & filia misceantur. Sed experimento didicimus, ex tali cõiugio sobolem non posse succrescere. Et sacra lex prohibet cognationis turpitudinem reuelare. Vnde necesse est, vt iam tertia vel quarta generatio fidelium licẽter sibi iungi debeat. Nam secũda, quam diximus, a se omni modo debet abstinere. Cum nouerca autem misceri graue est facinus: quia & in lege scriptũ est: Turpitudinem patris tui non reuelabis. Neq; enim patris turpitudinẽ filius reuelare potest: sed quia scriptum est: Erunt duo in carne vna, qui turpitudinem nouercæ, quæ vna caro cum patre fuit, reuelare præsumpserit, profecto patris turpitudinẽ reuelauit. Cum cognata quoq; misceri prohibitum est, quia per iunctionem priorem caro fratris fuerit facta. Pro qua re etiam Iohannes Baptista capite truncatus est, & sancto martyrio consummatus. Cui non est dictum, vt Christum negaret, & tamen pro Christi confessione occisus est: sed quia iisdem Dominus noster Iesus Christus dixerat; Ego sum veritas, quia pro veritate Iohannes occisus est, videlicet & pro Christo sanguinem fudit. Quia vero sunt multi in Anglorum gente, qui dum adhuc in infidelitate essent, huic nefando coniugio dicuntur admixti, ad fidem venientes admonendi sunt, vt se abstineant, & graue hoc esse peccatum cognoscant. Tremendum Dei iudicium timeant, ne pro carnali dilectione tormenta æterni cruciatus incurrant. Non tamen pro hac re corporis & sanguinis domini communione priuandi sunt, ne in eis illa vlcisci videantur, in quibus se per ignorantiam ante lauacrum baptismatis astrinxerunt. In hoc enim tempore sancta ecclesia quædam per feruorem corrigit, quædam per mansuetudinem tolerat, quædam per considerationem dissimulat, atq; ita portat & dissimulat, vt sæpe malum quod aduersatur portando & dissimulando compescat. Omnes autem qui ad fidem veniunt admonendi sunt, ne tale aliquid audeant perpetrare. Si qui autem perpetrauerint, corporis & sanguinis Domini communione priuandi sunt. Quia sicut in his qui per ignorantiam fecerunt, culpa aliquatenus toleranda est, ita in his fortiter insequenda, qui non metuunt sciendo peccare. VI. INTERROGATIO Augustini. Si longinquitas itineris magna interiacet, vt episcopi non facile valeant conuenire, an debeat sine aliorum episcoporum præsentia episcopus ordinari? RESPONSIO Gregorij. Et quidem in Anglorum ecclesia, in qua adhuc solus tu episcopus inueniris, ordinare episcopum non aliter, nisi sine episcopis potes. Nam quãdo de Galliis episcopi veniunt, qui in ordinatione episcopi testes assistant? Sed fraternitatem tuam ita volumus episcopos ordinare, vt ipsi sibi episcopi longo interuallo minime disiungantur, quatenus nulla sit necessitas, vt in ordinatione episcopi, alii conuenire non possint. Pastores quoque quorum præsentia valde est vtilis, facile debeant conuenire. Cum igitur auctore Deo ita fuerint episcopi in propinquis sibi locis ordinati per omnia, episcoporum ordinatio sine aggregatis tribus vel quattuor episcopis fieri non debet. Nam in ipsis rebus spiritalibus, vt sapienter & mature disponantur, exemplum trahere a rebus etiam carnalibus possumus. Certe enim dum coniugia in mundo celebrantur, coniugati quiq; conuocantur, vt qui in via iam coniugij prçcesserunt, in subsequentis quoque copulæ gaudio misceantur. Cur non ergo & in hac spiritali ordinatione, qua per sacrum ministerium homo Deo coniungitur, tales conueniant, qui vel in profectu ordinati episcopi gaudeant, vel pro eius custodia omnipotenti Deo preces pariter fundant? VII. INTERROGATIO Augustini. Qualiter debemus cum Galliarum Britanniarumq; episcopis agere? RESPONSIO Gregorij. In Galliarum episcopis nullam tibi auctoritatem tribuimus: quia ab antiquis prædecessorum meorum temporibus pallium Arelatensis episcopus accepit, quem nos priuare auctoritate percepta minime debemus. Si igitur contingat, vt fraternitas tua ad Galliarum prouinciam transeat, cum eodem Arelatense episcopo debet agere, qualiter (si qua sunt in episcopis vitia) corrigantur Qui si forte in disciplinæ vigore tepidus existat, tuæ fraternitatis zelo accendendus est. Cui etiam epistolas fecimus, vt cum tuæ sanctitatis præsentia in Galliis & ipse tota mente subueniat, & quæ sunt creatoris nostri iussioni contraria, ab episcoporum moribus cõ-

pescat. Ipse autem ex auctoritate propria episcopos Galliarum iudicare non poteris, sed suadendo, blandiendo, bona quoq; opera eorum imitationi mõstrando, prauorum mentes ad sanctitatis studia reforma. Quia scriptum est in lege: Per alienam messem transiens, falcem mittere non debet: sed manu spicas conterere & manducare. Falcem enim iudicij mittere non potes in ea segete, quæ alteri videtur esse commissa: sed per effectum boni operis frumenta dominica vitiorum suorum paleis expolia, & in ecclesiæ corpore monendo & persuadendo, quasi mandendo conuerte. Quicquid vero ex auctoritate agendum est, cum prædicto Arelatensi episcopo agatur, ne prætermitti possit hoc, quod antiqua patrum institutio inuenit. Britanniarum vero omnes episcopos tuæ fraternitati cōmittimus, vt indocti doceantur, infirmi persuasione roborẽtur, peruersi auctoritate corrigantur. VIII. INTERROGATIO Augustini. Si prægnans mulier debeat baptizari? Aut postquam genuerit, post quantum tempus possit ecclesiam intrare? Aut etiam ne morte præoccupetur, quod genuerit, post quot dies hoc licet sacri baptismatis sacramēta percipere? Aut post quantum temporis, huic vir suus possit in carnis copulatione coniungi? Aut si menstrua consuetudine tenetur, an ecclesiam intrare ei liceat? Aut sacræ communionis sacramenta percipere? Aut vir suę coniugi permixtus, priusquam lauetur aqua, si ecclesiam possit intrare? Vel etiam ad mysterium communionis sacræ accedere? Quæ omnia rudi Anglorum genti oportet habere cõperta. RESPONSIO Gregorij. Hoc non ambigo fraternitatem tuam esse requisitam, cui iam & responsum reddidisse me arbitror. Sed hoc quod ipse dicere & sentire potuisti, credo quod mea apud te volueris responsione firmari. Mulier etenim prægnans cur non debeat baptizari, cum non sit ante omnipotentis Dei oculos culpa aliqua fœcūditas carnis? Nam cum primi parentes nostri in paradiso deliquissent, immortalitatem, quam acceperant, recto Dei iudicio perdiderunt. Quia itaque iisdem omnipotens Deus humanum genus pro culpa sua funditus extinguere noluit, immortalitatem homini pro peccato suo abstulit: & tamen pro benignitate suæ pietatis, fœcunditatem ei sobolis reseruauit. Quod ergo naturæ humanæ ex omnipotētis Dei dono seruatum est, qua ratione poterit a sacri baptismatis gratia prohiberi? In illo quippe mysterio, in quo omnis culpa funditus extinguitur, valde stultum est, si donum gratiæ ei contradicere posse videatur. Cum vero enixa fuerit mulier, post quot dies debeat ecclesiam intrare, Testamenti veteris præceptione didicisti. Vt pro masculo diebus XXXIII. pro fœmina autem diebus LXVI. debeat abstinere. Quod tamen sciendum est, quia in mysterio accipitur. Nam si hora eadem qua genuerit actura gratias intret ecclesiam, nullo peccati pondere grauatur. Voluptas etenim carnis, non dolor in culpa est. In carnis autem commixtione voluptas est; nam in prolis prolatione gemitus. Vnde & ipsi primæ matri omnium dicitur: In doloribus paries. Si itaque enixam mulierem prohibemus ecclesiam intrare, ipsam ei pœnam suam in culpam deputamus. Baptizare autem vel enixam mulierem, vel hoc quod genuerit, si mortis periculo vrgetur, vel ipsa hora eadem qua gignit, vel hoc quod gignitur eadem qua natum est, nullo modo prohibetur: quia sancti mysterij gratia sicut viuentibus atq; discernentibus cum magna discretione prouidenda est: ita his quibus mors imminet, sine vlla dilatione offerenda, ne dum adhuc tēpus ad præbendum redemptionis mysterium quæritur, interueniente paululū mora inueniri non valeat qui redimatur. Ad eius ergo concubitū vir suus accedere non debet, quoadvsq; qui gignitur ablactetur. Praua autem in coniugatorū moribus consuetudo surrexit, vt mulieres filios quos gignunt nutrire cõtemnant, eosq; aliis mulieribus ad nutriendum tradant, quod videlicet ex sola causa incontinētiæ videtur inuentum: quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt. Hæ itaque quæ filios suos praua ex consuetudine aliis ad nutriendum tradunt, nisi purgationis tempus transierit, viris suis non debent admisceri. quippe quia & sine partus causa, quum in consuetis menstruis detinentur, viris suis misceri prohibentur: ita vt morte lex sacra feriat, si quis vir ad menstruatam mulierem accedat. Quæ tamen mulier dum consuetudinem menstruam patitur, prohiberi ecclesiam intrare non debet: quia ei naturæ superfluitas in culpam non valet reputari, & per hoc quod inuita patitur, iustum non est vt ingressu ecclesiæ priuetur. Nouimus namque

quod

quod mulier, quæ fluxum patiebatur sanguinis, post tergum Domini humiliter veniens, vestimenti eius fimbriam tetigit, atque ab ea statim sua infirmitas recessit. Si ergo in fluxu sanguinis posita, laudabiliter potuit Domini vestimentum tangere, cur quæ menstruum sanguinis patitur, ei non liceat Domini ecclesiam intrare? Sed dicis, illam infirmitas compulit, has vero, de quibus loquimur, consuetudo constringit. Perpende autem frater carissime: quia omne quod in hac mortali carne patimur ex infirmitate naturæ, est digno Dei iudicio post culpam ordinatum. Esurire namque, sitire, æstuare, algere, lassescere, ex infirmitate naturę est. Et quid est aliud cōtra famem alimenta, contra sitim potum, contra æstum auras, contra frigus vestem, contra lassitudinem requiem quærere, nisi medicamentum quoddam contra ægritudines explorare? Fœminæ itaque & menstruus sui sanguinis fluxus ægritudo est. Si igitur bene præsumpsit, quæ vestimentum Domini in languore posita tetigit, quod vni personæ infirmanti conceditur, cur non concedatur cunctis mulieribus, quæ naturæ suæ vitio infirmantur? Sanctæ autem communionis mysterium in iisdem diebus percipere non debet prohiberi. Si autem ex veneratione magna percipere non præsumit, laudanda est. Sed si perceperit, non iudicanda. bonarum quippe mentium est, & ibi aliquo modo culpas suas agnoscere, vbi culpa non est: quia sæpe sine culpa agitur, quod venit ex culpa. Vnde etiam cum esurimus, sine culpa comedimus: quibus ex culpa primi hominis factum est vt esuriamus. Menstrua enim consuetudo mulieribus non aliqua culpa est, videlicet quia naturaliter accidit: sed tamen quia natura ipsa ita vitiata est, vt etiam sine voluntatis studio videatur esse polluta, ex culpa venit vitium, in quo se ipsa, qualis per iudicium facta sit, humana natura, cognoscat. Et homo qui culpam sponte perpetrauit, reatum culpæ portet inuitus. Atque ideo fœminæ cum semetipsas considerant, si in menstrua consuetudine ad sacramentum dominici corporis & sanguinis accedere non præsumunt, de sua recta consideratione laudandæ sunt. Dum vero percipiendo ex religiosæ vitæ consuetudine eiusdem mysterij amore rapiuntur, reprimendæ, sicut prædiximus, non sunt. Sicut enim in Testamento veteri exteriora opera obseruantur, ita in Testamento nouo, non tam quod exterius agitur, quam id quod interius cogitatur, sollicita intentione attenditur, vt subtili sententia puniatur. Nam cum multa lex velut immunda manducare prohibeat, in Euangelio tamen dominus dicit: Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quæ exeunt de ore, illa sunt quæ coinquinant. Atque paulo post subiecit exponens: Ex corde exeunt cogitationes malæ. Vbi vbertim indicatum est, quod illud ab omnipotenti Deo pollutum esse in opere ostenditur, quod ex pollutæ cogitationis radice generatur. Vnde Paulus quoque Apostolus dicit: Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum. Atque mox eiusdem causam coinquinationis annuncians subiungit: Coinquinata sunt enim & mens eorum & conscientia. Si ergo ei cibus immundus non est, cui mens immunda non fuerit, cur quod munda mente mulier ex natura patitur, ei in immunditiam reputetur? Vir autem cum propria coniuge dormiens, nisi lotus aqua intrare ecclesiam non debet: sed neque lotus statim intrare debet. Lex autem veteri populo præcipit, vt mixtus vir mulieri, & lauari aqua debeat, & ante solis occasum ecclesiam non intrare: quod tamen intelligi spiritualiter potest. Quia mulieri vir miscetur, quando illicitæ concupiscentiæ animus in cogitatione per delectationem coniungitur. Quia nisi prius ignis concupiscentiæ a mente deferueat, dignum se congregationi fratrum æstimare non debet, qui se grauari per nequitiam prauę voluntatis videt. Quamuis de hac re diuersæ hominum nationes diuersa sentiant, atque alia custodire videantur: Romanorum tamen semper ab antiquioribus vsus fuit, post admixtionem propriæ coniugis, & lauacri purificationem quærere, & ab ingressu ecclesiæ paululum reuerenter abstinere. Nec hæc dicentes, culpam deputamus esse coniugium, sed quia ipsa licita admixtio coniugis sine voluptate carnis fieri non potest, a sacri loci ingressu abstinendum est: quia voluptas ipsa esse sine culpa nullatenus potest. Non enim de adulterio, vel fornicatione, sed de legitimo coniugio natus fuerat, qui dicebat: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Qui enim in iniquitatibus conceptum se nouerat, a delicto se natum gemebat: quia portat arbor

in ramo humorem vitij, quem traxit ex radice. In quibus tamen verbis non admixtionem coniugum iniquitatem nominat, sed ipsam videlicet voluptatem admixtionis. Sunt etenim multa quæ licita ac legitima, & tamen in eorum actu aliquatenus fœdamur. Sicut sæpe irascendo culpas insequimur, & tranquillitatem in nobis animi perturbamus: & cum rectum sit quod agitur, non est tamen approbabile, quod in eo animus perturbatur. Contra vitia quippe delinquentium iratus fuerat, qui dicebat: Turbatus est præ ira oculus meus. Quia enim non valet nisi tranquilla mens in contemplationis se lucem suspendere, in ira suum oculum turbatum dolebat. Quia dum male acta deorsum insequitur, confundi atque turbari a summorum contemplatione cogebatur. Et laudabilis ergo est ira contra vitium, & tamen molesta, quia turbatum se aliquem reatum incurrisse æstimat. Oportet itaque legitima carnis copula vt causa prolis sit, non voluptatis: & carnis commixtio, creandorum liberorum sit gratia, non satisfactio vitiorum. Si quis vero sua coniuge, non cupidine voluptatis raptus, sed solummodo creandorum liberorum gratia vtitur, iste profecto siue de ingressu ecclesiæ, siue de sumendo dominici corporis sanguinisque mysterio, suo est relinquendus iudicio, quia a nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere. Cum vero non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere commixtionis, habent coniuges etiam de sua commixtione quod defleant. Hoc enim eis concedit sancta prædicatio, & tamen de ipsa concessione metu animum concutit. Nam cum Paulus apostolus, Corinthiis scribens, diceret: Qui se continere nō potest, habeat vxorem suam; statim subiungere curauit: Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Non enim indulgetur quod licet, quia iustum est. Quod igitur indulgere dixit, culpam esse demonstrauit. Vigilanti vero mente pensandum est, quod in Sina monte Dominus locuturus ad populum, prius eundem populum abstinere a mulieribus præcepit. Et si illic vbi Dominus per creaturam subditam hominibus loquebatur, tanta prouisione est munditia corporis requisita, vt qui verba Dei perciperent, mulieribus mixti non essent: quanto magis mulieres quæ corpus Domini omnipotentis accipiunt, custodire in se munditiam carnis debent, ne ipsa inæstimabilis mysterij magnitudine grauentur. Hinc etenim ad Dauid de pueris suis per sacerdotem dicitur, vt si a mulieribus mundi essent, panes propositionis acciperent, quos omnino non acciperent, nisi prius mundos eos Dauid a mulieribus fateretur. Tunc autem vir qui post admixtionem coniugis lotus aqua fuerit, etiam sacræ communionis mysterium valet accipere, cum ei iuxta præfinitam sententiam, etiam ecclesiam licuerit intrare. VIIII. INTERROGATIO Augustini. Si post illusionem, quæ per somnium solet accidere, vel corpus Domini quilibet accipere valeat; vel si sacerdos sit, sacra mysteria celebrare? RESPONSIO Gregorij. Hunc quidem testamentum veteris legis, sicut & in superiori capitulo iam diximus, pollutum dicit; & nisi lotum aqua ei vsque ad vesperum intrare ecclesiam non concedit. Quod tamen aliter populus spiritalis intelligens, sub eodem intellectu accipiet quo præfati sumus: quia quasi per somnium illuditur, qui tentatus immunditia veris imaginibus in cogitatione inquinatur; sed lauandus est aqua, vt culpas cogitationis lacrimis abluat. Et nisi prius ignis tentationis recesserit, reum se quasi vsque ad vesperū cognoscat. Sed est in eadem illusione valde necessaria discretio, quæ subtiliter pensari debet, ex qua re accidat menti dormientis. Aliquando enim ex crapula, aliquādo ex naturæ superfluitate vel infirmitate, aliquando ex cogitatione cōtingit. Ita & quidem cum ex naturę superfluitate vel infirmitate euenerit, omnimodo hæc illusio non est timenda: quia hanc animus nesciens pertulisse magis dolendum est, quam fecisse. Cum vero vltra modum appetitus gulæ in sumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula grauantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen vsque ad prohibitionem percipiendi sancti mysterij, vel missarum solennia celebrandi. Cum fortasse aut festus dies exigit, aut exhiberi mysterium (pro eo quod sacerdos alius in loco deest) ipsa necessitas cōpellit. Nam si adsunt alij, qui implere mysteriū valeāt, illusio pro crapula facta, a perceptione sacri mysterij prohibere non debet: sed ab immolatione sacri mysterij abstinere, vt arbitror, humiliter debet, si tamē dormientis mētem turpi imaginatione

non concusserit. Nam sunt quibus ita plerumque illusio nascitur, vt eorum animas etiam in somno corporis positus turpibus imaginationibus non fœdetur. Qua in re vnum ibi ostenditur ipsa mens rea, non tamen vel suo iudicio libera, cum se, etsi dormienti corpore nihil meminit vidisse, tamen in vigiliis corporis meminit in ingluuiem cecidisse. Si vero ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio dormientis, patet animo suus reatus. Videt enim a qua radice inquinatio illa processerit, quia quod cogitauit sciens, hoc protulit nesciens. Sed pensandum est, ipsa cogitatio vtrum suggestione, an delectatione, vel, quod maius est, peccati consensu acciderit. Tribus etenim modis impletur omne peccatum, videlicet suggestione, delectatione, consensu. Suggestio quippe fit per diabolum, delectatio per carnem, consensus per spiritum. Quia & primam culpam Serpens suggessit, Eua velut caro delectata est, Adam vero velut spiritus consensit. Et necessaria est magna discretio, vt inter suggestionem atque delectationem, inter delectationem & consensum, iudex sui animus præsideat. Cum enim malignus spiritus peccatum suggerit in mente, si nulla peccati delectatio sequatur, peccatum omnimodo perpetratum non est. Cum vero delectari caro cœperit, tunc peccatum incipit nasci. Si autem ex deliberatione consentit, tunc peccatum cognoscitur perfici. In suggestione igitur, peccati initium est, in delectatione fit nutrimentum, in consensu perfectio. Et sæpe contingit, vt hoc quod malignus spiritus seminat in cogitatione, caro in delectationem trahat, nec tamen anima eidem delectationi consentiat. Et cum caro delectari sine anima nequeat, ipse tamen animus carnis voluptatibus reluctans, in delectatione carnali aliquomodo ligatur inuitus, vt ei ex ratione contradicat, nec consentiat, & tamen delectatione ligatus sit, sed ligatum se vehementer ingemiscat. Vnde & ille cœlestis exercitus præcipuus miles gemebat, dicens: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meę, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Si autem captiuus erat, minime pugnabat, sed & si pugnabat, quare captiuus erat? Repugnabat igitur legi mentis, cui lex quæ in membris est repugnabat. Si autem pugnabat, captiuus non erat. Ecce itaq; homo est, vt ita dixerim, captiuus & liber: liber ex iustitia quam diligit; captiuus ex delectatione quam portat inuitus.

CAPVT XXVIII.

HVCVSQVE responsiones beati Papæ Gregorij ad consulta reuerendissimi antistitis Augustini. Epistolam vero quam se Arelatensi episcopo fecisse commemorat, ad Virgilium Etherij successorem dederat; cuius hæc forma est: Reuerendissimo & sanctissimo fratri Virgilio coëpiscopo, Gregorius seruus seruorum Dei. Quantus sit affectus venientibus sponte fratribus impēdendus, ex eo quod plærumque solent caritatis causa inuitari, cognoscitur. Et ideo si communem fratrem Augustinum episcopum ad vos venire contigerit, ita illum dilectio vestra sicut decet affectuose dulciterque suscipiat; vt & ipsum consolationis suæ honore foueat, & alios qualiter fraterna caritas colenda sit, doceat. Et quoniam sæpius euenit, vt hi qui longe sunt positi, prius ab aliis quæ sunt emendanda cognoscant: si quas fortasse fraternitati vestræ sacerdotum vel aliorum culpas intulerit, vna cum eo residentes subtili cuncta inuestigatione perquirite. Et ita vos in ea quæ Deum offendunt, & ad iracundiam prouocant, districtos ac sollicitos exhibete, vt ad aliorum emēdationem & vindicta culpabilem feriat, & innocentem falsa opinio non affligat. Deus te incolumen custodiat reuerendissime frater. Data die decimo Kalendarum Iuliarum, imperante Domino nostro Mauritio Tiberio piissimo Augusto, anno decimo octauo, post consulatum eiusdem domini nostri, anno decimo octauo, indictione quarta.

CAPVT XXIX.

PRAETEREA idem papa Gregorius Augustino episcopo (quia suggesserat ei multam quidem sibi esse messem, sed operarios paucos) misit cum præfatis legatariis suis plures cooperatores ac verbi ministros, in quibus primi & præcipui erant Mellitus, Iustus, Paulinus, Rufinianus, & per eos generaliter vniuersa, quæ ad cultum erant ac

ministerium ecclesiæ necessaria, vasa videlicet sacra & vestimenta altarium, ornamenta quoque ecclesiarum, & sacerdotalia vel clericalia indumenta, sanctorum etiam apostolorum ac martyrum reliquias, necnon & codices plurimos. Misit etiam litteras, in quibus significat, se ei pallium direxisse, simul & insinuat qualiter episcopos in Britannia constituere debuisset. quarum litterarum iste est textus: REVERENDISSIMO & sanctissimo fratri Augustino coëpiscopo Gregorius seruus seruorum Dei. Cum certum sit pro omnipotenti Deo laborantibus ineffabilia æterni regni præmia reseruari, nobis tamen eis necesse est honorum beneficia tribuere, vt in spiritalis operis studio ex remuneratione valeant multiplicius insudare. Et quia noua Anglorum ecclesia ad omnipotentis Dei gratiam, eodem domino largiente, & te laborante perducta est, vsum tibi pallij in ea ad sola missarum solennia agenda, concedimus, ita vt per loca singula duodecim episcopos ordines, qui tuæ subiaceant ditioni, quatenus Lundoniensis ciuitatis episcopus semper in posterum a synodo propria debeat consecrari, atque honoris pallium ab hac sancta & apostolica (cui Deo auctore deseruio) sede percipiat. Ad Eburacam vero ciuitatem te volumus Episcopum mittere, quem ipse iudicaueris ordinare: ita duntaxat, vt si eadem ciuitas cum finitimis locis verbum Dei receperit, ipse quoque duodecim episcopos ordinet, & metropolitani honore perfruatur. Quia ei quoque, si vita comes fuerit, pallium tribuere, domino fauente, disponimus, quem tamen tuæ fraternitatis volumus dispositioni subiacere. Post obitum vero tuum ita episcopis quos ordinauerit præsit, vt Lundoniensis episcopi nullo modo ditioni subiaceat. Sit vero inter Lundoniæ & Eburacæ ciuitatis episcopos in posterum honoris ista distinctio, vt ipse prior habeatur, qui prius fuerit ordinatus. Communi autem consilio, & concordi actione quæque sunt pro Christi zelo agenda, disponant vnanimiter, recte sentiant, & ea quæ senserint, non sibimet discrepando perficiant. Tua vero fraternitas non solum eos episcopos quos ordinauerit, neque eos tantummodo qui per Eburacæ episcopum fuerint ordinati, sed etiam omnes Britanniæ sacerdotes habeat Deo, Domino nostro Iesu Christo auctore, subiectos. Quatenus ex lingua & vita tuæ sanctitatis & recte credendi & bene viuendi normam percipiant, atque officium suum fide ac moribus exequentes ad cœlestia, cum Dominus voluerit, regna pertingant. Deus te incolumen custodiat reuerendissime frater. Datæ die decimo Kalendarum Iuliarum, imperante Domino nostro Mauritio Tiberio piissimo Augusto, anno decimo nono, post consulatum eiusdem domini anno decimo octauo, indictione quarta.

CAPVT XXX.

ABEVNTIBVS autem præfatis legatariis, misit post eos beatus pater Gregorius litteras memoratu dignas, in quibus aperte, quam studiose erga saluationem nostræ gentis inuigilauerit, ostendit, ita scribens: DILECTISSIMO filio Mellito Abbati Gregorius seruus seruorum Dei. Post discessum congregationis nostræ, quæ tecum est, valde sumus suspensi redditi, quia nihil de prosperitate vestri itineris audisse nos contigit. Quum ergo Deus omnipotens vos ad reuerendissimum virum fratrem nostrum Augustinum episcopum perduxerit, dicite ei quid diu mecum de causa Anglorum cogitans tractaui; videlicet quod fana idolorum destrui in eadem gente minime debeant: sed ipsa quæ in eis sunt idola destruantur, aqua benedicta fiat, in eisdem fanis aspergatur, altaria construantur, reliquiæ componantur. Quia si fana eadem bene constructa sunt, necesse est vt a cultu dæmonum in obsequia veri Dei debeant commutari, vt dum gens ipsa eadem fana sua non videt destrui, de corde errorem deponat, & Deum verum cognoscens, ac adorans, ad loca quæ consueuit familiarius concurrat. Et quia boues solent in sacrificio dæmonum multos occidere, debet eis etiam hac de re aliqua solennitas immutari: vt die dedicationis, vel natalitiis sanctorum martyrum, quorum illic reliquiæ ponuntur, tabernacula sibi circa easdem ecclesias, quæ ex fanis commutatæ sunt, de ramis arborum faciant, & religiosis conuiuiis solennitatem celebrent, nec diabolo iam animalia immolent, sed ad laudem Dei in esu suo animalia occidant, & donatori omnium de satietate sua gratias referant, vt dum eis aliqua

exterius gaudia reseruantur, ad interiora gaudia consentire facilius valeant. Nam duris mentibus simul omnia abscindere impossibile esse non dubium est. Quia & is qui summum locum ascendere nititur, gradibus vel passibus nō, autem saltibus eleuatur. Sic Israelitico populo dominus in Ægypto quidem innotuit, sed tamen eis sacrificiorum vsus, quæ diabolo solebat exhibere in cultu proprio, reseruauit, vt eis in suo sacrificio animalia immolare præciperet, quatenus cor mutantes, aliud de sacrificio amitterent, aliud retinerent, vt & ipsa essent animalia, quæ offerre consueuerant, vero tamen Deo hæc & non idolis immolantes iam sacrificia ipsa non essent. Hæc igitur dilectionem tuam prędicto fratri necesse est dicere, vt ipse in præsenti illic positus perpendat, qualiter omnia debeat dispensare. Deus te incolumem custodiat dilectissime fili. Datæ die decimo quinto Kalendarum Iuliarum, imperante domino nostro Mauritio Tiberio piissimo Augusto anno decimo nono, post Consulatum eiusdem domini anno decimo octauo, indictione quarta.

CAPVT XXXI.

QVO in tempore misit etiam Augustino epistolam super miraculis, quæ per eum facta esse cognouerat, in qua eum ne per illorum copiam periculum elationis incurreret, his verbis hortatur: SCIO frater carissime, quia omnipotens Deus per dilectionem tuam in gentem quam eligi voluit, magna miracula ostendit. Vnde necesse est, vt de eodem dono cœlesti & timendo gaudeas, & gaudendo pertimescas. Gaudeas videlicet, quia Anglorum animæ per exteriora miracula ad interiorem gratiam pertrahuntur: pertimescas vero, ne inter signa quæ fiunt infirmus animus in sui præsumptione se eleuet, & vnde foras in honorem tollitur, inde per inanem gloriam intus cadat. Meminisse etenim debemus, quod discipuli cum gaudio a prædicatione redeuntes, dum cœlesti magistro dicerent: Domine, in nomine tuo etiam dæmonia nobis subiecta sunt, protinus audierunt: Nolite gaudere super hoc, sed potius gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlo. In priuata enim & temporali lætitia mentem posuerant, qui de miraculis gaudebant. Sed de priuato ad communem & de temporali ad æternam lætitiam reuocantur, quibus dicitur: In hoc gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlo. Non enim omnes electi miracula faciunt, sed tamen eorum nomina omnium in cœlo tenentur adscripta. Veritatis etenim discipulis esse gaudium non debet, nisi de eo bono, quod commune cum omnibus habent, & in quo finem lætitiæ non habent. Restat itaque frater carissime, vt inter ea quæ operante Domino exterius facis, semper te interius subtiliter iudices, ac subtiliter intelligas, & temetipsum quis sis, & quanta sit in eadem gente gratia, pro cuius conuersione etiam faciendorum signorum dona percepisti. Et si quando te creatori nostro seu per linguam seu per opera reminisceris deliquisse, semper hæc ad memoriam reuoces, vt surgentem cordis gloriam memoria reatus premat. Et quicquid de faciendis signis acceperis vel accepisti, hæc non tibi sed eis deputes donata, pro quorum tibi salute collata sunt.

CAPVT XXXII.

MISIT & idem beatus Papa Gregorius eodem tempore etiam Regi Edilberto epistolam, simul & dona in diuersis speciebus perpulcra, temporalibus quoque honoribus Regem glorificare satagens, cui gloriæ cœlestis suo labore & industria notitiam prouenisse gaudebat. Exemplar autem præfatæ epistolæ, hoc est: DOMINO gloriosissimo atque præcellentissimo filio Edilberto Regi Anglorum Gregorius episcopus. Propter hoc omnipotens Deus bonos quosque ad populorum regimina perducit, vt per eos omnibus, quibus prælati fuerint, dona suæ pietatis impendat. Quod in Anglorum gente factum cognouimus; cui vestra gloria est idcirco præposita, vt per bona, quæ vobis concessa sunt, etiam subiectæ vobis genti superna beneficia præstarentur. Et ideo gloriose fili, eam quam accepisti diuinitus gratiam sollicita mente custodi, Christianam fidem in populis tibi subditis extendere festina; zelum rectitudinis tuæ in eorum multiplica conuersione; idolorum cultus insequere; fanorum ædificia euerte;

subditorum mores ex magna vitæ munditia exhortando, terrendo, blandiendo, corrigendo, & boni operis exempla monstrando ædifica, vt illum retributorem inuenias in cœlo, cuius nomen atque cognitionem dilataueris in terra. Ipse enim vestræ quoque gloriæ nomen etiam posteris gloriosius reddet, cuius vos honorem quæritis & seruatis in gentibus. Sic etenim Constantinus quondam piissimus Imperator Romanam rempublicam a peruersis idolorum cultibus reuocans, omnipotenti Deo domino nostro Iesu Christo secum subdidit, seque cum subiectis populis tota ad Deum mente conuertit. Vnde factum est, vt antiquorum principum nomen suis vir ille laudibus vinceret, & tanto in opinione præcessores suos quanto & in bono opere superaret. Et nunc itaque vestra gloria cognitionem vnius Dei patris & Filij & Spiritus sancti Regibus ac populis sibimet subiectis festinet infundere, vt & antiquos gentis suæ Reges laudibus ac meritis transeat, & quanto in subiectis suis etiam aliena peccata deterserit, tanto etiam de peccatis propriis ante omnipotentis Dei terribile examen securior fiat. Reuerendissimus frater noster Augustinus Episcopus in monasterij regula doctus, sacræ scripturæ scientia repletus, bonis auctore Deo operibus præditus, quæque vos admonet libenter audite, deuote peragite, studiose in memoria reseruate. Quia si vos eum in eo quod pro omnipotente Deo loquitur auditis, idem omnipotens Deus hunc pro vobis exorantem celerius exaudiet. Si enim, quod absit, verba eius postponitis, quomodo eum omnipotens Deus poterit audire pro vobis, quem vos negligitis audire pro Deo? Tota igitur mente cum eo vos in feruore fidei stringite, atque ad nisum illius virtute quam vobis diuinitas tribuit adiuuate, vt regni sui vos ipse faciat esse participes, cuius vos fidem in regno vestro recipi facitis & custodiri. Præterea scire vestram gloriam volumus, quod sicut in scriptura sacra ex verbis domini omnipotentis agnoscimus, præsentis mundi iam terminus iuxta est, & sanctorum regnum venturum est, quod nullo vnquam poterit fine terminari. Appropinquante autem eodem mundi termino, multa imminent quæ antea non fuerunt, videlicet immutationes aëris, terroresque de cœlo, & contra ordinem temporum tempestates, bella, fames, pestilentiæ, terræ motus per loca, quæ tamen non omnia nostris diebus ventura sunt, sed post nostros dies omnia subsequentur. Vos itaque si qua ex his euenire in terra vestra cognoscitis, nullo modo animum vestrum perturbetis: quia idcirco hæc signa de fine sæculi præmittuntur, vt de animabus nostris debeamus esse solliciti, de mortis hora suspecti, & venturo iudici in bonis actibus inueniamur esse præparati. Hæc nunc gloriose fili paucis locutus sum, vt cum Christiana fides in regno vestro excreuerit, nostra quoque apud vos locutio latior excrescat, & tanto plus loqui libeat, quanto se in mente nostra gaudia de gentis vestræ perfecta conuersione multiplicant. Parua autem xenia transmisi, quæ vobis parua non erunt, quum a vobis ex beati Petri apostoli fuerint benedictione suscepta. Omnipotens itaque Deus in vobis gratiam suam quam cœpit perficiat, atque vitam vestram & hic per multorum annorum curricula extendat, & post longa tempora in cœlestis vos patriæ congregatione recipiat. Incolumen excellentiam vestram gratia superna custodiat domine fili. Data die decimo Kalendarum Iuliarum, imperante domino nostro Mauritio Tiberio piissimo Augusto, anno decimonono, post Cōsulatum eiusdem anno decimo octauo, indictione quarta.

CAPVT XXXIII.

At Augustinus vbi in regia ciuitate sedem episcopalem, vt prædiximus, accepit, recuperauit in ea, regio fultus adminiculo, ecclesiam quam ibi Romanorum antiquorum fidelium opere factam fuisse didicerat, & eam in nomine sancti saluatoris Dei & domini nostri Iesu Christi sacrauit, atque ibidem sibi habitationem statuit & cunctis successoribus suis. Fecit autem & monasterium non longe ab ipsa ciuitate ad Orientem, in quo eius hortatu Edilbert ecclesiam beatorum apostolorum Petri & Pauli a fundamentis construxit, ac diuersis donis ditauit, in qua & ipsius Augustini & omnium episcoporum Dorouernensium, simul & regum Cantię poni corpora possent. Quam tamen ecclesiam non ipse Augustinus, sed successor eius Laurentius

conse-

consecrauit. Primus autem eiusdem monasterij abbas Petrus presbyter fuit, qui legatus Galliam missus, demersus est in sinu maris, qui vocatur Amfleat, & ab incolis loci ignobili traditur sepulturæ: sed omnipotens Deus vt qualis meriti vir fuerit demonstraret, omni nocte supra sepulcrum eius lux cœlestis apparuit; donec animaduertentes vicini qui videbant sanctum fuisse virum, qui ibi esset sepultus, & inuestigantes vnde & quis esset, abstulerunt corpus, & in Bononia ciuitate, iuxta honorem tanto viro congruum, in ecclesia posuerunt.

CAPVT XXXIIII.

His temporibus regno NordanHumbrorum præfuit rex fortissimus & gloriæ cupidissimus Edelfridus, qui plus omnibus Anglorum primatibus gentem vastauit Britonum, ita vt Sauli quondam Regi Israëliticæ gentis comparandus videretur, excepto duntaxat hoc, quod diuinæ erat religionis ignarus. Nemo enim in tribunis, nemo in regibus plures eorum terras, exterminatis, vel subiugatis indigenis, aut tributarias genti Anglorum, aut inhabitabiles fecit. Cui merito poterat illud, quod benedicens filium Patriarcha in persona Saulis dicebat, aptari: Beniamin lupus rapax, mane comedet prædam, & vespere diuidet spolia. Vnde motus eius profectibus Edan rex Scotorum, qui Britanniam inhabitant, venit contra eum cum immenso ac forti exercitu, sed cum paucis victus aufugit. Siquidem in loco celeberrimo, qui dicitur Degsastan, id est, degsa lapis, omnis pæne eius est cæsus exercitus. In qua etiam pugna Theodbaldus frater Edilfridi cum omni illo quem ipse ducebat exercitu peremptus est. Quod videlicet bellum Edilfridus anno ab incarnatione domini sexcentesimo tertio, regni autem sui, quod viginti quattuor annos tenuit, anno vndecimo perfecit. Porro anno Focatis, qui tum regni Romani apicem tenebat, primo. Neque ex eo tempore, quisquam regum Scotorum in Britanniam aduersus gentem Anglorum vsque ad hanc diem in prælium venire audebat.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

His temporibus, id est, anno dominicæ incarnationis sexcentesimo quinto, beatus Papa Gregorius postquam sedem Romanæ & apostolicæ ecclesiæ tredecim annos, menses sex, & dies decem gloriosissime rexit, defunctus est, atque ad æternam regni cœlestis sedem translatus. De quo nos conuenit (quia nostram, id est, Anglorum gentem de potestate Satanæ ad fidem Christi sua industria conuertit) latiorem in nostra historia Ecclesiastica facere sermonem, quem recte nostrum appellare possumus, & debemus, Apostolum. Quia cum primum in toto orbe gereret Pontificatum, & conuersis iamdudum ad fidem veritatis esset prælatus ecclesiis, nostram gentem eatenus idolis mancipatam Christi fecit ecclesiam, ita vt apostolicum illum de eo liceat nobis proferre sermonem. Quia & si aliis non est apostolus, sed tamen nobis est. Nam signaculum apostolatus eius nos sumus in domino. Erat autē natione Romanus, ex patre Gordiano, genus a proauis non solum nobile, sed & religiosum ducens. Denique Felix eiusdem sedis apostolicæ quondem episcopus, vir magnæ gloriæ in Christo & ecclesia eius fuit atauus. Sed & ipse nobilitatem religionis non minore quam parentes & cognati virtute deuotionis exercuit. Nobilitatem vero illam, quam ad sæculum videbatur habere, totam ad nanciscendam supernæ gloriam dignitatis diuina gratia largiente conuertit. Nam mutato repente sæculari habitu, monasterium petiit, in quo tanta perfectionis gratia cœpit cōuersari, vt (sicut ipse postea flēdo attestari solebat) animo illius labētia cūcta subteresent, vt rebus omnibus quę voluūtur emineret, vt nulla nisi cœlestia cogitare soleret, vt etiam retentus corpore, ipsa iam carnis claustra contemplatione transiret, vt mortem

quoque, quæ pæne cunctis pœna eſt, videlicet vt ingreſſum vitæ & laboris ſui præmium amaret. Hæc autem ipſe de ſe non profectum iactando virtutum, ſed deflendo potius defectum, quem (vt referre conſueuerat) ſibi per curam paſtoralem incurriſſe videbatur. Denique tempore quodã, ſecreto cum diacono ſuo Petro colloquens, enumeratis animi ſui virtutibus priſcis, mox dolẽdo ſubiunxit: At nunc ex occaſione curæ paſtoralis ſæcularium hominum negotia patitur, & poſt tam pulcram quietis ſuæ ſpeciem, terreni actus puluere fœdatur. Cumque ſe pro cõdeſcenſione multorum ad exteriora ſparſerit, etiam cum interiora appetit, ad hæc proculdubio minor rediit. Perpendo itaque quid tolero, perpendo quid amiſi; dumque intueor illud quod perdidi, fit hoc grauius quod porto. Hæc quidem ſanctus vir ex magnæ humilitatis intentione dicebat. Sed nos credere decet, nihil eum monaſticæ perfectionis perdidiſſe, occaſione curæ paſtoralis, immo potiorem tunc ſumpſiſſe profectum de labore conuerſionis multorum, quam de propriæ quondam quiete conuerſationis habuerat, maxime quia & pontificali functus officio, domum ſuam monaſterium facere curauit. Et dum primum de monaſterio abſtractus, ad miniſterium altaris ordinatus, atque Conſtantinopolim apocriſarius ab apoſtolica ſede directus eſt, non tamen in terreno conuerſatus palatio propoſitum vitæ cœleſtis intermiſit. Nam quoſdam fratrum ex monaſterio ſuo, qui eum gratia germanæ caritatis ad Regiam vrbem ſecuti ſunt, in tutamentum cœpit obſeruantiæ regularis habere, videlicet vt eorũ ſemper exemplo (ſicut ipſe ſcribit) ad orationis placidũ litus, quaſi anchoræ fune reſtringeretur, cum inceſſabili cauſarum ſæcularium impulſu fluctuaret, concuſſamque ſæculi actibus mentem inter eos quotidie per ſtudioſæ lectionis roboraret alloquium. Horum ergo conſortio non ſolum a terrenis eſt munitus incurſibus, verumetiam ad cœleſtis exercitia vitæ magis magiſque ſuccenſus. Nam hortati ſunt eum, vt librum beati Iob magnis inuolutum obſcuritatibus myſtica interpretatione diſcuteret, neq; negare potuit opus, quod ſibi fraternus amor multis vtile futurum imponebat. Sed eundem librum, quomodo iuxta litteram intelligendus, qualiter ad Chriſti & eccleſiæ ſacramẽta referendus, quo ſenſu vnicuique fidelium ſit aptandus, per triginta quinque libros expoſitionis, miranda ratione perdocuit. Quod videlicet opus in Regia quidem vrbe apocriſarius inchoauit, Romæ autem iam factus Pontifex impleuit. Qui cum eſſet adhuc Regia in vrbe poſitus, naſcentem ibi nouam hæreſim de ſtatu noſtræ reſurrectionis, cum ipſo quo exorta eſt initio, iuuante ſe gratia catholicæ veritatis attriuit. Siquidem Euthycius eiuſdem vrbis Epiſcopus dogmatizabat, corpus noſtrum in illa reſurrectionis gloria impalpabile, ventis aërique ſubtilius eſſe futurum. Quod ille audiens, & ratione veritatis, & exemplo dominicæ reſurrectionis probauit hoc dogma orthodoxæ fidei omnimodis eſſe contrarium. Catholica etenim fides habet, quod corpus noſtrum in illa immortalitatis gloria ſublimatum, ſubtile quidem ſit per effectum ſpiritalis potentiæ, ſed palpabile per veritatem naturæ, iuxta exemplum dominici corporis, de quo a mortuis ſuſcitato, dicit ipſe diſcipulis: Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. In cuius aſſertione fidei venerabilis pater Gregorius intantum contra naſcentem hæreſim nouam laborare contendit, tãta hac inſtantia iuuante etiam piiſſimo imperatore Tiberio Conſtantino cõminuit, vt nullus exinde ſit inuentus, qui eius reſuſcitator exiſteret. Alium quoque librum compoſuit egregium, qui vocatur Paſtoralis, in quo manifeſta luce patefecit, qualis ad eccleſiæ regimen aſſumi, qualiter ipſi rectores viuere, qua diſcretione ſingulas quaſque audientium inſtruere perſonas, & quanta conſideratione propriam quotidie debeant fragilitatem penſare. Sed & homilias euangelij numero quadraginta compoſuit, quas in duobus codicibus æqua ſorte diſtinxit. Libros etiam dialogorum quattuor fecit, in quibus rogatu Petri diaconi ſui virtutes ſanctorum, quos in Italia clariores noſſe vel audire poterat, ad exemplum viuendi poſteris collegit, vt, ſicut in libris Expoſitionum ſuarum quibus ſit virtutibus inſudandum, edocuit, ita etiam deſcriptis ſanctorum miraculis, quæ virtutum earundem ſit claritas oſtenderet. Primam quoque & vltimã Ezechielis Prophetæ partem, quæ videbantur obſcuriores, per homilias viginti & duas, quantum lucis intus habeant, demonſtrauit. Excepto libello Reſponſionum, quem ad

interro-

interrogationes sancti Augustini, primi Anglorum gentis episcopi scripsit, vt supra docuimus, totum ipsum libellum his inserentes historiis: libello quoque Synodico, quem cum episcopis Italiæ de necessariis ecclesiæ causis vtilissimum composuit: & familiaribus ad quosdam litteris. Quod eo magis mirum est, tot eum ac tanta condere volumina potuisse, quod omni pæne iuuentutis suæ tempore, vt verbis ipsius loquar, crebris viscerum doloribus cruciabatur, horis momentisque omnibus fracta stomachi virtute lassescebat, lentis quidem, sed tamen continuis febribus anhelabat. Verum inter hæc dum sollicitus pensaret, quia, scriptura teste, omnis filius qui recipitur, flagellatur, quo malis præsentibus durius deprimebatur, eo de æterna certius præsumptione respirabat. Hæc quidem de immortali eius sint dicta ingenio, quod nec tanto corporis potuit dolore restringi. Nam alij quidem pontifices construendis ornandisque auro vel argento ecclesiis operam dabant, hic autem totus erga animarum lucra vacabat. Quicquid pecuniæ habuerat, hoc sedulus dispergere ac dare pauperibus curabat, vt iustitia eius maneret in sæculum sæculi, & cornu eius exaltaretur in gloria. ita vt illud beati Iob veraciter dicere possit: Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi, quod liberassem pauperem vociferantem & pupillum cui non esset adiutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum. Iustitia indutus sum, & vestiui me sicut vestimento, & diademate, iudicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, & causam quam nesciebam, diligentissime inuestigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam. Et paulo post; Si negaui, inquit, quod volebant pauperibus, & oculos viduæ expectare feci; Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea. Quia ab infantia mea creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum. Ad cuius pietatis & iustitiæ opus pertinet etiam hoc, quod nostram gentem per prædicatores quos huc direxit, de dentibus antiqui hostis eripiens, æternæ libertatis fecit esse participem. Cuius fidei & saluti congaudens, quamque digna laude commendans, ipse dicit in expositione beati Iob; Ecce lingua Britanniæ, quæ nihil aliud nouerat quam barbarum frendere, iamdudum in diuinis laudibus Hebræum cœpit Alleluia resonare. Ecce quondam tumidus, iam substratus sanctorum pedibus, seruit Oceanus, eiusque barbaros motus, quos terreni principes edomare ferro nequiuerant, hos pro diuina formidine sacerdotum ora simplicibus verbis ligant: & qui cateruas pugnantium infidelis nequaquam metueret, iam nunc fidelis humilium linguas timet. Quia enim perceptis cœlestibus verbis, clarescentibus quoque miraculis, virtus ei diuinæ cognitionis infunditur, eiusdem diuinitatis terrore refrænatur, vt praue agere metuat, ac totis desideriis ad æternitatis gratiam venire concupiscat. Quibus verbis beatus Gregorius hoc quoque declarat, quod sanctus Augustinus & socij eius non sola prædicatione verborum, sed etiam cœlestium ostensione signorum, gentem Anglorum ad agnitionem veritatis perducebant. Fecit inter alia beatus papa Gregorius, vt in ecclesiis beatorum apostolorum Petri & Pauli super corpora eorum missæ celebrarentur. Sed & in ipsa missarum celebratione tria verba maximæ perfectionis plena super adiecit, *Diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari.* Rexit autem ecclesiam temporibus imperatorum Mauritij & Focatis. Secundo autem eiusdem Focatis anno, transiens ex hac vita migrauit ad veram, quæ in cœlis est, vitam. Sepultus vero est corpore in ecclesia beati Petri apostoli ante secretarium, die quarto iduum Martiarum: quandoque in ipso cum ceteris sanctæ ecclesiæ pastoribus resurrecturus in gloria. Scriptumque est in tumba ipsius Epitaphium huiusmodi:

Suscipe terra tuo corpus de corpore sumptum,
Reddere quod valeas viuificante Deo.
Spiritus astra petit, leti nil iura nocebunt,
Cui vita alterius mors magis ipsa via est.
Pontificis summi hoc clauduntur membra sepulcro,
Qui innumeris semper viuit vbique bonis.

Esuriem dapibus superauit, frigora veste,
Atque animas monitis texit ab hoste sacris.
Implebatque actu, quicquid sermone docebat,
Esset vt exemplum, mystica verba loquens.
Ad Christum Anglos conuertit pietate magistra,
Acquirens fidei agmina gente noua.
Hic labor, hoc studium, hac tibi cura, hoc pastor agebas,
Vt domino offerres plurima lucra gregis.
Hisque Dei consul factus letare triumphis,
Nam mercedem operum iam sine fine tenes.

Nec silentio prætereunda opinio, quæ de Beato Gregorio, traditione maiorum, ad nos vsque perlata est, qua videlicet ex causa admonitus tam sedulam erga salutem nostræ gentis curam gesserit. Dicunt, quia die quadam cum aduenientibus nuper mercatoribus multa venalia in forum fuissent collata, multique ad emendum confluxissent, & ipsum Gregorium inter alios aduenisse, ac vidisse inter alia pueros venales positos, candidi corporis, ac venusti vultus, capillorum quoque forma egregia. Quos cum aspiceret, interrogauit, vt aiunt, de qua regione vel terra essent allati? dictumque est quod de Britannia insula, cuius incolæ talis essent aspectus. Rursus interrogauit, vtrum iidem insulani, Christiani; an paganis adhuc erroribus essent implicati? Dictumque est, quod essent pagani. At ille intimo ex corde longa trahens suspiria, Heu proh dolor, inquit, quod tam lucidi vultus homines, tenebrarum auctor possidet, tantaque gratia frontis conspicui mentem ab interna gratia vacuam gestant! Rursus ergo interrogauit, quod esset vocabulum gentis illius? Responsum est, quod Angli vocarentur. At ille, bene, inquit. Nam & angelicam habent faciem, & tales angelorum in cœlis decet esse coheredes. Quod, ait, habet nomen ipsa prouincia, de qua isti sunt allati? Responsum est, quod Deiri vocarentur iidem prouinciales. At ille, bene, inquit, Deiri de ira eruti, & ad misericordiam Christi vocati. Rex prouinciæ illius quomodo vocatur? Responsum est quod Elle diceretur. At ille alludens ad nomen, ait, Alleluia laudem Dei creatoris illis in partibus oportet cantari. Accedensque ad pontificem Romanæ & apostolicæ sedis (nondum enim erat ipse pontifex factus) rogauit, vt genti Anglorum in Britanniam aliquos verbi ministros, per quos ad Christum conuerteretur, mitteret, seipsum paratum esse in hoc opus domino cooperante perficiendum, si tamen apostolico Papæ, hoc vt fieret, placeret. Quod dum perficere non posset, quia & si pontifex concedere illi quod petierat voluit, nõ tamen ciues Romani vt tam longe ab vrbe secederet, potuere permittere. Mox vt ipse pontificatus officio functus est, perfecit opus diu desideratum. Alios quidem prædicatores mittens, sed ipse prædicationem vt fructificaret, suis exhortationibus, ac precibus adiuuans. Hæc iuxta opinionem quam ab antiquis accepimus, historiæ nostræ ecclesiasticæ inserere oportunum duximus.

CAPVT II.

INTEREA Augustinus adiutorio vsus Edilberti Regis, conuocauit ad suum colloquium episcopos siue doctores proximæ Britonum prouinciæ, in loco qui vsque hodie lingua Anglorum Augustineizat, id est, robur Augustini, in confinio Vectiorum & occidentalium Saxonum appellatur: cœpitque eis fraterna admonitione suadere, vt pace catholica secum habita, communem euangelizandi gentibus pro domino laborem susciperent. Non enim paschæ diem dominicum suo tempore, sed a decima quarta vsque ad vicesimam lunam obseruabant. Quæ computatio octoginta quattuor annorum circulo continetur. Sed & alia plurima vnitati ecclesiasticæ contraria faciebant. Qui cum longa disputatione habita, neque precibus neque hortamentis neque increpationibus Augustini ac sociorum eius assensum præbere voluissent, sed suas potius traditiones vniuersis, quæ per orbem sibi in Christo concordant, ecclesiis præferrent, sanctus pater Augustinus hunc laboriosi ac longi certaminis finem fecit, vt diceret: Obsecremus

Deum, qui habitare facit vnanimes in domo patris sui, vt ipse nobis insinuare cœlestibus signis dignetur, quæ sequenda traditio, quibus sit viis ad ingressum regni illius properandum. Adducatur aliquis æger, & per cuius preces fuerit curatus, huius fides & operatio Deo deuota atque omnibus sequenda credatur. Quod cum aduersarij, inuiti licet, concederent, allatus est quidam de genere Anglorum oculorum luce priuatus: qui cum oblatus Britonum sacerdotibus nil curationis vel sanationis horum ministerio perciperet, tandem Augustinus iusta necessitate compulsus flectit genua sua ad patrem Domini nostri Iesu Christi, deprecans vt visum cæco, quem amiserat, restitueret, & per illuminationem vnius hominis corporalem in plurimorum cordibus fidelium spiritalis gratia lucem accenderet. Nec mora, illuminatur cæcus, ac verus summæ lucis præco ab omnibus prædicatur Augustinus. Tum Britones confitentur quidem intellexisse se, veram esse viam iustitiæ quam prędicaret Augustinus, sed non se posse absque suorum consensu ac licentia priscis abdicare moribus. Vnde postulabant, vt secundo synodus pluribus aduenientibus fieret. Quod cum esset statutum, venerunt, vt perhibent, septem Britonum episcopi, & plures viri doctissimi, maxime de nobilissimo eorum monasterio, quod vocatur lingua Anglorum Bancornaburg, cui tempore illo Dinooth abbas præfuisse narratur, qui ad præfatum ituri concilium, venerunt primo ad quendam virum sanctum ac prudentem, qui apud eos anachoriticam ducere solebat vitam, consulentes, an ad prædicationem Augustini suas deserere traditiones deberent? Qui respondebat: Si homo Dei est, sequimini illum. Dixerunt: Et vnde hoc possumus probare? At ille: Dominus, inquit, ait, Tollite iugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum & humilis corde. Si ergo Augustinus ille mitis est & humilis corde, credibile est, quia iugum Christi & ipse portet, & vobis portandum offerat. sin autem immitis ac superbus est, constat quia non est de Deo, neque nobis eius sermo curandus est. Qui rursus aiebant: Et vnde vel hoc dinoscere valemus? Procurate, inquit, vt ipse prior cum suis ad locum synodi adueniat, & si vobis appropinquantibus assurrexerit, scientes quia famulus Christi est, obtemperanter illum audite. sin autem vos spreuerit, nec coram vobis assurgere voluerit, cum sitis numero plures; & ipse spernatur a vobis. Fecerunt vt dixerat. Factumque est, vt venientibus illis sederet Augustinus in sella. Quod illi videntes, mox in iram conuersi sunt, eumque notantes superbiæ, cunctis quæ dicebat contradicere laborabant. Dicebat autem eis, quod in multis quidem nostræ consuetudini, immo vniuersalis ecclesiæ contraria geritis: & tamen si in tribus his mihi obtemperare vultis, vt pascha suo tempore celebretis, vt ministerium baptizandi, quo Deo renascimur, iuxta morem sanctæ Romanæ ecclesiæ & apostolicæ ecclesiæ compleatis, vt genti Anglorum vna nobiscum prædicetis verbum Domini, cetera quæ agitis quamuis moribus nostris contraria, æquanimiter cuncta tolerabimus. At illi nihil horum se facturos, neque illum pro Archiepiscopo habituros esse respondebant. Conferentes ad inuicem, quia si modo nobis assurgere noluit, quanto magis si ei subdi cœperimus, iam nos pro nihilo contemnet. Quibus vir domini Augustinus fertur minitans prædixisse, quod si pacem cum fratribus accipere nollent, bellum ab hostibus forent accepturi. & si nationi Anglorum noluissent viam vitæ prædicare, per horum manus vltionem essent mortis passuri. Quod ita per omnia, vt prædixerat, diuino agente iudicio patratum est. Siquidem post hæc ipse, de quo diximus, Rex Anglorum fortissimus Edilfridus collecto grandi exercitu ad ciuitatem Legionum, quæ a gente Anglorum Legacestir, a Britonibus autem rectius Carlegion appellatur, maximam gentis perfidæ stragem dedit. Cumque bellum acturus videret sacerdotes eorum, qui ad exorandum Deum pro milite bellum agente conuenerant, seorsum in tutiore loco consistere: sciscitabatur qui essent ij, quidve acturi illo conuenissent? Erant autem plurimi eorum de monasterio Bancor, in quo tantus fertur fuisse numerus monachorum, vt cum in septem portiones esset cum præpositis sibi rectoribus monasterium diuisum, nulla harum portio minus quam trecentos homines haberet, qui omnes de labore manuum suarum viuere solebant. Horum ergo plurimi ad memoratam aciem, peracto ieiunio triduano, cum aliis orandi causa conuenerant,

habentes defenſorem nomine Brocmalium, qui eos intentos precibus a Barbarorum gladiis protegeret. Quorum cauſam aduentus cum intellexiſſet rex Edilfridus, ait: Ergo ſi aduerſum nos ad Deum ſuum clamant, profecto & ipſi, quamuis arma non ferant, contra nos pugnant, qui aduerſis nos inprecationibus perſequuntur. Itaque in hos primum arma verti iubet, & ſic ceteras nefandæ militiæ copias, non ſine magno exercitus ſui damno, deleuit. Extinctos in ea pugna ferunt, de his qui ad orandum venerant, viros circiter mille ducentos, & ſolum quinquaginta fuga eſſe lapſos. Brocmalius ad primum hoſtium aduentum cum ſuis terga vertens, eos quos defendere debuerat, inermes ac nudos ferientibus gladiis reliquit. Sicque completum eſt præſagium ſancti pontificis Auguſtini, quamuis ipſo iam multo ante tempore ad cœleſtia regna ſublato, vt etiam temporalis interitus vltionem ſentirent perfidi, quod oblata ſibi perpetuæ ſalutis conſilia ſpreuerant.

CAPVT III.

ANNO dominicæ incarnationis ſexconteſimo quarto, Auguſtinus Britanniarum Archiepiſcopus ordinauit duos epiſcopos, Mellitum videlicet & Iuſtum: Mellitum quidem ad prædicandum prouinciæ orientalium Saxonum, qui Tameſi fluuio dirimuntur a Cantia, & ipſi orientali mari contigui, quorum metropolis Lundonia ciuitas eſt, ſuper ripam præfati fluminis poſita, & ipſa multorum emporium populorum terra marique venientium. In qua videlicet gente tunc temporis Saberetus nepos Edilberti ex ſorore Ricula regnauit, quamuis ſub poteſtate poſitus eiuſdem Edilberti, qui omnibus, vt ſupra dictum eſt, vſque ad terminum Humbri fluminis Anglorum gentibus imperabat. Vbi vero & hæc prouincia verbum veritatis prædicante Mellito accepit, fecit rex Edilbertus in ciuitate Lundonia eccleſiam ſancti Pauli apoſtoli, in qua locum ſedis epiſcopalis & ipſe & ſucceſſores eius haberent. Iuſtum vero in ipſa Cantia Auguſtinus ordinauit epiſcopum in ciuitate Dorouerni, quam gens Anglorum a primario quondam illius qui dicebatur Rhofrhoſeſceſtre cognominat. Diſtat autem a Dorouerni milibus paſſuum ferme viginti quattuor ad Occidentem, in qua rex Edilbertus eccleſiam beati Andreæ apoſtoli fecit, qui etiam epiſcopis vtriuſque huius eccleſiæ dona multa, ſicut & Dorouernenſis, obtulit, ſed & territoria ac poſſeſſiones in vſum eorum qui erant cum epiſcopis, adiecit. Defunctus eſt autem Deo dilectus pater Auguſtinus, & poſitum corpus eius foras iuxta eccleſiam beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, cuius ſupra meminimus, quod ea necdum fuerat perfecta nec dedicata: mox vero vt dedicata eſt, intro illatum in porticu illius aquilonari decenter ſepultum eſt. In qua etiam ſequentium Archiepiſcoporum omnium ſunt corpora tumulata, præter duorum tantummodo, id eſt, Theodori & Berthualdi, quorum corpora in ipſa eccleſia poſita ſunt, eo quod prædicta porticus plura capere nequiuit. Habet hæc in medio pæne ſui, altare in honorem beati Gregorij papæ dedicatum, in quo per omne ſabbatum a præſbytero loci illius agendæ eorum ſolenniter celebrantur. Scriptum vero eſt in tumba eiuſdem Auguſtini epitaphium huiuſmodi:

HIC REQVIESCIT DOMINVS AVGVSTINVS DOROVERNENSIS ARCHIEPISCOPVS PRIMVS, QVI OLIM HVC A BEATO GREGORIO ROMANAE VRBIS PONTIFICE DIRECTVS, ET A DEO OPERATIONE MIRACVLORVM SVFFVLTVS EDILBERTVM REGEM AC GENTEM ILLIVS AB IDOLORVM CVLTV AD CHRISTI FIDEM PERDVXIT, ET COMPLETIS IN PACE DIEBVS OFFICII SVI DEFVNCTVS EST SEPTIMO KALENDARVM IVNIARVM, EODEM REGE REGNANTE.

CAPVT IIII.

SVCCESSIT autem Augustino in episcopatum Laurentius, quem ipse idcirco adhuc viuens ordinauerat, ne se defuncto status ecclesiæ tam rudis vel ad horam pastore destitutus vacillare inciperet. In quo & exemplum sequebatur primi pastoris ecclesiæ, hoc est, beatissimi apostolorum principis Petri, qui fundata Romæ ecclesia Christi Clementem sibi adiutorem euangelizandi, simul & successorem consecrasse perhibetur. Laurentius Archiepiscopatus gradu potitus, strenuissime fundamenta ecclesiæ, quæ nobiliter iacta, vidit augmentare, atque ad profectum debiti culminis, & crebra voce sanctæ exhortationis, & continuis piæ operationis exemplis prouehere curauit. Denique non solum nouæ, quæ de Anglis erat collecta, ecclesiæ curam gerebat, sed & veterum Britanniæ incolarum, nec non & Scotorum, qui Hiberniam insulam Britanniæ proximam incolunt, populis pastoralem impendere solicitudinem curabat. Siquidem vbi Scotorum in præfata ipsorum patria, quomodo & Britonum in ipsa Britānia vitam ac professionem minus ecclesiasticā in multis esse cognouit, maxime quod paschæ solennitatem non suo tempore celebrarent, sed, vt supra docuimus, a decima quarta luna vsque ad vicesimum dominicæ resurrectionis diem obseruandum esse putarent, scripsit cum coepiscopis suis exhortatoriam ad eos epistolam, obsecrans eos & contestans, vnitatem pacis & catholicæ obseruationis cum ea quæ toto orbe diffusa est Christi ecclesia tenere, cuius videlicet epistolæ principium hoc est: DOMINIS carissimis fratribus episcopis vel abbatibus per vniuersam Scotiam Laurentius, Mellitus, & Iustus episcopi serui seruorum Dei. Dum nos sedes apostolica more suo, sicut in vniuerso orbe terrarum, in his occiduis partibus ad prædicandum gentibus paganis dirigeret, atque in hanc insulam, quæ Britannia nuncupatur, contigit introisse, antequam cognosceremus credentes, quod iuxta morem vniuersalis ecclesiæ ingrederentur, in magna reuerentia sanctitatis tam Britones quam Scotos venerati sumus. Sed cognoscentes Britones, Scotos meliores putauimus. Scotos vero per Daganum episcopum in hanc quam superius memorauimus insulam, & Columbanum abbatem in Galliis venientem, nihil discrepare a Britonibus in eorum conuersatione didicimus. Nam Daganus episcopus ad nos veniens, non solum cibum nobiscum, sed nec in eodem hospitio quo vescebamur sumere voluit. Misit idem Laurentius cum coepiscopis suis etiam Britonum sacerdotibus litteras suo gradui condignas, quibus eos in vnitate catholica confirmare satagit. Sed quantum hæc agendo profecerit, adhuc præsentia tempora declarant. His temporibus venit Mellitus Lundoniæ episcopus Romam, de necessariis ecclesiæ Anglorum cum apostolico Papa Bonifacio tractaturus. Et cum idem Papa reuerendissimus cogeret synodum episcoporum Italiæ de vita monachorum & quiete ordinaturus, & ipse Mellitus inter eos assedit anno octauo imperij Focatis principis, indictione decima tertia, tertio die Kalendarum Martiarum, vt quæque erant regulariter decreta, sua quoque auctoritate subscribens confirmaret, ac Britanniam rediens, secum Anglorum ecclesiis mandanda atque obseruanda deferret, vna cum epistolis, quas idem pontifex Deo dilecto Archiepiscopo Laurentio, & clero vniuerso similiter & Edilberto regi atque genti Anglorum direxit. Hic est Bonifacius quartus a beato Gregorio Romanæ vrbis episcopus, qui impetrauit a Focate principe donari ecclesiæ Christi templum Romæ, quod Pantheon vocabatur ab antiquis, quasi simulacrum esset omnium Deorum. In quo ipse eliminata omni spurcitia, fecit ecclesiam sanctæ Dei genetricis atq; omnium martyrum Christi, vt exclusa multitudine dæmonum, multitudo ibi sanctorum memoriam haberet.

CAPVT V.

ANNO ab incarnatione dominica sexcentesimo decimo tertio (qui est annus vicesimus primus ex quo Augustinus cum sociis ad prædicandum genti Anglorum missus est) Edilbertus rex Cantuariorum post regnum temporale, quod quinquaginta & sex annis gloriosissime tenuerat, æterna cœlestis regni gaudia subiit. Qui tertius quidem in Regibus gentis Anglorum cunctis australibus eorum prouinciis, qui Humbro fluuio & contiguis ei terminis sequestrātur a borealibus, imperauit: sed primus omnium

cœli regna conscendit. Nam primus imperium huiusmodi Elli rex australium Saxonum; Secundus Celim rex occidentalium Saxonum, qui lingua ipsorum Ceulin vocabatur; Tertius, vt diximus, Edilbertus rex Cantuariorum; Quartus Redualt rex orientalium Anglorum, qui etiam viuente Edilberto eidem suæ genti ducatum præbebat, obtinuit; Quintus Eduinus rex NordanHumbrorum gentis, id est, eius quæ ad borealem Humbri fluminis plagam inhabitat, maiore potentia cũctis qui Britanniam incolunt, Anglorum pariter & Britonum populis præfuit, præter Cantuariis tantum, nec non & Meuanias Britonum insulas, quæ inter Hiberniam & Britanniam sitæ sunt, Anglorum subiecit imperio; Sextus Osualdus & ipse NordanHumbrorum rex Christianissimus iisdem finibus regnum tenuit; Septimus Osuin frater eius æqualibus pæne terminis regnum nonnullo tempore coercens, Pictorum quoq; ac Scotorum gentes, quæ septentrionales Britanniæ fines tenent, maxima ex parte perdomuit, ac tributarias fecit. sed hęc postmodum. Defunctus vero est rex Edilbertus die vigesimo quarto mensis Februarij, post vigesimum & vnum annum acceptæ fidei, atq; in porticu S. Martini, intra ecclesiam beatorum apostolorum Petri & Pauli sepultus, vbi & Berta regina condita est. Qui inter cætera bona, quæ genti suæ consulendo conferebat, etiam decreta illi iudiciorum iuxta exempla Romanorum cum consilio sapientium constituit. Quæ conscripta Anglorum sermone hactenus habentur & obseruantur ab ea. In quibus primitus posuit, qualiter id emendare deberet, qui aliquid vel ecclesiæ vel episcopi, vel reliquorum ordinum furto auferret; volens scilicet tuitionem eis, quos & quorum doctrinam susceperat, præstare. Erat autem idem Edilbertus filius Irminrici, cuius pater Octa, cuius pater Orric cognomento Oisc, a quo Reges Cantuariorum solent Oiscingas cognominari. Cuius pater Hengist, qui cum filio suo Oisc inuitatus a Vortigerno Britanniam primus intrauit, vt supra retulimus. At vero post mortem Edilberti, cum filius eius Eadbaldus regni gubernacula suscepisset, magno tenellis adhuc ibi ecclesiæ crementis detrimento fuit. Siquidem non solum Christi fidem recipere noluerat, sed & fornicatione pollutus est tali, qualem nec inter gentes auditam Apostolus testatur, ita vt vxorem patris haberet. Quo vtroque scelere occasionem dedit ad priorem vomitum reuertendi iis, qui sub imperio sui parentis vel fauore vel timore regio fidei & castimoniæ iura susceperant. Nec supernæ flagella districtionis perfido regi castigando vel corrigendo defuere. nam crebra mentis vesania & spiritus immundi inuasione premebatur. Auxit autem procellam huiusce perturbationis etiam mors Sabereti regis orientalium Saxonum; qui, vbi regna perennia petens, tres filios suos, qui pagani perdurauerunt, regni temporalis heredes reliquit. Cœperunt illi mox idololatriæ, quam viuente eo aliquantulum intermisisse videbantur, palam seruire, subiectisque populis idola colendi liberam dare licentiam. Cumque viderent pontificem celebratis in ecclesia missarum solenniis eucharistiam populo dare, dicebant, vt vulgo fertur, ad eum barbara inflati stultitia: Quare non & nobis porrigis panem nitidum, quem & patri nostro Saba, sic namque eum appellare consueuerant, dabas, & populo adhuc in ecclesia dare nõ desistis? Quibus ille respondebat: Si vultis ablui fonte illo salutari, quo pater vester ablutus est, potestis etiam panis sancti, cui ille participabat, esse participes. Sin autem lauacrum vitæ contemnitis, nullatenus valetis panem vitæ percipere. At illi, nolumus, inquiunt, fontem illum intrare, quia nec opus illo nos habere nouimus, sed tamen pane illo refici volumus. Cumque diligenter ac sæpe ab illo essent admoniti, nequaquam fieri posse, vt absque purgatione sacrosancta quis oblationi sacrosanctę communicaret, ad vltimum furore commoti aiebant: Si non vis assentire nobis in tam facili causa quam petimus, non poteris iam in nostra prouincia demorari. Et expulerunt eum, ac de suo regno cum suis abire iusserunt. Qui expulsus inde venit Cantiam, tractaturus cum Laurentio & Iusto coepiscopis, quid in his esset agendum. Decretumque est communi consilio, quia satius esset vt omnes patriam redeuntes libera ibi mente domino deseruirent, quam inter rebelles fidei barbaros sine fructu residerent. Discessere itaque primo Mellitus ac Iustus, atque ad partes Galliæ secessere, ibi rerum finem expectare disponentes. Sed non multo post tempore reges, qui præconem a se veritatis expulerant, dæmonicis cultibus impune seruiebant. Nam

egressi contra gentem Genissorum in prælium (omnes pariter cum sua militia corruerunt, nec sic (licet auctoribus perditis) excitatum ad scelera vulgus potuit corrigi, atque ad simplicitatem fidei & caritatis, quæ est in Christo, reuocari.

CAPVT VI.

Cvm vero & Laurentius Mellitum Iustumque secuturus, ac Britanniam esset relicturus, iussit ipsa sibi nocte in Ecclesia beatorum apostolorum Petri & Pauli, de qua frequenter iam diximus, stratum parari. In quo quum post multas preces ac lacrymas ad Deum pro statu ecclesię fusas, ad quiescendum membra posuisset atque obdormisset, apparuit ei beatissimus Apostolorum princeps, & multo illum tempore secretæ noctis flagellis artioribus afficiens, sciscitabatur apostolica districtione, quare gregem quē sibi ipse crediderat, relinqueret, vel cui pastorum oues Christi in medio luporum positas fugiens ipse dimitteret? An mei, inquit, oblitus es exempli, qui pro paruulis Christi, quos mihi in indicium suæ dilectionis commendauerat, vincula, verbera, carceres, afflictiones, ipsam postremo mortem, mortem autem crucis, ab infidelibus & inimicis Christi ipse cum Christo coronandus pertuli? His beati Petri flagellis simul & exhortationibus animatus famulus Christi Laurentius, mox mane facto venit ad regē, & retecto vestimento quantis esset verberibus laceratus ostendit. Qui multū miratus & inquirens quis tanto viro tales ausus esset plagas infligere: vt audiuit, quia causa suæ salutis episcopus ab apostolo Christi tanta esset tormenta plagasq; perpessus, extimuit multū. Atq; anathematizato omni idololatrię cultu, abdicato connubio non legitimo, suscepit fidem Christi, & baptizatus ecclesiæ rebus quantum valuit in omnibus consulere ac fauere curauit. Misit etiam in Galliam, & reuocauit Mellitum & Iustum, eosque ad suas ecclesias libere instituendas redire præcepit. qui post annum ex quo abierant, reuersi sunt. Et Iustus quidem ad ciuitatem Rhofi, cui præfuerat, rediit. Mellitum vero Lundonienses episcopum recipere noluerut, idololatris magis pontificibus seruire gaudentes. Non enim tanta erat ei quanta patri ipsius regni potestas, vt etiam nolentibus ac contradicentibus paganis antistitem suæ posset ecclesiæ reddere. Veruntamen ipse cum sua gente, ex quo ad Dominum conuersus est, diuinis se studuit mancipare præceptis. Denique & in monasterio beatissimi apostolorum principis ecclesiam sanctæ Dei genetricis fecit, quam consecrauit Archiepiscopus Mellitus.

CAPVT VII.

Hoc enim regnante rege beatus archiepiscopus Laurentius regnum cœleste conscendit, atque in ecclesia & monasterio sancti apostoli Petri iuxta prędecessorem suum Augustinum sepultus est, die quarto nonarum Februariarum. post quam Mellitus, qui erat Lundoniæ episcopus, sedem Dorouernensis ecclesiæ tęrtius ab Augustino suscepit. Iustus autem adhuc superstes Rhofensem regebat ecclesiam. Qui cum magna ecclesiam Anglorum cura ac labore gubernarent, susceperunt scripta exhortatoria a Pontifice Romanæ & apostolicæ sedis Bonifacio. Qui post Deusdedit ecclesiæ præfuit, anno incarnationis dominicæ DC.XVIIII. Erat autem Mellitus quidem corporis infirmitate, id est, podagra grauatus, sed mentis gressibus sanus, alacriter terrena quæque transiliens, atque ad cœlestia regna semper amanda, petenda & quærenda peruolans. Erat carnis origine nobilis, sed culmine mentis nobilior. Denique vnum virtutis eius (vnde cetera intelligi possint) testimonium referam. Tempore quodam ciuitas Dorouernensis per culpam incuriæ igne correpta crebrescentibus cœpit flammis consumi; quibus cum nullo aquarum iniectu posset aliquis obsistere, iamque ciuitatis esset pars vastata non minima, atque ad episcopum furens se flamma dilataret, confidens episcopus in diuinum, vbi humanum deerat, auxilium, iussit se obuiam sæuientibus & huc illucque volantibus ignium globis efferri. Erat autem eo loci, vbi flammarum impetus maxime incumbebat, martyrium beatorum quattuor coronatorum. Ibi ergo perlatus obsequentum manibus episcopus, cœpit orando periculum infirmus abigere, quod firma fortium manus multum laborando nequiuerat. Nec mora, ventus qui a meridie flans, vrbi incendia sparserat, contra meridiem reflexus, primo vim furoris

sui a læsione locorum quæ contra erant abstraxit, ac mox funditus quiescendo flammis pariter sopitis atque extinctis compescuit. Et quia vir Dei igne diuinæ caritatis fortiter ardebat, qui tempestates potestatum aeriarum a sua suorumq; læsione crebris orationibus vel exhortationibus repellere consueuerat, merito ventis flammisque mundialibus præualere, & ne sibi suisque nocerent, obtinere poterat. Et hic ergo postquam annis quinque rexit ecclesiam, Eadbaldo regnante, migrauit ad cœlos. Sepultusque est cum patribus suis in sæpe dicto monasterio & ecclesia beatissimi apostolorum principis, anno ab incarnatione Domini sexcentesimo vicesimo quarto, die octauo Kalendarum Martiarum.

CAPVT VIII.

Cvi statim successit in pontificatum Iustus, qui erat Rhofensis ecclesiæ episcopus. Illi autem ecclesiæ Romanum pro se consecrauit episcopum, data sibi ordinandi episcopos auctoritate a pontifice Bonifacio, quem successorem fuisse Deusdedit, supra meminimus. cuius auctoritatis ista est forma: Dilectissimo fratri Iusto, Bonifacius. Quam deuote, quamque etiam vigilanter pro Christi euangelio elaborauerit vestra fraternitas, nō solum epistolæ a vobis directæ tenor, immo indulta desuper operi vestro perfectio indicauit. Nec enim omnipotens Deus aut sui nominis sacramentum, aut fructum vestri laboris deseruit, dum ipse prædicatoribus euangelij fideliter repromisit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Quod specialiter, iniuncto vobis ministerio, eius clementia demonstrauit, aperiēs corda gentium ad suscipiendum prædicationis vestræ singulare mysterium. Magno enim præmio fastigiorum vestrorum delectabilem cursum bonitatis suæ suffragiis illustrauit, dum creditorum vobis talentorum fidelissimæ negotiationis officiis, vberem fructum impendens ei, quod signare possitis multiplicatis generationibus præparauit. Hocque etiam illa vobis repensatione collatum est, qui iniuncto ministerio iugiter persistentes laudabili patientia redemptionem gentis illius expectatis, & vestris vt proficerent meritis eorum est saluatio propinata, dicente domino: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Saluati ergo estis spe patientiæ & tolerantiæ virtute, vt infidelium corda naturali ac superstitioso morbo purgata, sui consequerentur misericordiam saluatoris. Susceptis namque apicibus filij nostri Adelualdi regis, reperimus quanta sacri eloquij eruditione eius animum ad veræ conuersionis & indubitatæ fidei credulitatem fraternitas vestra perduxerit. Qua ex re de longanimitate clementiæ cœlestis certam assumentes fiduciam, non solum suppositarum ei gentium plenissimam salutem, immo quoque vicinarum, vestræ quoque prædicationis ministerio credimus subsequēdum, quatenus, sicut scriptum est: Consummati operis vobis merces a retributore omnium bonorum domino tribuatur. Et vere per omnem terram exisse sonum eorum, & in fines orbis terræ verba ipsorum, vniuersalis gentium confessio (suscepto Christianæ sacramento fidei) protestatur. Pallium præterea per latorem præsentium fraternitati tuæ benignitatis studio inuitati, direximus, quod videlicet tantum in sacrosanctis mysteriis celebrandis licentiam vtendi imperauimus. Concedentes etiam tibi ordinationes episcoporum, exigente oportunitate, domini præueniente misericordia, celebrare, ita vt Christi euangelium plurimorum annūciatione in omnibus gentibus, quæ necdum conuersæ sunt, dilatetur. Studeat ergo tua fraternitas hoc quod sedis apostolicæ humanitate percepit, intemerata mentis sinceritate seruare intendens, cuius rei similitudine tam præcipuum indumentum humeris tuis baiulandum susceperis: talemque te Domini implorata clementia exhibendum stude, vt indulti muneris præmia non cum reatitudine, sed cum commodis animarum ante tribunal summi & venturi iudicis repræsentes. Deus te incolumem custodiat dilectissime frater.

CAPVT IX.

Qvo tempore etiam gens NordanHumbrorum, hoc est, ea natio Anglorū, quę ad aquilonarem Humbri fluminis plagam habitabat, cum rege suo Eduino verbum fidei

fidei, prædicante Paulino, cuius supra meminimus, suscepit. Cui videlicet regi in auspicium suscipiendæ fidei, & regni cœlestis potestas, & terreni creuerat imperij, ita vt (quod nemo Anglorum ante eum fecit) omnes Britanniæ fines, qua vel ipsorum vel Britonum prouinciæ habitabantur, sub ditione acceperit. Quin & Meuanias insulas, sicut & supra docuimus, imperio subiugauit Anglorum. Quarum prior, quæ ad Austrum est, & situ amplior, & frugum prouentu atque vbertate felicior, nongentarum sexaginta familiarum mensuram, iuxta æstimationem Anglorum, secunda trecentorum & vltra spatium tenet. Huic autem genti occasio fuit percipiendæ fidei, quod prefatus rex eius cognatione iunctus est regibus Cantuariorum, accepta in coniugem Edilberge filia Edilberti regis quæ alio nomine Tate vocabatur. Huius consortium cum primo ipse, missis procis a fratre eius Eadbaldo, qui tunc regno Cantuariorum præerat, peteret: Responsum est, non esse licitum, Christianam virginem pagano in coniugium dari, ne fides & sacramenta cœlestis regis, consortio profanarentur regis, qui veri Dei cultus esset prorsus ignarus. Quæ dum Eduino verba nuntij referrent, promisit se nihil omnibus modis contrarium Christianæ fidei quam virgo colebat, esse facturum: quin potius permissurum, vt fidem cultumque suæ religionis cum omnibus qui secum venissent viris siue fœminis, sacerdotibus seu ministris more Christiano seruaret. Neque abnegauit se etiam eandem subiturum esse religionem, si tamen examinata a prudentibus sanctior ac Deo dignior posset inueniri. Itaque promittitur virgo, atque Eduino mittitur, & iuxta quod dispositum fuerat, ordinatur episcopus vir Deo dilectus Paulinus qui cum illa veniret, eamque & comites eius, ne paganorum possent societate pollui, quotidiana exhortatione & sacramentorum cœlestium celebratione confirmauit. Ordinatus est autem Paulinus episcopus a Iusto archiepiscopo sub die duodecimo Kalendarum Augustarum, anno ab incarnatione domini quingentesimo vicesimo quinto. Et sic cum præfata virgine ad regem Eduinum quasi comes copulæ carnalis aduenit. Sed ipse potius toto animo intendens, vt gentem, quam adibat, ad agnitionem veritatis aduocans, iuxta vocem apostoli, vni viro virginem castam exhiberet Christo. Cumque in prouinciam venisset, laborauit multum, vt & eos qui secum venerant, ne a fide deficerent, domino adiuuante contineret, & aliquos, si forte posset, de paganis ad fidei gratiam prædicando conuerteret. Sed sicut apostolus ait: Quamuis multo tempore illo laborante in verbo, Deus seculi huius excæcauit mentes infidelium, ne eis fulgeret illuminatio euangelij gloriæ Christi. Anno autem sequenti venit in prouinciam quidam sicarius, vocabulo Eumerus, missus a rege occidentalium Saxonum, nomine Cuichelmo, sperans se regem Eduinum regno simul & vita priuaturum, qui habebat sicam bicipitem toxicatam, vt si ferri vulnus minus ad mortem regis sufficeret, peste iuuaretur veneni. Peruenit autem ad regem primo die paschæ, iuxta amnem Dorouentionem, vbi tunc erat villa regalis: intrauitque quasi nuncium domini sui referens. & cum simulatam legationem ore astuto volueret, exsurrexit repente, & euaginata sub veste sica impetum fecit in regem. Quod cum videret Lilla minister regis amicissimus, non habens scutum ad manum, quo regem a nece defenderet, mox interposuit corpus suum ante ictum pungentis. Sed tanta vi hostis ferrum infixit, vt per corpus militis occisi etiam regem vulneraret. Qui cum mox vndique gladiis impeteretur, in ipso tumultu etiam alium de militibus, cui nomen erat Fordheri, sica nefanda peremit. Eadem autem nocte sacrosancta dominicæ paschæ pepererat regina filiam regi, cui nomen Eanfled. Cumque idem rex, præsente Paulino episcopo, gratias ageret diis suis pro nata sibi filia: contra episcopus gratias cœpit agere Domino Christo, regique astruere, quod ipse precibus suis apud illum obtinuerit, vt regina sospes & absque dolore graui sobolem procrearet. Cuius verbis delectatus rex, promisit se, abrenunciatis idolis, Christo seruiturum, si vitam sibi & victoriam donaret pugnanti aduersus regem, a quo homicida ille, qui eum vulnerauerat, missus est. & in pignus promissionis implendæ, eandem filiam suam Christo consecrandam Paulino episcopo adsignauit. Quæ baptizata est die sancto Pentecostes prima de gente NordHumbrorum, cum duodecim aliis de familia eius. Quo tempore curatus a vulnere sibi pridem inflicto, rex collecto exercitu venit aduersus gentem

occidentalium Saxonum, ac bello inito, vniuersos, quos in necē suam conspirasse didicerat, aut occidit, aut in deditionem recepit. Sicque victor in patriam reuersus, non statim & inconsulte sacramenta fidei Christianæ percipere voluit, quamuis nec idolis vltra seruiuit, ex quo se Christo seruiturum esse promiserat: verum primo diligentius ex eo tempore & ab ipso venerabili viro Paulino rationem fidei ediscere, & cum suis primatibus, quos sapientiores nouerat, curauit conferre, quid de iis agendum arbitrarentur. Sed & ipse, cum esset vir natura sagacissimus, sæpe diu solus residens, ore quidem tacito, sed in intimis cordis multa secum colloquens, quid sibi esset faciendum, quæ religio seruanda tractabat.

CAPVT X.

Qvo tempore exhortatorias ad fidem litteras a pontifice sedis apostolicæ Bonifacio accepit, quarum ista est forma: Viro glorioso Eduino regi Anglorum Bonifacius episcopus, seruus seruorum Dei. Licet summæ diuinitatis potentia humanæ locutionis officiis explanari nō valeat, quippe quę sui magnitudine ita inuisibili atque inuestigabili æternitate consistit, vt eam nulla ingenij sagacitas, quanta sit, comprehendere differereque sufficiat: quia tamen eius humanitas ad insinuationem sui reseratis cordis ianuis, quæ de semetipsa proferentur, secreta humanis mentibus inspiratione clementer infundit, ad annunciandam vobis plenitudinem fidei Christianæ, sacerdotalem curauimus solicitudinē prærogare, vt perinde Christi euangelium quod saluator noster omnibus præcepit gentibus prædicari, vestris quoque sensibus inserentes, salutis vestræ remedia propinentur. Supernæ igitur maiestatis clementia, quæ cuncta solo verbo præceptionis suæ condidit & creauit, cœlum videlicet & terram, mare & omnia quę in eis sunt, dispositis ordinibus quibus subsisterent, coeterni verbi sui consilio, & sancti Spiritus vnitate dispensans, hominē ad imaginem & similitudinem suam ex limo terræ plasmatum constituit, eique tantam præmij prærogatiuam indulsit, vt eum cunctis præponeret, atque seruato termino, pręceptionis æternitatis subsistentia præmuniret. Hunc ergo Deum patrem & filium & spiritum sanctum, quod est indiuidua Trinitas, ab ortu solis vsque ad occasum humanum genus quippe vt creatorem omnium atque factorē suum salutifera confessione fidei veneratur & colit. Cui etiam summitates imperij, rerumq; potestates submissæ sunt: quia eius dispositione omnium prælatio regnorum conceditur. Eius ergo bonitatis misericordia totius creaturæ suæ dilatandæ subdi etiam in extremitate terræ positarum gentium corda frigida sancti Spiritus feruore in sui quoque agnitione mirabiliter est dignata succendere. Quæ enim in gloriosi filij nostri Audubaldi regis gentibusque ei suppositis illustratione clementia redemptoris fuerit operata, plenius ex vicinitate locorum vestram gloriam coniicimus cognouisse. Eius ergo mirabile donum & in vobis certa spe cœlesti longanimitate conferri confidimus. Cum profecto gloriosam coniugem vestram, quæ vestri corporis pars esse dinoscitur, æternitatis præmio per sacri baptismatis regenerationem illuminatam agnouimus. Vnde præsenti stylo gloriosius vos adhortandos cum omni affectu intimæ caritatis curauimus, quatenus abominatis idolis eorumq; cultu, spretisq; fanorum fatuitatibus, & auguriorū deceptibilibus blandimentis, credatis in Deum patrem omnipotentem, eiusque filium Iesum Christum, & Spiritum sāctum, vt credentes a diabolicæ captiuitatis nexibus, sanctæ & indiuiduæ Trinitatis cooperante potentia absoluti, æternæ vitæ possitis esse participes. Quanta autem reatitudinis culpa teneantur obstricti hi, qui idololatriarum perniciosissimam superstitionem colentes amplectuntur, eorum quos colūt exempla perditionis insinuant. Vnde de eis per Psalmistam dicitur: Omnes dij gentium dæmonia, dominus autem cœlos fecit. Et iterum: Oculos habent & non vident, aures habent & non audiunt, nares habent & non odorabunt. Manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt. Similes ergo efficiuntur his, qui spem suæ confidentiæ ponunt in eis. Quomodo enim iuuandi quemlibet possunt habere virtutem hi, qui ex corruptibili materia inferiorum etiam suppositorumque tibi manibus construuntur, quibus videlicet artificium humanum accommodans eis inanimatam membrorum similitudinem contulisti: qui nisi a te

moti

moti fuerint, ambulare non poterunt, sed tanquam lapis in vno loco positus, ita constructi, nihilque intelligentiæ habentes, ipsaque insensibilitate obruti, nullam neque lædendi neque iuuandi facultatem adepti sunt? Qua ergo mentis deceptione eos deos quibus vosipsi imaginem corporis tradidistis, colentes sequimini, iudicio discreto reperire non possumus. Vnde oportet vos suscepto signo sanctæ crucis, per quod humanum genus redemptum est, execrando diabolicæ versutiæ supplantationem, qui diuinæ bonitatis operibus inuidus æmulusque consistit, a cordibus vestris abiicere: iniectisque manibus hos quos eatenus materiæ compage vobis deos fabricastis, confringendos diminuendosque summopere procurate: ipsa enim eorum dissolutio corruptioque, quæ nunquam viuentem spiritum habuit, nec sensibilitatem a suis factoribus potuit quolibet modo suscipere, vobis patenter insinuet, quam nihil erat quod eatenus colebatis, dum profecto meliores vos, qui spiritum viuentem a domino percepistis, eorum constructioni nihilominus existatis: quippe quos Deus omnipotens ex primi hominis quem plasmauit cognatione deductos per sęcula innumerabilibus propaginibus pullulare constituit. Accedite ergo ad agnitionem eius qui vos creauit; qui in vobis vitæ insufflauit spiritum, qui pro vestra redemptione filium suum vnigenitum misit, vt vos ab originali peccato eriperet, & ereptos de potestate diabolicæ nequitiæ cœlestibus pręmiis muneraret. Suscipite verba pręedicatorum & euangelium Dei quod vobis annunciant, quatenus credentes, sicut sæpius dictum est, in Deum patrem omnipotētem, & in Iesum Christum eius filium, & Spiritum sanctum, & inseperabilem trinitatem, fugatis dæmoniorum sensibus, expulsaque a vobis solicitatione venenosi & deceptibilis hostis per aquam & Spiritum sanctum renati, ei cui credideritis in splendore gloriæ sempiternæ cohabitare eius opitulatione & munificētia valeatis. Præterea benedictionem protectoris vestri beati Petri apostolorum principis vobis direximus, id est, camisiam cum ornatura in auro vna, & lena anciriana vna, quod petimus vt eo benignitatis animo gloria vestra suscipiat, quo a nobis noscitur destinatum.

CAPVT XI.

Ad coniugem quoque eius Edilbergam huiusmodi litteras idem pontifex misit. Exemplar epistolæ beatissimi & apostolici Bonifacij Papæ vrbis Romæ, directæ Edilbergæ reginæ Eduini regis. DOMINAE gloriosæ filiæ Edilbergæ reginæ, Bonifacius episcopus seruus seruorum Dei. Redemptoris nostri benignitas humano generi, quod preciosi sanguinis sui effusione a vinculis diabolicæ captiuitatis eripuit, multæ prouidentiæ quibus saluaretur propinauit remedia, quatenus sui nominis agnitionē diuerso modo gentibus innotescens, creatorem suum suscepto Christianæ fidei agnoscerent sacramēto: quod equidem in vestræ gloriæ sensibus cœlesti collatum munere mystica regeneratio vestræ purgationis, patenter innuit. Magno ergo largitatis dominicæ beneficio mens nostra gaudio exultauit, quod scintilla orthodoxæ religionis in vestri dignatus est conuersione succedere. ex qua re non solū gloriosi coniugis vestri, immo totius gentis suppositæ vobis intelligentiam in amore sui facilius inflammaret. Didicimus namque referentibus his, qui ad nos gloriosi filij nostri Audubaldi regis laudabilem conuersionem nunciantes peruenerunt, quod etiam vestra gloria Christianæ fidei suscepto mirabili sacramento piis & Deo placitis iugiter operibus enitescat: ab idolorum etiam cultu, seu fanorū auguriorumq; illecebris se diligenter abstineat, & ita in amore redemptoris sui immutata deuotione persistens inuigilet, vt ad dilatandam Christianam fidem incessabiliter non desistat operam cōmodare. Cumq; de glorioso cōiuge vestro paterna caritas sollicite perquisisset, cognouimus, quod eatenus abominandis idolis seruiens, ad suscipiendā vocem prædicatorum suam distulerit obedientiam exhibere. Qua ex re non modica nobis amaritudo congesta est, ab eo quod pars corporis vestri ab agnitione summæ & indiuiduæ trinitatis remansit extranea. Vnde paternis officiis vestræ gloriosæ Christianitati nostram commonitionem non distulimus conferendā, adhortantes quatenus diuinæ inspirationis imbuta subsidiis importune & opportune agendū nō differas, vt & ipse saluatoris nostri Domini Iesu Christi cooperāte potentia Christianorū numero copuletur, vt perinde intemerato

societatis fœdere iura teneas maritalis consortij. Scriptum namque est: Erunt duo in carne vna. Quomodo ergo vnitas vobis coniunctionis inesse dici poterit, si a vestræ fidei splēdore, interpositis detestabilis erroris tenebris, remāserit ille alienus? Vnde orationi continuo insistens, a longanimitate cœlestis clementię illuminationis illius beneficia impetrare nō desinas: vt videlicet quos copulatio carnalis affectus vnum quodammodo corpus exhibuisse monstratur, hos quoque vnitas fidei, etiam post huius vitæ transitum, in perpetua societate conseruet. Insiste ergo gloriosa filia, & summis conatibus duriciam cordis ipsius religiosa diuinorum præceptorum insinuatione mollire summopere dematura, infundens sensibus eius, quantum sit præclarū, quod credendo suscepisti mysterium, quantumve sit admirabile quod renata præmium consequi meruisti. Frigiditatem cordis ipsius sancti Spiritus annunciatione succende, quatenus amoto corpore perniciosissimi cultus, diuinæ fidei calor eius intelligentiam tuarum exhortationum frequentatione succendat. Vt profecto sacræ scripturæ testimonium per te expletum indubitanter perclareat. Saluabitur vir infidelis per mulierem fidelem. Ad hoc enim misericordiam dominicæ pietatis consecuta es, vt fructum fidei creditorumque tibi beneficiorum redemptori tuo multiplicem resignares. Quod equidem suffragante præsidio benignitatis ipsius, vt explere valeas, assiduis non desistimus precibus postulare. His ergo præmissis, paternæ vobis dilectionis exhibentes officia, hortamur, vt nos (reperta portitoris occasione) de his quæ per vos superna potentia mirabiliter in conuersatione coniugis vestri, submissæque vobis gentis dignatus fuerit operari, prosperis quantocyus nuntiis reueletis, quatenus sollicitudo nostra, quæ de vestri vestrorumque omnium animæ salute optabilia desideranter expectat, vobis nuntiātibus reueletur, illustrationemque diuinæ propitiationis in vobis diffusam opulentius agnoscentes, hilari confessione largitori omnium bonorum Deo, & beato Petro apostolorum principi vberes merito gratias exoluamus. Præterea benedictionem protectoris vestri beati Petri apostolorum principis vobis direximus, id est, speculum argenteum, & pectinem eburneum inauratum, quod petimus vt eo benignitatis animo gloria vestra suscipiat, quo a nobis noscitur destinatum.

CAPVT XII.

HAEC quidem memoratus papa Bonifacius, de salute regis Eduini ac gentis ipsius litteris agebat. Sed & oraculum cœleste, quod illi quondam exulanti apud Redualdum regem Anglorum pietas diuina reuelare dignata est, non minimum ad suscipienda vel intelligenda doctrinæ monita salutaris sensum illius iuuit. Cum ergo videret Paulinus difficulter posse sublimitatem animi regalis ad humilitatem viæ salutaris, & suscipiendum mysterium viuificæ crucis inclinari, ac pro salute illius, simul & gentis cui præerat, & verbo exhortationis apud homines, & apud diuinam pietatem verbo deprecationis ageret, tandem (vt verisimile videtur) didicit in spiritu, quod, vel quale esset oraculum regi quondam cœlitus ostensum. Nec exinde distulit, quin continuo regem admoneret explere votum, quod in oraculo sibi exhibito se facturum promiserat, si temporis illius ærumnis exemptus ad regni fastigia perueniret. Erat autem oraculum huiusmodi. Cum persequente illum Edelfrido, qui ante eum regnauit, per diuersa occultus loca vel regna multo annorum tempore profugus vagaretur, tādem venit ad regem Redualdum, obsecrans vt vitam suam a tanti persecutoris insidiis tutando seruaret. Qui libenter eum excipiens, promisit se quæ petebat esse facturum. At postquam Edelfridus in hac eum prouincia apparuisse, & apud regem illius familiariter cum sociis habitare cognouit, misit nuntios qui Redualdo pecuniam multam pro nece eius offerrent; neque aliquid profecit. misit secundo, misit tertio, & copiosiora auri & argenti dona offerens, & bellum insuper illi, si contemneretur, indicens. Qui vel minis fractus, vel corruptus muneribus cessit deprecanti, & siue occidere se Eduinum, seu legatariis tradere promisit. Quod vbi fidelissimus quidam amicus illius animaduertit, intrauit cubiculum quo dormire disponebat. Erat enim prima hora noctis. Et euocatum foras quid erga eum agere rex promisisset, edocuit, & insuper adiecit: Si ergo vis, hac ipsa hora educam te de hac prouincia, & ea in loca

te introducam, vbi nunquam te vel Redualdus vel Edelfridus inuenire valeant. Qui ait: Gratias quidem ago beneuolentiæ tuæ, non tamen hoc facere possum quod suggestis, vt pactum quod cum tāto rege inij, ipse primus irritum faciam, cum ille mihi nihil mali fecerit, nihil adhuc inimicitiarum intulerit; quin potius, si moriturus sum, ille me magis quam ignobilior quisquam morti tradat. Quo enim nūc fugiam, qui per omnes Britanniæ prouincias tot annorum temporumque curriculis vagabundus hostium vitabam insidias? Abeunte igitur amico remansit Eduinus solus foris, residensque mœstus ante palatium multis cœpit cogitationum æstibus affici, quid ageret, quoue pedem verteret nescius. Cumque diu tacitis mentis angoribus, & cæco carperetur igne, vidit subito intempestæ noctis silentio appropinquantem sibi hominem vultus habitusque incogniti: quem videns, vt ignotum & inopinatum non parum expauit. At ille accedens salutauit eum, & interrogauit quare illa hora ceteris quiescentibus & alto sopore pressis, solus ipse mœstus in lapide peruigil sederet? At ille vicissim sciscitabatur quid ad eum pertineret, vtrum ipse intus an foris noctem transigeret? Qui respondens, ait: Ne me æstimes tuæ mœsticiæ, & insomniorum, & forinsecæ ac solitariæ sessionis causam nescire. Scio enim certissime qui es, & quare mœres, & quæ ventura tibi in proximo mala formidas. Sed dicito mihi, quid mercedis dare velis ei, si qui sit, qui his te mœroribus absoluat, & Redualdo suadeat, vt nec ipse tibi aliquid mali faciat, nec tuis te hostibus perimendum tradat? Qui cum se omnia quæ posset huic tali pro mercede beneficij daturum esse responderet. Adiecit ille: quid si etiam te regem futurum, extinctis hostibus, in veritate promittat; ita vt non solum omnes progenitores tuos, sed & omnes, qui ante te reges in gente Anglorum potestate fuerant, transcendas? At Eduinus constantior interrogando factus, non dubitauit promittere, quin etiam ei qui tāta sibi beneficia donaret, dignis ipse gratiarum actionibus responderet. Tum ille tertio: Si autem, inquit, is qui tibi tanta taliaq; dona veraciter aduentura prædixerit, etiam consilium tibi tuæ salutis ac vitæ melius atque vtilius quam aliquis de tuis parentibus aut cognatis vnquam audiuit, ostendere potuerit, num ei obtemperare, & monita eius salutaria suscipere consentis? Nec distulit Eduinus, quin continuo polliceretur, se in omnibus secuturum doctrinam illius, qui se tot ac tātis calamitatibus ereptū, ad regni apicem proueheret. Quo accepto responso, confestim is qui loquebatur cum eo, imposuit dexteram suam capiti eius, dicens: Cum hoc ergo tibi aduenerit, memento huius temporis ac loquelæ nostræ, & ea quæ nūc promittis adimplere ne differas. Et his dictis, vt ferunt, repente disparuit, vt intelligeret non hominem esse, qui sibi apparuisset, sed spiritum. Et cum regius iuuenis solus adhuc ibidem sederet, gauisus quidem de collata sibi pia ac benigna consolatione: sed multum sollicitus ac mente sedula cogitans, quis esset ille, vel vnde venisset, qui hæc sibi loqueretur? Venit ad eum præfatus amicus illius, lætoque vultu salutans eum: Surge, inquit, intra, &, sopitis ac relictis curarum anxietatibus, quieti membra simul & animum compone: quia immutatum est cor regis, nec tibi aliquid mali facere, sed fidem potius pollicitam seruare disponit. Postquam enim cogitationem suam, de qua tibi ante dixi, reginæ in secreto reuelauit, reuocauit eum illa ab intentione, admonens quia nulla ratione conueniat tanto regi amicum suum optimum in necessitate positum auro vendere, immo fidem suam, quæ omnibus ornamentis preciosior est, amore pecuniæ perdere. Quid plura? Fecit rex vt dictum est, nec solum exulem nuntiis hostibus non tradidit, sed etiam eum, vt in regnum perueniret, adiuuit. Nam mox redeuntibus domum nuntiis, exercitum ad debellandum Edelfridum collegit copiosum, eumque sibi occurrentem cum exercitu multum impari (non enim dederat illi spatium, quo totum suum congregaret atque aduniaret exercitum) occidit in finibus gentis Merciorum ad orientalem plagam amnis, qui vocatur Idle. In quo certamine & filius Redualdi, vocabulo Regnheri, occisus est, ac sic Eduinus iuxta oraculum quod acceperat, non tantum regis sibi infesti insidias vitauit, verumetiam eidem perempto in regni gloriam successit. Cum ergo prædicante verbum Dei Paulino rex credere differret, & per aliquod tempus, vt diximus, horis competentibus solitarius sederet, & quid agendum sibi esset, quæ religio sequenda sedulus secum ipse scrutari consuesset,

ingrediẽs ad eum quadam die vir Dei, imposuit dexteram capiti eius, & an hoc signum agnosceret, requisiuit. Qui cum tremẽs ad pedes eius procidere vellet, leuauit eum, & quasi familiari voce affatus: Ecce, inquit, hostium manus quos timuisti, domino donãte euasisti. Ecce regnum quod desiderasti, ipso largiente percepisti. Memẽto vt tertium quod promisisti facere non differas, suscipiendo fidem eius, & præcepta seruando, qui te & a temporalibus aduersis eripiens, temporalis regni honore sublimauit. & si deinceps voluntati eius, quam per me tibi prædicat, obsecũdare volueris, etiam a perpetuis malorum tormentis te liberabit, & æterni secum regni in cœlis faciet esse participem.

CAPVT XIII.

QVIBVS auditis rex suscipere quidem se fidem, quam docebat, & velle & debere, respondebat. Verum adhuc cum amicis principatibus & consiliariis suis sese de hoc collaturum esse dicebat, vt si & illi eadem cum eo sentire vellent, omnes pariter in fonte vitæ Christo consecrarentur. Et annuente Paulino, fecit vt dixerat. Habito enim cum sapientibus consilio, sciscitabatur singillatim ab omnibus, qualis sibi doctrina hæc eatenus inaudita, & nouus diuinitatis qui prædicabatur cultus, videretur? Cui primus pontificum ipsius Coifi continuo respondit: Tu vide rex quale sit hoc, quod nobis modo prædicatur. ego tibi verissime quod certum didici profiteor, quia nihil omnino virtutis habet religio illa, quam hucusque tenuimus. Nullus enim tuorum studiosius quam ego culturæ deorum nostrorum se subdidit, & nihilominus multi sunt, qui ampliora a te beneficia quam ego, & maiores accipiunt dignitates, magisq; prosperantur in omnibus quæ agenda vel acquirenda disponunt. Si autem dij aliquid valerent, me potius iuuare vellent, qui illis impensius seruire curaui. Vnde restat, vt si ea, quæ nunc nobis noua prædicãtur, meliora esse & fortiora habita examinatione perspexeris, absque vllo cunctamine suscipere illa festinemus. Cuius suasioni verbisque prudentibus alius optimatum regis tribuens assensum continuo subdidit: Talis, inquiens, mihi videtur, rex, vita hominum præsens in terris, ad cõparationem eius quod nobis incertum est temporis, quale cum te residẽte ad cœnam cum ducibus ac ministris tuis tempore brumali, accenso quidem foco in medio, & callido effecto cœnaculo, furẽtibus autem foris per omnia turbinibus hiemalium pluuiarum vel niuium: aduenìensq; vnus passerum domum citissime peruolarit, qui cum per vnum ostium ingrediẽs, mox per aliud exierit, ipso quidem tempore quo intus est hiemis tempestate non tangitur: sed tamen minimo spatio serenitatis ad momentum excurso, mox de hieme in hiemem regrediens tuis oculis elabitur. Ita hæc vita hominum ad modicum apparet, quod autem sequatur, quidue præcesserit, prorsus ignoramus. Vnde si hæc noua doctrina certius aliquid attulerit, merito sequenda esse videtur. His similia & ceteri maiores natu ac regis consiliarij diuinitus admoniti prosequebantur. Adiecit autem Coifi, quia vellet ipsum Paulinum diligentius audire de Deo quem prædicabat verbum facientem. Quod cum iubẽte rege faceret, exclamauit auditis eius sermonibus dicens: Iam olim intellexeram nihil esse quod colebamus, quia videlicet quanto studiosius in eo cultu veritatem quærebam, tanto minus inueniebam. Nũc autem aperte profiteor, quia in hac prædicatione veritas claret illa, quæ nobis vitæ, salutis & beatitudinis æternæ dona valet tribuere. Vnde suggero, rex, vt templa & altaria quæ sine fructu vtilitatis sacrauimus, ocyus anathemati & igni tradamus. Quid plura? Præbuit palam assensum euangelizandi beato Paulino rex, & abrenunciata idololatria fidem se Christi suscipere confessus est. Cumque a præfato pontifice sacrorum suorum quæreret, quis aras & fana idolorum cum septis quibus erant circundata, primus profanare deberet? Ille respondit: Ego. quis enim ea quæ per stultitiam colui, nunc ad exemplum omnium aptius quam ipse per sapientiam mihi a Deo vero donatam, destruam? Statimque abiecta superstitione vanitatis, rogauit sibi regem arma dare, & equum emissarium. quem ascendens ad idola destruenda venit. Non enim licuerat pontificem sacrorum, vel arma ferre, vel præter in equa equitare. Accinctus ergo gladio accepit lanceam in manu, & ascendens emissarium regis pergebat ad idola. Quod aspiciens vulgus, æstimabat eum insanire. Nec distulit ille, mox vt appropiabat ad fanum, profanare illud, iniecta in eo lancea

quam tenebat, multumque gauisus de agnitione veri Dei cultus, iussit sociis suis destruere ac succendere fanum cum omnibus septis suis. Ostenditur autem locus ille quondam idolorum, non longe ab Eboraco ad Orientem amnem Dorvventionem, & vocatur hodie Gotmundin Gaham, vbi pontifex ille, inspirante Deo vero, polluit ac destruxit eas, quas ipse sacrauerat, aras.

CAPVT XIIII.

IGITVR accepit rex Eduinus cum cunctis gentis suæ nobilibus ac plebe perplurima fidem, & lauacrum sanctæ regenerationis, anno regni sui vndecimo, qui est annus dominicæ inca[illegible]tionis sexcentesimus vicesimus septimus: ab aduentu vero Anglorum in Britanniam annus circiter centesimus octogesimus. Baptizatus est autem Eboraci die sancto paschæ, pridie Iduum Aprilium, in ecclesia sancti Petri apostoli, quam ibidem ipse de ligno cum catechizaretur atque ad percipiendum baptisma imbueretur citato opere construxit. In qua etiam ciuitate ipsi doctori atque antistiti suo Paulino sedem episcopatus donauit. Mox autem vt baptisma consecutus est, curauit docente eodem Paulino maiorem ipso in loco & augustiorẽ de lapide fabricare basilicam, in cuius medio ipsum quod prius fecerat oratoriũ includeretur. Pręparatis ergo fundamẽtis in gyro prioris oratorij, per quadrũ cœpit ædificare basilicam. Sed priusquam altitudo parietis esset consummata, rex ipse impia nece occisus, opus idem successori suo Osualdo perficiẽdum reliquit. Paulinus autem ex eo tempore sex annis cõtinuis, id est, vsque ad finem imperij regis illius, verbum Dei (annuente ac fauente ipso) in ea prouincia prædicabat. Credebantq; & baptizabantur quotquot erãt preordinati ad vitã æternam: in quibus erant Osfridus & Eadfridus filij regis Eduini, qui ambo ei exuli nati sunt de Quenberga filia Cearli regis Mericorum. Baptizati sunt tempore sequenti & alij liberi eius de Edilberge regina progeniti, Edilhimus & Edildridis filia, & alter filius Buscfrea, quorum primi albati adhuc, rapti sunt de hac vita, & Eboraci in ecclesia sepulti. Baptizatus est & Issi filius Osfridi, nec non & alij nobiles & egregij viri non pauci. Tãtus autem fertur tunc fuisse feruor fidei ac desiderium lauacri salutaris genti Nordan-Humbrorum, vt quodam tempore Paulinus veniens cum rege & regina in villam regiam, quæ vocatur Adregin, triginta sex diebus ibidem cum eis catechizandi & baptizandi officio deditus moraretur; quibus diebus cunctis a mane vsque ad vesperam nil aliud ageret, quam confluentem eo de cunctis viculis ac locis plebem, Christi verbo salutis instruere, atq; instructam in fluuio Gleni, qui proximus erat, lauacro remissionis abluere. Hæc villa tempore sequentium regum deserta, & alia pro illa est facta in loco, qui vocatur Melmin. Hæc quidem in prouincia Berniciorum, sed & in prouincia Deirorum, vbi sæpius manere cũ rege solebat, baptizabat in fluuio Sualua, qui vicum iuxta cataractam præterfluit. Nondum enim oratoria vel baptisteria, in ipso exordio nascẽtis ibi ecclesiæ, poterant ædificari. Attamen in campo Dono, vbi tunc etiam villa regia erat, fecit basilicam, quam postmodũ pagani, a quibus Eduinus rex occisus est, cum tota eadem villa succenderunt. Pro qua reges posteriores fecere sibi villã in regione quæ vocatur Loidis. Euasit autem ignem altare, quia lapideũ erat, & seruatur adhuc in monasterio reuerendissimi abbatis & presbyteri Thridvvulsi quod in silua Elmete est.

CAPVT XV.

TANTAM autem, vt fertur, deuotionem Eduinus erga cultum veritatis habuit, vt etiam regi orientalium Anglorum, Carpualdo filio Redualdi persuaderet, relictis idolorum superstitionibus, fidem & sacramenta Christi cum sua prouincia suscipere. Et quidem pater eius Reduald, iamdudum in Cantio sacramẽtis Christianæ fidei imbutus est, sed frustra: nam rediens domum ab vxore sua, & a quibusdam peruersis doctoribus seductus est, atque a sinceritate fidei deprauatus, habuit posteriora peiora prioribus, ita vt in morem antiquorum Samaritanorum & Christo seruire videretur, & diis quibus antea seruiebat. atque in eodem fano & altare haberet ad sacrificium Christi, & arulam ad victimas dæmoniorum, quod videlicet fanum rex eiusdem prouincię Alduulf (qui nostra ætate fuit) vsque ad suum tempus perdurasse, & se in pueritia

vidisse testabatur. Erat autem præfatus rex Redualdus natu nobilis, quamlibet actu ignobilis, filius Tytili, cuius pater fuit Vuffa, a quo reges Anglorum orientalium Vuffingas appellant. Verum Carpualdus non multo postquam fidem accepit tempore occisus est a viro gentili, nomine Richberto, & exinde tribus annis prouincia in errore versata est, donec accepit regnũ eiusdem frater Carpualdi Sigbertus, vir per omnia doctissimus atque Christianissimus. Qui viuente adhuc fratre, cum exularet in Gallia, fidei sacramentis imbutus est. quorum participem, mox vbi regnare cœpit, totam suam prouinciam facere curauit. Cuius studiis gloriosissime fauit Felix episcopus, qui de Burgundiorum partibus vbi ortus & ordinatus est, cum venisset ad Honorium Archiepiscopum, eique indicasset desiderium suum, misit eum ad prædicandum verbum vitæ præfatæ nationi Anglorum. Nec vota ipsius incassum cecidere, quin potius fructum in ea multiplicem credentium populorum pius agri spiritalis cultor inuenit. Siquidem totam illam prouinciam iuxta sui nominis sacramentum a longa iniquitate atque infelicitate liberatam, ad fidem & opera iustitiæ ac perpetuæ felicitatis dona perduxit. Accepitque sedem episcopatus in ciuitate Dũmok, & cum septendecim annos eidem prouinciæ pontificali regimine præfuisset, ibidem in pace vitã finiuit.

CAPVT XVI.

Prædicabat autem Paulinus verbum etiam prouinciæ Lindissi, quæ est prima ad meridianam Humbri fluminis ripam pertingens vsque ad mare. Præfectumque Lindocolinæ ciuitatis, cui nomen erat Blecca, primum cum domo sua conuertit ad dominum. In qua videlicet ciuitate & ecclesiam operis egregij de lapide fecit, cuius tecto vel longa incuria vel hostili manu deiecto, parietes hactenus stare videtur, & omnibus annis aliqua miracula sanitatum in eodem loco solent ad vtilitatem eorum qui fideliter quærunt, ostendi. In qua ecclesia Paulinus transeunte ad Christum Iusto, Honorium pro eo consecrauit episcopum, vt in sequentibus suo loco dicemus. De huius fide prouinciæ narrauit mihi presbyter & abbas quidam, vir veracissimus de monasterio Peartaneu vocabulo Deda, retulisse sibi quẽdam seniorem, baptizatum se fuisse die media a Paulino episcopo, præsente rege Eduino, & multam populi turbam in fluuio Trehenta iuxta ciuitatem quæ lingua Anglorum Tiouulfingacestir vocatur. Qui etiam effigiem eiusdem Paulini referre esset solitus, quod esset longæ staturæ, paululum incuruus, nigro capillo, facie macilenta, naso adunco, pertenui, venerabilis simul & terribilis aspectu. Habuit autem secum in ministerio & Iacobum diaconum virum vtique industrium ac nobilem in Christo & in ecclesia, qui ad nostra vsque tempora permãsit. Tanta autem eo tempore pax in Britannia, quaquauersum imperium regis Eduini peruenerat, fuisse perhibetur, vt (sicut vsque hodie in prouerbio dicitur) etiam si mulier vna cum recens nato paruulo vellet totam perãbulare insulam a mari vsq; ad mare, nullo se lædente, valeret. Tantum quoque rex idem vtilitati suæ gentis cõsuluit, vt plerisq; in locis vbi fontes lucidos iuxta publicos viarum transitus conspexit, ibi ob refrigerium viantium, erectis stipitibus & æreos caucos suspendi iuberet, neque hos quisquam nisi ad vsum necessarium contingere præ magnitudine vel timoris eius auderet, vel amoris vellet. Tantum vero excellentiæ in regno habuit, vt non solum in pugna ante illum vexilla gestarentur, sed & tempore pacis equitantem inter ciuitates siue villas aut prouincias suas cum ministris semper antecedere signifer consueuisset. Nec non & incedente illo vbilibet per plateas illud genus vexilli, quod Romani Tufam, Angli vero appellant Tuuf, ante eum ferri solebat.

CAPVT XVII.

Qvo tempore præsulatum sedis apostolicæ Honorius Bonifacij successor habebat, qui vbi gẽtem NordãHumbrorum cum suo rege ad fidem confessionemq; Christi Paulino euangelizante cõuersam esse didicit, misit eidẽ Paulino palliũ, misit & regi Eduino litteras exhortatorias, paterna illũ caritate accẽdens, vt in fide veritatis, quã acceperãt, persistere semper ac proficere curarẽt. Quarũ videlicet litterarum iste est ordo: Domino excellentissimo atq; præcellẽtissimo filio Eduino regi Anglorũ Honorius epi-

episcopus, seruus seruorũ Dei salutẽ. Ita Christianitatis vestræ integritas circa conditoris sui cultũ fidei est ardore succẽsa, vt longe lateq; resplendeat, & in omni mũdo annunciata, vestri operis multipliciter referat fructũ. Sic enim vos reges esse cognoscitis, dum regem & creatorẽ vestrum orthodoxa prædicatione edocti, Deũ venerando creditis, eique quod humana valet conditio mentis vestræ sinceram deuotionem exsoluitis. Quid Deo nostro aliud offerre valebimus, nisi vt in bonis actibus persistentes ipsumque auctorem humani generis confitentes, eum colere, eique vota nostra reddere festinemus? Et ideo, excellentissime fili, paterna vos caritate qua conuenit exhortamur, vt hoc, quod vos diuina misericordia ad suam gratiam vocare dignata est, sollicita intentione & assiduis orationibus seruare omnimodo festinetis, vt qui vos in præsenti sæculo ex omni errore absolutos ad agnitionem sui nominis est dignatus perducere, cœlestis patriæ vobis præparet mansionem. Prædicatoris igitur vestri domini mei apostolicæ memoriæ Gregorij lectione frequenter occupati, præ oculis affectum doctrinæ ipsius, quem pro vestris animabus libenter exercuit, habetote, quatenus eius oratio, & regnum vestrum populumque augeat, & vos omnipotenti Deo irreprehensibiles repræsentet. Ea vero quæ a nobis pro vestris sacerdotibus ordinanda sperastis, hæc pro fidei vestræ sinceritate, quæ nobis multimoda relatione per præsentium portitores laudabiliter insinuata est, gratuito animo attribuere illis sine vlla dilatione præuidemus. Et duo pallia vtrorumque metropolitanorum, id est, Honorio & Paulino direximus, vt dum quis eorum de hoc sæculo ad auctorem suum fuerit accersitus, in loco ipsius alterum episcopum ex hac nostra auctoritate debeat subrogare: quod quidem tam pro vestræ caritatis affectu, quam pro tantarum prouinciarum spatio, quæ inter nos & vos esse noscuntur, sumus inuitati concedere, vt in omnibus deuotioni vestræ nostrum concursum & iuxta vestra desideria præberemus. Incolumen excellentiam vestram gratia superna custodiat.

CAPVT XVIII.

INTER hæc Iustus archiepiscopus ad cœlestia regna sublatus est quarto Iduum Nouembrium die, & Honorius pro illo est in præsulatum electus. Qui ordinandus venit ad Paulinum, & occurrente sibi illo in Lindocolino, quintus ab Augustino Dorouernensis ecclesiæ consecratus est antistes. Cui etiam præfatus papa Honorius misit pallium & litteras, in quibus decreuit hoc ipsum, quod in epistola ad Eduinum regem missa decreuerat, scilicet vt cum Dorouernensis vel Eburacensis antistes de hac vita transierit, is qui superest consors eiusdem gradus habeat potestatem alterum ordinandi in loco eius qui transierat sacerdotem, ne sit necesse ad Romanam vsque ciuitatem per tam prolixa terrarum & maris spatia pro ordinando Archiepiscopo semper fatigari. Quarum etiam textum litterarum in nostra hac historia ponere commodum duximus: DILECTISSIMO fratri Honorio. Honorius, inter plurima quæ redẽptoris nostri misericordia suis famulis dignatur bonorum munera prærogare, illud etiam clementer collata suæ pietatis munificentia tribuit, quoties per fraternos affatus vnanimam dilectionem quadam contemplatione alternis aspectibus repræsentat, pro quibus maiestati eius gratias indesinenter exsoluimus. eumque votis supplicibus exoramus, vt vestram dilectionem in prædicatione Euangelij elaborantem & fructificantem, sectantemque magistri vestri & capitis sui sancti Gregorij regulam perpeti stabilitate confirmet: et ad augmentum ecclesiæ suæ potiora per vos suscitet incrementa, vt fide & opere in timore Dei & caritate vestra acquisitio decessorumque vestrorum, quæ per domini Gregorij exordium pullulat, conualescendo amplius extendatur, vt ipsa vos dominici eloquij promissa in futuro respiciant. Vosque vox ista ad æternam festiuitatem euocet: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Et iterum: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium domini tui. Et nos equidem fratres carissimi, hæc vobis pro æterna caritate exhortationis verba præmittentes, quæ rursus pro ecclesiarum vestrarum priuilegiis congruere posse conspicimus, non desistimus impartire. Et iam iuxta vestram petitionem, quam filiorum nostrorum regum vobis præsenti nostra

præceptione, vice beati Petri apostolorum principis, auctoritatem tribuimus, vt quando vnum ex vobis diuina ad se iusserit gratia vocari, is qui superstes fuerit alterum in loco defuncti debeat episcopum ordinare. Pro qua etiam re singula vestræ dilectioni pallia pro eadem ordinatione celebranda direximus, vt per nostræ præceptionis auctoritatem possitis Deo placitam ordinationem efficere: quia vt hæc vobis concederemus, longa terrarum marisque interualla, quæ inter nos ac vos obsistunt, ad hæc nos condescendere coëgerunt, vt nulla possit ecclesiarum vestrarum iactura per cuiuslibet occasionis obtentum quoquo modo peruenire; sed potius commissi vobis populi deuotionem plenius propagare. Deus te incolumen custodiat dilectissime frater. Data die tertio Iduum Iuniarum, imperantibus dominis nostris piissimis Augustis, Heraclio, anno vicesimo quarto, proconsulatus eiusdem anno vicesimo tertio, & consulatus eius anno tertio. Sed & Heraclio felicissimo Cæsare, id est, filio eius anno tertio, indictione septima, id est, anno Dominicæ incarnationis sexcentesimo tricesimo tertio.

CAPVT XIX.

Misit idem papa Honorius litteras etiam genti Scotorum, quos in obseruatione sancti paschæ errasse compererat, iuxta quod supra docuimus, solerter exhortans, ne paucitatem suam in extremis terræ finibus constitutam, sapientiorem antiquis siue modernis, quæ per orbem terræ erant, Christi ecclesiis æstimarent, neve contra paschales computos & decreta synodalium totius orbis pontificum, aliud pascha celebrarent. Sed & Iohannes, qui & successori eiusdem Honorij Seuerino successit, cum adhuc esset electus in pontificatum, pro eodem errore corrigendo litteras eis magna auctoritate atque eruditione plenas direxit, euidenter astruens, quia dominicum paschæ diem a quintadecima luna vsque ad vicesimam primam lunam (quod in Nicena synodo probatum est) oporteret inquiri. Nec non & pro Pelagiana hæresi, quam apud eos reuiuiscere didicerat, cauenda ac repellenda, in eadem illos epistola admonere curauit. Cuius epistolæ principium hoc est: Dilectissimis & sanctissimis Thomiano, Columbano, Chromano, Dimao, & Bartano episcopis, Chromano, Hermannoque, Laistrano, Stellano, & Segeno presbyteris, Sarano ceterisque doctoribus seu abbatibus Scotis Hilarius archipresbyter & seruans locum sanctæ sedis apostolicæ, Iohannes diaconus & in Dei nomine electus: item Iohannes primicerius & seruans locum sanctæ sedis apostolicæ, & Iohannes seruus Dei, consiliarius eiusdem apostolicæ sedis. Scripta quæ per latores ad sanctæ memoriæ Seuerinum papam adduxerunt, eo de hac luce migrante, reciproca responsa ad ea quæ postulata fuerant siluerunt. Quibus reseratis, ne diu tantæ quæstionis caligo indiscussa remaneret, reperimus quosdam prouinciæ vestræ contra orthodoxam fidem nouam ex veteri hæresim renouare conantes, pascha nostrum, in quo immolatus est Christus, nebulosa caligine refutantes, & quartadecima luna cum Hebræis celebrare nitentes. Quo epistolæ principio manifeste declaratur, & nuperrime temporibus illis hanc apud eos hæresim exortam, & non totam eorum gentem, sed quosdam ex eis hac fuisse implicatos. Exposita autem ratione paschalis obseruantiæ, ita de Pelagianis in eadem epistola subdunt: Et hoc quoque cognouimus, quod virus Pelagianæ hæreseos apud vos denuo reuiuiscit; quod omnino hortamur, vt a vestris mentibus huiusmodi venenatum superstitionis facinus auferatur. Nam qualiter ipsa quoque execranda hæresis damnata est, latere vos non debet: quia non solum per istos ducentos annos abolita est, sed & quotidie a nobis perpetuo anathemate sepulta damnatur: & hortamur ne quorum arma combusta sunt, apud vos eorum cineres suscitentur. Nam quis non execretur superbum eorum conamen & impium, dicentium, posse sine peccato hominem existere ex propria voluntate & non ex gratia Dei? Et primum quidem blasphemiæ & stultiloquium est dicere, esse hominem sine peccato: quod omnino non potest, nisi vnus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui sine peccato est conceptus & partus. Nam ceteri homines cum peccato originali nascentes, testimoniũ prævaricationis Adæ (etiã sine peccato actuali existẽtes) portare noscuntur,

„ noſcuntur, ſecundum Prophetam dicentem: Ecce enim in iniquitatibus conceptus „ ſum, & in peccatis concepit me mater mea.

CAPVT XX.

AT vero Eduinus cum decem & ſeptem annis genti Anglorum ſimul & Britonum glorioſiſſime præeſſet, e quibus etiã rex ipſe, vt diximus, Chriſti regno militauit, rebellauit aduerſus eum Carduella rex Britonum, auxilium præbente illi Penda viro ſtrenuiſſimo, de regio genere Merciorũ, qui & ipſe ex eo tẽpore gentis eiuſdem regno annis viginti & duobus varia ſorte præfuit. Et conſerto graui prælio in campo qui vocatur Hethfelth, occiſus eſt Eduinus die quarta iduum Octobris, anno dominicę incarnationis ſexcenteſimo triceſimo tertio, cum eſſet annorum quadraginta & ſeptem, eiuſque totus vel interemptus vel diſperſus eſt exercitus. In quo etiam bello ante illum vnus filius eius Oſfrid iuuenis bellicoſus cecidit: alter Edfrid neceſſitate cogente, ad Pendam regem transfugit, & ab eo poſtmodum regnante Oſualdo contra fidẽ iuriſiurandi peremptus eſt. Quo tempore maxima eſt facta ſtrages in eccleſia vel gente Nordã Humbrorum, maxime quod vnus ex ducibus, a quibus acta eſt, paganus, alter quia barbarus erat, pagano ſæuior. Siquidem Penda cum omni Merciorum gente idolis deditus, & Chriſtiani erat nominis ignarus. At vero Carduella quamuis nomen & profeſſionem haberet Chriſtiani, adeo tamen erat animo ac moribus barbarus, vt ne ſexui quidem muliebri vel innocuæ paruulorum parceret ætati, quin vniuerſos atrocitate ferina morti per tormenta cõtraderet, multo tempore totas eorum prouincias debacchando peruagatus, ac totum genus Anglorum Britanniæ finibus eraſurum ſe eſſe deliberans. Sed nec religioni Chriſtianæ, quæ apud eos exorta erat, aliquid impendebat honoris. quippe cum vſque hodie moris ſit Britonum, fidem religionemque Anglorum pro nihilo habere, neque in aliquo eis magis communicare quam paganis. Allatum eſt autem caput Eduini regis Eboracum, & illatum poſtea in eccleſiam beati Petri apoſtoli, quam ipſe cœpit, ſed ſucceſſor eius Oſualdus perfecit, vt ſupra docuimus. Poſitum eſt autem in porticu ſancti Papæ Gregorij, a cuius ipſe diſcipulis verbum vitæ ſuſceperat. Turbatis itaque rebus Nordan Humbrorũ huius articulo cladis, cum nihil alicubi præſidij niſi in fuga eſſe videretur, Paulinus aſſumpta ſecum Edilberge regina, quam pridem adduxerat, rediit Cantium nauigio, atque ab Honorio archiepiſcopo & rege Edulbaldo multum honorifice ſuſceptus eſt. Venit autem illuc duce Baſſo milite regis Eduini fortiſſimo, habens ſecum Heanfredam filiam & Vulcfream filium Eduini, nec non & Iffi filium Offridi filij eius, quos poſtea mater, metu Edboldi & Oſualdi regum, miſit in Galliam, nutriendos regi Decberto, ibique ambo in infantia defuncti, & iuxta honorem vel regiis pueris vel innocentibus Chriſti congruum in eccleſia ſepulti ſunt. Attulit quoque ſecum vaſa precioſa Eduini regis perplura, in quibus & crucem magnam auream, & calicem aureum conſecratum ad miniſterium altaris, quæ hactenus in eccleſia Cantij conſeruata monſtrantur. Quo in tempore Rhofenſis eccleſia paſtorem minime habebat, eo quod Romanus præſul illius ad Honorium papam a Iuſto archiepiſcopo legatarius miſſus, abſorptus fuerat fluctibus Italici maris, ac per hoc curam illius præfatus Paulinus inuitatione Honorij antiſtitis & Eadbaldi regis ſuſcepit, ac tenuit vſque dum & ipſe ſuo tempore ad cœleſtia regna, cum glorioſi fructu laboris aſcendit, in qua eccleſia moriẽs pallium quoque, quod a Romano papa acceperat, reliquit. Reliquerat autem in eccleſia ſua Eboraci Iacobum Diaconum virum vtique eccleſiaſticum & ſanctum, qui multo exhinc tempore in eccleſia manẽs, magnas antiquo hoſti prædas docendo & baptizando eripuit. Cuius nomine vicus in quo maxime ſolebat habitare iuxta cataractam, vſque hodie cognominatur. Qui quoniam cantandi in eccleſia erat peritiſſimus, recuperata poſtmodum pace, in prouincia creſcente numero fidelium etiam magiſter eccleſiaſticæ cantionis iuxta morem Romanorum ſeu Cantuariorum multis cœpit exiſtere. Et ipſe ſenex & plenus dierum, iuxta ſcripturas, patrum viam ſecutus eſt.

LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

AT interfecto in pugna Eduino, ſuſcepit pro illo regnum Deirorum (de qua prouincia ille generis proſapiam & primordia regni habuerat) filius patrui eius Elfrici, vocabulo Oſricus, qui ad prędicationem Paulini, fidei erat ſacramentis imbutus. Porro regnum Berniciorum (nam in has duas prouincias gens NordanHumbrorum antiquitus diuiſa erat) ſuſcepit filius Edelfridi, qui de illa prouincia generis & regni originem duxerat, nomine Eanfridus. Siquidem tempore toto quo regnauit Eduinus, filij præfati regis Edelfridi, qui ante eum regnauerat, cum magna nobilium iuuentute apud Scotos, ſiue Pictos, exulabant. Ibique ad doctrinam Scotorum catechizati, & baptiſmatis gratia ſunt recreati. Qui vt mortuo rege inimico patriam ſunt redire permiſſi, accepit primus eorum, quem diximus, Oſricus regnum Deirorum; ſecundus vero Eanfridus regnum Berniciorum. Vterque rex vt terreni regni inſulas ſortitus eſt, ſacramenta regni cœleſtis quibus initiatus erat, anathematizando prodidit, ac ſe priſcis idololatriæ ſordibus polluendum perdendumque reſtituit. Nec mora, vtrumque rex Britonum Ceduallla impia manu, ſed iuſta vltione peremit. Et primo quidem proxima æſtate Oſricum, dum ſe in opidi municipio temeratie obſediſſet, erumpens ſubito cum ſuis omnibus imparatum cum toto exercitu deleuit. Deinde cum anno integro prouincias NordanHumbrorum non vt rex, victor poſſideret, ſed quaſi tyrannus ſæuiens diſperderet, ac tragica cæde dilaceraret, tandem Eanfridum inconſulte ad ſe cum duodecim electis militibus poſtulandæ pacis gratia venientem, ſimili ſorte damnauit. Infauſtus ille annus, & omnibus bonis exoſus vſque hodie permanet, tam propter apoſtaſiam regum Anglorum, qua fidei ſacramentis ſe exuerant, quam propter veſanam Britonici regis tyrannidem. Vnde cunctis placuit, regum tempora computantibus, vt ablata de medio regum perfidorum memoria, idem annus ſequentis regis, id eſt, Oſualdi viri Deo dilecti regno aſſignaretur. Quo, poſt occiſionem fratris Eanfridi, ſuperueniente cum paruo exercitu, ſed fide Chriſti munito, infandus Britonum dux, cum immenſis illis copiis, quibus nihil reſiſtere poſſe iactabat, interemptus eſt, in loco qui lingua Anglorum Deniſes burna, id eſt, riuus Deniſi vocatur.

CAPVT II.

OSTENDITVR autem vſque hodie, & in magna veneratione habetur locus ille, vbi venturus ad hanc pugnam Oſualdus ſignum ſanctæ crucis erexit, ac flexis genibus Deum deprecatus eſt, vt in tanta rerum neceſſitate ſuis cultoribus cœleſti ſuccurreret auxilio. Denique fertur, quia facta citato opere cruce ac fouea præparata in qua ſtatui deberet, ipſe fide feruens hanc arripuerit, ac foueæ impoſuerit, atque vtraque manu erectam tenuerit, donec adgeſto a militibus puluere terræ figeretur. Et hoc facto elata in altum voce, cuncto exercitui proclamauerit: Flectamus omnes genua, & Deum omnipotentem viuum ac verum in communi deprecemur, vti nos ab hoſte ſuperbo ac feroce ſua miſeratione defendat: ſcit enim ipſe, quia iuſta pro ſalute gentis noſtræ bella ſuſcepimus. Fecerunt omnes vt iuſſerat. Et ſic, incipiente diluculo, in hoſtem progreſſi, iuxta meritum ſuæ fidei victoria potiti ſunt. In cuius loco orationis, innumeræ virtutes ſanitatum noſcuntur eſſe patratæ, ad indicium videlicet ac memoriam fidei regis. Nam & vſque hodie multi de ipſo ligno ſacro ſanctæ crucis aſtulas excidere ſolent, quas cum in aquas miſerint, eiſque languentes homines ac pecudes potauerint ſiue aſperſerint, mox ſanitati reſtituuntur. Vocatur locus ille lingua Anglorum Heſenfelth, quod dici poteſt Latine, Cœleſtis campus, quod certo vtique

præſagio

„ præsagio futurorum antiquitus nomen accepit, significans nimirum quod ibidem „ cœleste erigendum tropæum, cœlestis inchoanda victoria, cœlestia vsque hodie forent miracula celebranda. Est autem locus ille iuxta murum illum ad aquilonem, quo Romani quondam ob arcendos barbarorum impetus totam a mari ad mare præcinxere Britanniam, vt supra docuimus. In quo videlicet loco consuetudinem multo iam tempore fecerant fratres Hagustaldensis ecclesiæ (quæ non longe abest) aduenientes omni anno, pridie quam postea idem rex Osualdus occisus est, vigilias pro salute animæ eius facere, plurimaque psalmorum laude celebrata, victimam pro eo mane sacræ oblationis offerre. Qui etiam crescente bona cõsuetudine, nuper ibidem ecclesia constructa atque dedicata, sacratiorem & cunctis honorabiliorem omnibus locum fecere. Nec immerito, quia nullum, vt comperimus, fidei Christianæ signum, nulla ecclesia, nullum altare in tota Berniciorum gente erectum est, prius quam hoc sacræ crucis vexillum nouus militiæ ductor, dictante fidei deuotione, contra hostem immanissimum pugnaturus statueret. Nec ab re est, vnum e pluribus, quæ ad hanc crucem patrata sunt, virtutis miraculum narrare: Quidam e fratribus eiusdem Hagustaldensis ecclesiæ, nomine Bothelmus, qui nunc vsq; superest, ante paucos annos dum incautius forte noctu in glacie incederet, repente corruit, brachium contriuit, ac grauissima fracturæ ipsius cœpit molestia fatigari, ita vt ne ad os quidem adducere ipsum brachium nullatenus dolore arcente valeret. Qui cum die quadam mane audiret vnum de fratribus ad locum eiusdem sanctæ crucis ascendere dispposuisse, rogauit vt aliquam sibi partem de illo ligno venerabili rediens afferret: credere se dicens, quia per hoc, donante domino, salutem posset consequi. Fecit ille vt rogatus est; & reuersus ad vesperam, sedentibus iam ad mensam fratribus, obtulit ei aliquid de veteri musco, quo superficies ligni erat obsita. Qui cum sedens ad mensam non haberet ad manum vbi oblatum sibi munus reponeret, misit hoc in sinum sibi. Et dum iret cubitum, oblitus hoc alicubi deponere, permisit suo in sinu permanere. At medio noctis tempore cum euigilaret, sensit nescio quid frigidi suo lateri adiacere, admotaque manu requirere quid esset; ita sanum brachium manumque repperit, ac si nil vnquam tanti languoris habuisset.

CAPVT III.

IDEM ergo Osualdus mox, vbi regnum suscepit, desiderans totam cui præesse cœpit gentem, fidei Christianæ gratia imbui, cuius experimenta permaxima in expugnandis Barbaris iam ceperat, misit ad maiores natu Scotorum, inter quos exulans ipse baptismatis sacramenta cum his qui secum erant militibus consecutus erat, petens vt sibi mitteretur antistes, cuius doctrina ac ministerio gens quam regebat Anglorum, dominicæ fidei & dona disceret, & susciperet sacramenta. Neque aliquanto tardius quod petiit, impetrauit: accepit namque pontificem Aidanum summæ mansuetudinis & pietatis ac moderaminis virum, habentemque zelum Dei, quamuis non plene secundum scientiam. Namque diem paschæ dominicum more suæ gentis, cuius sæpius mentionem fecimus, a quartadecima luna vsque ad vicesimam obseruare solebat. Hoc etenim ordine septentrionalis Scotorum prouincia, & omnis natio Pictorum, illo adhuc tempore pascha dominicum celebrabat, æstimans se in hac obseruatione, sancti ac laude digni patris Anatolij scripta secutum. Quod quidem an verum sit, peritus quisque facillime cognoscit. Porro gentes Scotorum, quæ in Australibus Hiberniæ insulæ partibus morabantur, iam dudum ad admonitionem apostolicæ sedis Antistis pascha canonico ritu obseruare didicerunt. Veniente igitur ad se episcopo, Rex loco sedis episcopalis in insula Lindissarnensi, vbi ipse petebat, tribuit. Qui videlicet locus accedente ac recedente reumate, bis quotidie instar insulæ maris circunluitur vndis, bis renudato litore contiguus terræ redditur: atque eius admonitionibus humiliter ac libenter in omnibus auscultans, ecclesiam Christi in regno suo multum diligenter ædificare curauit. Vbi pulcerrimo sæpe spectaculo contigit, vt euangelizante antistite, qui Anglorum linguam perfecte non nouerat, ipse Rex suis ducibus ac ministris interpres verbi existeret cœlestis: quia nimirum tam longo exilij

sui tempore linguam Scotorum iam plene didicerat. Exinde cœpere plures per dies de Scotorum regione venire Britanniam, atque illis Anglorum prouinciis quibus regnauit Rex Osualdus magna deuotione verbum fidei prædicare, & credentibus gratiam baptismi, quicunque sacerdotali erant gradu præditi, ministrare. Construebantur ergo ecclesiæ per loca, confluebant ad audiendum verbum Dei, populi gaudentes; donabantur munere regio possessiones & territoria ad instituenda monasteria; imbuebantur præceptoribus Scotis paruuli Anglorum vna cum maioribus, studiis & obseruatione disciplinæ regularis. Nam monachi erant, maxime qui ad prædicandum venerant. Monachus ipse episcopus Aidanus, vtpote de insula quæ vocatur Hydesti natus. Cuius monasteriũ in cunctis pæne septentrionalium Scotorum & omnium Pictorum monasteriis non paruo tempore arcem tenebat, regendisque eorum populis præerat. Quæ videlicet insula ad ius quidem Britanniæ pertinet, non magno ab ea freto discreta, sed donatione Pictorum, qui illas Britanniæ plagas incolunt, iam dudum monachis Scotorum tradita, eo quod illis prædicantibus fidem Christi perceperunt.

CAPVT IIII.

SIQVIDEM anno incarnationis dominicæ quingentesimo sexagesimo quinto (quo tempore gubernaculum Romani imperij post Iustinianum Iustinus minor accepit) venit de Hibernia presbyter & abbas habitu & vita monachi insignis nomine Columba Britanniam, prædicaturus verbum Dei prouinciis Septentrionalium Pictorum, hoc est, eis quæ arduis atque horrentibus montium iugis ab australibus eorum sunt regionibus sequestratæ. Namque ipsi australes Picti, qui intra eosdem montes habent sedes, multo ante tempore, vt perhibent, relicto errore idololatriæ, fidem veritatis acceperant, prædicante eis verbum Nyma episcopo reuerendissimo & sanctissimo viro de natione Britonum, qui erat Romæ regulariter fidem & mysteria veritatis edoctus; cuius sedem episcopatus, sancti Martini episcopi nomine, & ecclesia insignem (vbi ipse etiam corpore vna cum pluribus sanctis requiescit) iam nunc Anglorum gens obtinet. Qui locus ad prouinciam Berniciorum pertinens, vulgo vocatur Ad candidam casam, eo quod ibi ecclesiam de lapide insolito Britonibus more fecerit. Venit autem Britanniam Columbanus regnante Pictis Bridio filio Meilochon rege potentissimo, nono anno regni eius, gentemque illam verbo & exemplo ad fidem Christi conuertit. Vnde & præfatam insulam ab eis in possessionem monasterij faciendi accepit. Neque enim magna est, sed quasi familiarum quinque, iuxta æstimationem Anglorum; quam successores eius vsque hodie tenent, vbi & ipse sepultus est, cum esset annorum septuaginta septem, post annos circiter triginta & duos ex quo ipse Britanniam prædicaturus adiit. Fecerat autem, prius quam Britanniam veniret, monasterium nobile in Hibernia, quod a copia roborum Dearmach lingua Scotorum, hoc est, campus roborum cognominatur. Ex quo vtroque monasterio perplurima exinde monasteria per discipulos eius & in Britannia & in Hibernia propagata sunt. In quibus omnibus idem monasterium insulanum, in quo ipse requiescit corpore, principatum tenet. Habere autem solet ipsa insula rectorem semper abbatem presbyterum, cuius iuri & omnis prouincia, & ipsi etiam episcopi ordine inusitato debeant esse subiecti, iuxta exemplum primi doctoris illius, qui non episcopus, sed presbyter extitit & monachus. De cuius vita & verbis nonnulla a discipulis eius feruntur scripta haberi. Verum qualiscunque fuerit ipse, nos hoc de illo certum tenemus, quod reliquit successores magna continentia ac diuino amore regularique institutione insignes: in tempore quidem summæ festiuitatis dubios circulos sequentes, vtpote quibus longe vltra orbem positis, nemo synodalia Paschalis obseruantiæ decreta porrexerat; tantum ea quæ in propheticis, euangelicis & apostolicis litteris discere poterant, pietatis & castitatis opera diligenter obseruantes. Permansit autem huiusmodi obseruantia Paschalis apud eos tempore non pauco, hoc est, vsque ad annum dominicæ incarnationis septingentesimum decimum sextum, per annos centum quinquaginta. At tunc veniente ad eos reuerendissimo & sanctissimo patre & sacerdote

Egberto, de natione Anglorum, qui in Hibernia diutius exulauerat pro Chriſto, eratque doctiſſimus in ſcripturis, & longæua vitæ perfectione eximius, correcti ſunt per eum, & ad verum canonicumque paſchæ diem tranſlati. Quem tamen & antea non ſemper in luna quartadecima cum Iudæis, vt quidam rebantur, ſed in die quidem dominica, alia tamen quam decebat hebdomada, celebrabant. Sciebant enim (vt Chriſtiani) reſurrectionem dominicam, quæ prima Sabbati facta eſt, prima Sabbati ſemper eſſe celebrandam. Sed vt barbari & ruſtici, quando eadem prima Sabbati, ea quæ nunc Dominica dies cognominatur, veniret, minime didicerant. Verum quia gratia caritatis feruere non omiſerant, & huius quoque notitiam rei ad perfectum percipere meruerunt, iuxta promiſſum Apoſtoli dicentis: Et ſi quid aliter ſapitis, & hoc quoque vobis Deus reuelauit: de quo plenius in ſequentibus ſuo loco dicendum eſt.

CAPVT V.

AB hac ergo inſula ab horum collegio monachorum ad prouinciam Anglorum inſtituendam in Chriſto, miſſus eſt Aidanus accepto gradu epiſcopatus, quo tempore eidem monaſterio Segenius abbas & presbyter præfuit. Vnde inter alia viuendi documenta ſaluberrimum abſtinentiæ vel continentiæ clericis exemplum reliquit. Cuius doctrinam id maxime commendabat omnibus, quod non aliter quam viuebat cum ſuis, ipſe docebat. Nihil enim huius mundi quærere, nil amare curabat. Cuncta quæ ſibi a regibus vel diuitibus ſæculi donabantur, mox pauperibus qui occurrerent erogare gaudebat. Diſcurrere per cuncta & vrbana & ruſtica loca non equorum dorſo, ſed pedum inceſſu vectus, niſi ſi maior forte neceſſitas compuliſſet, ſolebat. Quatenus vbicunque aliquos vel diuites vel pauperes incedens aſpexiſſet, confeſtim ad hos diuertens, vel ad fidei ſuſcipiendæ ſacramentum, ſi infideles eſſent, inuitaret, vel ſi fideles, in ipſa eos fide confortaret, atque ad eleemoſynas bonorumque operum executionem & verbis excitaret & factis. In tantum autem vita illius a noſtri temporis ſegnicia diſtabat, vt omnes qui cum eo incedebant, ſiue adtonſi ſiue laici meditari deberent, id eſt, aut legendis ſcripturis, aut pſalmis diſcendis operam dare. Hoc erat quotidianum opus illius, & omnium qui cum eo erant fratrum vbicunque locorum deueniſſent. Et ſi forte eueniſſet, quod tamen raro euenit, vt ad Regis conuiuium vocaretur, intrabat cum vno clerico aut duobus, & vbi paululum reficiebatur, accelerabat ocyus ad legendum cum ſuis, ſiue ad orandum egredi. Cuius exemplis informati, tempore illo, religioſi quique viri ac fœminæ, conſuetudinem fecerunt per totum annum, excepta remiſſione quinquageſimæ paſchalis, a quarta & ſexta Sabbati ieiunium ad nonam vſque horam protelare. Nunquam diuitibus honoris ſiue timoris gratia, ſi qua deliquiſſent, reticebat, ſed aſpera illos inuectione corrigebat. Nullam potentibus ſæculi pecuniam; excepta ſolummodo eſca, ſi quos hoſpitio ſuſcepiſſet, vnquam dare ſolebat. Sed ea potius quæ ſibi a diuitibus donaria pecuniarum largiebantur, vel in vſus pauperum, vt diximus, diſpergebat, vel ad redemptionem eorum qui iniuſte fuerant venditi, diſpenſabat. Denique multos, quos precio dato redemerat, redemptos poſtmodum ſuos diſcipulos fecit, atque ad ſacerdotalem vſque gradum erudiendo atque inſtituendo prouexit. Ferunt autem quia cum de prouincia Scotorum rex Oſualdus poſtulaſſet antiſtitem, qui ſibi ſuæque genti verbum fidei miniſtraret, miſſus fuerit primo alius auſterioris animi vir. Qui cum aliquandiu genti Anglorum prædicans nil proficeret, nec libenter a populo audiretur, redierit patriam, atque in conuentu ſeniorum retulerit, quia nihil prodeſſe docendo genti ad quam miſſus erat, potuiſſet, eo quod eſſent homines indomabiles, & duræ ac barbaræ mentis. At illi, vt perhibent, tractatum magnum in concilio quid eſſet agendum habere cœperunt, deſiderantes quidem genti quam petebantur ſaluti eſſe, ſed non recepto quem miſerant prædicatore dolentes. Tunc ait Aidanus (nam & ipſe concilio intererat) ad eum de quo agebatur ſacerdotem: Videtur mihi frater; quia durior iuſto indoctis auditoribus fuiſti, & non eis iuxta apoſtolicam diſciplinam primo lac doctrinæ mollioris porrexiſti, donec paulatim enutriti verbo Dei, ad capienda perfectiora, & ad facienda ſublimiora Dei præcepta ſufficerent. Quo audito, omnium qui

consedebant, ad ipsum ora & oculi conuersi diligenter quid diceret discutiebant; & ipsum esse dignum episcopatu, ipsum ad erudiendos incredulos & indoctos mitti debere decernunt, quia gratia discretionis, quæ virtutum mater est, ante omnia probatur imbutus: sicque illum ordinantes ad prædicandum miserunt. Qui vbi tempus accepit, sicut prius moderamine discretionis, ita postmodum & ceteris virtutibus ornatus apparuit.

CAPVT VI.

Hvivs igitur reuerendissimi antistitis doctrina Rex Osualdus cum ea cui præerat gente Anglorum institutus, non solum incognita progenitoribus suis regna cœlorum sperare didicit; sed & regna terrarum plusquam vlli maiorũ suorum ab eodẽ vno omnipotenti Deo qui fecit cœlum & terram consecutus est. Denique omnes nationes & prouincias Britanniæ, quæ in quattuor linguas (id est, Britonum, Pictorum, Scotorum, Anglorum) diuisæ sunt, in ditione accepit. Quo regni culmine sublimatus, nihilominus, quod mirum dictu est, pauperibus & peregrinis semper humilis, benignus, & largus fuit. Denique fertur quod tempore quodam cum die sancto Paschæ cum præfato episcopo consedisset ad prandium, positusque esset in mensa coram eo discus argenteus regalibus epulis refertus, etiam iamque essent manus ad panem benedicendum missuri, intrasse subito ministrum ipsius, cui suscipiendorum inopum erat cura delegata, & indicasse Regi quia multitudo pauperum vndecunque adueniens maxima per plateas sederet, postulans aliquid eleemosynæ a Rege. Qui mox dapes sibimet appositas deferri pauperibus, & discum confringi, atque eisdem minutatim diuidi præcepit. Quo viso pontifex qui assidebat, delectatus tali facto pietatis, apprehendit dexteram eius & ait: Nunquam inueterascat hæc manus. Quod & ita iuxta votum benedictionis eius prouenit. Nam cum interfecto illo in pugna manus cum brachio a cetero essent corpore resecatæ, contigit vt hactenus incorruptæ perdurent. Denique in vrbe regia, quæ a regina quondam vocabulo Bebba cognominatur, loculo inclusæ argenteo in ecclesia S. Petri seruantur, ac digno a cunctis honore venerantur. Huius industria regis Deirorum & Berniciorum prouinciæ, quæ eatenus ab inuicem discordabant, in vnam sunt pacem, & velut vnum compaginatæ in populum. Erat autem nepos Eduini regis ex sorore Acha, dignumque fuit, vt tantus præcessor talem haberet de sua consanguinitate & religionis heredem & regni.

CAPVT VII.

Eo tempore gens occidentalium Saxonum, qui antiquitus Genuissę vocabantur, regnante Cynigilso fidem Christi suscepit; prædicante illis verbum Byrino episcopo, qui cum consilio papæ Honorij venerat Britanniam, promittens quidem se illo præsente in intimis vltra Anglorum partibus, quo nullus doctor præcessisset, sanctæ fidei semina esse sparsurum. Vnde & iussu eiusdem pontificis per Asterium Genuensem episcopum in episcopatus consecratus est gradum. Sed Britanniam perueniens, ac primum Genuissorum gentem ingrediens, cum omnes ibidem paganissimos inueniret, vtilius esse ratus est, ibi potius verbum Dei prædicare, quam vltra progrediens, eos quibus prædicare deberet inquirere. Itaque euangelizante illo in præfata prouincia, cum Rex ipse catechizatus, fonte baptismi cum sua gente ablueretur, contigit tunc temporis sanctissimum ac victoriosissimum regem NordanHumbrorum Osualdum affuisse, eumque de lauacro exeuntem suscepisse, ac pulcerrimo prorsus & Deo digno consortio, cuius erat filiam accepturus in coniugem, ipsum prius secunda generatione Deo dedicatum sibi accepit in filium. Donauerunt ergo ambo reges eidem episcopo ciuitatem quæ vocatur Dorcic, ad faciendam ibi sedem episcopalem. Vbi factis dedicatisque ecclesiis, multisque ad dominum pio eius labore populis aduocatis migrauit ad dominum. Sepultusque in eadem ciuitate; & post annos multos Hedde episcopatum agente, translatus inde in Ventam ciuitatem, atque in ecclesia beatorum apostolorum Petri & Pauli positus est. Defuncto autem & Rege, successit in regnũ filius eius Coinualch, qui & fidem & sacramenta regni cœlestis suscipere renuit; & non multo post etiam regni terrestris potentiam perdidit. Repudiata enim

sorore

sorore Pendan regis Merciorum, quam duxerat, aliam accepit vxorem. Ideoque bello petitus, ac regno priuatus ab illo, secessit ad regem orientalium Anglorum, cui nomen erat Anna, apud quem triennio exulans, fidem cognouit ac suscepit veritatis. Nam & ipse apud quem exulabat rex erat vir bonus, & bona ac sancta sobole felix, vt in sequentibus docebimus. Cum vero restitutus esset in regnum Coinualch, venit in prouinciam de Hibernia pontifex quidam nomine Agilbertus, natione quidem Gallus, sed tunc legendarum gratia scripturarum in Hibernia non paruo tempore demoratus. coniunxitque se regi, sponte ministerium prædicandi assumens: cuius eruditionem atque industriam videns rex, rogauit eum accepta ibi sede episcopali, suæ genti manere pontificem. Qui precibus eius annuens, multis annis eidem genti sacerdotali iure præfuit. Tandem rex, qui Saxonum linguam tantum nouerat, pertæsus barbaræ loquelæ, subintroduxit in prouinciam alium suæ linguæ episcopum, vocabulo Vini, & ipsum in Gallia ordinatum. Diuidensque in duas parœcias prouinciam, huic in ciuitate Venta, quæ a gente Saxonum Vintancestir appellatur, sedem episcopalem tribuit. Vnde offensus grauiter Agilbertus, quod hæc ipso inconsulto ageret Rex, rediit Galliam, & accepto episcopatu Parisiacæ ciuitatis, ibidem senex & plenus dierum obiit. Non multis autem annis post abscessum eius a Britannia transactis, pulsus est Vini ab eodem rege de episcopatu, qui secedens ad regem Merciorum, vocabulo Vulfheri, emit precio ab eodem sedem Londoniæ ciuitatis, eiusque episcopus vsque ad vitæ suæ terminum mansit. Sicque prouincia occidentalium Saxonum tempore non pauco absque præsule fuit. Quo etiam tempore rex præfatus ipsius gentis grauissimis regni sui damnis sæpissime ab hostibus afflictus, tandem ad memoriam reduxit, quod eum pridem perfidia regno pulerit, fides agnita Christi in regnum reuocauerit. Intellexitque quod etiam tunc destituta pontifice prouincia, recte pariter diuino fuerit destituta præsidio. Misit ergo legatarios in Galliam ad Agilbertum, submissa illum satisfactione deprecans ad episcopatum suæ gentis redire. At ille se excusans, & eo venire non posse contestans, quia episcopatu propriæ ciuitatis ac parœciæ teneretur astrictus: ne tamen obnixe petenti nil ferret auxilij, misit pro se illo presbyterum Eleutheriũ nepotem suum, qui ei si vellet ordinaretur episcopus, dicens, quod ipse eum dignum esse episcopatu iudicaret. Quo honorifice a populo & a rege suscepto, rogauerunt Theodorum tunc Archiepiscopum Dorouernensis ecclesiæ, ipsum sibi antistitem consecrari. Qui consecratus in ipsa ciuitate, multis annis episcopatum Genuissorum ex synodica sanctione solus sedulo moderamine gessit.

CAPVT VIII.

ANNO dominicæ incarnationis sexcentesimo quadragesimo Eadbaldus rex Cantuariorum transiens ex hac vita Earconberto filio regni gubernacula reliquit. Quæ ille suscepta viginti quattuor annis & aliquot mensibus nobilissime tenuit. Hic primus regum Anglorum in toto regno suo idola relinqui ac destrui; simul & ieiunium quadraginta dierum obseruari, principali auctoritate præcepit. Quæ ne facile a quopiam posset contemni, in transgressores dignas & competentes punitiones proposuit. Cuius filia Earcongote, vt condigna parenti soboles, magnarum fuit virgo virtutum, indesinenter semper seruiens Deo in monasterio, quod in regione Francorum constructum est ab abbatissa nobilissima, vocabulo Fara, in loco qui dicitur Brige. Nam eo tempore necdum multis in regione Anglorum monasteriis constructis, multi de Britannia monasticæ conuersationis gratia, Francorum vel Galliarum monasteria adire solebant: sed & filias suas eisdem erudiendas, ac sponso cœlesti copulandas mittebant. Maxime in Brige & in Cale & in Andilegum monasterio. Inter quas erat Sethryd filia vxoris Annæ regis orientalium Anglorum, cuius supra meminimus, & filia naturalis eiusdem Regis Edilberge: quæ vtraque cum esset peregrina, præ merito virtutum eiusdem monasterij Brigensis est abbatissa constituta. Cuius regis filia maior Sexburg vxor Earconberti regis Cantuariorum habuit filiam Earcongotam, de qua sumus dicturi. Huius autem virginis Deo dicatæ multa quidem ab

incolis loci illius solent opera virtutum & signa miraculorum vsque hodie narrari. Verum nos de transitu tantum illius, quo cœlestia regna petiit, aliquid breuiter dicere sufficiat. Imminente ergo die suæ vocationis, cœpit circuire in monasterio casulas infirmarum Christi famularum, earumque maxime quæ vel ætate prouectæ, vel probitate erant morum insigniores, quarum se omnium precibus humiliter commendans, obitum proxime suum, quem reuelatione didicerat, non celabat esse futurum. Quam videlicet reuelationem huiusmodi esse perhibebat: Vidisse sese albatorum cateruam non minimam idem monasterium intrare, hosque a se interrogatos quidquærerent, aut quid ibi vellent; respondisse, quod ob hoc illo fuerint destinati, vt aureum illud numisma, quod eo de Cantia venerat, secum assumeret. Ipsa autem nocte, in cuius vltima parte, id est, incipiente aurora, præsentis mundi tenebras transiens, supernam migrauit ad lucem. Multi de fratribus eiusdem monasterij, qui aliis erant in ædibus, iam manifeste se concentus angelorum psallentium audisse referebant, sed & sonitum quasi plurimæ multitudinis monasterium ingredientis. Vnde mox egressi dignoscere quid esset, viderunt lucem cælitus emissam fuisse permaximam, quæ sanctam illam animam carnis vinculis absolutam ad æterna patriæ cœlestis gaudia deducebat. Addunt & alia, quæ in ipsa nocte in monasterio eodem diuinitus fuerint ostensa miracula. Sed hæc nos ad alia tendentes suis narrare permittimus. Sepultum est autem corpus venerabile virginis & sponsæ Christi, in ecclesia beati protomartyris Stephani. Placuitque post diem tertium, vt lapis quo monumentum tegebatur, amoueretur, & altius in ipso loco reponeretur: quod dum fieret, tantæ flagrantia suauitatis ab imis ebulliuit, vt cunctis qui astabant fratribus & sororibus quasi opobalsami cellaria esse viderentur aperta. Sed & matertera eius, de qua diximus Edilberg, & ipsa Deo dilectam perpetuæ virginitatis gloriam in magna corporis continentia seruauit: quæ cuius esset virtutis, magis post mortem claruit. Cum enim esset abbatissa, cœpit facere in monasterio suo ecclesiam in honorem omnium apostolorum, in qua suum corpus sepeliri cupiebat. Sed cum opus idem ad medium ferme esset perductum, illa ne hoc perficeret morte prærepta est, & in ipso ecclesiæ loco vbi desiderabat condita. Post cuius mortem, fratribus alia magis curantibus, intermissum est hoc ædificium annis septem; quibus completis statuerunt ob nimietatem laboris huius structuram ecclesiæ, funditus relinquere. Ossa vero abbatissæ illo de loco eleuata, in ecclesiam quæ esset perfecta ac dedicata, transferre. Et aperientes sepulcrum eius ita intemeratum corpus inuenere, vt a corruptione concupiscentiæ carnalis erat immune, & ita denuo lotum, atque aliis vestibus indutum, transtulerunt illud in ecclesiam beati Stephani martyris. Cuius videlicet natalis ibi in magna gloria solet celebrari, die Nonarum Iuliarum.

CAPVT IX.

Regnavit autem Osualdus rex Christianissimus NordanHumbrorum nouem annos, annumerato etiam illo anno, quem & feralis impietas Regis Britonum & apostasia demens regum Anglorum detestabilem fecerat. Siquidem, vt supra docuimus, vno animo omnium consensu firmatum est, vt nomen & memoria apostatarum de catalogo regum Christianorum prorsus aboleri deberet, neque aliquis regno eorum annus adnotari. Quo completo annorum curriculo occisus est, commisso graui prælio, ab eadem gente pagana, paganoque rege Merciorum, a quo & prædecessor eius Eduinus peremptus fuerat, in loco qui lingua Anglorum nuncupatur *Maserfelth*, anno ætatis suæ trigesimo octauo, die quinto mensis Augusti. Cuius quanta fides in Deum, quæ deuotio mentis fuerit, etiam post mortem virtutum miraculis claruit. Namque in loco, vbi pro patria dimicans a paganis interfectus est, vsque hodie sanitates infirmorum & hominum & pecorum celebrari non desinunt. Vnde contigit vt puluerem ipsum, vbi corpus eius in terram corruit, multi auferentes, & in aquam mittentes, suis per hoc infirmis multum commodi afferrent. Qui videlicet mos adeo increbuit; vt paulatim ablata exinde terra, fossam ad mensuram staturæ virilis altam reddiderit. Nec mirandum in loco mortis illius

infirmos

infirmos sanari, qui semper dum viueret infirmis & pauperibus consulere, eleemosynas dare, opem ferre, non cessabat. Et multa quidem in loco illo, vel de puluere loci illius, facta virtutum miracula narrantur. Sed nos duo tantum, quæ a maioribus audiuimus, referre, satis duximus. Non multo post interfectionem eius, exacto tempore, contigit vt quidam equo sedens iter iuxta locum ageret illum; cuius equus subito lassescere, consistere, caput in terram declinare, spumas ex ore dimittere, & augescente dolore nimio in terram cœpit ruere, desiluit eques, & stramine substrato cœpit expectare horam, qua aut melioratum reciperet iumentum, aut relinqueret mortuum. At ipsum diu graui dolore vexatum cum diuersas in partes se torqueret, repente volutando deuenit in illud loci, vbi rex memorabilis occubuit. Nec mora, quiescente dolore cessabat ab insanis membrorum motibus, & consueto equorum more, quasi post lassitudinem in diuersum latus vicissim sese voluere, statimque exurgens quasi sanum per omnia vireta herbarum auidius carper ecœpit. quo ille viso, vt vir sagacis ingenij, intellexit aliquid miræ sanctitatis huic loco, quo equus est curatus, inesse. Et posito ibi signo, non multo post ascendit equum, atque hospitium quo proposuerat, accessit: quo dum adueniret, inuenit puellam ibi neptem patrisfamilias longo paralysis morbo grauatam. & cum familiares domus illius, de acerba puellæ infirmitate ipso præsente quererentur, cœpit dicere ille de loco vbi caballus suus esset curatus. Quid multa? imponentes eam carro, duxerunt ad locum illum; ibidemque deposuerunt. At illa posita in loco, obdormiuit parumper; & vbi euigilauit, sanatam se ab illa corporis dissolutione sentiens, postulata aqua, ipsa lauit faciem, crines composuit, caput linteo cooperuit, & cum his, qui se adduxerant, sana pedibus incedẽdo reuersa est.

CAPVT X.

EODEM tempore venit alius quidam de natione Britonum, vt ferunt, iter faciens iuxta ipsum locum, in quo præfata erat pugna completa. Et vidit vnius loci spacium cetero campo viridius ac venustius: cœpitque sagaci animo coniicere, quod nulla esset alia causa insolitæ illo in loco viriditatis, nisi quod ibidem sanctior cetero exercitu vir aliquis fuisset interfectus. Tulit itaque de puluere terræ illius secum, illigans in linteo, cogitans quod futurum erat, quia ad medelam infirmantium idem puluis proficeret: & pergens itinere suo peruenit ad vicum quendam vespere; intrauitque in domum in qua vicani cœnantes epulabantur; & susceptus a dominis domus, resedit & ipse cum eis ad conuiuium, appendens linteolum cum puluere quem attulerat in vna posta parietis. Cumque diutius epulis atque ebrietati vacarent, accenso grandi igne in medio, contigit volantibus in altum scintillis, culmen domus quod erat virgis contextum atque fœno tectum, subitaneis flammis impleri. Quod cum repente conuiuæ terrore confusi conspicerent, fugerunt foras, nihil ardenti domui iamiamque perituræ prodesse valentes. Consumpta ergo domo flammis, posta solummodo, in qua puluis ille inclusus pendebat, tuta ab ignibus & intacta remansit. Qua visa virtute mirati sunt valde, & perquirentes subtilius, inuenerunt quod de illo loco assumptus erat puluis, vbi regis Osualdi sanguis erat effusus. Quibus patefactis ac diffamatis longe lateque miraculis, multi per dies locum frequentare illum, & sanitatum ibi gratiam capere sibi suisque cœperunt.

CAPVT XI.

INTER quæ nequaquam silentio prætereundum reor, quid virtutis ac miraculi cœlestis fuerit ostensum, cum ossa eius inuenta, atque ad ecclesiam, in qua nunc seruantur, translata sunt. Factum est autem hoc per industriam reginæ Merciorum Osthridæ, quæ erat filia fratris eius Osuini, qui post illum regni apicem tenebat, vt in sequentibus dicemus. Est monasterium nobile in prouincia Lindissi, nomine Beardanan, quod eadem regina cum viro suo Adilredo multum diligebat, venerabatur, excolebat, in quo desiderabat honoranda patrui sui ossa recondere. Cumque venisset carrum, in quo eadem ossa ducebantur, incumbente vespera in monasterium præfatum noluerunt ea, qui erant in monasterio, libenter excipere

quia & si sanctum eum nouerant, tamē quia de alia prouincia ortus fuerat, & super eos regnum acceperat, veteranis eum odiis etiam mortuum insequebantur. Vnde factum est, vt ipsa nocte reliquiæ allatæ, foris permanerent, tentorio tamen maiore supra carrum in quo inerant extenso; sed miraculi cœlestis ostensio, quam reuerenter ea suscipienda a cunctis fidelibus essent, patefecit. Nam tota ea nocte columna lucis a carro illo ad cœlum vsque porrecta, omnibus pæne eiusdem Lindissæ prouinciæ locis conspicua stabat. Vnde mane facto fratres monasterij illius, qui pridie abnuerant, diligenter ipsi petere cœperunt, vt apud se eædem sanctæ ac Deo dilectæ reliquiæ conderentur. Lota igitur ossa intulerunt in thecam, quam in hoc præparauerant, atque in ecclesia, iuxta honorem congruum, posuerunt: & vt regia viri sancti persona memoriam haberet æternam, vexillum eius super tumbam auro & purpura compositum apposuerunt, ipsamque aquam in qua lauerunt ossa in angulum sacrarij fuderunt. Ex quo tempore factum est, vt ipsa terra quæ lauacrum venerabile suscepit, ad abigendos ex obsessis corporibus dæmones gratiæ salutaris haberet effectum. Denique tempore sequenti, cum præfata regina in eodem monasterio moraretur, venit ad salutandam eam abbatissa quædam venerabilis, quæ vsque hodie superest, vocabulo Edilhilt, soror virorum sanctorum Edeluuini & Alduuini; quorum prior episcopus in Lindissi prouincia, secundus erat abbas in monasterio, quod vocatur Peartaneu, a quo non longe & illa monasterium habebat. Quum ergo veniens illuc loqueretur cum regina, atque inter alia sermone de Osualdo exorto diceret, quod & ipsa, lucem ipsa nocte illa supra reliquias eius ad cœlum vsque altam vidisset; adiecit regina, quod de puluere pauimenti in quo aqua lauacri illius effusa est, multi iam sanati essent infirmi. At illa petit sibi portionem pulueris salutiferi dari; & accipiens illigatum panno condidit in capsella, & rediit. Transacto autem tempore aliquanto, cum esset in suo monasterio, venit illuc quidam hospes, qui solebat nocturnis sæpius horis repente ab immundo spiritu grauissime vexari. Qui quum benigne susceptus, post cœnam in lecto membra posuisset, subito a diabolo arreptus inclamare, dentibus frendere, spumare, & diuersis motibus cœpit membra torquere. Cumque a nullo vel teneri vel ligari potuisset, cucurrit minister, & pulsans ad ostium nunciauit abbatissæ. At illa aperiens ianuam monasterij, exiuit ipsa cum vna sanctimonialium fœminarum ad locum virorum, & euocans presbyterum rogauit secum venire ad patientem. Vbi cum venientes viderent multos affuisse, qui vexatum tenere, & motus eius insanos comprimere conati nequaquam valebant, dicebat presbyter exorcismum, & quæcunque poterat, pro sedando miseri furore agebat: sed nec ipse, quamuis multum laborās, proficere aliquid valebat. Cumque nil salutis furenti superesse videretur, repente venit in mentem abbatissę puluis ille præfatus. Statimque iussit ire ministram, & capsellam in qua erat adducere. Et cum illa afferens quæ iussa est, intraret atrium domus, in cuius interioribus dæmoniosus torquebatur, conticuit ille subito, & quasi in somnū laxatus deposuit caput, membra in quietem omnia composuit. *Conticuere omnes, intentique ora tenebant*, quem res exitum haberet, soliciti expectantes. Et post aliquantum horæ spatium resedit qui vexabatur, & grauiter suspirans, modo, inquit, sanum sapio; recepi enim sensum animi mei. At illi sedulo sciscitabantur, quomodo hoc contigisset. Qui ait: Mox vt virgo hæc cum capsella quam portabat appropinquauit atrio domus huius, discessere omnes qui me premebant spiritus maligni, & me relicto nusquam comparuerunt. Tunc dedit ei abbatissa portiunculam de puluere illo, & sic data oratione a presbytero, noctem illam quietissimam duxit. Neque aliquid ex eo tempore nocturni timoris aut vexationis ab antiquo hoste pertulit.

CAPVT XII.

SEQVENTE dehinc tempore, fuit in eodem monasterio puerulus quidam longo febrium incommodo grauiter vexatus. Qui cum die quadam solicitus horam accessionis expectaret; ingressus ad eum quidam de fratribus: Vis, inquit, mi nate, doceam te quomodo cureris ab huius molestia languoris? Surge, inquit, ingredere ecclesiam, & accedens ad sepulcrum Osualdi, ibi reside, & quietus manens

adhære

adhære tumbæ: vide ne exeas inde, nec de loco mouearis, donec hora recessionis febrium transierit; tunc ipse intrabo, & educam te inde. Fecit vt ille suaserat: sedentemque eum ad tumbam sancti, infirmitas tangere nequaquam præsumpsit; quoniam in tantum timens aufugit, vt nec secunda die, nec tertia, nec vnquam exinde eum auderet contingere. Quod ita esse gestum, qui referebat mihi frater inde adueniens, adiecit, quod eo adhuc tempore quo mecum loquebatur, superesset in eodem monasterio iam iuuenis ille, in quo tunc puero factum erat hoc miraculum sanitatis. Nec mirandum preces regis illius iam cum domino regnantis, multum valere apud eum, qui temporalis regni quondam gubernacula tenens, magis pro æterno regno semper laborare ac deprecari solebat. Denique ferunt, quia a tempore matutinæ laudis sæpius ad diem vsque in orationibus persiiterit, atque ob crebrum morem orandi, siue gratias agendi domino, semper vbicumque sedens supinas super genua sua manus habere solitus sit. Vulgatum est autem, & in consuetudinem prouerbij versum, quod etiam inter verba orationis vitam finierit. Namque cum armis & hostibus circumseptus, iamiamq; videret se esse perimendum, orauit ad dominum pro animabus exercitus sui. Vnde dicunt in prouerbio: Deus miserere animabus, dixit Osualdus cadens in terram. Ossa illius translata & condita sunt in monasterio quod diximus. Porro caput & manus cum brachiis a corpore præcisas iussit rex qui occiderat, in stipitibus suspendi. Quo post annum deueniens cum exercitu successor regni eius Osuinus abstulit ea, & caput quidem in cœmeterio Lindisfarnensis ecclesiæ, in regia vero ciuitate manus cum brachiis condidit.

CAPVT XIII.

Nec solum incliti fama viri Britanniæ fines lustrauit vniuersos, sed etiam trans Oceanum longe radios salutiferæ lucis spargens, Germaniæ simul & Hiberniæ partes attigit. Denique reuerendissimus antistes Acca solet referre, quia cum Romam vades apud sanctissimum Fresonum gentis Episcopum VVilbrordum cum suo antistite VVilfrido moraretur, crebro eum audierit quæ de mirandis reliquiis eiusdem reuerendissimi regis in illa prouincia gesta fuerint, narrare. Sed & in Hibernia cum presbyter adhuc peregrinam pro æterna patria duceret vitam, rumorem sanctitatis eius in ea quoque insula longe lateque iam percrebuisse ferebat. E quibus vnum quod inter alia retulit miraculum præsenti nostræ historiæ inserendum credidimus. Tempore, inquit, mortalitatis quę Britanniam Hiberniamque lata strage vastauit, percussus est eiusdem clade pestis inter alios, scholasticus quidam, de genere Scotorum, doctus quidem vir studio litterarum, sed erga curam perpetuæ suæ saluationis nil omnino studij & industriæ gerẽs. Qui cum se morti proximum videret, timere cœpit & pauere, ne mox mortuus ob merita scelerum ad inferni claustra raperetur. Clamauitq; me, quũ essem in vicino positus, & inter ægra tremens suspiria, flebili voce talia mecum querabatur: Vides, inquit, quia iam iamque crescente corporis molestia ad articulum subeundæ mortis compellor. Nec dubito me post mortem corporis, statim ad perpetuam animæ mortem rapiendum, ac infernalibus subdẽdum esse tormẽtis, qui tempore non pauco inter studia diuinæ lectionis vitiorũ potius implicamentis quã diuinis solebam seruire mandatis. Inest autem animo (si mihi superna pietas aliqua viuendi spatia donauerit) vitiosos mores corrigere, & ad imperium diuinæ voluntatis totam ex integro mẽtem vitamque transferre. Verum noui, non hoc esse meriti mei, vt inducias viuendi vel accipiam, vel me accepturum esse confidam, nisi forte misero mihi & indigno veniam per auxilium eorum qui illi fideliter seruierunt, propiciari dignatus fuerit. Audiuimus autem, & fama crebertima, quod fuerit in gente vestra rex mirandæ sanctitatis, vocabulo Osualdus, cuius excellentia fidei & virtutis etiam post mortem virtutum frequentium operatione claruerit. Precorque si aliquid reliquiarum illius penes te habes, afferas mihi, si forte mihi dominus per eius merita misereri voluerit. At ego respondi: Habeo quidem de ligno in quo caput eius occisi a paganis infixum est; & si firmo corde credideris, potest diuina pietas per tanti meritum viri & huius vitæ spatia longiora concedere, & ingressu te vitæ perennis dignum reddere. Nec moratus ille

integram se in hoc habere fidem respondebat. Tunc benedixi aquam, & astulam roboris præfati immittens, obtuli ęgro potandam. Nec mora, melius habere cœpit, & conualescens ab infirmitate multo deinceps tempore vixit; totoque ad Deum corde & opere conuersus, omnibus vbicũque perueniebat clementiam pii conditoris, & fidelis eius famuli gloriam prædicabat.

CAPVT XIIII.

TRANSLATO ergo ad cœlestia regna Osualdo, suscepit regni terrestris sedem pro eo frater eius Osuiu iuuenis triginta circiter annorum, & per annos viginti & octo laboriosissime tenuit. Impugnatus videlicet a pagano rege Penda, & ab ea quæ fratrem eius occiderat pagana gente Merciorum, & a filio quoque suo Alcfrido, nec non & a fratruo, id est, fratris sui qui ante eum regnauit filio Adilualdo: cuius anno secũdo, hoc est, ab incarnatione dominica anno sexcentesimo quadragesimo quarto, reuerendissimus pater Paulinus quondã quidem Eboracensis, sed tunc episcopus Rhofensis ciuitatis, transiit ad dominũ sexto Iduum Octobrium die. Qui decem & nouem annos, menses duos & viginti vnum dies episcopatum tenuit. Sepultusque est in secretario beati apostoli Andreæ, quod rex Edilbertus a fundamentis in eadem Rhofi ciuitate construxit. In cuius locum Honorius archiepiscopus ordinauit Ithamar, oriundum quidem de gente Cantuariorum, sed vita & eruditione antecessoribus suis æquandum. Habuit autem Osuiu primis regni sui temporibus cõsortem regię dignitatis, vocabulo Osuini, de stirpe regis Eduini, hoc est, filium Osrici, de quo supra retulimus, virum eximiæ pietatis & religionis, qui prouinciæ Deirorum septem annis in maxima omnium rerum affluentia, & ipse amabilis omnibus præfuit. Sed nec cũ eo ille, qui ceteram transhũbranæ gentis partem ab Aquilone, id est, Berniciorum prouinciam regebat, habere pacem potuit, quin potius ingrauescẽtibus causis dissensionum miserrima hunc cęde peremit. Siquidem congregato contra inuicem exercitu, cum videret se Osuinus cum illo qui plures habebat auxiliarios non posse bello cõfligere, ratus est vtilius tunc dimissa intentione bellandi seruari se ad tempora meliora. Remisit ergo exercitum, quem congregauerat, ac singulos domum redire præcepit a loco, qui vocatur Vvilfares Duun, id est, mons Vvilfari, & est a vico Cataractone decem ferme milia passuum contra solstitialem occasum secretus. Diuertitque ipse cum vno tantum milite suo fidelissimo, nomine Condheri, celãdus in domo Comitis Hunualdi, quem etiam ipsum sibi amicissimum autumabat. Sed heu, proh dolor! longe aliter erat. Nam ab eodem comite proditum eum Osuiu cum præfato ipsius milite per præfectum suum Ediluinum detestanda omnibus morte interfecit. Quod factum est die quarta decima Kalendarum Septembrium, anno regni eius nono, in loco qui dicitur Ingethlingum, vbi postmodum castigandi huius facinoris gratia monasterium constructum est, in quo pro vtriusque regis & occisi videlicet, & eius qui occidere iussit, animæ redemptione quotidie Domino preces offerri deberet. Erat autem rex Osuinus & aspectu venustus, & statura sublimis, & affatu iocundus, & moribus ciuilis, & manu omnibus, id est, nobilibus simul atque ignobilibus largus. Vnde contigit vt ob regiam eius & animi & vultus & meritorum dignitatem ab omnibus diligeretur, & vndique ad eius ministerium de cunctis prope prouinciis viri etiam nobilissimi concurrerent. Cuius inter ceteras virtutis & modestiæ, &, vt ita dicã, specialis benedictionis glorias, etiam maxima fuisse fertur humilitas, vt vno probare sat erit exemplo. Donauerat equum optimum antistiti Aidano, in quo ille quamuis ambulare solitus, vel amnium fluenta transire, vel si alia quælibet necessitas insisteret, viam peragere posset, cui cum paruo interiecto tẽpore pauper quidam occurreret, eleemosynam petens, desilens ille præcepit equum, ita vt erat stratus regaliter, pauperi dari. Erat enim multum misericors & cultor pauperum ac velut pater miserorum. Hoc cum regi esset relatum, dicebat episcopo, cum forte ingressuri essent ad prandium: Quid voluisti domine antistes equũ regium quem te conueniebat proprium habere, pauperi dare? Nunquid non habuimus equos viliores plurimos, & alias species quæ ad pauperum dona sufficerent, quamuis illum eis equum non dares, quem tibi specialiter possidẽdum elegi? Cui statim episcopus: Quid loqueris

loqueris, inquit, rex? Num tibi carior est ille filius æque quam ille filius Dei? Quibus dictis intrabant ad prandendum, & episcopus quidem residebat in suo loco. Porro rex venerat de venatu, & cœpit consistens ad focum calefieri cum ministris. Et repente inter calefaciendum recordãs verbũ, quod dixerat illi antistes, discinxit se gladio suo, & dedit illum ministro, festinusque accedens ante pedes episcopi corruit, postulans vt sibi placatus esset, quia nunquam, inquit, deinceps aliquid loquar de hoc, aut iudicabo quid vel quantum de pecunia nostra filiis Dei tribuas. quod videns episcopus multum pertimuit, ac statim exurgens lauauit eum, promittens se multum illi esse placatum, dummodo ille residens ad epulas tristitiam deponeret. Dumque rex iubente ac postulante episcopo lætitiam reciperet, cœpit contra episcopus tristis vsque ad lacrymarum profusionem effici. Quem dum presbyter suus lingua patria, quam rex & domestici eius non nouerant, quare lacrymaretur, interrogasset: Scio, inquit, quod non multo tempore victurus est rex. Nunquam enim vidi ante hac humilem regem. Vnde animaduerto citius illum ex hac vita rapiendum. Non enim digna est hæc gens talem habere rectorem. Nec multo post dira antistitis præsagia tristi regis funere, de quo supra diximus, impleta sunt. Sed & ipse antistes Aidan non plus quam duodecimo post occisionem regis quem amabat die, id est, pridie Kalendarum Septembrium de sæculo sublatus perpetua laborum suorum a domino præmia recepit.

CAPVT XV.

QVI cuius meriti fuerit, etiam miraculorum signis internus arbiter edocuit. E quibus tria memoriæ causa ponere satis sit. Presbyter quidam, nomine Vtta, multæ grauitatis ac veritatis vir, & ob id omnibus, etiam ipsis principibus sæculi honorabilis, cum mitteretur Cantiam ob adducendã coniugem regi Osuiu, filiam videlicet Eduini regis Eamfledam, quæ occiso patre illuc fuerat adducta. Qui terrestri quidem itinere illo venire, sed nauigio cum virgine redire disponebat. Accessit ad episcopum Aidanum, obsecrans eum pro se suisque, qui tantum iter erant aggressuri, domino supplicare. Qui benedicens illis, ac Domino commendans, dedit etiam oleum sanctificatum: Scio, inquiens, quia vbi nauem ascenderitis, tempestas vobis & ventus cõtrarius superueniet: sed tu memento, vt hoc oleum quod tibi do, mittas in mare, & statim quiescẽtibus ventis, serenitas maris vos læta prosequetur, ac cupito itinere domum remittet. quæ cuncta, vt prædixerat antistes, ex ordine completa sunt. Et quidem inprimis furentibus vndis pelagi tentabant nautæ anchoris in mare missis nauem retinere: neque hoc agentes, aliquid proficiebant. Cumque verrentibus vndique & implere incipientibus nauem fluctibus, mortem sibi omnes imminere, & iam iamque adesse viderent; tandem presbyter reminiscens verba antistitis, assumpta ampulla misit de oleo in põtum, & statim, vt prædictum erat, suo quieuit a fervore. Sicque factum est, vt vir Dei per prophetiæ spiritum tempestatem prædixerit futuram, & per virtutem eiusdem spiritus hanc exortam, quamuis corporaliter absens, sopiuerit. Cuius ordinem miraculi non quilibet dubius relator, sed fidissimus mihi nostræ ecclesiæ presbyter Cynimund vocabulo, narrauit, qui se hoc ab ipso Vtta presbytero in quo & per quem completum est, audisse perhibebat

CAPVT XVI.

ALIVD eiusdem patris memorabile miraculum ferunt multi, qui nosse potuerũt. Nam cum tempore episcopatus eius hostilis Merciorum exercitus Penda duce Nord-Humbrorum regiones impia clade longe lateque deuastans, peruenit ad vrbem vsque regiam, quæ ex Bebbæ quondam reginæ vocabulo cognominatur; eamque cum neque armis, neque obsidione capere poterat, flammis absumere conatus est, discissisque vinculis quæ in vicinia vrbis inuenit, aduexit illo plurimã congeriem trabium, tignorum, parietum, virgeorum, aliarumque rerum: & his vrbem in magna altitudine circundedit a parte quæ terra est contigua. Et dum ventum oportunum cerneret, illato igne comburere vrbem nisus est. Quo tempore reuerendissimus antistes Aidan in insula Farne, quæ duobus ferme milibus passuum ab vrbe procul abest, morabatur. Illo enim

sæpius secretę orationis & silentij causa secedere consuerat. Denique vsque hodie locum sedis illius solitariæ in eadem insula solent ostendere. Qui cum ventis furentibus globos ignis ac fumum supra muros vrbis exalare conspiceret, fertur eleuatis ad cœlum oculis manibusque cum lacrymis dixisse: Vide Domine quanta mala facit Penda. Quo dicto, statim mutati ab vrbe venti, in eos qui accenderant flammarum incendia retorserunt, ita vt aliqui læsi, omnes territi, impugnare vltra vrbem cessarent, quam diuinitus iuuari cognouerant.

CAPVT XVII.

HVNC cum dies mortis egredi e corpore cogeret, completis annis episcopatus sui septendecim, erat in villa regia non longe ab vrbe de qua præfati sumus: in hac enim habens ecclesiam & cubiculum, sæpius ibidem diuerti ac manere, atque inde ad prædicandum circumquaque exire consueuerat, quod ipsum & in aliis villis regiis facere solebat, vt pote nihil propriæ possessionis, excepta ecclesia sua & adiacentibus agellis, habens. Tetenderunt ergo ei ægrotanti tentorium ad occidentalem ecclesiæ partem, ita vt ipsum tentorium parieti hæreret ecclesiæ. Vnde factum est vt adcliuis destinæ, quæ extrinsecus ecclesiæ pro munimine erat apposita, spiritum vitæ exalaret vltimum. Obiit autem septimo decimo episcopatus sui anno, pridie Kalendarum Septembrium. Cuius corpus mox inde translatum ad insulam Lindisfarnensium atque in cœmeterio fratrum sepultum est. At interiecto tempore aliquanto, cum fabricata esset ibi basilica maior, atque in honorem beatissimi apostolorum principis dedicata, illo ossa eius translata, atque ad dexteram eius altaris, iuxta venerationem tanto pontifice dignam, condita sunt. Successit vero ei in episcopatum Sinan, & ipse illo ab Hii Scotorū insula ac monasterio destinatus, ac tēpore non pauco in episcopatu permansit. Contigit autē post aliquot annos vt Penda Merciorum rex cū hostili exercitu hæc in loca perueniens, cum cuncta quæ poterat ferro flammaq; perderet, vicusq; ille, in quo antistes obiit, vna cum ecclesia memorata flammis absumeretur. Sed mirum in modum sola illa destina cui incumbens obiit, ab ignibus circumcincta vorantibus, absumi non potuit. Quo clarescente miraculo mox ibidem ecclesia restaurata, & hæc eadem destina in munimentum est parietis, vt ante fuerat forinsecus apposita. Rursumque peracto tempore aliquanto, euenit per culpam incuriæ, vicum eundem & ipsam pariter ecclesiam ignibus consumi; sed ne tunc quidem eandem tangere flamma destinam valebat. Et cum magno vtique miraculo ipsa eius foramina ingrediens quibus ædificio erat affixa perderet, ipsam tamen lædere nullatenus sinebatur. Vnde tertio ædificata ibi ecclesia, destinam illam non vt antea de foris in fulcimentum domus apposuerunt, sed intro ipsam ecclesiam in memoriam miraculi posuerunt, vbi intrantes genu flectere ac misericordiæ cœlesti supplicare deberent. Constatque multos ex eo tempore gratiam sanitatis in eodem loco consecutos; quinetiam astulis ex ipsa destina excisis, & in aquam missis, plures sibi, suisque languorum remedia conquisiere. Scripsi autem hæc de persona & operibus viri præfati, nequaquam in eo laudans, aut eligens hoc quod de obseruatione paschæ minus perfecte sapiebat, immo hoc multum detestans, sicut in libro quem de temporibus composui manifestissime probaui: sed quasi verax historicus simpliciter ea quæ de illo siue per illum sunt gesta describens, & quæ laude sunt digna in eius actibus laudans, atque ad vtilitatem legentium memoriæ commendans; studium videlicet pacis & caritatis, continentiæ & humilitatis; animum iræ & auaritiæ victorem, superbiæ simul & vanæ gloriæ contemptorem; industriam faciendi simul & docendi mandata cœlestia; solertiam lectionis & vigiliarum; auctoritatem sacerdote dignam, redarguendi superbos ac potētes, pariter & infirmos consolandi, ac pauperes recreandi, vel defendendi clementiam. Qui (vt breuiter multa comprehendam) quantum ab eis qui illum nouere didicimus, nil ex omnibus quæ in euangelicis, siue apostolicis, siue propheticis litteris facienda cognouerat, prætermittere, sed cuncta pro suis viribus operibus explere curabat. Hæc in præfato antistite multum complector & amo, quia nimirum hæc Deo placuisse non ambigo. Quod autem pascha non suo tēpore obseruabat, vel canonicū eius tēpus ignorās, vel suæ gentis

aucto-

auctoritate, ne agnitum ſequeretur, deuictus, non approbo nec laudo. In quo tamen hoc approbo, quia in celebratione ſui paſchæ non aliud corde tenebat, venerabatur, & prædicabat, quam quod nos, id eſt, redemptionem generis humani per paſſionem, reſurrectionem, aſcenſionem in cœlos mediatoris Dei & hominum hominis Ieſu Chriſti. Vnde & hanc non, vt quidam falſo opinantur, quartadecima luna in qualibet feria cum Iudæis, ſed die dominica ſemper agebat, a luna quarta decima vſque ad viceſimã; propter fidem videlicet dominicæ reſurrectionis quam vna ſabbati factam, propter ſpem noſtræ reſurrectionis quam eandem vnam ſabbati, quæ nunc dominica dies dicitur, veraciter futuram cum ſancta eccleſia credebat.

CAPVT XVIII.

His temporibus regni orientalium Anglorum poſt Eorpvvaldum Redualdi ſucceſſorem Sigbertus frater eius præfuit, homo bonus ac religioſus, qui dudum in Gallia dum inimicitias Redualdi fugiens exularet, lauacrum baptiſmi percepit, & patriam reuerſus, vbi regno potitus eſt, mox quæ in Galliis bene diſpoſita vidit, imitari cupiẽs, inſtituit ſcholam in qua pueri litteris erudirentur, iuuante ſe epiſcopo Felice, quem de Cantia acceperat, eiſque pędagogos ac magiſtros iuxta morem Cantuariorum præbente. Tantumque rex ille cœleſtis regni amator factus eſt, vt ad vltimum relictis regni negotiis, & cognato ſuo Ecgrico commendatis, qui & antea partem eiuſdem regni tenebat, intraret monaſterium quod ſibi fecerat; atque accepta tonſura, pro æterno magis regno militare curaret. Quod dum multo tempore faceret, contigit gentem Merciorum duce rege Penda, aduerſus orientales Anglos in bellum procedere. Qui dum ſe inferiores in bello hoſtibus conſpicerent, rogauerunt Sigbertum ad confirmandum militem, ſecum venire in prælium. Illo nolente ac contradicente, inuitum de monaſterio eruentes duxerunt in certamen, ſperantes minus animos militum trepidare, minus præſente duce quondam ſtrenuiſſimo & eximio poſſe de fuga meditari. Sed ipſe profeſſionis ſuæ non immemor, dum opimo eſſet vallatus exercitu, non niſi virgam tamen habere in manu voluit. Occiſuſque eſt vna cum rege Ecgrico & cunctus eorum, inſiſtentibus paganis, cæſus ſiue diſperſus exercitus. Succeſſor autem regni illorum factus eſt Anna filius Eni de regio genere, vir optimus atque optimę genitor ſobolis. De quibus in ſequentibus ſuo tempore dicendum eſt. Qui & ipſe poſtea ab eodem pagano Merciorum duce, a quo & prædeceſſores eius, occiſus eſt.

CAPVT XIX.

Verum dum adhuc Sigbertus regni inſulas teneret, ſuperuenit de Hibernia vir ſanctus, nomine Furſeus, verbo & actibus clarus, ſed egregiis inſignis virtutibus, cupiẽs pro domino, vbicumq; ſibi oportunum inueniret, peregrinam ducere vitam. Qui cum ad prouinciam oriẽtalium perueniſſet Anglorum, ſuſceptus eſt honorifice a rege præfato, & ſolitum ſibi opus euangelizandi exſequens, multos & exemplo virtutis & incitamento ſermonis vel incredulos ad Chriſtum conuertit, vel etiam credentes amplius in fide atque amore Chriſti confirmauit. Vbi quadam infirmitate corporis arreptus, angelica meruit viſione perfrui, in qua admonitus eſt, cœpto verbi miniſterio ſedulus inſiſtere, vigiliiſque conſuetis & orationibus indefeſſus incumbere: eo quod certus ſibi exitus eſſet, ſed incerta eiuſdẽ exitus hora futura, dicente Domino: Vigilate itaq; quia neſcitis diem neque horam. Qua viſione confirmatus, curauit locum monaſterij, quem a præfato rege Sigberto acceperat, velociſſime conſtruere ac regularibus inſtituere diſciplinis. Erat autem monaſterium ſiluarum & maris vicinitate amœnum, cõſtructum in caſtro quodam, quod lingua Anglorum *Cnobbersburg*, id eſt, vrbs Cnobheri vocatur. Quod deinde rex prouinciæ illius Anna, ac nobiles quique auguſtioribus ædificiis ac donariis adornauerunt. Erat autem vir iſte de nobiliſſimo genere Scotorum: ſed longe animo quam carne nobilior. Ab ipſo tempore pueritiæ ſuæ curam nõ modicam lectionibus ſacris ſimul & monaſticis exhibebat diſciplinis, & quod maxime ſanctos decet, cuncta quæ agenda didicerat, ſolicitus agere curabat. Quid multa? procedẽte tempore & ipſe ſibi monaſterium, in quo liberius cœleſtibus ſtudiis vacaret,

conſtruxit. Vbi correptus infirmitate (ſicut libellus de vita eius conſcriptus ſufficienter edocet) raptus eſt e corpore. Et a veſpere vſque ad galli cantum corpore exutus, angelicorum agminum & aſpectus intueri & laudes beatas meruit audire. Referre autem erat ſolitus, quod aperte eos inter alia reſonare audiret: Ibunt ſancti de virtute in virtutem. Et iterum: Videbitur Deus Deorum in Sion. Qui reductus in corpore, & die tertia rurſum eductus, vidit non ſolum maiora beatorum gaudia, ſed & maxima malignorum ſpirituum certamina, qui crebris accuſationibus improbi, iter illi cœleſte intercludere contendebant: nec tamen protegentibus eum angelis quicquam proficiebant. De quibus omnibus ſi quis plenius ſcire vult, id eſt, quanta fraudis ſolertia dęmones & actus eius, & verba ſuperflua, & ipſas etiam cogitationes, quaſi in libro deſcriptas replicauerint, quæ ab angelis ſanctiſque ac viris iuſtis ſibi inter angelos apparentibus læta vel triſtia cognouerit, legat ipſum de quo dixi libellum vitæ eius, & multum ex illo, vt reor, profectus ſpiritalis accipiet. In quibus tamen vnum eſt, quod & nos in hac hiſtoria ponere multis commodum duximus. Cum ergo in altum eſſet eleuatus, iuſſus eſt ab angelis, qui eum ducebant, reſpicere in mundum. At ille oculos in inferiora deflectens, vidit quaſi vallem tenebroſam ſubtus ſe in imo poſitam. Vidit & quattuor ignes in aere non multo ab inuicem ſpatio diſtantes. Et interrogans angelos qui eſſent hi ignes, audiuit hos eſſe ignes qui mundum ſuccendentes eſſent conſumpturi. Vnum mendacij; cum hoc quod in baptiſmo abrenunciare nos ſatanæ & omnibus operibus eius promiſimus, minime implemus. Alterum cupiditatis; cum mundi diuitias amori cœleſtium præponimus. Tertium diſſenſionis; cum animas proximorum etiam in ſuperuacuis rebus offendere non formidamus. Quartum impietatis, cum infirmiores ſpoliare & eis fraudē facere pro nihilo ducimus. Creſcentes vero paulatim ignes vſque ad inuicem ſeſe extenderunt, atque in immenſam adunati ſunt flammam. Cumque appropinquaſſent, pertimeſcens ille dicit Angelo: Domine, ecce ignis mihi appropinquat. At ille: Quod non incendiſti, inquit, non ardebit te. Nam & ſi terribilis iſte & grandis eſſe rogus videtur, tamē iuxta merita operum ſingulos examinat; quia vniuſcuiuſque cupiditas in hoc igne ardebit. Sicut enim quis ardet in corpore per illicitam voluptatem, ita ſolutus corpore ardebit per debitam pœnam. Tunc vidit vnum de tribus angelis, qui ſibi in tota vtraque viſione ductores affuerunt, præcedentem ignis flammas diuidere, & duos ab vtroque latere circumuolantes, ab ignium ſe periculo defendere. Vidit autem & dæmones per ignem volantes, incendia bellorum contra iuſtos ſtruere, ſequuntur aduerſus ipſum accuſationes malignorum, defenſiones ſpirituum bonorū, copioſior cœleſtium agminum viſio, ſed & virorum de ſua natione Scotorum, quos olim ſacerdotali gradu non ignobiliter potitos fama iam vulgante compererat; a quibus nō pauca quę vel ipſi vel omnibus qui audire vellent, multum ſalubria eſſent, audiuit. Qui cum verba finiſſent, & cum angelicis ſpiritibus ipſi quoque ad cœlos redirent, remanſerunt cum beato Furſeo tres angeli, de quibus diximus, qui eum ad corpus referrent. Cumque præfato igni maximo appropinquaret, diuiſit quidem Angelus ſicut prius ignem flammæ: ſed vir Dei vbi ad patefactam vſque inter flammas ianuam peruenit, arripientes immundi ſpiritus vnum de eis quos in ignibus torrebant, iactauerunt in eum, & contingentes humerum maxillamque eius incenderunt. Cognouitque hominem, & quod veſtimentum eius morientis acceperit, ad memoriam reduxit, quem angelus ſtatim apprehendens, in ignem reiecit. Dicebatque hoſtis malignus: Nolite repellere quem ante ſuſcepiſtis. Nam ſicut bona eius peccatoris ſuſcepiſtis, ita & de pœnis eius participes eſſe debetis. Contradicens angelus: Non, inquit, hoc propter auaritiam, ſed propter ſaluandam eius animam ſuſcepit. Ceſſauitque ignis. Et conuerſus ad eum angelus, Quod incendiſti, inquit, hoc arſit in te. Si enim huius viri in peccatis ſuis mortui pecuniam non accepiſſes, nec pœna eius in te arderet. Et plura locutus, quid erga ſalutem eorum qui pœniterēt eſſet agendum, ſalubri ſermone edocuit. Qui poſtmodum in corpore reſtitutus, omni vitæ ſuæ tempore ſignum incendij quod in anima pertulit, viſibile cunctis in humero maxillaque portauit. Mirumque in modum, quod anima in occulto paſſa ſit, caro palam pręmonſtrabat. Curabat autem ſemper, ſicut & antea conſueuerat, omnibus opus

virtutum & exemplis ostendere & prædicare sermonibus. Ordinem autem visionum suarum illis solummodo, qui propter desiderium compunctionis interrogabãt, exponere volebat. Superest adhuc quidam frater senior monasterij nostri, qui narrare solet, dixisse sibi quendam multum veracem ac religiosum hominem, quod ipse Furseum viderit in prouincia orientalium Anglorum, illasque visiones ex ipsius ore audierit, adiiciens, quod tempus hiemis fuerit acerrimum & glacie constrictum, cum sedens in tenui veste vir iste, inter dicendum propter magnitudinem memorati timoris vel suauitatis, quasi in mediæ æstatis caumate sudauerit. Cum ergo, vt ad superiora redeamus, multis annis in Scotia verbum Dei omnibus annuncians, tumultus irruentium turbarum non facile ferret, relictis omnibus quæ habere videbatur, ab ipsa quoque insula patria discessit. Et paucis cum fratribus per Britones in prouinciam Anglorum deuenit, ibique prædicans verbum Dei, vt diximus, monasterium nobile construxit. Quibus rite gestis, cupiens se ab omnibus sæculi huius & ipsius quoq; monasterij negotiis alienare, reliquit monasterium, & animarum curam fratri suo Fullano & presbyteris Gobbano & Dicullo, & ipse ab omnibus mundi rebus liber in anachoretica conuersatione vitam finire disposuit. Habuit alterum fratrem vocabulo Vltanum, qui de monasterij probatione diuturna ad eremiticam vitam peruenerat. Hunc ergo solus petens, annum totum cum eo in cõtinentia & orationibus, in quotidianis manuum vixit laboribus. Dein turbatam incursione gentilium prouinciam videns, & monasteriis quoque periculum imminere præuidens, dimissis ordinate omnibus, nauigauit Galliam, ibiq; a rege Francorũ Lothovvio vel patricio Herconualdo honorifice susceptus, monasteriũ construxit in loco Latiniaco nominato. Ac nõ multo post infirmitate correptus diem clausit vltimum. Cuius corpus idem Herconualdus patricius accipiens, seruauit in porticu quodam ecclesiæ, quam in villa sua, cui nomen erat Perroma, faciebat, donec ipsa ecclesia dedicaretur. Quod cum post dies viginti sex esset factum, & corpus ipsum de porticu ablatum, prope altare esset recondendum, inuentum est ita illæsum, ac si eadem hora de hac luce fuisset egressus. Sed & post annos quattuor constructa domuncula cultiore receptui corporis eiusdem, ad Orientem altaris adhuc sine macula corruptionis inuentum, ibidem digno cum honore translatum est. Vbi merita illius multis sæpe constat, Deo operante, claruisse virtutibus. Hæc de corporis eius incorruptione breuiter attigimus, vt quanta esset viri sublimitas legentibus notius existeret. Quæ cuncta in libello eius sufficientius, sed & de aliis commilitonibus ipsius quisquis legerit inueniet.

CAPVT XX.

INTERRA defuncto Felice orietalium Anglorum episcopo, post decem & septem annos accepti episcopatus, Honorius loco eius ordinauit Thomam diaconum eius de prouincia Giruiorum, & hoc post annos sui episcopatus quinque de hac vita subtracto, Beretgilsum cognomine Bonifacium de prouincia Cantuariorum, loco eius substituit. Et ipse quoque Honorius postquam metas sui cursus impleuit, ex hac luce migrauit, anno ab incarnatione Domini sexcentesimo quinquagesimo tertio, pridie Kalendarum octobrium. & cessante episcopatu per annum & sex menses, electus est archiepiscopus cathedræ Dorouernensis sextus, Deusdedit, de gente occidentalium Saxonum. Quem ordinaturus venit illuc Ithamar antistes ecclesiæ Rhofensis. Ordinatus est autem die septimo Kalendarum Aprilium, & rexit ecclesiam annos nouẽ, menses quattuor, duos dies. & ipso defuncto Ithamar consecrauit pro eo Damianum, qui de genere Australium Saxonum erat oriundus.

CAPVT XXI.

HIS temporibus Midilengli, id est, mediterranei Angli, sub principe Peada filio Pendan regis fidem & sacramenta veritatis perceperunt. Qui cum esset iuuenis optimus ac regis nomine ac persona dignissimus, prælatus est a patre regno gentis illius. Venitque ad regem NordanHumbrorum Osuiu, postulans filiam eius Alchfledan sibi coniugem dari, neq; aliter quod petebat impetrare potuit, nisi fidem Christi ac

baptisma cum gente cui præerat, acciperet. At ille audita prædicatione veritatis, & promissione regni cœlestis, speque resurrectionis ac futuræ immortalitatis, libenter se Christianum fieri velle confessus est, etiamsi virginem non acciperet, persuasus maxime ad percipiendam fidem a filio regis Osuiu, nomine Alchfrido, qui erat cognatus & amicus eius, habens sororem ipsius coniugem vocabulo Cymburgam filiam Pendan regis. Baptizatus est ergo a Finano episcopo cum omnibus qui secum venerant comitibus ac militibus eorumque famulis vniuersis, in vico regis illustri, qui vocatur Ad murum. Et acceptis quattuor presbyteris, qui ad docendam baptizandamque gentem illius & eruditione & vita videbantur idonei, multo cum gaudio reuersus est. Erant autem presbyteri Cedda & Adda & Betti & Diuma, quorum vltimus natione Scotus, ceteri fuere Angli. Adda autem erat frater Vttan presbyteri illustris, & abbatis monasterij, quod vocatur ad Capreæ caput, cuius supra meminimus. Venientes igitur in prouinciam memorati sacerdotes cum principe, prædicabant verbum, & libenter auditi sunt. multique quotidie & nobilium & infirmorum abrenunciata sorde idololatriæ, fidei sunt fonte abluti. Nec prohibuit Penda rex quin etiam in sua, hoc est, Merciorum natione verbum (si qui vellent audire) prædicaretur. Quin potius odio habebat & despiciebat eos, quos fide Christi imbutos, opera fidei non habere deprehendit, dicens contemnendos & miseros esse eos, qui Deo suo in quem crederent, obedire contemnerēt. Cœpta sunt hæc biennio ante mortem Penda regis. Ipso autem occiso, cum Osuiu rex Christianissimus regnum eius acciperet, vt in sequentibus dicemus, factus est Diuma, vnus ex præfatis quattuor sacerdotibus, episcopus mediterraneorum Anglorum simul & Merciorum ordinatus a Finano episcopo. Paucitas enim sacerdotum cogebat vnum antistitem duobus populis præfici. Qui cum pauco sub tempore nō paucam domino plebem acquisisset, defunctus est apud mediterraneos Anglos, in regione quæ vocatur in Feppingum. Suscepit pro illo episcopatū Ceollach, & ipse de natione Scotorum; qui non multo post episcopatu relicto reuersus est ad insulam Hij, vbi plurimorum caput, & arcē Scoti habuere cœnobiorū: succedente illi in episcopatū Trumhere viro religioso, & monachica vita instituto, natione quidem Anglo, sed a Scotis ordinato episcopo, quod tēporibus Vlfheri regis, de quo in sequētibus dicemus, factū est.

CAPVT XXII.

Eo tempore etiam orientales Saxones fidem quam olim expulso Mellito antistite abiecerant, instantia regis Osuiu receperunt. Erat enim rex eiusdem gentis Sigbert, qui post Sigbertum, cognomēto paruum, regnauit, amicus eiusdem Osuiu regis, qui cum frequenter ad eum in prouinciam NordanHumbrorum veniret, solebat eum hortari, ad intelligendum deos esse non posse, qui hominum manibus facti essent, Dei creandi materiam viuam lignum vel lapidem esse nō posse, quorum recisuræ vel igni absumerentur, vel in vasa quælibet humani vsus formarentur, vel certe despectui habita, foras proiicerentur, & pedibus conculcata in terram verterentur. Deum potius intelligendum maiestate incomprehensibilem, humanis oculis inuisibilem, omnipotentē, æternum, qui cælum & terram & humanum genus creasset, regeret, & iudicaturus esset orbem in æquitate, cuius sedes æterna non in vili & caduco metallo, sed in cœlis esset credenda, meritoque intelligendum, quia omnes qui voluntatem eius a quo creati sunt discerent & facerent, æterna ab illo præmia essent percepturi. Hæc & huiusmodi multa cum rex Osuiu regi Sigberto amicabili & quasi fraterno consilio sæpe inculcaret, tandem iuuante amicorum consensu credidit, & facto cum suis cōsilio, cum exhortatione fauentibus cunctis & annuentibus fidei, baptizatus est cum eis a Finano episcopo in villa regia cuius supra meminimus, quæ cognominatur Ad murū: est enim iuxta murum quo olim Romani Britanniam insulam præcinxere duodecim milibus passuum a mari orientali secreta. Igitur rex Sigbert æterni regni iam ciuis effectus, temporalis sui regni sedē repetiit, postulans ab Osuiu rege vt aliquos sibi doctores daret qui gentē suā ad fidem Christi conuerterent, ac fonte salutari abluerent. At ille mittens ad prouinciam mediterraneorum Anglorum, clamauit ad se virum Dei Cedd, & dato illi socio altero quodam presbytero, misit prædicare verbum genti orientalium Saxonum.

Vbi cum omnia perambulantes multam domino ecclesiam congregassent, contigit quodam tempore eundem Cedd redire domum, ac peruenire ad ecclesiam Lindisfarnensem propter colloquium Finani episcopi, qui vbi prosperatum ei opus euangelij comperit, fecit eum episcopum in gente orientalium Saxonum vocatis ad se in ministerium ordinationis aliis duobus episcopis. Qui accepto gradu episcopatus, rediit ad prouinciam, & maiore auctoritate cœptum opus explens, fecit per loca ecclesias, presbyteros & diaconos ordinauit, qui se in verbo fidei & ministerio baptizandi adiuuarent, maxime in ciuitate quæ lingua Saxonum Ithancestir appellatur. sed & in illa quæ Tilaburg cognominatur, quorum prior locus est in ripa Pente amnis, secundus in ripa Tamensis: in quibus collecto examine famulorum Christi, disciplinam vitæ regularis in quantum rudes adhuc capere poterant, custodire docuit. Cumque tempore non pauco in præfata prouincia gaudente rege, congaudente vniuerso populo, vitæ cœlestis institutio quotidianum sumeret augmentum, contigit ipsum regem, instigante omnium bonorum inimico, propinquorum suorum manu interfici. Erant autem duo germani fratres qui hoc facinus patrarunt. Qui cum interrogarentur cur hoc facerent, nihil aliud respondere potuerunt, nisi ob hoc se iratos fuisse & inimicos regi, quod ille nimium suis parcere soleret inimicis, & factas ab eis iniurias mox obsecrantibus placida mẽte dimitteret. Talis erat culpa regis pro qua occideretur, quod euangelica præcepta deuoto corde seruaret, in qua tamen morte eius innoxia, iuxta prædictũ viri Dei, vera est eius culpa punita. Habuerat enim vnus ex his qui eum occiderant comitibus illicitum coiugium; quod cum episcopus prohibere & corrigere non posset, excommunicauit eum, atque omnibus qui se audire vellent, præcepit ne domum eius intrarent, neque de cibis illius acciperent. Contempsit autem hoc rex præceptum, & rogatus a comite intrauit epulaturus domum eius. qui cum abisset, obuiauit ei antistes. At rex intuens eum, mox tremefactus desiluit de equo, ceciditq; ante pedes eius, veniam reatus postulans. Nam & episcopus pariter desiluit: sederat enim & ipse in equo. Iratus autem tetigit regem iacentem virga quam tenebat manu, & pontificali auctoritate protestans: dico tibi, inquit, quia noluisti te continere a domo perditi & damnati illius, tu in ipsa domo mori habes. Sed credendum est, quia talis mors viri religiosi non solum talem culpam diluerit, sed etiam meritum eius auxerit. quia nimirum ob causam pietatis, quæ propter obseruantiam mandatorum Christi contigit. Successit autem Sigberto in regnum Suidhelmus filius Sexbaldi, qui baptizatus est ab ipso Cedde in prouincia orientalium Anglorum, in vico regio qui dicitur *Rendelsham*, id est, mãsio Rendili. Suscepitque eum ascendentem de fonte sancto Edilualdus rex ipsius gentis orientalium Anglorum, frater Anna regis eorundem.

CAPVT XXIII.

Solebat autem idem vir Domini, cum apud orientales Saxones episcopatus officio fungeretur, sæpius etiam suam, id est, NordanHumbrorum prouinciam exhortandi gratia reuisere. Quem cum Ediluadus filius Osualdi regis, qui in Deirorum partibus regnum habebat, virum sanctum & sapientem probumque moribus videret, postulauit eum possessionẽ terræ aliquam a se, ad cõstruendum monasterium, in quo ipse rex & frequentius ad deprecandum Dominum, verbumque audiendum aduenire, & defunctos sepelire deberet. Nam & seipsum fideliter credidit, multum iuuari eorum orationibus quotidianis, qui illo in loco Domino seruirẽt. Habuerat autem idem rex secum fratrem germanum eiusdem episcopi vocabulo Celin, virum æque Deo deuotum, qui & ipsi ac familiæ ipsius verbum & sacramenta fidei, erat enim presbyter, ministrare solebat; per cuius notitiam maxime ad diligendum noscendumque episcopum peruenit. Fauens ergo votis regis antistes, elegit sibi locum monasterij construendi in montibus arduis ac remotis. In quibus latronum magis latibula ac lustra ferarũ quam habitacula fuisse videbantur hominum, vt iuxta prophetiam Esaiæ, in cubilibus in quibus prius dracones habitabãt, oriretur viror calami & iunci, id est, quod fructus bonorũ operum ibi nascerentur, vbi prius vel bestiæ commorari, vel homines bestialiter viuere

consueuerant. Studens autem vir domini acceptum monasterij locum primo precibus ac ieiuniis a pristina flagitiorum sorde purgare, & sic in eo monasterij fundamenta iacere, postulauit a rege, vt sibi per totum quadragesimæ tempus, quod instabat, facultatem ac licentiam ibidem orationis causa demorandi concederet. Quibus diebus cunctis, excepta dominica, ieiunium ad vesperam iuxta morem protelans; nec tunc nisi panis permodicū & vnū ouum gallinaceum cū paruo lacte aqua mixto percipiebat. Dicebat enim hanc esse consuetudinem eorum a quibus normam disciplinæ regularis didicerat, vt accepta nuper loca ad faciendum monasterium vel ecclesiam, prius orationibus ac ieiuniis Domino consecrent. Cumque decem dies quadragesimæ restarent, venit qui clamaret eum ad regem. At ille ne opus religiosum, negotiorum regalium causa, intermitteretur, petiit presbyterum suum Cymbillum, qui etiam frater germanus erat ipsius, pia cœpta complere. Cui cum ille libenter acquiesceret, expleto studio ieiuniorum & orationis, fecit ibi monasterium, quod nunc Lestingen vocatur, & religiosis moribus iuxta ritum Lindisfarnensium, vbi educatus erat, instituit. Qui cum annis multis & in præfata prouincia episcopatum administraret, & huius quoque monasterij, statutis præpositis, curam gereret, casu contigit vt ad ipsum monasterium tempore mortalitatis adueniens, tactus ibidem infirmitate corporis, obiret. Qui primo quidem foris sepultus est, tempore autem procedente in eodem monasterio ecclesia est in honorem beatæ Dei genetricis, de lapide facta, & in illa corpus ipsius ad dexteram altaris reconditum. Dedit autem episcopus regendum post se monasterium fratri suo Ceadda, qui postea episcopus factus est, vt in sequentibus dicemus. Quattuor siquidem hi, quos diximus, germani fratres Cedd & Cymbil & Caelin & Ceadda (quod raro inuenitur) omnes sacerdotes domini fuere præclari, & duo ex eis etiā summi sacerdotij gradu functi sunt. Cum ergo episcopum defunctum ac sepultum in prouincia NordanHumbrorum audirent, fratres qui in monasterio eius erant in prouincia orientalium Saxonum, venerunt illo de suo monasterio homines circiter triginta, cupientes ad corpus sui patris aut viuere (si sic Deo placeret) aut morientes ibi sepeliri. Qui libenter a suis fratribus & commilitonibus suscepti, omnes ibidem superueniente præfatę pestilentiæ clade defuncti sunt, excepto vno puerulo, quem orationibus patris sui a morte constat esse seruatum. Nam cum multo post hæc tempore viueret, & scripturis legendis operam daret, tandem didicit se aqua baptismatis non esse regeneratum; & mox fonte lauacri salutaris ablutus, etiam postmodum ad ordinem presbyterij promotus est, multisque in ecclesia vtilis fuit. De quo dubitandum non crediderim, quin intercessionibus, vt dixi, sui patris, ad cuius corpus dilectionis ipsius gratia venerat, sit ab articulo mortis retētus, vt & ipse sic mortem euaderet æternam, & aliis quoque fratribus ministerium vitæ ac salutis docendo exhiberet.

CAPVT XXIIII.

His temporibus rex Osuiu cum acerbas & intolerabiles pateretur irruptiones sæpe dicti regis Merciorum, qui fratrem eius occiderat, ad vltimum necessitate cogente, promisit se ei innumera & maiora quam credi potest, ornamenta regia, vel donaria in pretium pacis largiturum, dummodo ille domum rediret, & prouincias regni eius vsque ad internicionem vastare desineret. Cumque rex perfidus nullatenus precibus illius assensum præberet, qui totam eius gentem a paruo vsque ad magnum delere, atque exterminare decreuerat, respexit ille ad diuinæ auxilium pietatis, quo ab impietate barbarica posset eripi. Votoque se obligans, si paganus, inquit, nescit accipere nostra donaria, offeramus ei, qui nouit, domino Deo nostro. Vouit ergo quod si victor existeret, filiam suam domino sacra virginitate dicandam offerret, simulque duodecim possessiones prædiorum ad construenda monasteria donaret: & sic cum paucissimo exercitu se certamini dedit. Denique fertur, quod tricies maiorem pagani habuerint exercitum, siquidem ipsi triginta legiones ducibus nobilissimis instructas in bello habuere. Quibus Osuiu rex cum Alchfrido filio perparuum, vt dixi, habēs exercitum, sed Christo duce confisus, occurrit. Nam alius filius eius Ecfrid eo tempore in prouincia Merciorū apud reginam Cinuise obses tenebatur. Filius autem Osualdi regis Edil-

uald qui eis auxilio esse debuerat, in parte erat aduersariorum, eisdemque contra patriam & patruum suum pugnaturis ductor extiterat, quamuis ipso tempore pugnandi sese pugnæ subtraxerat, euentumque discriminis tuto in loco exspectabat. Inito ergo certamine fugati sunt & cæsi pagani duces regij triginta, & qui ad auxilium venerant pæne omnes interfecti, in quibus Edilhere, frater Annæ regis orientalium Anglorum, qui post eum regnauit, auctor ipse belli, perditis militibus siue auxiliis interemptus est. Et quia prope fluuium Iuvvet pugnatum est, qui tunc præ inundantia pluuiarum late alueum suum, immo omnes ripas suas transierat, contigit vt multo plures aqua fugientes quam bellantes perderet ensis. Tunc rex Osuiu iuxta quod domino vouerat, pro collata sibi victoria gratias Deo referens, dedit filiam suam Elfledam, quæ vixdum vnius anni ætatem impleuerat, perpetua ei virginitate consecrandam, donatis insuper duodecim possessiunculis terrarum, in quibus, ablato studio militiæ terrestris, ad exercendam militiam cælestem supplicandumque pro pace gentis eius æterna deuotioni sedulę monachorum locus facultasque suppeteret. E quibus videlicet possessiunculis sex in prouincia Deirorum, sex in Berniciorum dedit. Singulæ vero possessiones decem erant familiarum, id est, simul omnes centum viginti. Intrauit autem præfata regis Osuiu filia Deo dicanda monasterium quod nuncupatur Heruteu, id est, insula cerui, cui tunc Hild abbatissa præfuit. Quæ post biennium comparata possessione decem familiarum in loco qui dicitur Streaneshalch, ibi monasterium construxit. In quo memorata regis filia primo discipula vitæ regularis, deinde etiam magistra extitit, donec completo sexaginta annorum numero ad complexum & nuptias sponsi cœlestis virgo beata intraret. In quo monasterio & ipsa, & pater eius Osuiu, & mater eius Eanfled, & pater matris eius Eduinus, & multi alij nobiles in ecclesia S. Petri apostoli sepulti sunt. Hoc autem bellum rex Osuiu in regione Loidis tertiodecimo regni sui anno, septimo decimo die Kalendarum Decembrium, cum magna vtriusque populi vtilitate confecit. Nam & suam gentem ab hostili paganorum depopulatione liberauit; & ipsam gētem Merciorum finitimarumque prouinciarum desecto capite perfido, ad fidei Christianæ gratiam conuertit. Primus autem in prouincia Merciorum, simul & Lindisfarorum ac mediterraneorum Anglorum factus est episcopus Diuma, vt supra diximus, qui apud mediterraneos Anglos defunctus ac sepultus est. Secundus Cellach, qui relicto episcopatus officio viuens ad Scotiam rediit, vterque de genere Scotorum. Tertius Trumhere de natione quidem Anglorum, sed edoctus & ordinatus a Scotis, qui erat abbas in monasterio quod dicitur Ingethlingum, ipse est locus in quo occisus est rex Osuiu, vt supra meminimus. Nam regina Eanfled propinqua illius, ob castigationem necis eius iniustæ, postulauit a rege Osuiu, vt donaret ibi locum monasterio cōstruendo prefato Dei famulo Trumhere: quia propinquus & ipse erat regis occisi. In quo videlicet monasterio orationes assiduæ pro vtriusque regis, id est, & occisi, & eius qui occidere iussit, æterna salute fierent. Idem autem rex Osuiu tribus annis post occisionem Pendan regis, Merciorum genti, nec non & cęteris australium prouinciarum populis præfuit, qui etiam gentem Pictorum maxima ex parte regno Anglorum subiecit. Quo tempore donauit præfato Peada filio regis Pendan, eo quod esset cognatus suus, regnum australium Merciorum, qui sunt, vt dicunt, familiarum quinque milium discreti fluuio Treanta ab aquilonaribus Mercis, quorum terra est familiarum septem milium: sed idem Peada proximo vere multum nefarie peremptus est, proditione, vt dicunt, cōiugis suæ, in ipso tempore festi Paschalis. Completis autem tribus annis post interfectionem Pendan regis, rebellauerunt aduersus regem Osuiu duces gentis Merciorum Immin & Eafa & Eadbert, leuato in regem Vulfhere filio eiusdem Pēdan adolescente, quem occultum seruauerant. Et eiectis principibus regis nō proprij, fines suos fortiter simul & libertatem receperunt. Sicque cum suo rege liberi, Christo vero regi pro sempiterno in cœlis regno seruire gaudebant. Præfuit autem rex idem genti Merciorum annis decem & septem. Habuitque primum episcopum Trumhere, de quo supra diximus, secundum Iaroman, tertium Ceaddan, quartum Vvinfridum. Omnes hi per ordinem sibimet succedentes, sub rege Vulfhere gentis Merciorum episcopatu sunt functi.

CAPVT XXV.

Interea Aidano episcopo de hac vita sublato Finan pro illo gradum episcopatus a Scotis ordinatus ac missus acceperat; qui in insula Lindisfarnensi fecit ecclesiam episcopali sedi congruam: quam tamen more Scotorum non de lapide, sed de robore secto totam composuit atq; arundine texit. quam tempore sequente reuerēdissimus archiepiscopus Theodorus in honorem beati Petri apostoli dedicauit. Sed episcopus loci illius Eadbert, ablata arundine, plumbi laminis eam totam, hoc est, & tectum & ipsos quoque parietes eius cooperire curauit. His temporibus quæstio facta est frequēs & magna, de obseruatione paschæ, confirmantibus eis qui de Cantia vel de Galliis aduenerant, quod Scoti dominicum paschę diem contra vniuersalis ecclesiæ morem celebrarent. Erat in his acerrimus veri paschæ defensor nomine Ronan, natione quidem Scotus, sed in Galliæ vel Italiæ partibus regula ecclesiasticæ veritatis edoctus: qui cum Finano confligens multos quidem correxit, vel ad solertiorem veritatis inquisitionem accendit; nequaquam tamen Finanum emēdare potuit, quin potius, quod esset homo ferocis animi, acerbiorem castigando, & apertum veritatis aduersarium reddidit. Obseruabat autem Iacob diaconus quondam (vt supra docuimus) venerabilis archiepiscopi Paulini, verum & catholicum pascha cum omnibus quos ad correctionis viam erudire poterat. Obseruabat & regina Eanfeld cum suis, iuxta quod in Cantia fieri viderat, habens secum de Cantia presbyterum catholicæ obseruationis, nomine Romanum. Vnde nonnunquam contigisse fertur illis temporibus, vt bis in anno vno pascha celebraretur. & cum rex pascha dominicum, solutis ieiuniis, faceret; tunc regina cum suis persistens adhuc in ieiunio diem palmarum celebraret. Hæc autem dissonantia paschalis obseruantiæ viuente Aidano patienter ab omnibus tolerabatur qui patenter intellexerant; quia etsi pascha contra morem eorum qui ipsum miserant, facere non potuit, opera tamen fidei, pietatis, & dilectionis, iuxta morem omnibus sanctis consuetum, diligenter exequi curauit. Vnde ab omnibus, etiam his qui de pascha aliter sentiebant, merito diligebatur, nec solum a mediocribus, verum ab ipsis quoque episcopis Honorio Cantuariorum, & Felice orientalium Anglorum venerationi habitus est. Defuncto autem Finano, qui post illum fuit, cum Colmanus in episcopatum succederet, & ipse missus a Scotia, grauior de obseruatione paschæ, nec non & de aliis ecclesiasticæ vitæ disciplinis controuersia nata est. Vnde merito mouit hæc quæstio sensus & corda multorum timentium, ne forte accepto Christianitatis vocabulo, in vacuū currerent aut cucurrissent. Peruenit & ad ipsas principū aures, Osuiu videlicet regis & filij eius Alchfridi, quia nimirum Osuiu a Scotis edoctus ac baptizatus, illorum etiam lingua optime imbutus, nil melius quam quod illi docuissent autumabat. Porro Alchfrid magistrum habuit eruditionis Christianæ Vilfridum virum doctissimum. Nam & Romam prius propter doctrinam ecclesiasticam adierat, & apud Dalfinum archiepiscopum Galliarum Lugduni multum temporis egerat, a quo etiam tonsuræ ecclesiasticæ coronam susceperat. Huius doctrinam omnibus Scotorum traditionibus iure præferendam sciebat. Vnde ei etiam donauerat monasterium quadraginta familiarum, in loco qui dicitur Humpum. Quem videlicet locum paulo ante eis qui Scotos sequebantur in possessionem monasterij dederat. Sed quia illi postmodum, data sibi optione, magis loco cedere, quam suam mutare consuetudinem volebant, dedit eum illi qui dignam loco & doctrinam haberet & vitam. Venerat eo tempore Agilbertus occidentalium Saxonum episcopus, cuius supra meminimus, amicus Alchfridi regis & Vilfridi abbatis ad prouinciam NordanHumbrorum, & apud eos aliquandiu demorabatur, qui etiam Vilfridum rogatu Alchfridi in præfato suo monasterio presbyterum fecit: habebat autem secum ipse presbyterum nomine Agathonem. Mota ergo ibi quæstione de pascha, vel tonsura, vel aliis rebus ecclesiasticis, dispositum est, vt in monasterio, quod dicitur Strenaeshalch, quod interpretatur sinus fari, cui tunc Hild abbatissa Deo deuota fœmina præfuit, synodus fieret, & hæc quæstio terminari deberet. Veneruntque illo reges ambo, pater scilicet & filius, episcopi Colman cum clericis suis de Scotia. Agilbertus cum Agathone & Vilfrido presbyteris, Iacobus & Romanus in horum parte erant. Hild abbatissa cum suis in parte

Scotorum, in qua erat etiam venerabilis episcopus Cedda, iamdudum ordinatus a Scotis, vt supra docuimus, qui & interpres in eo concilio vigilantissimus vtriusque partis extitit. Primusque rex Osuiu præmissa præfatione, quod oporteret eos qui vni Deo seruirent vnam viuendi regulam tenere, nec discrepare in celebratione sacramentorum cœlestium, qui vnum omnes in cœlis regnum expectarent; inquirendum potius, quæ esset verior traditio, & hanc ab omnibus communiter esse sequendam. Iussit primo dicere episcopum suum Colmanum qui esset ritus, & vnde originem ducens ille quem ipse sequeretur. Tunc Colmanus, Pascha, inquit, hoc quod agere soleo, a maioribus meis accepi, qui me huc episcopum miserunt, quod omnes patres nostri viri Deo dilecti, eodem modo celebrasse noscuntur. Quod ne cui contemnendum & reprobandum esse videatur, ipsum est quod beatus euangelista Ioannes, discipulus specialiter domino dilectus, cum omnibus quibus præerat ecclesiis, celebrasse legitur. Quo hæc & his similia dicente, iussit rex & Agilbertum proferre in medium, morem suæ obseruationis vnde initium haberet, vel qua hunc auctoritate sequeretur. Respondit Agilbertus: Loquatur obsecro vice mea discipulus meus Vilfrid presbyter, quia vnum ambo sapimus cum ceteris qui hic assident ecclesiasticæ traditionis cultoribus, & ille melius ac manifestius ipsa lingua Anglorum, quam ego per interpretem, potest explanare quæ sentimus. Tunc Vilfrid, iubente rege vt diceret, ita exorsus est: Pascha quod facimus, inquit, vidimus Romæ (vbi beati apostoli Petrus & Paulus vixere, docuere, passi sunt, & sepulti) ab omnibus celebrari: Hoc in Italia, hoc in Gallia, quas discendi vel orandi studio pertransiuimus, ab omnibus agi conspeximus: Hoc Africam, Asiam, & Ægyptum, Græciam, & omnem orbem quacunque Christi ecclesia diffusa est, per diuersas nationes ac linguas, vno ac non diuerso temporis ordine geri comperimus, præter hos tantum & obstinationis eorum complices, Pictos dico, & Britones, cum quibus de duabus vltimis Oceani insulis, & his non totis, contra totum orbem stulto labore pugnant. Cui hæc dicenti respondit Colmanus: Mirum quare stultum appellare velitis laborem nostrum, in quo tanti apostoli, qui super pectus domini recumbere dignus fuit, exempla sectamur, cum ipsum sapientissime vixisse omnis mundus nouerit. At Vilfridus, Absit, inquit, vt Ioannem stultitiæ reprehendamus, cum scita legis Mosaicæ iuxta litteram seruaret, Iudaizante adhuc in multis ecclesia, nec subito valentibus apostolis omnem legis obseruantiam, quæ a Deo instituta est, abdicare. Quomodo simulacra, quæ a demonibus inuenta sunt, repudiare omnes qui ad fidem veniunt necesse est, videlicet ne scandalum facerent eis qui inter gentes erant Iudæis. Hinc est enim quod Paulus Timotheum circumcidit, quod hostias in templo immolauit, quod cum Aquila & Priscilla caput Corinthi totondit, ad nihil videlicet vtile nisi ad scandalum vitandum Iudæorum. Hinc quod eidem Paulo Iacobus ait: Vides frater, quot milia sunt in Iudæis, qui crediderunt, & omnes ij æmulatores sunt legis: nec tamen hodie, clarescente per mundum euangelio, necesse est, immo nec licitum fidelibus vel circumcidi, vel hostias Deo victimarum offerre carnalium. Itaque Ioannes secundum legis consuetudinem quarta decima die mensis primi, ad vesperam incipiebat celebrationem festi paschalis, nil curans vtrum hæc sabbato, an alia qualibet feria proueniret. At vero Petrus cum Romæ prædicaret, memor quia dominus prima sabbati resurrexit a mortuis, ac mundo spem resurrectionis contulit, ita pascha faciendum intellexit, vt secundum consuetudinem ac præcepta legis, quartamdecimam lunam primi mensis, æque sicut Ioannes orientem ad vesperam semper exspectaret. Et hac exorta, si dominica dies (quæ tunc prima sabbati vocabatur) erat mane ventura, in ipsa vespera pascha dominicum celebrare incipiebat, quomodo & nos omnes hodie facere solemus. Sin autē dominica non proximo mane post lunam quartamdecimam, sed sextadecima aut septimadecima aut alia qualibet luna, vsque ad vicesimam primam esset ventura, exspectabat eam, & præcedente sabbato vespere sacrosancta paschæ sollemnia inchoabat. Sicque fiebat vt dominica paschæ dies, non nisi a quintadecima luna vsque ad vicesimam primam seruaretur. Neque hæc euangelica & apostolica traditio legem soluit, sed potius adimplet; in qua obseruandum pascha a quartadecima luna primi mensis ad vesperam, vsque ad vicesimam

primam lunam eiusdem mensis ad vesperam præceptum est, in quam obseruantiam imitandam, omnes sancti Ioannis successores in Asia post obitum eius, & omnis per orbem ecclesia conuersa est: & hoc esse verum pascha hoc solum fidelibus celebrandum Niceno concilio, non statutum nouiter, sed confirmatum est, vt ecclesiastica docet historia. Vnde cōstat vos, Colmane, neque Ioannis, vt autumatis, exempla sectari; neque Petri, cuius traditioni scientes contradicitis, neque legi, neque euangelio, in obseruatione vestri paschæ congruere. Ioannes enim ad legis Mosaicæ decreta tempus paschale custodiens, nil de prima sabbati curabat: quod vos non facitis, qui non nisi prima sabbati pascha celebratis. Petrus a quintadecima luna vsque ad vicesimam primam diem paschæ dominicum celebrabat; quod vos non facitis, qui a quartadecima vsque ad vicesimam lunam diem dominicum paschæ obseruatis, ita vt tertiadecima luna ad vesperam sæpius pascha incipiatis, cuius neque lex vllam fecit mentionem, neque auctor ac dator euangelij Dominus in ea, sed in quartadecima luna vel vetus pascha manducauit ad vesperam, vel noui Testamenti sacramenta in commemorationem suæ passionis, ecclesiæ celebranda tradidit. Itemque lunam vicesimam primam, quam lex maxime celebrandā commendauit, a celebratione vestri paschæ funditus eliminatis. Sicque, vt dixi, in celebratione summæ festiuitatis, neque Ioanni, neque Petro, neque legi, neque euangelio concordatis. His contra Colmanus: Nunquid, ait, Anatolius vir sanctus, & in præfata historia ecclesiastica multum laudatus, legi vel euangelio contraria sapuit, qui a quartadecima vsque ad vicesimam pascha celebrandum scripsit? Nunquid reuerendissimum patrem nostrum Columbam & successores eius viros Deo dilectos, qui eodem modo pascha fecerunt, diuinis paginis contraria sapuisse vel egisse credendum est? Cum plurimi fuerint in eis quorum sanctitati cœlestia signa, & virtutum quæ fecerunt miracula testimonium præbuerunt: quos vt ipse sanctos esse non dubitans, semper eorum vitam, mores, & disciplinam sequi non desisto. At Vilfridus: Constat, inquit, Anatolium virum sanctissimum, doctissimum ac laude esse dignissimum: sed quid vobis cum illo, cum nec eius decreta seruetis? Ille enim in pascha suo regulam vtique veritatis sequens, circulum decem & nouem annorum posuit, quem vos aut ignoratis, aut agnitum a tota Christi ecclesia custoditum, pro nihilo contemnitis. Ille sic in Paschæ dominicam decimam quartam lunam computauit, vt hanc eadem ipsa die, more Ægyptiorum decimam quintam lunam ad vesperam esse fateretur. Sic idem vicesimam diem dominico paschæ annotauit, vt hanc declinata eadem die esse vicesimam primam crederet. Cuius regulam distinctionis vos ignorasse probat, quod aliquotiens pascha manifestissime ante plenilunium, id est, in tertiadecima luna facitis. De patre autem vestro Columba & sequacibus eius, quorum sanctitatem vos imitari, & regulam ac præcepta cœlestibus signis confirmata sequi perhibetis, possum respondere quia multis in iudicio dicentibus Domino, quod in nomine eius prophetauerint, & dæmonia eiecerint, & virtutes multas fecerint, responsurus sit Dominus, quia nunquam eos nouerit. Sed absit vt de patribus vestris hoc dicam, quia iustius multo est de incognitis bonum credere quam malum. Vnde & illos Dei famulos ac Deo dilectos esse non nego, qui simplicitate rustica, sed intentione pia, Deum dilexerunt. Neque illis multum obesse paschæ talem reor obseruantiam, quamdiu nullus aduenerat qui eis instituti perfectioris decreta, quæ sequerentur, ostenderet. Quos vtique credo, si qui tunc ad eos catholicus calculator aduenisset, sic eius monita fuisse secuturos, quomodo ea quæ nouerant ac didicerant Dei mandata probantur fuisse secuti. Tu autem & socij tui si audita decreta sedis apostolicæ, immo vniuersalis ecclesiæ, & hæc litteris sacris confirmata sequi contemnitis, absque vlla dubietate peccatis. Et si enim patres tui sancti fuerunt, nunquid vniuersali quæ per orbem est Christi ecclesiæ, horum est paucitas vna de angulo extremæ insulæ præferenda? Et si sanctus erat ac potens, virtutibus ille Columba vester, immo & noster, si Christi erat, num præferri potuit beatissimo apostolorum principi? cui Dominus ait: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues regni

cœlorum.

coelorum. Hæc perorante Vilfrido, dixit rex: Vere ne Colmane hæc illi Petro dicta sunt a domino? qui ait: Vere, rex. At ille, Habetis, inquit, vos proferre aliquid tantę potestatis vestro Columbæ datum? At ille ait: Nihil. Rursum autem rex: Si vtrique vestrum, inquit, in hoc sine vlla controuersia consentiunt, quod hæc principaliter Petro dicta, & ei claues regni cœlorum sint datæ a domino? Responderunt, etiam, vtrique. At ille ita conclusit: Et ego vobis dico, quia hic est ostiarius ille, cui ego contradicere nolo, sed in quantum noui vel valeo, huius cupio in omnibus obedire statutis, ne fortę me adueniẽte ad fores regni cœlorum, non sit qui reserat, auerso illo qui claues tenere probatur. Hæc dicente rege, fauerunt assidentes quique siue astantes maiores vna cum mediocribus, & abdicata minus perfecta institutione, ad ea quę meliora cognouerant, sese transferre festinabant.

CAPVT XXVI.

FINITOQVE conflictu ac soluta concione, Agilbertus domum rediit. Colman videns spretam suam doctrinam, sectamque esse despectam, assumptis his qui se sequi voluerunt, id est, qui pascha catholicum & tonsuram coronæ (nam & de hoc quæstio non minima erat) recipere nolebant, Scotiam regressus est, tractaturus cum suis quid de his facere deberet. Cedd relictis Scotorum vestigiis ad suam sedem rediit, vtpote agnita obseruatione catholici Paschæ. Facta est autem hæc quæstio anno dominicæ incarnationis sexcentesimo sexagesimo quarto, qui fuit annus Osuiu regis vicesimus secundus: Episcopatus autem Scotorum, quem gesserunt in prouincia Anglorum, annus tricesimus. Siquidem Aidan decem & septem annis, Finan decem, Colman tribus episcopatus tenuere. Reuerso autem patriam Colmano, suscepit pro illo episcopatum NordanHumbrorum famulus Christi Tuda, qui erat apud Scotos austrinos eruditus atque ordinatus episcopus, habens iuxta morem prouinciæ illius coronam tonsuræ ecclesiasticæ, & catholicam temporis paschalis regulam obseruans: vir quidem bonus ac religiosus, sed permodico tempore ecclesiam regens. Venerat enim de Scotia tenente adhuc pontificatum Colmano, & diligenter ea quæ ad fidem ac veritatem pertinent, & verbo cunctos docebat & opere. Porro fratribus qui in Lindisfarnensi ecclesia Scotis abeuntibus remanere maluerunt, præpositus est abbatis iure vir reuerendissimus ac mansuetissimus Eata, qui erat abbas in monasterio quod vocatur Mailros, quod aiunt Colmanum abeuntem petisse & impetrasse a rege Osuiu, eo quod esset idem Eata vnus de duodecim pueris Aidani, quos primo episcopatus sui tempore de natione Anglorum erudiendos in Christo accepit. Multum namque eundem episcopum Colmanum rex pro insita illi prudentia diligebat. Ipse est Eata qui non multo post eidem ecclesiæ Lindisfarnensis episcopus factus est. Abiens autem domum Colman assupsit secum partem ossium reuerendissimi patris Aidani: partem vero in ecclesia cui præerat reliquit, & in secretario eius condi præcepit. Quantæ autem parsimoniæ, cuiusque continentiæ fuerit ipse cum prædecessoribus suis, testabatur etiam locus ille quem regebat, vbi abeuntibus eis excepta ecclesia paucissimæ domus repertæ sunt: hoc est illæ solummodo sine quibus conuersatio ciuilis esse nullatenus poterat. nil pecuniarum absque pecoribus habebant. si quidem enim pecuniæ a diuitibus accipiebant, mox pauperibus dabant. Nam neque ad susceptionem potentium sæculi, vel pecunias colligi, vel domos præuidere necesse fuit, qui nunquam ad ecclesiam, nisi orationis tantum & audiendi verbum Dei causa veniebant. Rex ipse cum oportunitas exegisset, cum quinque tantum aut sex veniebat; & expleta in ecclesia oratione discedebat. Quod si forte eos ibi refici contingeret, simplici tantum & quotidiano fratrum cibo contenti, nil vltra quærebant. Tota enim tunc fuit sollicitudo doctoribus illis, Deo seruiendi, non sæculo; tota cura cordis excolendi, non ventris. Vnde & in magna erat veneratione tempore illo religionis habitus, ita vt vbicunque clericus aliquis, aut monachus adueniret, gaudenter ab omnibus, tanquam Dei famulus, exciperetur. Etiamsi in itinere pergens inueniretur, accurrebant, & flexo ceruice vel manu signari, vel ore illius se benedici gaudebant. Verbis quoque horum exhortatoriis diligenter auditum præbebant. Sed & diebus dominicis ad ecclesiam

siue ad monasteria certatim, non reficiendi corporis, sed erudiendi sermonis Dei gratia confluebant; & siquis sacerdotum in vicum forte deueniret, mox congregati in vnum vicani, verbum vitæ ab illo expetere curabant. Nam neque alia ipsis sacerdotibus aut clericis vicos adeundi, quam prædicandi, baptizandi, infirmos visitandi, &, vt breuiter dicam, animas curandi causa fuit; qui in tantum erant ab omni auaritiæ peste castigati, vt ne territoria ac possessiones ad construenda monasteria, nisi a potestatibus sæculi, coacti acciperent. Quæ consuetudo per omnia aliquanto post hæc tempore in ecclesiis NordanHumbrorum seruata est. Sed de his satis dictum.

CAPVT XXVII.

EODEM anno dominicæ incarnationis sexcentesimo sexagesimo quarto, facta est eclipsis Solis die tertio mensis Maij, hora circiter decima diei. Quo etiam anno subita pestilentiæ lues, depopulatis prius australibus Britanniæ plagis, NordanHumbrorum quoque prouinciam corripiens; atque acerba clade diutius longe lateque desæuiens, magnam hominum multitudinem strauit. Qua plaga præfatus domini sacerdos Tuda raptus est de mundo, & in monasterio, quod vocatur Pegnalech, honorifice sepultus. Hæc autem plaga Hiberniam quoque insulam pari clade premebat. Erant ibidem eo tempore multi nobilium simul & mediocrium de gente Anglorum, qui tempore Finani & Colmani episcoporum, relicta insula patria, vel diuinæ lectionis, vel continentioris vitæ gratia illo secesserant. Et quidam quidem mox se monasticæ conuersationi fideliter mancipauerunt, alij magis circumeundo per cellas magistrorum lectioni operam dare gaudebant. Quos omnes Scoti libentissime suscipientes, victum eis quotidianum sine precio, libros quoque ad legendum, & magisterium gratuitum præbere curabant. Erant inter hos duo iuuenes magnæ indolis de nobilibus Anglorum Edelhun & Ecgbert; quorum prior frater fuit Edilhun viri æque Deo dilecti, qui & ipse æuo sequente Hiberniam gratia legendi adiit, & bene instructus patriam rediit, atque episcopus in prouincia Lindisse factus, multo ecclesiam tempore nobilissime rexit. Hi ergo quum essent in monasterio, quod lingua Scotorum *Rathmelsigi* appellatur, & omnes socij ipsorum vel mortalitate de sæculo rapti, vel per alia essent loca dispersi, correpti sunt ambo morbo eiusdem mortalitatis, & grauissime afflicti. E quibus Ecgbert (sicut mihi referebat quidam veracissimus & venerãdæ canitiei presbyter, qui se hæc ab ipso audisse perhibebat) cum se æstimaret esse moriturum, egressus est tempore matutino de cubiculo, in quo infirmi quiescebant, & residens solus in loco oportuno, cœpit sedulus cogitare de actibus suis, & compunctus memoria peccatorum suorum faciem lacrymis abluebat, atque intimo ex corde Deum precabatur, ne adhuc mori deberet, priusquam vel præteritas negligentias, quas in pueritia siue infantia commiserat, perfectius ex tempore castigaret, vel in bonis se operibus abundantius exerceret. Vouit etiam votum, quia adeo peregrinus viuere vellet, vt nunquam in insulam, in qua natus est, id est, Britanniam rediret: quod præter solennem canonici temporis psalmodiam, si non valitudo corporis obsisteret, quotidie psalterium totum in memoriam diuinæ laudis decantaret, quod in omni septimana diem cum nocte ieiunus transiret. Cumq; finitis lacrymis, precibus & votis domum rediret, inuenit sodalem dormientem; & ipse quoque lectulum conscendens, cœpit in quietem mẽbra laxare: & quum paululum quiesceret, expergefactus sodalis respexit eum, & ait: O frater Ecberte, o quid fecisti? Sperabam quia pariter ad vitam æternam intraremus. Verumtamen scito, quia quæ postulasti accipies. Didicerat enim per visionem & quid ille petisset, & quia petita impetrasset. Quid multa? Ipse Edilhun proxima nocte defunctus est. at vero Ecbert decussa molestia ægritudinis conualuit, ac multo post tempore viuens, acceptumque sacerdotij gradum condignis ornans actibus, post multa virtutum bona, vt ipse desiderabat, nuper, id est, anno dominicæ incarnationis septingentesimo vicesimo nono, cum esset ipse annorum nonaginta, migrauit ad regna cœlestia. Duxit autem vitam in magna humilitatis, mansuetudinis, continentiæ, simplicitatis, & iustitiæ perfectione. Vnde & genti suæ, & illis in quibus exulabat nationibus Scotorum siue Pictorum, exemplo viuendi, & instantia docendi, &

auctori-

" auctoritate corripiendi, & pietate largiendi de his quæ a diuitibus acceperat, multum profuit. Addidit autem votis quæ diximus, vt in quadragesima semper non plus quam semel in die reficeretur, non aliud quam panem ac lac tenuissimum, & hoc cum mensura, gustaret. quod videlicet lac pridie nouum in fiala ponere solebat, & post noctem ablata superficie crassiore, ipse residuum cum modico, vt diximus, pane bibebat. Cuius modum continentiæ etiam quadraginta diebus ante natalem domini, totidem quoque post peracta solennia pentecostes, hoc est, quinquagesimæ, semper obseruare curabat.

CAPVT XXVIII.

INTEREA rex Alchfrid misit Vilfridum presbyterum ad regem Galliarum, qui eum sibi suisque consecrari faceret episcopum. At ille misit illum ordinandum ad Agilbertum, de quo supra diximus: qui relicta Britannia Parisiacæ ciuitatis factus erat episcopus, & consecratus est magno cum honore ab ipso, conuenientibus plurimis episcopis in vico regio qui vocatur In compendio. Quo adhuc in transmarinis partibus post ordinationem demorante, imitatus industriam filij regis Osuiu, misit Cantiam virum sanctum, modestum moribus, scripturarum lectione sufficienter instructum, & ea quæ agenda in scripturis didicerat, operibus solerter exequentem, qui Eboracensis ecclesiæ ordinaretur episcopus. Erat autem presbyter vocabulo Ceadda, frater reuerendissimi antistitis Ceddi, cuius sæpius meminimus, & abbas monasterij illius, quod vocatur Lestingaeu. Misitque rex cum eo presbyterum suum vocabulo Eadhedum, qui postea regnante Ecfrido Ripensis ecclesiæ præsul factus est. Verum illi Cantiam peruenientes inuenerunt Archiepiscopum Deusdedit iam migrasse de sæculo, & nec dum alium pro eo constitutum fuisse pontificem. Vnde diuerterunt ad prouinciam occidentalium Saxonum, vbi erat Vini episcopus, & ab illo est vir præfatus consecratus antistes, assumptis in societatem ordinationis duobus de Britonum gente episcopis, qui dominicum paschæ diem, vt sæpius dictum est, secus morem canonicum a quartadecima vsque ad vicesimam primam lunam celebrant. Non enim erat tunc vllus, excepto illo Vini, in tota Britannia canonice ordinatus episcopus. Consecratus ergo in episcopatum Ceadda, maximam mox cœpit ecclesiasticæ veritati & castitati curam impendere, humilitati, continentiæ, lectioni operam dare, oppida, rura, casas, vicos, castella propter euangelizandum non equitando, sed apostolorum more pedibus incedendo peragrare. Erat enim discipulus Aidani, eisdemque actibus ac moribus iuxta exemplum eius, ac fratris sui Ceddi suos instituere curauit auditores. Veniens quoque Britanniam Vilfridus iam episcopus factus, & ipse perplura catholicæ obseruationis moderamina ecclesiis Anglorum sua doctrina contulit. Vnde factum est, vt crescente per dies institutione catholica, Scoti omnes qui inter Anglos morabantur, aut his manus darent, aut suam redirent ad patriam.

CAPVT XXIX.

HIS temporibus reges Anglorum nobilissimi, Osuiu prouinciæ NordanHumbrorum, & Ecgbert Cantuariorum, habito inter se consilio, quid de statu ecclesiæ Anglorum esset agendum: intellexerat enim veraciter Osuiu, quamuis educatus a Scotis, quia Romana esset catholica & apostolica ecclesia. Assumpserunt cum electione & consensu sanctæ ecclesiæ gentis Anglorum virum bonum & aptum episcopatu presbyterum, nomine Vighardum, de clero Deusdedit episcopi, & hunc antistitem ordinandum Romam miserunt, quatenus accepto ipse gradu archiepiscopatus, catholicis per omnem Britanniam ecclesiis Anglorum ordinare posset antistites. Verum Vighardus Romam perueniens, priusquam consecrari in episcopum posset, morte præreptus est, & huiusmodi litteræ regi Osuiu Britanniam remissæ sunt. DOMINO excellentissimo filio Osuiu regi Saxonum Vitalianus episcopus seruus seruorum Dei:
" Desiderabiles litteras excellentiæ vestræ suscepimus, quas relegentes, cognouimus
" eius piissimam deuotionem, feruentissimumque amorem, quem habet propter bea-
" tam vitam. Et quia dextera Domini protegente, ad veram & apostolicam fidem sit

conuersus, sperans, vt sicut in sua gente regnat, ita & cum Christo de futuro conregnare. Benedicta igitur gens quæ talem sapientissimum & Dei cultorem promeruit habere regem. Quia non solum ipse Dei cultor extitit, sed etiam omnes subiectos suos meditatur die ac nocte ad fidem catholicam atque apostolicam pro suæ animæ redemptione conuerti. Quis enim audiens hæc suauia non lætetur? Quis non exultet & gaudeat in his piis operibus? Quia & gens vestra Christo omnipotenti Deo credidit, secundum diuinorum prophetarum voces, sicut scriptum est in Esaia: In die illa radix Iesse qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur. Et iterum: Audite insulæ, & attendite populi de longe. Et post paululum: Parum, inquit, est, vt mihi sis seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas. Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Et rursum: Reges videbunt, & consurgent principes, & adorabunt. Et post pusillum: Dedi te in fœdus populi, vt suscitares terram, & possideres hereditates dissipatas, & diceres his qui vincti sunt, exite: & his qui in tenebris, reuelamini. Et rursum: Ego dominus vocaui te in iustitia, & apprehendi manum tuam, & seruaui, & dedi te in lucem gentium, & in fœdus populi, vt aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum de domo carceris sedentem in tenebris. Ecce, excellentissime fili, quam luce clarius est non solum de vobis, sed etiam de omnibus prophetatum gentibus, quod sint crediture in Christo omnium conditore. Quamobrem oportet vestram celsitudinem, vtpote membrum existens Christi, in omnibus piam regulam sequi perenniter Principis apostolorum, siue in Pascha celebrando, siue in omnibus quæ tradiderunt sancti apostoli Petrus & Paulus, qui vt duo luminaria cœli illuminant mundum, sic doctrina eorum corda hominum quotidie illustrat credentium. Et post nonnulla quibus de celebrando per orbem totum vno vero Pascha loquitur: Hominem denique, inquit, docibilem, & in omnibus ornatum antistitem secundum vestrorum scriptorum tenorem minime valuimus nunc reperire, pro longinquitate itineris. Profecto enim dum huiusmodi apta repertaque persona fuerit, eum instructum ad vestram dirigemus patriam, vt ipse & viua voce & per diuina oracula omnem inimici zizaniam ex omni vestra insula cum diuino nutu eradicet. Munuscula a vestra celsitudine beato Principi apostolorum directa, pro æterna eius memoria suscepimus, gratiasque ei agimus, ac pro eius incolumitate iugiter Deum deprecamur cum Christi clero. Itaque qui hæc obtulit munera de hac subtractus est luce, situsque ad limina apostolorum: pro quo valde sumus contristati cum hic esset defunctus. Verumtamen gerulis harum nostrarum litterarum vestris missis & beneficia sanctorum, hoc est, reliquias beatorum apostolorum Petri & Pauli & sanctorum martyrum Laurentij, Ioannis, & Pauli, & Gregorij, atque Pancratij eis fecimus dare vestræ excellentiæ profecto omnes contradendas. Nam & coniugi vestræ, nostræ spirituali filiæ, direximus per præfatos gerulos crucem clauem auream habentem: de sacratissimis vinculis beatorum apostolorum Petri & Pauli. De cuius pio studio cognoscentes tantum cuncta sedes apostolica vna nobiscum lætatur, quantum eius pia opera coram Deo flagrant & vernant. Festinet igitur quæsumus vestra celsitudo, vt optamus, totam insulam suam Deo Christo dicare. Habet enim profecto protectorem humani generis redemptorem Dominum nostrum Iesum Christum, qui ei cuncta prospera impartiet, vti nouum Christi populum coaceruet, catholicam ibi & apostolicam constituens fidem. Scriptum est enim: Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Nimirum enim quærit & impetrabit, & ei omnes suæ insulæ, vt optamus, subdentur. Paterno itaque affectu salutantes vestram excellentiam, diuinam iugiter precamur clementiam, quæ vos vestrosque omnes in omnibus bonis operibus auxiliari dignetur, vt cum Christo in futuro regnetis sæculo. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat.

Quis sane pro Vighardo repertus ac dedicatus sit antistes, libro sequente oportunius dicetur.

CAPVT XXX.

EODEM tempore prouinciæ orientalium Saxonum post Vildhelmum (de quo

supra diximus) præfuere reges Sighere & Sebbi, quauis ipsi reges Merciorum, Vulfhere subiecti. Quæ videlicet prouincia cum præfatæ mortalitatis clade premeretur, Sighere cum sua parte populi relictis Christianæ fidei sacramentis ad apostasiam conuersus est. Nam & ipse rex & plurimi de plebe siue optimatibus diligentes hanc vitam & futuram non quærentes, siue etiam non esse credentes, cœperunt fana quæ derelicta erat, restaurare, & adorare simulacra, quasi per hæc possent a mortalitate defendi. Porro socius eius & coheres regni eiusdē Sebbi magna fidem perceptā cum suis omnibus deuotione seruauit, & magna, vt in sequentibus dicemus, vitam fidelem fœlicitate compleuit. Quod vbi rex Vulfhere comperit, fidem videlicet prouinciæ ex parte profanatam, misit ad corrigendum errorem reuocandamque ad fidem veritatis prouinciam Iaruman episcopum, qui successor erat Trumhere, qui multa agens solertia iuxta quod mihi presbyter, qui comes itineris illi & cooperator verbi extiterat, referebat. Erat enim religiosus & bonus vir longe lateque omnia peruagatus, & populum & regem præfatum ad viam iustitiæ reduxit, adeo vt relictis siue destructis fanis arisque quas fecerant, aperirent ecclesias, ac nomen Christi cui contradixerant, confiteri gauderent, magis cum fide resurrectionis in illo mori, quam in perfidiæ sordibus inter idola viuere cupientes. Quibus ita gestis, & ipsi sacerdotes, doctoresque eorum domum rediere lætantes.

LIBER QVARTVS.

CAPVT PRIMVM.

ANNO memorato præfatæ eclipsis, & mox subsequentis pestilentiæ, quo & Colman episcopus vnanima catholicorum intentione superatus, ad suos reuersus est; Deusdedit sextus ecclesiæ Dorouernēsis episcopus obiit, pridie iduum Iuliarum. Sed & Erconbert rex Cantuariorum eodem mense ac die defunctus Ecberto filio sedem regni reliquit; quam ille susceptam per nouem annos tenuit. Tunc cessante non pauco tempore episcopatu, missus est Romam ab ipso simul & a rege NordanHumbrorum Osuiu (vt in præcedenti libro diximus) Vvighart presbyter, vir in ecclesiasticis disciplinis doctissimus, de genere Anglorum petentibus ecclesiæ Anglorum episcopū ordinari: missis pariter apostolico papæ donariis & aureis atque argenteis vasis non paucis. Qui vbi Romam peruenit, cui sedi apostolicę tempore illo Vitalianus prǽerat, postquam itineris sui causam præfato papę apostolico patefecit, non multo post & ipse & omnes pæne qui cum eo aduenerant socij, pestilentia superueniente, deleti sunt. At apostolicus papa habito de his consilio, quæsiuit sedulus quem ecclesiis Anglorum Archiepiscopum mitteret. Erat autem in monasterio Hiridano, quod est non longe a Neapoli Campaniæ, abbas Adrianus vir natione Afer, sacris litteris diligenter imbutus, monasterialibus simul & ecclesiasticis disciplinis institutus, Græcæ pariter & Latinæ linguæ peritissimus. Hunc ad se accitum papa iussit, episcopatu accepto, Britanniā venire. Qui indignū se tanto gradui respondens, ostendere posse se dixit alium, cuius magis ad suscipiendum episcopatū & eruditio conueniret & ętas. Cumq; monachum quendā de vicino virginum monasterio nomine Andream pontifici offerret, hic ab omnibus, qui eum nouere, dignus episcopatu iudicatus est: verum pondus corporeę infirmitatis, ne episcopus fieri posset, obstitit. Et rursum Adrianus ad suscipiendū episcopatū actus est. Qui petiit inducias, si forte aliū, qui episcopus ordinaretur, ex tempore posset inuenire. Erat ipso tempore Romæ monachus Adriano notus, nomine Theodorus, natus ex Tharso Ciliciæ, vir & sæculari &

diuina litteratura, Graece & Latine instructus, probus moribus, & aetate venerandus, id est, annos habens aetatis LXVI. Hunc offerens Adrianus pontifici, vt episcopus ordinaretur, obtinuit; his tamen conditionibus interpositis, vt ipse eum perduceret Britanniam, eo quod iam bis partes Galliarum diuersis ex causis adisset, & ob id maiorem huius itineris peragendi notitiam haberet, sufficiensque esset in possessione hominum propriorum. Et vt ei doctrinae cooperator existens diligenter attenderet, ne quid ille contrarium veritati fidei, Graecorum more, in ecclesiam, cui praeesset, introduceret. Qui subdiaconus ordinatus, quattuor expectauit menses, donec illi coma cresceret, quo in coronam tonderi posset. Habuerat enim tonsuram more orientalium sancti Pauli apostoli. Qui ordinatus est a Vitaliano papa, anno dominicae incarnationis sexcentesimo saxagesimo octauo, sub die septimo Kalendarum Aprilium dominica, & ita vna cum Adriano VI. Kalendas Iunias Britanniam missus est. Qui cum pariter per mare ad Massiliam, & deinde per terram Arelas peruenissent, & tradidissent Ioanni archiepiscopo ciuitatis illius scripta commendatitia Vitaliani pontificis, retenti sunt ab eo, quousque Ebroinus maior domus regiae, copiam pergẽdi quoquo vellent tribuit eis. Qua accepta Theodorus profectus est ad Agilbertum Parisiorum episcopum, de quo superius diximus, & ab eo benigne susceptus, & multo tempore habitus est. Adrianus vero perrexit primum ad Emmesenorum, & postea ad Faronem Meldorum episcopos, & bene cum eis diutius fuit. Coëgerat enim eos imminens hiems, vt vbicunque potuissent, quieti manerent. Quod cum nuntij certi narrassent regi Ecgberto, adesse scilicet episcopum, quem petierat a Romano antistite, in regno Francorum, misit illo cõtinuo Redfridum praefectum suum ad adducendum eum. Quo cum peruenisset, assumpsit Theodorum cum Ebroini licentia, & perduxit eum ad portum, cui nomen est Quentavvic, vbi fatigatus infirmitate aliquantisper moratus est, & cum conualescere coepisset, nauigauit Britanniam. Adrianum autem Ebroinus retinuit, quoniam suspicabatur eum habere aliquam legationem imperatoris ad Britanniae reges aduersus regnum, cuius tunc ipse maximam curam gerebat. Sed cum tale nihil illum habere vel habuisse veraciter comperisset, absoluit eum, & post Theodorum ire permisit. Qui statim vt ad illum peruenit, dedit ei monasterium beati Petri apostoli, vbi archiepiscopi Cantiae sepeliri, vt praefatus sum, solent. Praeceperat enim Theodoro abeunti dominus apostolicus, vt in dioecesi sua prouideret & daret ei locum, in quo cum suis apte degere potuisset.

CAPVT II.

PERVENIT autem Theodorus ad ecclesiam suam secundo postquam consecratus est anno, sub die sexto Kalendarum Iuniarum dominica, & fecit in ea annos viginti & vnum, menses tres, dies viginti sex. Moxque peragrata insula tota quaquauersum Anglorum gentes morabantur (nam & libentissime ab omnibus suscipiebatur atque audiebatur) rectum viuendi ordinem, ritum celebrandi paschae canonicum, per omnia comitante & cooperante Adriano disseminabat. Isque primus erat in archiepiscopis, cui omnis Anglorum ecclesia manus dare consentiret. Et quia litteris sacris simul & saecularibus, vt diximus, abundanter ambo erant instructi, congregata discipulorum caterua, scientię salutaris quotidie flumina in rigãdis eorum cordibus emanabant. Ita vt etiam metricae artis, astronomicae, & arithmeticae, ecclesiasticae disciplinam inter sacrorum apicum volumina suis auditoribus contraderent. Indicio est, quod vsque hodie supersunt de eorum discipulis, qui Latinam, Graecamque linguam aeque vt propriam in qua nati sunt, norunt. Neque vnquam prorsus, ex quo Britanniam petierunt Angli, foeliciora fuere tempora, dum & fortissimos Christianosque habentes reges cunctis barbaris nationibus essent terrori, & omnium vota ad nuper audita coelestis regni gaudia penderent. Et quicunque lectionibus sacris cuperent erudiri, haberent in promptu magistros qui docerent. Sed & sonos cantandi in ecclesia, quos eatenus in Cantia tantum nouerant, ab hoc tempore per omnes Anglorũ ecclesias discere coeperunt. Primusque, excepto Iacobo, de quo supra diximus, cantandi magister Nordan-Humbrorum ecclesiis Eddi cognomento Stephanus fuit inuitatus de Cantia a reuerendissimo viro Vilfrido, qui primus inter episcopos, qui de Anglorum gente essent,

catholi-

catholicum viuendi morem ecclesiis Anglorum tradere didicit. Itaque Theodorus perlustrans vniuersa, ordinabat locis oportunis episcopos, & ea quæ minus perfecta reperit, his quoque iuuantibus corrigebat. In quibus & Ceadda episcopum cum argueret, non fuisse rite consecratum; respondens ipse voce humillima: Si me, inquit, nosti episcopatum non rite suscepisse, libenter ab officio discedo. Quippe qui neque me vnquam hoc esse dignum arbitrabar, sed obedientiæ causa iussus subire hoc quamuis indignus, consensi. At ille audiens humilitatem responsionis eius, dixit: Non eum episcopatum dimittere debere, sed ipse ordinationem eius denuo catholica ratione consummauit. Eo autem tempore quo defuncto Deusdedit, Dorouernensis ecclesiæ episcopus quærebatur, ordinabatur, mittebatur. Vilfridus quoque de Britannia Galliam ordinandus est missus. Et quoniam ante Theodorum rediit ipse etiam in Cantia, presbyteros & diaconos vsque dum archiepiscopus ad sedem suam perueniret, ordinabat. At ipse veniens mox in ciuitate Rhosi, vbi defuncto Damiano, episcopatus iam diu cessauerat, ordinauit virum magis ecclesiasticis disciplinis institutum, & vitæ simplicitate contentum, quam in sæculi rebus strenuum, cui nomen erat Putta, maxime autem modulandi in ecclesia more Romanorum, quem a discipulis beati papæ Gregorij didicerat, peritum.

CAPVT III.

Eo tempore prouinciæ Merciorum rex Vulfhere præfuit, qui cum mortuo Iarumanno sibiquoque suisque a Theodoro episcopum dari peteret, non eis nouum voluit ordinare episcopum, sed postulauit a rege Osuiu, vt illis episcopus Ceadda daretur. Qui tunc in monasterio suo, quod est in Lestinge, quietam vitam agebat, Vilfrido administrante episcopatum Eboracensis ecclesiæ, nec non & omnium NordanHumbrorum, sed & Pictorum, quousque rex Osuiu imperium protēdere poterat. Et quia moris erat eidē reuerendissimo antistiti opus euangelij magis ambulando per loca, quam equitando perficere, iussit eum Theodorus, vbicunque longius iter instaret, equitare; multumq; renitētem studio & amore pii laboris, ipse eū manu sua leuauit in equum, quia nimirum sanctum esse virum comperiit, atque equo vehi quo esset necesse compulit. Susceptum itaque episcopatū gentis Merciorum simul & Lindissarorū Ceadda iuxta exempla patrum antiquorum, in magna vitæ perfectione administrare curauit. Cui etiam rex Vulfhere donauit terram quinquaginta familiarum, ad construendum monasterium in loco qui dicitur *Aidbarue*, id est, ad nemus in prouincia Lindissi in quo vsque hodie instituta ab ipso regularis vitæ vestigia permanent. Habuit autem sedem episcopalem, in loco qui vocatur Licidfelth, in quo & defunctus ac sepultus est, vbi vsque hodie sequentium quoque prouinciæ illius episcoporū sedes est. Fecerat vero sibi mansionem non longe ab ecclesia remotiorem, in qua secretius cum paucis, id est, septem siue octo fratribus quoties a labore & ministerio verbi vacabat, orare ac legere solebat. Qui cum in illa prouincia duobus annis ac dimidio ecclesiam gloriosissime rexisset, adfuit, superno dispensante iudicio, tempus de quo loquitur Ecclesiastes: Quia tempus mittendi lapides & tempus colligendi. Superuenit namque clades diuinitus missa, quæ per mortem carnis viuos ecclesiæ lapides, de terrenis sedibus ad ædificium cœleste transferret. Cumque plurimis de ecclesia eiusdem reuerendissimi antistitis de carne subtractis, veniret hora ipsius, vt transiret ex hoc mundo ad dominum; contigit die quadam, vt in præfata mansione forte ipse cum vno tantum fratre, cui vocabulum erat Ovvini, commoraretur, ceteris eius sociis pro causa oportuna ad ecclesiam reuersis. Erat autem idem Ovvini monachus magni meriti & pura intentione supernæ retributionis mundum derelinquens, dignusque per omnia, cui dominus specialiter sua reuelaret arcana, dignus cui fidem narranti audientes accommodarent. Venerat enim cum regina Edildride de prouincia orientalium Anglorum, eratque primus ministrorum, & princeps domus eius. Qui cum crescente fidei feruore sæculo abrenunciare disponeret, non hoc segniter fecit, sed adeo se mundi rebus exuit, vt relictis omnibus quæ habebat, simplici tantum habitu indutus, & securim, atq; asciam in manu ferens, veniret ad monasterium eiusdem reuerendissimi patris, quod vocatur

Lestingē. Non enim ad otium, vt quidam, sed ad laborē se monasterium intrare signabat; quod ipsum etiam facto monstrauit: nam quo minus sufficiebat meditationi scripturarum, eo amplius operi manuum studium impendebat. Denique cum episcopo in præfata mansione pro suæ reuerentia deuotionis inter fratres habitus: cum illi intus lectioni vacabant, ipse foris, quæ opus esse videbantur, operabatur. Qui cum die quadam tale aliquid foris ageret, digressis ad ecclesiam sociis, vt dicere cœperam, & episcopus solus in oratorio loci lectioni vel orationi operam daret, audiuit repente, vt postea referebat, vocem suauissimam cantantium atque lætantium de cœlo ad terras vsque descendere: quam videlicet vocem ab Euro austro, id est, ab alto brumalis exortam, primo se audisse dicebat, ac deinde paulatim eam sibi appropriare, donec ad tectum vsque oratorij, in quo erat episcopus, perueniret, quod ingressa totum impleuit atque in gyro circumdedit. At ille dum solicitus in ea quæ audiebat animum intenderet, audiuit denuo, transacto quasi dimidio horę spatio, ascendere de tecto eiusdem oratorij idem lætitiæ canticum, & ipsa qua venerat via ad cœlos vsque cum ineffabili dulcedine reuerti. Qui cum aliquantulum ore quasi attonitus maneret, & quid hoc esset solerti animo scrutaretur, aperuit episcopus fenestram oratorij, & sonitum manu faciens, vt sæpius consueuerat, si quis foris esset ad se intrare præcepit. Introiuit ille concitus. Cui dixit antistes: Vade cito ad ecclesiam, & hos septem fratres huc venire facito; tu quoque simul adesto. Qui cum venissent, primo admonuit eos, vt virtutem dilectionis & pacis ad inuicem & ad omnes fideles seruarent. Instituta quoque disciplinæ regularis, quæ vel ab ipso didicissent, & in ipso vidissent, vel in patrum præcedentium factis siue dictis inuenissent, indefessa instantia sequerentur. Deinde subiunxit, diem sui obitus iam proxime instare. Namque hospes, inquit, ille amabilis, qui fratres nostros visitare solebat, ad me quoque hodie venire, meque de sæculo euocare dignatus est. Propter quod reuertentes ad ecclesiam, dicite fratribus vt & meum exitum Domino precibus commendent, & suum quoque exitum (cuius hora incerta est) vigiliis, orationibus, bonis operibus præuenire meminerint. Cumque hæc & huiusmodi plura loqueretur, atque illi percepta eius benedictione iam multum tristes exissent, rediit ipse solus qui carmen cœleste audierat, & prosternens se in terram, Obsecro, inquit, pater licet ne aliquid interrogare? Interroga, inquit, quod vis. At ille: Obsecro, inquit, vt dicas quod erat canticum illud lætantium, quod audiui venientium de cœlis super oratorium hoc, & post tempus redeuntium ad cœlos? Respondit ille: Si vocem carminis audisti, & cœlestes superuenire cœtus cognouisti, præcipio tibi in nomine Domini ne hoc cuiquam ante meum obitum dicas. Reuera autem angelorum fuere spiritus, qui me ad cœlestia, quæ semper amabam ac desiderabam, præmia, vocare venerunt; & post dies septem se redituros, ac me secum adducturos esse promiserunt. Quod quidem, ita vt ei prædictum erat, opere completum est. Nam confestim languore corporis tactus est, & hoc per dies ingrauescente, septimo (vt promissum ei fuerat) die, postquam obitum suum Dominici corporis, & sanguinis perceptione muniuit, soluta ab ergastulo corporis anima sancta ducētibus, vt credi fas est, angelis comitibus æterna gaudia petiuit. Non autem mirū, si diem mortis vel potius diem Domini lętus aspexit, quē semper, vsque dum veniret, solicitus expectare curauit. Namq; inter plura continentiæ, humilitatis, doctrinę, orationis, voluntariæ paupertatis, & ceterarum virtutum merita, in tantū erat timori Domini subditus, in tantū nouissimorū suorū in omnibus operibus suis memor, vt sicut mihi quidā frater, de iis qui me in scripturis diuinis erudiebant, & erat in monasterio ac magisterio illius educatus vocabulo Trumbert, referre solebat, si forte legēte eo vel aliud quid agente, repēte flatus venti maior assurgeret, continuo misericordiam domini inuocaret, & eam generi humano propiciari rogaret. Si autem violētior aura insisteret, iam clauso codice procideret in faciem, atq; obnixius orationi incumberet. At si procella fortior aut nimbus perurgeret, vel etiam corusci ac tonitrua terras & aëra terrerent, tunc veniens ad ecclesiam sollicitus orationibus ac psalmis, donec serenitas aëris rediret, fixa mente vacaret. Cumq; interrogaretur a suis, quare hoc faceret: respondebat: non legistis, Quia intonuit de cœlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam. Misit sagittas suas, &

dissipauit eos: fulgura multiplicauit, & conturbauit eos. Mouet enim aëra Dominus ventos excitat, iaculatur fulgura, de cœlo intonat, vt terrigenas ad timendum se suscitet, vt corda eorum in memoriam futuri iudicij reuocet, vt superbiam eorum dissipet, & conturbet audaciam, reducto ad mentem tremendo illo tempore, quando ipse cœlis ac terris ardentibus venturus est in nubibus in potestate magna ac maiestate, ad iudicandos viuos & mortuos. Propter quod, inquit, oportet nos admonitioni eius cœlesti debito cum timore & amore respondere, vt quotiens aëre commoto, manū quasi ad feriendum minitans erexerit, nec adhuc tamen percutit, mox imploremus eius misericordiam, & discussis penetralibus cordis nostri, atque expurgatis vitiorum ruderibus, solliciti ne vnquam percuti mereamur, agamus. Conuenit autem reuelationi & relationi præfati fratris de obitu huius antistitis, etiam sermo reuerendissimi patris Ecgberti, de quo supra diximus, qui dudum cum eodem Ceadda adolescente, & ipse adolescens in Hibernia monachicam in orationibus & continentia & meditatione diuinarum scripturarum vitam sedulus agebat. Sed illo postmodum patriam reuerso, ipse peregrinus pro Domino vsque ad finem vitę permansit. Cum ergo veniret ad eum longo post tempore gratia visitationis de Britannia vir sanctissimus & continentissimus vocabulo Higbald, qui erat abbas in prouincia Lindissi, & vt sanctos decebat, de vita patrum priorum sermonem facerent, atque hanc æmulari gauderent, interuenit mentio reuerendissimi antistitis Ceadda. Dixitque Ecgbert: Scio hominem in hac insula adhuc in carne manentem, qui quum vir ille de mundo transiret, vidit animam Ceddi fratris ipsius cum agmine angelorum descendentium de cœlo, & assumpta secum anima eius ad cœlestia regna redire. Quod vtrum de se, an de alio aliquo diceret, nobis manet incertum: dum tamen hoc tantus vir dixit, quia verum sit, esse non possit incertum. Obiit autem Ceadda sexto die nonarum Martiarum, & sepultus est primo quidem iuxta ecclesiam sanctæ Mariæ, sed postmodum ibidem constructa ecclesia beatissimi principis apostolorum Petri, in eandem sunt eius ossa translata. In quo vtroque loco ad indicium virtutis illius solent crebra sanitatum miracula operari. Denique nuper phreneticus quidam, dum per cuncta errando discurreret, deuenit ibi vespere, nescientibus siue non curantibus loci custodibus, & ibi tota nocte requiescens, mane sanato sensu egressus, mirantibus & gaudentibus cunctis, quod idem ibi sanitatem domino largiente consequeretur, ostendit. Est autem locus sepulcri tumba lignea in modum domunculæ facta coopertus, habens foramen in pariete, per quod solent hi, qui causa deuotionis illo adueniunt, manum suam immittere, ac partem pulueris inde assumere. Quam cum in aquas miserint, atque has infirmantibus iumentis siue hominibus gustandas dederint, mox infirmitatis ablata molestia ad cupitę sospitatis gaudia redibunt. In cuius locum ordinauit Theodorus Vuinfridum virum bonum & modestum, qui sicut prædecessores eius prouinciis Merciorum & Mediterraneorum Anglorum & Lindisfarorum episcopatus officio præesset. In quibus cunctis Vulfhere (qui adhuc supererat) sceptrum regni tenebat. Erat autem Vuinfrid de clero eius cui ipse successerat antistitis, & diaconatus officio sub eo non pauco tempore fungebatur.

CAPVT IIII.

Interea Colmanus, qui de Scotia erat episcopus, relinquens Britanniam, tulit secum omnes quos in Lindisfarnensium insula congregauerat Scotos: sed & de gente Anglorum viros circiter triginta, qui vtrique monachicæ conuersationis erant studiis imbuti. Et relictis in ecclesia sua aliquot fratribus, primo venit ad insulam Hu, vnde erat ad prædicandum verbum Dei Anglorum genti destinatus. Deinde secessit ad insulam quandā paruam, quæ ad occidentalem plagam ab Hibernia procul secreta sermone Scotico *Inhisbouinde*, id est, insula vitulæ albæ nuncupatur. In hanc ergo perueniens construxit monasterium, & monachos inibi, quos de vtraque natione collectos adduxerat, collocauit. Qui cum inuicem concordare non possent, eo quod Scoti tempore æstatis quo fruges erant colligendæ, relicto monasterio per nota sibi loca dispersi vagarentur; at vero hieme succedente redirent, & his quæ Angli præparauerant,

communiter vti desiderabant, quæsiuit Colman huic dissensioni remedium, & circuiens omnia prope vel longe, inuenit locum in Hibernia insula aptum monasterio construendo, qui lingua Scotorũ *Mageo* nominatur. Emitque partem eius non grandem ad construendum ibi monasterium a comite ad cuius possessionem pertinebat, ea conditione addita, vt pro ipso etiam, qui eis locum commodaret, consistentes ibi monachi Domino preces offerrent. Et constructo statim monasterio, iuuante etiam comite & vicinis omnibus, Anglos ibidem collocauit, relictis in præfata insula Scotis. Quod videlicet monasterium vsque hodie ab Anglis tenetur incolis: ipsum namque est quod nunc grande de modico effectum *Iniugeo* consuete vocatur. Et conuersis iam dudum ad meliora instituta omnibus, egregium examen continet monachorum, qui de prouincia Anglorum ibidem collecti, ad exemplum venerabilium patrum sub regula & abbate canonico in magna continentia & sinceritate proprio labore manuum viuunt.

CAPVT V.

Anno dominicæ incarnationis sexcentesimo septuagesimo, qui est annus secundus ex quo Britanniam venit Theodorus, Osuiu rex NordanHumbrorum pressus est infirmitate qua & mortuus est, anno ætatis suæ LVIII. Qui in tantum eo tempore tenebatur amore Romanæ & apostolicæ institutionis, vt si ab infirmitate saluaretur, etiam Romam venire, ibique ad loca sancta vitam finire disponeret, Vilfridumque episcopum ducem sibi itineris fieri, promissa non parua pecuniarum donatione, rogaret. Qui defunctus quintodecimo Kalendarum Martiarum Ecgfridum filium regni heredem reliquit. Cuius anno regni tertio Theodorus cogit concilium episcoporum, vna cum eis, qui canonica patrum statuta diligerent & nossent, magistris ecclesiæ pluribus. Quibus pariter congregatis, diligenter ea quæ vnitati pacis ecclesiasticæ congruerent, eo quo Pontificem decebat animo, cœpit obseruanda docere. Cuius synodicæ actionis huiusmodi textus est:

In nomine domini Dei & saluatoris nostri Iesu Christi, regnante in perpetuum ac gubernante ecclesiam suam eodem domino Iesu Christo, placuit conuenire nos iuxta morem canonum venerabilium tractaturos de necessariis ecclesiæ negotiis. Conuenimus autem die XXIIII. mensis Septembris, indictione prima, in loco qui dicitur Herudfrod. Ego quidem Theodorus, quamuis indignus, ab apostolica sede destinatus Dorouernensis ecclesiæ episcopus, & consacerdos ac frater noster reuerendissimus Bisi orientalium Anglorum episcopus, quibus etiam frater & consacerdos noster Vilfrid NordanHumbrorum gentis episcopus per proprios legatarios affuit. affuerunt & fratres ac consacerdotes nostri Putta episcopus Castelli Cantuariorum, quod dicitur Rhofesceastir, Leutherius episcopus occdientalium Saxonum, Vinfrid episcopus prouinciæ Merciorum. Cumque in vnum conuenientes iuxta ordinem quique suum resedissemus: Rogo, inquam, dilectissimi fratres, propter timorem & amorem redemptoris nostri, vt in commune omnes pro nostra fide tractemus, vt quæque decreta ac diffinita sunt a sanctis ac probabilibus patribus, incorrupta ab omnibus nobis seruẽtur. Hæc & alia quamplura, quæ ad caritatem pertinebant vnitatemque ecclesiæ conseruandam, prosecutus sum. Cumque explessem prolocutionẽ, interrogaui vnumquemque eorum per ordinem, si consentirent, ea quę a patribus canonice sunt antiquitus decreta, custodire. Ad quod omnes consacerdotes nostri respondentes dixerunt: Optime omnibus placet, quæque definierunt sanctorum canones patrum, nos quoque omnes alacri animo libentissime seruare. Quibus statim protuli eundem librum canonum, & ex eodem libro decem capitula, quæ per loca notaueram: quia maxime nobis necessaria sciebam, illis coram ostendi, & vt hæc diligentius ab omnibus susciperentur, rogaui. Primum capitulum, vt sanctum diem paschæ in commune omnes seruemus dominica post decimamquartam lunam primi mensis. Secundum, vt nullus episcoporum parœciam alterius inuadat, sed contentus sit gubernatione creditæ sibi plebis. Tertium, vt quæque monasteria Deo consecrata, nulli episcoporum liceat ea in aliquo inquietare, nec quicquam de eorum rebus violenter abstrahere. Quartum, vt

episcopi

episcopi monachi non migrent de loco ad locum, hoc est, de monasterio ad monasterium, nisi per dimissionem proprij abbatis, sed in ea permaneant obedientia, quam tẽpore suæ conuersionis promiserunt. Quintum, vt nullus clericorum relinquẽs proprium episcopum, passim quolibet discurrat, neque alicubi veniens absque commendatitiis litteris sui præsulis suscipiatur. Quod si semel susceptus est, & noluerit inuitatus redire, & susceptor, & is qui susceptus est excõmunicationi subiacebit. Sextum, vt episcopi atque clerici peregrini contenti sint hospitalitatis munere oblato, nullique eorum liceat vllum officium sacerdotale absque permissu episcopi, in cuius parœcia esse cognoscitur, agere. Septimum, vt bis in anno synodus congregetur: sed quia diuersæ causæ impediunt, placuit omnibus in commune, vt Kalendis Augusti in loco qui appellatur *Clofeshoo* semel in anno congregetur. Octauum, vt nullus episcoporum se præferat alteri per ambitionem, sed omnes agnoscant tempus & ordinem consecrationis suæ. Nonũ capitulum in commune tractatum est, vt plures episcopi crescente numero fideliũ augerentur. sed de hac re ad pręsens silemus. Decimum pro coniugiis, vt nulli liceat nisi legitimum habere connubium. Nullus incestum faciat, nullus coniugem propriam, nisi, vt sanctum euangelium docet, fornicationis causa relinquat. Quod si quisquam propriam expulerit coniugem legitimo sibi matrimonio coniũctam, si Christianus esse recte voluerit, nulli alteri copuletur: sed ita permaneat, aut propriæ reconcilietur coniugi. His itaque capitulis in commune tractatis ac diffinitis, vt nullum deinceps ab aliquo nostrum oriatur contentionis scandalum, aut alia pro aliis diuulgarentur, placuit vt quæque diffinita sunt, vnusquisque nostrum manus propriæ subscriptione confirmaret. Quam sententiam diffinitionis nostræ Titillo notario scribendam dictaui. actum in mense & indictione supra scriptis. Quisquis igitur contra hanc sententiam iuxta decreta canonum, nostra etiam consensione ac subscriptione manus nostræ confirmatam, quoquo modo venire, eamque infringere tentauerit, nouerit se ab omni officio sacerdotali & nostra societate separatum. Diuina nos gratia in vnitate sanctæ ecclesiæ suæ viuentes custodiat incolumes.

Facta autem est hæc synodus anno ab incarnatione Domini sexcentesimo septuagesimo tertio, quo anno rex Cantuariorum Ecgbert mense Iulio obierat, succedente in regnum fratre Lothere, quod ipse annos vndecim & menses septem tenuit. Bisi autem episcopus oriẽtalium Anglorum, qui in præfata synodo fuisse perhibetur, ipse erat successor Bonifacij cuius supra meminimus, vir multæ sanctitatis & religionis. Nam Bonifacio post decem & septem annos episcopatus sui defuncto, episcopus pro eo, Theodoro ordinante, factus est. Quo adhuc superstite, sed grauissima infirmitate ab administrando episcopatu prohibito, duo sunt pro illo Ecci & Badvvini electi & consecrati episcopi: ex quo vsque hodie prouincia illa duos habere solet episcopos.

CAPVT VI.

NON multo post hęc elapso tẽpore offensus a Vinfrido Merciorũ episcopo per meritum cuiusdã inobedientiæ Theodorus archiepiscopus deposuit eum de episcopatu, post annos accepti episcopatus non multos, & in loco eius ordinauit episcopũ Sexvvlfum, qui erat constructor & abbas monasterij, quod dicitur Medeshãstedi in regione Giruiorum. Depositus vero Vinfridus rediit ad monasterium suum, quod dicitur Aidbarne, ibiq; in optima cõuersatione vitam finiuit. Tunc etiam oriẽtalibus Saxonibus, quibus eo tẽpore præfuerunt Sebbe & Sighere, quorũ supra meminimus, Earconuald cõstituit episcopũ in ciuitate Lundonia. Cuius videlicet viri in episcopatu & ante episcopatum vita & conuersatio fertur fuisse sanctissima, sicut etiam nunc cœlestiũ signa virtutum indicio sunt. Etenim vsque hodie feretrum eius caballarium, quo infirmus vehi solebat, seruatum a discipulis eius, multos febricitantes, vel alio quolibet incommodo fessos sanare non desistit. Non solum autem suppositi eidem feretro vel appositi curantur ægroti, sed & astulæ de illo abscisæ atque ad infirmos allatæ, citam illis solent afferre medelam. Hic sane priusquam episcopus factus esset, duo præclara monasteria vnum sibi, alterum sorori suæ Edilbergæ construxerat, quod vtrumque regularibus disciplinis optime instituerat. Sibi quidem in regione Sudergeona, iuxta fluuium

Tamensem, in loco qui vocatur *Cerotaesei*, id est Ceroti insula. Sorori autem in orientalium Saxonum prouincia, in loco qui nuncupatur in Berecingum, in quo ipsa Deo deuotarum mater ac nutrix posset existere foeminarum. Quae suscepto regimine monasterij condignam se in omnibus episcopo fratre, & ipsa recte viuendo & subiectis regulariter ac pie consulendo praebuit, vt etiam coelestia indicio fuere miracula.

CAPVT VII.

In hoc etenim monasterio plura virtutum sunt signa patrata, quę & ad memoriam aedificationemque sequentium ab his qui nouere, descripta habentur a multis. E quibus & nos aliqua historiae nostrae ecclesiasticae inserere curauimus. Cum tempestas saepe dictę cladis late cuncta depopulans, etiam partem monasterij huius illam, qua viri tenebantur, inuasisset, & passim quotidie raperentur ad Dominum, solicita mater congregationis, qua hora etiam eam monasterij partem, qua ancillarum Dei caterua a virorum erat secreta contubernio, eadem plaga tangeret, crebrius in conuentu sororum perquirere coepit, quo loco in monasterio corpora sua poni, & coemeterium fieri vellent, cum eas eodem quo ceteros exterminio raptari e mundo contingeret. Cũque nil certi responsi, tametsi saepius inquirens, a sororibus accepisset, accepit ipsa cum omnibus certissimum supernae prouisionis responsum. Cum enim nocte quadam, expletis matutinae laudis psalmodiis, egressae de oratorio famulae Christi ad sepulcra fratrum, qui eas ex hac luce praecesserant, solitas domino laudes decantarent, ecce subito lux emissa coelitus, veluti linteum magnum, venit super omnes, tantoq; eas stupore perculit, vt etiam canticum quod canebant tremefactae intermitterent. Ipse autem splendor emissae lucis, in cuius comparatione sol meridianus videri posset obscurus; nõ multo post illo eleuatus de loco in meridianam monasterij partem, hoc est, ad occidẽtem oratorij secessit, ibique aliquãmdiu remoratus, & ea loca operiens, sic videntibus cunctis ad coeli se alta subduxit, vt nulli esset dubiũ, quin ipsa lux quae animas famularum Christi esset ductura vel susceptura in coelis, etiam corporibus earum locum, in quo requietura, & diem resurrectionis essent expectatura, monstraret. Cuius radius lucis tãtus extitit, vt quidam de fratribus senior, qui in ipsa hora in oratorio eorum cum alio iuniore positus fuerat, referret, quod mane ingressi per rimas ostiorum vel fenestrarum radij lucis, omnem diurni luminis viderentur superare fulgorem.

CAPVT VIII.

Erat in eodem monasterio puer trium circiter non amplius annorum, Esica nomine, qui propter infantilem adhuc aetatem in virginum Deo dedicatarum solebat cella nutriri, ibique meditari. Hic praefata pestilentia tactus, vbi ad extrema peruenit, clamauit ter vnam de cõsecratis Christi virginibus proprio eam nomine quasi pręsentem alloquens: Eadgit Eadgit Eadgit. & sic terminans temporalem vitam intrauit aeternam. At virgo illa quam moriens vocabat, mox in loco quo erat eadem attacta infirmitate, ipso quo vocata est die de hac luce subtracta, & illum qui se vocauit ad regnum coeleste secuta est. Item quaedam ex iisdem ancillis Dei cum praefato tacta morbo atque ad extrema esset perducta, coepit subito circa mediam noctem clamare his qui sibi ministrabant, petens vt lucernam quae inibi accensa erat, extinguerent. Quod cum frequenti voce repeteret, nec tamen ei aliquis obtemperaret, ad extremum intulit: Scio quod me haec insana mente loqui arbitramini, sed iam nunc non ita esse cognoscite. Nam vere dico vobis, quod domum hanc tanta luce impletam esse perspicio, vt vestra illa lucerna mihi omnimodis esse videatur obscura. Et quum ne adhuc quidem illi talia loquenti quisquam responderet, vel assensum praeberet, iterum dixit; accendite ergo lucernam illam quamdiu vultis. Attamen scitote, quia non est mea lux. nam mea lux, incipiente aurora mihi aduentura est. Coepitque narrare quia apparuerit sibi vir Dei quidam, qui eodem anno fuerat defunctus, dicens, quod adueniente diluculo perennem esset exitura ad lucem. Cuius veritas visionis ita circa exortum diei, puellae morte probata est.

CAPVT IX.

CVM autem & ipsa mater pia Deo deuotæ congregationis Edilburga esset rapienda de mūdo, apparuit visio mirāda cuidam de sororibus, cui nomen erat Thorithgid, quæ multis iam annis in eodem monasterio commorata, & ipsa semper in omni humilitate ac sinceritate Deo seruire satagebat, & adiutrix disciplinæ regularis eidem matri existere, minores docendo vel castigando curabat. Cuius vt virtus iuxta apostolum in infirmitate perficeretur, tacta est repente grauissimo corporis morbo, & per annos nouem pia redemptoris nostri prouisione multum fatigata, videlicet vt quicquid in ea vitij sordidantis inter virtutes per ignorātiam vel incuriam resedisset, totum hoc caminus diutinæ tribulationis excoqueret. Hæc autem quadam nocte, incipiente crepusculo, egressa de cubiculo quo manebat, vidit manifeste quasi corpus hominis, quod esset sole clarius sindone inuolutum in sublime ferri, elatum videlicet de domo in qua sorores pausare solebant. Cumque diligentius intueretur quo trahente leuaretur sursum, hæc quam contemplabatur species corporis gloriosi, vidit quod quasi funibus auro clarioribus in superna tolleretur, donec cœlis patentibus introducta amplius ab illa videri non potuit. Nec dubium remansit cogitanti de visione, quin aliquis de illa congregatione citius esset moriturus, cuius anima per bona quæ fecisset opera quasi per funes aureos leuanda esset ad cœlos. Quod reuera ita contigit. Nam non multis interpositis diebus Deo dilecta mater congregationis ipsius ergastulo carnis educta est; cuius talem fuisse cōstat vitam, vt nemo, qui eam nouerit, dubitare debeat, quin ei exeūti de hac vita, cœlestis patriæ patuerit ingressus. In eodem quoque monasterio quædam erat fœmina sanctimonialis, & ad sæculi huius dignitatem nobilis, & in amore futuri sæculi nobilior, quæ ita multis iam annis omni corporis fuerat officio destituta, vt ne vnum quidem mouere ipsa membrum valeret. Hæc vbi corpus abbatissæ venerabilis in ecclesiam delatum, donec sepulturæ daretur, cognouit; postulauit se illo afferri, & in modum orantium ad illud adclinari. Quod dum fieret, quasi viuentem allocuta rogauit, vt apud misericordiam pij conditoris impetraret, se a tantis tamque diutinis cruciatibus absolui, nec multo tardius exaudita est: nam post dies duodecim & ipsa educta ex carne temporales afflictiones æterna mercede mutauit. Cum vero præfata Christi famula Thorithgid tres adhuc annos post obitum Domini in hac vita teneretur intantum ea, quam prædiximus, infirmitate decocta est, vt vix ossibus hæreret, & ad vltimum cum tempus iam resolutionis eius instaret, non solum membrorum cæterorum, sed & linguæ motu caruit. Quod dum tribus diebus ac totidem noctibus ageretur, subito visione spiritali recreata os & oculos aperuit, aspiciensque in cœlum sic ad eam quam intuebatur visionem cœpit loqui: Gratus est mihi multum aduentus tuus, & bene venisti. Et hoc dicto parumper reticuit, quasi responsum eius quem videbat, & cui loquebatur, expectans. Rursumque quasi leuiter indignata subiunxit: Nequaquam hoc læta ferre queo. Rursumque modicum silens tertio dixit: Si nullatenus hodie fieri potest, obsecro ne sit longum spatium in medio. Et sicut antea parum silens, ita sermonem conclusit: Si omnimodis ita definitum est, neq; hanc sententiam licet immutari, obsecro ne amplius quam hæc solummodo proxima nox intersit. Quibus dictis interrogata a circumsedentibus, cum quo loqueretur: Cum carissima, inquit, mea matre Edilburga. Ex quo intellexere, quod ipsa ei tempus transmigrationis suæ proximum nuntiare venisset. Nam & ita vt rogabat, transacta vna die ac nocte soluta carnis simul & infirmitatis vinculis ad æternæ gaudia salutis intrauit.

CAPVT X.

SVCCESSIT autem Edilburgi in officio abbatissæ deuota Deo famula, nomine Hildilhid, multisque annis, id est, vsq; ad vltimam senectutem, eidem monasterio strenuissime, & in obseruantia disciplinæ regularis, & in earum quæ ad communes vsus pertinent rerum prouidentia, præfuit. Cui quum propter angustiam loci, in quo monasterium constructum est, placuisset vt ossa famulorum famularumque Christi, quæ ibidem fuerant tumulata, tollerentur & transferrentur omnia in ecclesiam beatæ Dei genetricis, vnoque conderentur in loco: quotiens ibi claritas luminis cælestis, quanta

sæpe flagrantia mirandi apparuerit odoris, quæ alia sint signa ostensa, in ipso libro de quo excerpsimus hæc, quisquis legerit, inueniet. Sane nullatenus prætereundum arbitror miraculum sanitatis, quod ad ipsum cœmeterium Deo dicatæ congregationis factum idem libellus refert. Erat quippe in proximo comes quidã, cuius vxor ingruente oculis caligine subito tantum per dies eadem molestia crebrescente grauata est, vt ne minimam quidem lucis alicuius posset particulam videre. Cui dum aliquãdiu cæcitatis huius nocte clausa maneret, repente venit in mentem, quia si ad monasterium delata virginum sanctimonialium ad reliquias sanctorum peteret, perditam posset recipere lucem. Nec distulit quin continuo quod mente conceperat, expleret. Perducta namque a puellis suis in monasterium (quia in proximo erat) vbi fidem suæ sanationis integram se habere professa est, introducta est in cœmeterium. Et cum ibidem diutius flexis genibus oraret, nihilo tardius meruit exaudiri. Nam exurgens ab oratione priusquam exiret de loco, petitæ lucis gratiam recepit, & quæ famularum manibus adducta fuerat, ipsa libero pedum incessu domum læta reuersa est: quasi ad hoc solummodo lucem amitteret temporalem, vt quanta sanctos Christi lux in cælis, quæ gratia virtutis possideret, sua sanatione demonstraret.

CAPVT XI.

Eo tempore præerat regno orientalium Saxonum, vt idem etiam libellus docet, vir multum Deo deuotus nomine Sebbi, cuius supra meminimus. Erat enim religiosis actibus, crebris precibus piis eleemosynarum fructibus plurimum intentus, vitam priuatam & monachicam cunctis regni diuitiis & honoribus præferens, quam & olim iam, si non obstinatus coniugis animus diuortium negaret, relicto regno, subiisset. Vnde & multis visum (vt sæpe dictum est) quia talis animi virum, episcopum magis quam regem ordinari deceret. Cumque annos triginta in regno, miles regni cœlestis exegisset, correptus est corporis infirmitate permaxima, qua & mortuus est. Admonuitque coniugem, vt vel tunc diuino se seruitio pariter manciparent: cum amplius pariter mundum amplecti, vel potius mundo seruire non possent. Quod dum ægre impetraret ab ea, venit ad antistitem Lundoniæ ciuitatis, vocabulo Valdhere, qui Erconualdo successerat, & per eius benedictionem habitum religionis, quem diu desiderarat, accepit. Attulit autem eidem & summam pecuniæ non paruam pauperibus erogandam, nil omnimodis sibi reseruans, sed pauper spiritu magis propter regnum cœlorum manere desiderans. Qui cum ingrauescente præfata ægritudine diem sibi mortis imminere sensisset, timere cœpit homo animi regalis ne ad mortem veniens, tãto affectus dolore, aliquid indignum suæ personæ vel ore proferret vel aliorum motu gereret membrorum. Vnde accito ad se præfatæ vrbis Lundoniæ, in qua tunc ipse manebat, episcopo, rogauit ne plures eo moriente quam ipse episcopus & duo sui ministri adessent. Quod dum episcopus libentissime se facturum promitteret, non multo post idem vir Dei, cum membra sopori dedisset, vidit visionem consolatoriam, quæ omnem ei anxietatem memoratæ solicitudinis auferret. Insuper & qua die esset hanc vitam terminaturus ostenderet. Vidit enim (vt post ipse referebat) tres ad se venisse viros claro indutos habitu, quorum vnus residens ante lectulum eius, stantibus his qui secum aduenerunt comitibus, & interrogantibus de statu eius, quem languentem visitare venerãt, dixit, quod anima eius & sine vllo dolore, & cum magno lucis splendore esset egressura de corpore. Sed & tertium exinde diem quo esset moriturus insinuauit. Quod ita vtrumque, vt visione didicit, completum est. Nam die dehinc tertio, completa hora nona, subito quasi leuiter obdormiens, sine vllo sensu doloris emisit spiritum. Cuius corpori tumulando præparauerant sarcophagum lapideum, sed cum huic corpus imponere cœpissent, inuenerunt hoc mensura palmi longius esse sarcophago. Dolantes ergo lapidem inquantum valebant, addiderunt longitudini sarcophagi quasi duorum mensuram digitorum, sed nec sic quidem corpus capiebat. Vnde facta difficultate tumulandi, cogitabant aut alium quærere loculum, aut ipsum corpus si possent in genibus inflectendo breuiare, donec ipso loculo caperetur. Sed mira res, & non nisi cœlitus facta, ne aliquid horum fieri deberet, prohibuit. Nam subito astante episcopo & filio

regia

regis eiusdem ac monacho Sighardo, qui post illum cum fratre suo Fred[illegible], & turba hominum non modica, inuentum est sarcophagum illud congruæ longitudinis ad mensuram corporis, adeo vt a parte capitis etiam ceruical posset interponi: a parte vero pedum mensura quattuor digitorum in sarcophago corpus excederet. Conditus est autem in ecclesia beati doctoris gentium, cuius edoctus monitis cœlestia sperare didicerat.

CAPVT XII.

QVARTVS occidentalium Saxonum antistes Eleutherius fuit, siquidem primus Birinus, secundus Agilbertus, tertius extitit Vini. Cumque mortuus esset Convvalch, quo regnante idem Eleutherius episcopus factus est, acceperūt subreguli regnum gentis, & diuisum inter se tenuerunt annis circiter decem. Ipsisq; regnantibus defunctus est ille, & episcopatu functus Heddi pro eo consecratus est a Theodoro in ciuitate Landonia. Cuius episcopatus tempore deuictis atq; amotis subregulis Ceadualla suscepit imperium. Et cum duobus annis hoc tenuisset, tandē superni regni amore compunctus reliquit, eodem adhuc præsule ecclesiā gubernante, ac Romā abiens, ibi vitam finiuit, vt in sequentibus latius dicendum est. Anno autem dominicæ incarnationis sexcētesimo septuagesimo septimo, cū Edilred rex Merciorū adducto maligno exercitu Cantiā vastaret, & ecclesias ac monasteria sine respectu pietatis, vel diuini timoris, fœdaret, ciuitatē quoq; Rhofi, in qua erat Putta episcopus, quāuis eo tēpore absens, communi clade absumpsit. Quod ille vbi comperit, ecclesiam videlicet suam rebus ablatis omnibus depopulatam, diuertit ad Sexvvlfum Merciorum antistitem, & accepta ab eo possessione ecclesiæ cuiusdam, & agelli non grandis, ibidem in pace vitam finiuit. Nil omnino de restaurando episcopatu suo agens, quia, sicut & supra diximus, magis in ecclesiasticis quam in mundanis rebus erat industrius. sed in illa solum ecclesia Deo seruiens, & vbicumq; rogabatur ad docenda ecclesiastica carmina diuertens. Pro quo Theodorus in ciuitate Rhofi Vvilhelmum consecrauit episcopum: sed illo post non multum temporis præ inopia rerum ab episcopatu decedente, atque ad alia loca secedente, Gebmundum pro eo substituit antistitem. Anno dominicæ incarnationis sexcentesimo septuagesimo octauo, qui est annus imperij regis Ecgfridi octauus, apparuit mense Augusto stella quæ dicitur Cometa, & tribus mensibus permanens, matutinis horis oriebatur, excelsam radiantis flammæ quasi columnam præferens. Quo etiam anno orta inter ipsum regem Ecgfridum & reuerendissimum antistitem Vilfridum dissensione, pulsus est idem antistes a sede sui episcopatus, & duo in locum eius substituti episcopi, qui NordanHumbrorum genti præessent, Bosa videlicet qui Deirorum, & Eata qui Berniciorum prouinciam gubernaret. Hic in ciuitate Eboraci, ille in Hagustaldensi siue Lindisfarnensi ecclesia cathedram habens episcopalem: ambo de monachorum collegio in episcopatus gradum adsciti. Cum quibus & Eadhedus in prouincia Lindisfarorum, quam nuperrime rex Ecgfridus superato in bello & fugato Vvlfhere obtinuerat, ordinatur episcopus: & hunc primum eadem prouincia accepit proprium præsulem, secundum Ediluinum, tertium Eadgarum, quartum Cimberthum quem in præsenti habet. Habebat enim ante Eadhedum antistitem Sexvvlfum, qui etiam Merciorum & mediterraneorum Anglorum simul episcopus fuit. Vnde & expulsus de Lindissi, in illarum prouinciarum regimine permansit. Ordinati sunt autem Eadhedus, Bosa, & Eata Eboraci ab archiepiscopo Theodoro, qui etiam post tres abscessionis Vilfridi annos, horum numero duos addidit antistites, Tumbertum ad ecclesiam Hagustaldensem, remanente Eata ad Lindisfarnensem, & Trumuini ad prouinciam Pictorum, quæ tunc temporis Anglorum erat imperio subiecta. Eadhedum de Lindissi reuersum, eo quod Edilredus prouinciam recepisset, Ripensi ecclesiæ præfecit.

CAPVT XIII.

PVLSVS est autem ab episcopatu suo Vilfridus, & multa diu loca peruagatus Romam adiit, Britanniam rediit. Et si propter inimicitias memorati regis in patriam siue

parociam suam recipi non potuit, non tamen ab euangelizandi potuit ministerio cohiberi. Siquidem diuertens ad prouinciam australium Saxonum, quæ post Cantuarios ad Austrum & ad Occidentem vsque ad occidentales Saxones pertingit, habens terram familiarum septem milium, & eo adhuc tẽpore paganis cultibus seruiebat, huic verbum fidei & lauacrum salutis ministrabat. Erat autem rex gentis illius Edilvalch non multo ante baptizatus in prouincia Merciorum, pręsente ac suggerente rege Vulfhere. A quo etiam egressus de fonte loco filij susceptus est, in cuius signum adoptionis duas illi prouincias donauit, Vectam videlicet insulam, & Meanuarorum prouinciam in gente occidentalium Saxonum. Itaq; episcopus, concedente, immo multum gaudente rege, primos prouinciæ duces ac milites sacrosancto fonte abluebat. Verũ presbyteri Eappa & Padda & Bruchelin & Oidda ceterã plebem vel tunc vel tempore sequente baptizabant. Porro regina, nomine Ebba, in sua insula, id est, Vicciorum prouincia fuerat baptizata. Erat autem filia Eãfridi fratris Eanheri, qui ambo cum suo populo Christiani fuere. Ceterũ tota prouincia australiũ Saxonum diuini nominis & fidei erat ignara. Erat autẽ ibi monachus quidã de natione Scotorũ, vocabulo Dicul, habẽs monasteriolum permodicũ in loco qui vocatur Bosanham siluis & mari circũdatum, & in eo fratres quinq; siue sex, in humili & paupere vita Domino famulantes. Sed prouincialium nullus eorum vel vitam æmulari vel prædicationem curabat audire. Euangelizans autem genti episcopus Vvilfridus, non solum eam ab ærumna perpetuæ damnationis, verum & a clade infanda temporalis interitus eripuit. Siquidem tribus annis ante aduentum eius in prouinciam nulla illis in locis pluuia ceciderat. vnde & fames acerbissima plebem inuadens impia nece prostrauit. Denique fertur, quia sæpe quadraginta simul, aut quinquaginta homines inedia macerati procederent ad præcipitium aliquod siue ripam maris, & iunctis misere manibus pariter omnes aut ruina perituri, aut fluctibus absorbendi deciderent. Verum ipsa die quo baptisma fidei gens suscepit illa, descendit pluuia serena & copiosa, refloruit terra, rediitque viridantibus aruis annus lætus & frugifer. Sicque abiecta prisca superstitione, exsufflata idololatria, cor omnium & caro omnium exultauerunt in Deum viuum, intelligentes eum, qui verus est Deus, & interioribus se bonis & exterioribus cœlesti gratia ditasse. Nam & antistes cum venisset in prouinciam, tantamque ibi famis pœnam videret, docuit eos piscando victum quærere. namque mare & flumina eorum piscibus abundabant. sed piscandi peritia genti nulla, nisi ad anguillas tantum inerat. Collectis ergo vndecumque retibus anguillaribus, homines antistites miserunt in mare, & diuina se iuuante gratia, mox cepere pisces diuersi generis trecentos. Quibus trifariam diuisis, centum pauperibus dederunt, centum his a quibus retia acceperunt, centum in suos vsus habebant. Quo beneficio multũ antistes cor omnium in suum diuertit amorem, & libentius eo prædicante cœlestia sperare cœperunt, cuius ministerio temporalia bona sumpserunt. Quo tempore rex Edilvvalch donauit reuerendissimo antistiti Vvilfrido terram octoginta septem familiarum, vbi suos homines, qui exules vagabantur, recipere posset, vocabulo *Selesen*, quod dicitur Latine Insula vituli marini. Est autem locus ille vndiq; mari circundatus præter ab occidente, vnde habet ingressum amplitudinis quasi iactus fundæ: qualis locus a Latinis peninsula, a Græcis solet Cherronesos vocari. Hunc ergo locum cũ accepisset episcopus Vvilfridus, fundauit ibi monasterium, ac regulari vita instituit, maxime ex his quos secum adduxerat fratribus, quod vsque hodie successores eius tenere noscuntur. Nam ipse illis in partibus annos quinque, id est, vsq; ad mortem Ecgfridi regis merito omnibus honorabilis, officium episcopatus & verbo exercebat & opere. Et quoniam illi rex cũ præfata loci possessione omnes quæ ibidem erant facultates cum agris & hominibus donauit, omnes fide Christi institutos vnda baptismatis abluit. Inter quos seruos & ancillas ducentos quinquaginta, quos omnes non solum baptizando a seruitute dæmonica saluauit, sed etiam libertatem donando humanæ iugo seruitutis absoluit.

CAPVT XIIII.

In quo tunc monasterio nonnulla cœlestis gratiæ dona spiritualiter ostensa fuisse

hibent; vtpote vbi nuper expulsa diaboli tyrannide Christus iam regnare cœperat. E quibus vnũ quod mihi reuerendissimus antistes Acca sæpius referre, & a fidelissimis eiusdem monasterij fratribus sibi reuelatum asserere solebat, memoriæ mandare commodum duximus. Eodem ferme tempore quo ipsa prouincia nomen Christi susceperat, multas Britanniæ prouincias mortalitas sæua corripiebat. Quæ cum præfatum quoque monasterium, cui tunc regendo reuerendissimus ac religiosissimus Christi sacerdos vocabulo Eappa præfuit, nutu diuinæ dispensationis, attingeret, multique siue de his qui cum antistite illo venerant, siue de illis qui de eadem prouincia Saxonum nuper ad fidem fuerant vocati, passim de hac vita raperentur, visum est fratribus triduanum ieiunium agere, & diuinam suppliciter obsecrare clementiam, vt misericordiam sibi dignaretur impendere, siue periclitantes hoc morbo a præsenti morte liberaret, seu raptos e mundo a perpetua animæ damnatione seruaret. Erat tunc temporis in eodem monasterio puerulus quidam de natione Saxonum, nuper vocatus ad fidem, qui eadem tactus infirmitate non pauco tempore recubans in lectulo iacebat. Cum ergo secunda memorati ieiunij ac supplicationum dies ageretur, contigit forte ipsum puerum, hora ferme secunda diei, in loco in quo æger iacebat, solum inueniri: cui diuina dispensatione subito beatissimi apostolorum principes dignati sunt apparere. Erat enim puer multum simplicis ac mansueti animi, sinceraque deuotione sacramenta fidei quæ susceperat, seruans. Salutantes ergo illum verbis piissimis apostoli, dicebant: Noli timere, fili, mortem, pro qua solicitus es: nos enim te hodierna die ad cœlestia regna sumus perducturi. Sed primum expectare habes donec missæ celebrentur, ac viatico dominici corporis ac sanguinis accepto, sic infirmitate simul & morte absolutus ad æterna in cœlis gaudia subleueris. Clama ergo ad te presbyterum Eappan, & dicito illi, quia Dominus exaudiuit preces vestras & deuotionem, ac ieiunia propitius aspexit, neque aliquis de hoc monasterio siue de adiacentibus ei possessiunculis hac clade vltra moriturus est. Sed omnes qui alicubi de vestris hac ægritudine laborant, resurrecturi a languore pristina sunt sospitate recuperandi, præter te solum, qui hodierna es die liberandus a morte, & ad visionem domini Christi, cui fideliter seruisti, perducendus in cœlum. Quod diuina vobis misericordia, per intercessionem religiosi ac Deo dilecti regis Osualdi, qui quondam genti NordanHumbrorum, & regni tẽporalis auctoritate, & Christianæ pietatis quæ ad regnum perẽne ducit, deuotione sublimiter præfuit, conferre dignata est. Hac etenim die idem rex ab infidelibus in bello corporaliter extinctus, mox ad sempiterna animarum gaudia assumptus in cœlum, & electorum est sociatus agminibus. Quærant in suis codicibus in quibus defunctorum est adnotata depositio, & inuenient illum hac, vt diximus, die raptum esse de sæculo. Celebrent ergo missas per cuncta monasterij oratoria huius, siue pro gratiarum actione exauditæ suæ deprecationis, siue etiam in memoriam præfati regis Osualdi, qui quondam ipsorum genti præerat. Ideoque pro eis quasi pro suæ gentis aduenis supplex orabat ad Dominum, & cunctis conuenientibus ad ecclesiam fratribus communicent omnes sacrificiis cœlestibus, & ita soluto ieiunio corpus quoque suis reficiant alimentis. Quæ verba cum omnia, vocato ad se presbytero, puer narrasset, interrogauit eum solicitus, quales essent habitu vel specie viri, qui sibi apparuissent. Respondit, præclari omnino habitu & vultu erant, lætissimi ac pulcerrimi, quales nunquam ante videram, neque aliquos hominum tanti decoris ac venustatis esse posse credebam. Vnus quidem attonsus erat vt clericus, alius barbam habebat prolixam. Dicebantque quod vnus eorum Petrus, alius vocaretur Paulus, & ipsi essent ministri Domini & saluatoris nostri IESV CHRISTI, ad tuitionem nostri monasterij missi ab ipso de cœlis. Credidit ergo verbis pueri presbyter, ac statim egressus requisiuit in annali suo, & inuenit eadem ipsa die Osualdum regem fuisse peremptum. Vocatisque fratribus, parare prandium, missas fieri, atque omnes communicare more solito præcepit, simul & infirmanti puero de eodem sacrificio dominicæ oblationis particulam deferri mandauit. Quibus ita gestis, non multo post eadem ipsa die puer defunctus est, suaq; morte probauit vera fuisse verba quæ ab apostolis Christi audierat. Sed & hoc verbis eius testimoniũ perhibuit, quod nemo præter

ipsum tempore illo ex eodem est monasterio raptus de mundo. Ex qua nimirum visione multi, qui hæc audire potuerunt, & ad exorandam in aduersis diuinam clementiam, & ad salutaria ieiuniorum remedia subeunda, sunt mirabiliter accensi. Et ex eo tempore non solum in eodem monasterio, sed & in plerisque locis aliis cœpit annuatim eiusdem regis ac militis Christi natalitius dies missarum celebratione venerari.

CAPVT XV.

INTEREA superueniens cum exercitu Ceadualla iuuenis strenuissimus de regio genere Geuissorum, cum exularet a patria sua, interfecit regem Edilvvalch, ac prouinciam illam sæua cæde ac depopulatione attriuit. Sed mox expulsus est a ducibus regis Berthuno & Anthuno, qui deinceps regnum prouinciæ tenuerunt. Quorum prior postea ab eodem Ceadualla, cum esset rex Geuissorũ, occisus est, & prouincia grauiore est seruitio subacta. Sed is qui post Ceaduallam regnauit, simili prouinciam illam afflictione plurimo annorum tempore mancipauit. Quare factum est, vt toto illo tempore Episcopum proprium habere nequiuerit: sed reuocato domum Vilfrido primo suo antistite, ipsi episcopo Geuissorum, id est, occidentalium Saxonum, qui essent in Venti in ciuitate, subiacerent.

CAPVT XVI.

POSTQVAM ergo Ceadualla regno potitus est Geuissorum, cœpit & insulam Vectam, quæ eatenus erat tota idololatriæ dedita, & tragica cæde omnes indigenas exterminare, ac suæ prouinciæ homines pro his substituere contendit. Voto se obligans, quamuis nondum regeneratus, vt fertur, in Christo, quia si cepisset insulam, quartam partem eius simul & prædæ Domino daret. Quod ita soluit, vt hanc Vilfrido episcopo, qui tunc forte de gente sua superueniens aderat, vtendam pro Domino offerret. Est autem mensura eiusdem insulæ iuxta æstimationem Anglorum mille ducentarum familiarum. Vnde data est episcopo possessio terræ trecentarum familiarum. At ipse partem quam accepit commendauit cuidam de clericis suis, cui nomen Bernvvini, & erat filius sororis eius, dans illi presbyterum nomine Hildila, qui omnibus qui saluari vellent verbum ac lauacrũ vitæ ministraret. Vbi silentio prætereundum non esse reor, quod in primitias eorum qui de eadem insula credendo saluati sunt, duo regij pueri fratres, videlicet Arualdi regis insulæ speciali sunt Dei gratia coronati. Si quidem imminentibus insulæ hostibus fuga lapsi sunt de insula, & in proximam Vitorum prouinciam translati. Vbi cum delati in locum qui vocatur Ad lapidem occultandos se a facie regis victoris credidissent, proditi sunt, atque occidi iussi. Quod cum audisset abbas quidam & presbyter vocabulo Cimberth habens non longe abinde monasterium in loco qui vocatur *Reodford*, id est, vadum arundinis, venit ad regem qui tunc eisdem in partibus occultus curabatur a vulneribus, quæ ei inflicta fuerant prĕlianti in insula Vecta, postulauitque ab eo vt si necesse esset pueros interfici, prius eos liceret fidei Christianæ sacramentis imbui. Concessit rex, & ipse instructos eos verbo veritatis, ac fonte salutari ablutos, de ingressu regni æterni certos reddidit. Moxque illi instante carnifice mortem læti subiere temporalem, per quam se ad vitam animæ perpetuam non dubitabant esse transituros. Hoc ergo ordine postquam omnes Britanniarum prouinciæ fidem Christi susceperant, suscepit & insula Vecta: in qua tamen ob ærumnam externæ subiectionis, nemo gradum ministerij ac sedis episcopalis ante Danielem, qui nunc occidentalium Saxonum & Geuissorum est episcopus, accepit. Sita est autem hæc insula contra medium Australium Saxonum & Geuissorum, interposito pelago latitudinis trium milium, quod vocatur Solente: in quo videlicet pelago bini æstus Oceani, qui circum Britanniam ex infinito Oceano Septentrionali erumpunt, sibimet inuicem quotidie compugnantes occurrunt, vltra ostium fluminis Homelea, quod per terras Vitorum, quæ ad regionem Geuissorum pertinent, præfatum pelagus intrat. Finitoque conflictu in Oceanum refusi vnde venerant redeunt.

CAPVT XVII.

His temporibus audiens Theodorus fidem ecclesiæ Constantinopoli per hęresim Eutychetis multum esse turbatam, & ecclesias Anglorũ quibus præerat, ab huiusmodi labe immunes perdurare desiderans; collecto venerabilium sacerdotum doctorumque plurimorum coetu, cuius essent fidei singuli sedulus inquirebat, omniumque vnanimen in fide catholica reperit consensum. & hunc synodalibus litteris ad instructionem memoriamque sequentium commendare curauit; quarum videlicet litterarum istud exordium est. In nomine domini Iesu Christi saluatoris, imperantibus dominis piissimis nostris Ecgfrido rege Humbronensium, anno decimo regni eius, sub die quintadecima Kalendarum Octobris, indictione octaua; & Edilredo rege Mercinensium, anno sexto regni eius; & Alduulfo rege Estranglorum, anno decimo septimo regni eius; & Lodthario rege Cantuariorum, regni eius anno septimo, præsidẽte ipso Theodoro gratia Dei archiepiscopo Britanniæ insulæ, & ciuitatis Dorouernis, vna cum eo sedentibus ceteris episcopis Britanniæ insulæ, viris venerabilibus, præpositis sacrosanctis euangeliis in loco, qui Saxonico vocabulo Hedtfeld nominatur, pariter tractãtes fidem rectam & orthodoxam exposuimus, sicut dominus noster Iesus incarnatus tradidit discipulis suis, qui pręsentialiter viderũt & audierunt sermones eius, atq; sanctorum patrum tradidit symbolum, & generaliter omnes sancti & vniuersales synodi, & omnis probabilium catholicæ ecclesiæ doctorum chorus. Hos itaq; sequentes nos pie atq; orthodoxe, iuxta diuinitus inspiratam doctrinam eorum, professi credimus, constanter & confitemur secũdum sanctos patres, proprie & veraciter Patrem & filium & spiritum sanctum, trinitatem in vnitate consubstantialem, & vnitatem in trinitate, hoc est, vnum Deum in tribus subsistentem personis consubstantialibus æqualis gloriæ & honoris. Et post multa huiusmodi quæ ad rectæ fidei confessionem pertinebant, hęc quoque sancta synodus suis litteris addidit: Suscepimus sanctas & vniuersales quinque synodos beatorum & Deo acceptabilium patrum, id est, qui in Nicena congregati fuerunt trecentorum decem & octo, contra Atrium impiissimũ & eiusdem dogmata. Et in Constantinopoli centum quinquaginta, contra vesaniam Macedonij & Eudoxij, & eorum dogmata. Et in Epheso, primo ducentorum, contra nequissimum Nestorium & eiusdem dogmata. Et in Calcedone ducentorum & triginta, cõtra Eutychen & Nestorium & eorum dogmata. Et iterum in Constantinopoli quinto congregati sunt concilio, in tempore Iustiniani minoris contra Theodorum & Theodoretum & Ibe epistolas & eorum dogmata. Cõtra Cyrillum paulo post. Et synodum quæ facta est in vrbe Roma in tempore Martini papæ beatissimi, indict. octaua, imperante Constantino piissimo anno nono. Suscipimus & glorificamus dominũ nostrum Iesum Christum, sicut isti glorificauerunt, nihil addentes vel subtrahentes, & anathematizamus corde & ore quos anathematizauerunt, & quos susceperunt, suscipimus, glorificantes Deũ patrem sine initio, & filiũ eius vnigenitũ ex patre generatũ ante sęcula, & spiritum sanctũ procedentem ex patre & filio inenarrabiliter, sicut prædicauerunt hi, quos memorauimus supra, sancti Apostoli, & Prophetæ, & Doctores. Et nos omnes subscribimus, qui cum Theodoro archiepiscopo fidẽ catholicam exposuimus.

CAPVT XVIII.

Intererat huic synodo, pariterq; catholicæ fidei decreta firmabat vir venerabilis Ioãnes archicãtor ecclesiæ sancti Petri, & abbas monasterij beati Martini, qui nuper venerat a Roma per iussionẽ papæ Agathonis, duce reuerẽdissimo abbate Biscopo cognomine Benedicto, cuius supra meminimus. Cũ autẽ idem Benedictus construxisset monasterium Britanniæ, in honorem beatissimi apostolorũ principis iuxta ostium fluminis Vvyri, venit Romam cum cooperatore ac socio eiusdem operis Ceolfrido, qui post ipsum eiusdem monasterij abbas fuit (quod & ante sæpius facere consueuerat) atque honorifice a beatæ memoriæ papa Agathone susceptus est: petiitq; & accepit ab eo in munimẽtum libertatis monasterij quod fecerat, epistolam priuilegij ex auctoritate Apostolica firmatam, iuxta quod Ecgfridum regem voluisse ac licentiam dedisse nouerat, quo cõcedente & possessionem terræ largiente, ipsum monasterium fecerat, accepit & præfatum Ioãnem abbatem Britanniã perducendũ, quatenus in monasterio

suo cursum canendi annuum, sicut ad sanctū Petrum Romæ agebatur, edoceret. Egitque abbas Ioannes vt iussionem acceperat pontificis, & ordinem videlicet ritumq; canendi ac legendi viua voce præfati monasterij cantores edocendo, & ea quæ totius anni circulus in celebratione dierum festorum poscebat etiam litteris mandando: quæ hactenus in eodem monasterio seruata, & a multis iam sunt circumquaque transcripta. Non solum autem idem Ioannes ipsius monasterij fratres docebat, verum de omnibus pæne eiusdem prouinciæ monasteriis ad audiendum eum, qui cantandi erant periti confluebant. Sed & ipsum, per loca in quibus doceret, multi inuitare curabant. Ipse autem, excepto cantandi vel legendi munere, & aliud in mandatis ab apostolico Papa acceperat, vt cuius esset fidei Anglorū ecclesia diligenter edisceret, Romamque rediens referret. Nam & synodum beati papæ Martini cētum quinq; episcoporum consensum, non multo ante Romę celebratā, contra eos maxime, qui vnam in Christo operationem & voluntatem prædicabant, secum veniens attulit, atq; in præfato religiosissimi abbatis Benedicti monasterio transcribendam commodauit. Tales namq; eo tempore Constantinopolitanæ ecclesiæ fidem multum turbauerant, sed Domino donante proditi iam tunc & victi sunt. Vnde volens Agatho papa, sicut in aliis prouinciis, ita etiam in Britānia, qualis esset status ecclesiæ, quomodo ab hæreticorum cōtagiis castus, ediscere, hoc negotium reuerendissimo abbati Ioanni Britanniam destinato iniunxit. Quamobrem collecta pro hoc in Britannia synodo, quam diximus, inuenta est in omnibus fides catholica inuiolata. Datumq; illi exemplar eius Romam perferēdum: verum ille patriam reuertens, non multo postquam Oceanum transiit, arreptus infirmitate, ac defunctus est: corpusq; eius ab amicis propter amorem sancti Martini, cuius monasterio præerat, Turonis delatum atq; honorifice sepultum est. Nam & benigno ecclesiæ illius hospitio cum Britanniam iret exceptus est, rogatusque multum a fratribus vt Romam reuertens illo itinere reuerteretur, atque ad eam diuerteret ecclesiam. Deniq; ibidem adiutores itineris & iniuncti operis accepit. Qui & si in itinere defunctus est, nihilominus exemplum catholicæ fidei Anglorum Romam perlatum est, atq; ab apostolico papa omnibusque qui audiere vel legere, gratantissime susceptum.

CAPVT XIX.

Accepit autem rex Ecfridus coniugem nomine Edildridam, filiam Anna regis orietalium Anglorum, cuius sæpius mentionem fecimus, viri bene religiosi ac per omnia mente & opere egregij. Quam & alter ante illum vir habuerat vxorem, princeps videlicet australium Giruiorum, vocabulo Tonbert. Sed illo post modicum temporis ex quo eam accepit defuncto, data est regi præfato. Cuius consortio cum vteretur duodecim annis, perpetua tamen mansit virginitatis integritate gloriosa, sicut mihimet sciscitanti (cum hoc an ita esset quibusdam venisset in dubium) beatæ memoriæ Vilfridus episcopus referebat, dicens se testem virginitatis eius esse certissimum, adeo vt Ecgfridus promiserit se ei terras ac pecunias multas esse donaturum, si reginæ posset persuadere eius vti cōnubio, quia sciebat illam nullū virorum plus illo diligere. Nec diffidendum est, nostra etiam ætate fieri potuisse, quod æuo præcedente aliquotiens factum fideles historiæ narrant, donante vno eodemque Domino, qui se nobiscum vsque in finem sæculi manere pollicetur. Nam etiam signum diuini miraculi, quo eiusdem fœminæ sepulta caro corrumpi non potuit, indicio est, quod a virili contactu incorrupta perdurauerit. Quæ multum diu regem postulans, vt sæculi curas relinqueret, atque in monasterio tantum vero regi Christo seruire permitteretur, quod vbi vix aliquando impetrauit, intrauit monasterium Ebbæ abbatissæ, quæ erat amita Ecgfridi regis, positum in loco quem Coludi vrbem nominant, accepto velamine sanctimonialis habitus a præfato antistite Vilfrido. Post annū vero ipsa facta est abbatissa in regione quæ vocatur Elge, vbi constructo monasterio virginum Deo deuotarum, per plurimū mater virgo & exemplis vitæ cælestis esse cœpit & monitis. De qua ferunt, quia ex quo monasterium petiit, nunquā lineis sed solum laneis vestimentis vti voluerit, raroque in calidis balneis, præter imminentibus solennijs maioribus, verbi gratia, Paschæ, Pentecostes, Epiphaniæ, lauari voluerit, & tunc nouissima omnium lotis prius suo

suarum

suarumq; ministrarum obsequio ceteris quæ ibi essent famulabus Christi. Raro etiam præter maiora solennia vel artiorem necessitatem, plusquam semel per diem manducauerit semper, si non infirmitas grauior prohibuisset: ex tempore matutinæ synaxeos vsque ad ortum diei in ecclesia precibus intenta perstiterit. Sunt etiam qui dicũt, quod per prophetiæ spiritum, & pestilentiam qua ipsa esset moritura, prædixerit, & numerum quoque eorum qui de suo monasterio hoc essent de mundo rapiendi, palam cunctis præsentibus intimauerit. Rapta est autem ad Dominum in medio suorum post annos septem, ex quo abbatissæ gradum susceperat. Et æque, vt ipsa iusserat, non alibi quam in medio eorum iuxta ordinem quo trãsierat ligneo in locello sepulta. Cui successit in ministerium abbatissæ soror eius Sexburg, quam habuerat in coniugem Earconbert rex Cantuariorum. Et cum sedecim annos esset sepulta, placuit eidem sorori abbatissæ leuari ossa eius, & in locello nouo posita in ecclesiam transferri. Iussitque quosdam e fratribus quærere lapidem, de quo locellum in hoc facere possent. Qui ascensa naui (ipsa enim regio Elge vndique est aquis & paludibus circundata, neque lapides maiores habet) venerunt ad ciuitatulam quandã desolatam, non procul inde sitam, quæ lingua Anglorum Grandacestir vocatur: & mox inuenerũt iuxta muros ciuitatis locellũ de marmore albo pulcerrime factũ, operculo quoque similis lapidis aptissime tectum. Vnde intelligentes a Domino suum iter esse prosperatum, gratias agentes retulerunt ad monasterium. Cumque corpus sacræ virginis ac sponsæ Christi aperto sepulcro esset prolatum in lucem, ita incorruptum inuẽtum est, ac si eodem die fuisset defuncta, siue humo condita, sicut & præfatus antistes Vilfridus, & multi alij, qui nouere, testantur. Sed certiori notitia medicus Cinifrid, qui & morienti illi & eleuatæ de tumulo affuit, referre erat solitus, quod illa infirmata habuerat tumorem maximum sub axilla, & iusserũt me, inquit, incidere tumorem illum, vt efflueret noxius humor qui inerat. Quod dum facerem, videbatur illa per biduum aliquanto leuius habere, ita vt multi putarent, quod sanari posset a languore. Tertia autem die prioribus aggrauata doloribus, & rapta confestim de mundo, dolorem omnem ac mortem perpetua salute ac vita mutauit. Cũq; post tot annos eleuãda essent ossa de sepulcro, & extẽto desuper papilione omnis congregatio hinc fratrum inde sororũ psallens circunstaret, ipsa autem abbatissa intus cum paucis ossa eleuatura & delatura intrasset, repente audiuimus abbatissam intus clara voce proclamare: Sit gloria nomini Domini. Nec multo post clamauerunt me intus reserato ostio papilionis: vidiq; eleuatum de tumulo & positum in lectulo corpus sacræ Deo virginis quasi dormientis simile. Sed & discooperto vultus indumento, monstrauerunt mihi etiam vulnus incisuræ, quod feceram, curatum, ita vt mirum in modum pro aperto & hiante vulnere cum quo sepulta erat, tenuissima tunc cicatricis vestigia apparerent. Sed & linteamina omnia, quibus inuolutum erat corpus, integra apparuerunt, & ita noua, vt ipso die viderentur castis eius membris esse circundata. Ferunt autem quia cum præfato tumore ac dolore maxillæ siue colli premeretur, multum delectata sit hoc genere infirmitatis, ac solita dicere: Scio certissime, quia merito in collo pondus languoris porto, in quo iuuencula memini superuacua monilium pondera portare: & credo quod ideo me superna pietas dolore colli voluit grauari, vt sic absoluar reatu superuacuæ leuitatis, dum mihi nunc pro auro & margaritis de collo rubor tumoris ardorque promineat. Contigit autem tactu indumentorum eorundem & dæmonia ab obsessis fugata corporibus, & infirmitates alias aliquotiens esse curatas. Sed & loculum in quo primo sepulta est, nonnullis oculos dolentibus saluti fuisse perhibent. Qui cum suum caput eidem loculo apponentes, orassent, mox doloris siue caliginis incommodum ab oculis amouerent. Lauerunt igitur virginis corpus, & nouis indutum vestibus intulerunt in ecclesiam, atque in eo quod allatum erat sarcophago posuerunt, vbi vsque hodie in magna veneratione habetur. Mirum vero in modum ita aptum corpori virginis sarcophagum inuentum est, ac si ei specialiter præparatum fuisset, & locus quoque capitis seorsum fabrefactus, ad mensuram capitis illius aptissime figuratus apparuit. Est autẽ Elge in prouincia orientalium Anglorũ regio familiarũ circiter sexcentarũ, in similitudinẽ insulæ vel paludibus, vt diximus, circũdata, vel aquis, vnde & a

copia anguillarum, quæ in eisdem paludibus capiuntur, nomen accepit. Vbi monasterium habere desiderauit memorata Christi famula, quoniam de prouincia eorundem orientalium Anglorum ipsa, vt præfati sumus, carnis originem duxerat.

CAPVT XX.

VIDETVR oportunum huic historiæ etiam Hymnum virginitatis inserere, quem ante annos plurimos in laudem ac præconium eiusdem reginæ ac sponsæ Christi (& ideo veraciter reginæ quia sponsæ Christi) Elegiaco metro composuimus: & imitari morem sacræ scripturæ, cuius historiæ carmina plurima indita, & hæc metro ac versibus constat esse composita.

ALMA Deus trinitas, qui sæcula cuncta gubernas,
Annue iam cœptis alma Deus trinitas.
Bella Maro resonet, nos pacis dona canamus,
Munera nos Christi, bella Maro resonet.
Carmina casta mihi, fœda non raptus Helenæ,
Luxus erit lubricis, carmina casta mihi.
Dona superna loquar, miseræ non prælia Troiæ,
Terra quibus gaudet, dona superna loquar.
En Deus altus adit venerandæ virginis aluum,
Liberet vt homines en Deus altus adit.
Fœmina virgo parit mundi deuota parentem,
Porta Maria Dei fœmina virgo parit.
Gaudet amica cohors de virgine matre tonantis,
Virginitate micans gaudet amica cohors.
Huius honor genuit casto de germine plures,
Virgineos flores huius honor genuit.
Ignibus vsta feris virgo non cessit Agathe,
Eulalia & perfert ignibus vsta feris.
Casta feras superat mentis pro culmine Tecla,
Eufemia sacra casta feras superat.
Læta ridet gladios ferro robustior Agnes,
Cecilia infestos læta ridet gladios.
Multus in orbe viget per sobria corda triumphus,
Sobrietatis amor multus in orbe viget.
Nostra quoque egregia iam tempora virgo beauit,
Edildrida nitet nostra quoque egregia.
Orta patre eximio regali & stemmate claro,
Nobilior domino est, orta patre eximio.
Percipit inde decus reginæ & sceptra sub astris,
Plus super astra manens, percipit inde decus.
Quid petis alma virum sponso iam dedita summo?
Sponsus adest Christus, quid petis alma virum?
Regis vt ætherei matrem iam credo sequaris,
Tu quoque sis mater regis vt ætherei.
Sponsa dicata Deo bis sex regnauerat annis,
Inque monasterio est sponsa dicata Deo.
Tota sacrata polo celsis vbi floruit actis,
Reddidit atque animam tota sacrata polo.
Virginis alma caro est tumulata bis octo Nouembris,
Nec putet in tumulo, virginis alma caro.
Christe tui est operis, quia vestis & ipsa sepulcro
Inuiolata nitet, Christe tui est operis.
Hydros & ater abit sacra pro vestis honore,
Morbi diffugiunt, hydros & ater abit.

Zelus

Zelus in hoste furit quondam qui vicerat Euam,
Virgo triumphat ouans, zelus in hoste furit.
Aspice nupta Deo, quæ sit tibi gloria terris,
Quæ maneat cælis, aspice nupta Deo.
Munera læta capis festiuis fulgida tedis,
Ecce venit sponsus munera læta capis.
Et noua dulcisono modularis carmina plectro,
Sponsa hymno exultas & noua dulcisono.
Nullus ab altithroni comitatu segregat agni,
Quam affectu tulerat, nullus ab alti throni.

CAPVT XXI.

ANNO regni Ecfridi nono, conserto graui prælio inter ipsum & Edilredum regem Merciorum iuxta fluuium Treanta, occisus est Elbuini frater regis Ecfridi, iuuenis circiter decem & octo annorum, vtrique prouinciæ multum amabilis. Nam & sororem eius, quæ dicebatur Osthrid, rex Edilred habebat vxorem. Cumque materies belli atrocioris & inimicitię longioris inter reges populosq; feroces videretur exorta, Theodorus Deo dilectus antistes diuino fretus auxilio salutifera exhortatione cœptum tanti periculi funditus extinguit incendium, adeo vt pacatis alterutrum regibus ac populis, nullius anima hominis pro interfecto regis fratre, sed debita solummodo multa pecuniæ regi vltori daretur. Cuius fœdera pacis multo exinde tempore inter eosdem reges eorumque regna durarunt.

CAPVT XXII.

IN præfato autem prælio quo occisus est rex Elbuini, memorabile quoddã factum esse constat, quod nequaquam silentio prætereundum arbitror, sed multorum saluti, si referatur, fore proficuum. Occisus est ibi inter alios de militia eius iuuenis vocabulo Imma, qui cum die illo & nocte sequente inter cadauera occisorum similis mortuo iaceret, tandem recepto spiritu reuixit, ac residens sua vulnera, prout potuit, ipse alligauit. Deinde modicum requietus leuauit se, & cœpit abire sic, vbi amicos qui sui curam agerent, posset inuenire. Quod dum faceret, inuentus est & captus à viris hostilis exercitus, & ad dominum ipsorum, comitem videlicet Edilredi regis, adductus. A quo interrogatus quis esset, timuit se militem fuisse confiteri, rusticum se potius & pauperem, atque vxoreo vinculo colligatum fuisse respondit, & propter victum militibus adferendum in expeditionem se cum sui similibus venisse testatus est. At ille suscipiẽs eum, curam vulneribus egit, & vbi sanari cœpit, noctu eum, ne aufugeret, vinciri præcepit, nec tamen vinciri potuit. Nam mox, vt abiere qui vincierant, eadem sunt eius vincula soluta. Habebat enim germanum fratrem, cui nomen erat Tunna, presbyterum & abbatem monasterij in ciuitate quæ hactenus ab eius nomine Tunnacestir cognominatur. Qui cum eum in pugna peremptum audiret, venit quærere, si forte corpus eius inuenire posset, inuentumque alium illi per omnia simillimum putauit ipsum esse; quem ad monasterium suum deferens, honorifice sepeliuit, & pro absolutione animæ eius sæpius missas facere curauit. Quarum celebratione factum est quod dixi, vt nullus eum posset vincire quin continuo solueretur. Interea comes qui eum tenebat mirari & interrogare cœpit, quare ligari non posset: an forte litteras solutorias, de quibus fabulæ ferunt, apud se haberet, propter quas ligari non posset. At ille respondit, nihil se talium artium nosse: sed habeo fratrem, inquit, presbyterum in mea prouincia: & scio quia ille me interfectum putans, pro me missas crebras facit, & si nunc in alia vita essem, ibi anima mea per intercessiones eius solueretur a pœnis. Dumque aliquanto tempore apud comitem teneretur, animaduerterunt qui eum diligentius considerabant ex vultu & habitu & sermonibus eius, quia non erat de paupere vulgo (vt dixerat) sed de nobilibus. Tum secrete aduocans eum comes interrogauit intentius vnde esset, promittens se nihil ei mali facturum pro eo, si simpliciter sibi quis esset, proderet. Quod dum ille faceret, ministrum se regis fuisse manifestans, respondit: &

ego per singula tua responsa cognoueram, quod rusticus non eras. Et nunc quidem dignus es morte, quia omnes fratres & cognati mei in illa sunt pugna interempti. nec te tamen occidam, ne fidem mei promissi præuaricem. Vt ergo conualuit, vendidit eum Lundoniam Fresoni cuidam, sed nec ab illo, nec cum illuc duceretur vllatenus potuit alligari. Verum cum alia atque alia vinculorum genera ei hostes imponerent, dissoluta sunt. Cumque videret qui emerat, eum vinculis non posse cohiberi, donauit ei facultatem sese redimendi, si posset. A tertia enim hora quando missæ fieri solebant, sæpissime vincula soluebantur. At ille dato iureiurando vt rediret, vel pecuniam illi pro se mitteret, venit Cantiam ad regem Lodhere, qui erat filius sororis Edildridæ reginæ, de qua supra dictum est, qui & ipse quondam eiusdem reginæ minister fuerat: petiitque & accepit ab eo pretium suæ redemptionis, ac suo Domino pro se (vt promiserat) misit. Qui post hæc in patriam reuersus, atque ad suum fratrem perueniens, replicauit ex ordine cūcta quæ sibi aduersa, quæue in aduersis solatia prouenissent. Cognouitque referente eo illis maxime temporibus sua fuisse vincula soluta, quibus pro se missarum fuerant celebrata solennia. Sed & alia quæ periclitanti ei commoda contigissent & prospera, per intercessionem fraternam & oblationem hostiæ salutaris cœlitus sibi fuisse donata, intellexit. Multique hæc a præfato viro audientes, accensi sunt in fide ac deuotione pietatis ad orandum, vel ad eleemosynas faciendas, vel ad offerendas Domino victimas sacræ oblationis, pro ereptione suorum, qui de sæculo migrauerant. Intellexerunt enim, quod sacrificium salutare ad redemptionem valeret & animæ & corporis sempiternam. Hanc mihi historiam etiam quidam eorum, qui ab ipso viro in quo facta est audiere, narrarunt: vnde eam quam liquido comperi, indubitanter historiæ nostræ ecclesiasticæ inserendam credidi.

CAPVT XXIII.

Anno post hunc sequente, hoc est, anno dominicæ incarnationis sexcentesimo octogesimo, religiosissima Christi famula Hild abbatissa monasterij quod dicitur Streaneshalch, vt supra retulimus, post multa quæ fecit in terris opera cœlestia ad percipienda præmia vitæ cœlestis de terris ablata transiuit, die quintadecima Kalend. Decembrium, cum esset annorum sexaginta sex: quibus æqua portione diuisis, triginta tres primos in sæculari habitu nobilissime conuersata compleuit, & totidem sequentes nobilius in monachica vita Domino consecrauit. Nam & nobilis natu erat, hoc est filia nepotis Eduini regis, vocabulo Hererici, cum quo etiam rege ad prædicationem beatæ memoriæ Paulini primi NordanHumbrorum episcopi fidem & sacramenta Christi suscepit, atque hæc vsque dum ad eius visionem peruenire meruit, intemerata seruauit. Quæ cum relicto habitu sæculari, illi soli seruire decreuisset, secessit ad prouinciam orietalium Anglorum. Erat namque propinqua regis illius, desiderans exinde, si quo modo posset, derelicta patria, & omnibus quæcunque habuerat, Galliam peruenire, atque in monasterio Cale peregrinam pro Domino vitam ducere, quo facilius perpetuam in cœlis patriam posset mereri. Nam & in eodem monasterio soror ipsius Heresuid mater Aldulfi regis orientalium Anglorum regularibus subdita disciplinis ipso tempore coronam exspectabat æternam. Cuius æmulata exemplum & ipsa proposito peregrinandi annum totum in præfata prouincia retenta est. Deinde ab Aidano episcopo in patriam reuocata, accepit locum vnius familiæ ad Septentrionalem plagam Vuiri fluminis, vbi æque anno vno monachicam cum perpaucis sociis vitam agebat. Post hæc facta est abbatissa in monasterio quod vocatur Herutheu, quod videlicet monasterium factum erat non multo ante, a religiosa Christi famula Heiu: quæ prima fœminarum fertur in prouincia NordanHumbrorum propositum, vestemque sanctimonialis habitus consecrante Aidano episcopo suscepisse. Sed illa post non multum tempus facti monasterij secessit ad ciuitatem Calcariam, quæ a gente Anglorum Kalcacestir appellatur, ibique mansionem sibi instituit. Prælata autem regimini monasterij illius famula Christi Hild, mox hoc regulari vita per omnia, prout a doctis viris discere poterat, ordinare curabat. Nam & episcopus Aidan, & quique nouerant eam religiosi, pro insita ei sapientia & amore diuini famulatus,

sedulo

sedulo eam visitare, obnixe amare, diligenter erudire solebant. Cum ergo aliquot annos huic monasterio regularis vitæ institutioni multum intenta præesset, cōtigit eam suscipere etiam construendum, siue ordinandum monasterium in loco qui vocatur Streaneshalch, quod opus sibi iniunctum non segniter impleuit. Nam eisdem quibus prius monasterium etiam hoc disciplinis vitæ regularis instituit. Et quidem multam inibi quoque iusticiæ, pietatis, & castimoniæ, ceterarumque virtutum, sed maxime pacis & caritatis custodiam docuit, ita vt in exemplum primitiuæ ecclesiæ nullus ibi diues, nullus esset egens, omnibus essent omnia communia, cum nihil cuiusquam esse videretur proprium. Tantæ enim erat ipsa prudentiæ, vt non solum mediocres quique in necessitatibus suis, sed etiam reges ac principes nonnunquam ab ea consilium quærerent & inuenirent. Tantum lectioni diuinarum scripturarum suos vacare subditos, tantum operibus iusticiæ se exercere faciebat, vt facillime viderentur ibidem, qui ecclesiasticum gradum, hoc est, altaris officium apte subirent plurimi posse reperiri. Denique quinque ex eodem monasterio postea episcopos vidimus, & hos omnes singularis meriti ac sanctitatis viros, quorum hæc sunt nomina, Bosa, Æda, Ostfor, Ioannes & Vilfrid. De primo supra diximus, quod Eboraci fuerit consecratus antistes. De secundo breuiter intimandum, quod in episcopatum Dorcicestre fuerit ordinatus. De vltimis infra dicendum est, quod eorum primus Hagustaldensis, secundus Eboracensis ecclesiæ ordinatus sit episcopus. De medio nunc dicamus, quia cum in vtroque Hildę abbatissæ monasterio lectioni & obseruationi scripturarum operam dedisset, tandem perfectiora desiderans, venit Cantiam ad archiepiscopum beatæ recordationis Theodorum, vbi posteaquam aliquamdiu lectionibus sacris vacauit, etiam Romam adire curauit, quod eo temporis magnæ virtutis æstimabatur. Et inde cum rediens, Britanniam adiisset, diuertit ad prouinciam Victiorum, cui tunc rex Osric præfuit, ibique verbum fidei prædicans, simul & exemplum viuendi sese videntibus atque audientibus exhibens, multo tempore mansit. Quo tempore antistes prouinciæ illius vocabulo Bosel, tanta erat corporis infirmitate depressus, vt officium episcopatus per se implere non posset. Propter quod omnium iudicio præfatus vir in episcopatum pro eo electus, ac iubente Edilredo rege per Vilfridum beatæ memoriæ antistitem, qui tunc temporis Mediterraneorum Anglorum episcopatum gerebat, ordinatus est, pro eo quod archiepiscopus Theodorus iam defunctus erat, & nondum alius pro eo ordinatus episcopus. In qua videlicet prouincia paulo ante, hoc est, ante præfatum virum Dei Boselum vir strenuissimus & doctissimus atque excellentis ingenij, vocabulo Tatfrid, de eiusdem abbatissæ monasterio electus est antistes: sed priusquam ordinari posset, morte immatura præreptus est. Non solum autem præfata Christi ancilla & abbatissa Hild, quam omnes qui nouerant ob insigne pietatis & gratię matrem vocare consueuerant, in suo monasterio vitæ exemplo præsentibus extitit, sed etiam in plurimis longius manentibus, ad quos felix industriæ ac virtutis eius rumor peruenit, occasionem salutis & correctionis ministrauit. Oportebat namque impleri somnium, quod mater eius Bregusuid in infantia eius vidit. Quę, cum vir eius Heriric exularet sub rege Britonum Cerdice, vbi & veneno periit, vidit per somnium, quasi subito sublatum eum quæsierit cum omni diligentia, nullumque eius vspiam vestigium apparuerit. Verum cum solertissime illum quæsisset, extēplo se reperire sub veste sua monile preciosissimum, quod dum attentius consideraret, tanti fulgore luminis refulgere videbatur, vt omnes Britanniæ fines illius gratia splendoris impleret. Quod nimirum somnium veraciter in filia eius, de qua loquimur, impletum est. Cuius vita non sibi solummodo, sed multis bene viuere volentibus, exempla operum lucis præbuit. Verum illa cum multis annis huic monasterio præesset, placuit pio prouisori salutis nostræ sanctam eius animam longa etiam infirmitate carnis examinari, vt iuxta exemplum apostoli virtus eius in infirmitate perficeretur. Percussa etenim febribus, acri cœpit ardore fatigari, & per sex continuos annos eadem molestia laborare non cessabat, in quo toto tempore nunquam ipsa vel conditori suo gratias agere, vel commissum sibi gregem & publice & priuatim docere prætermittebat. Nam suo prædocta exemplo monebat omnes, & in salute accepta corporis Domino obtemperanter seruiendum,

& in aduersis rerum siue in infirmitatibus membrorum fideliter Domino esse gratias semper agendas. Septimo ergo suæ infirmitatis anno, conuerso ad intranea dolore, ad diem peruenit vltimum, & circa galli cantum percepto viatico sacrosanctæ communionis, cum accersitis ancillis Christi quæ erant in eodem monasterio, de seruanda eas inuicem, immo cum omnibus pace euangelica ammoneret, inter verba exhortationis lęta mortem vidit, immo, vt verbis Domini loquar, de morte transiuit ad vitam. Qua videlicet nocte Dominus omnipotens obitum ipsius in alio longius posito monasterio (quod ipsa eodem anno construxerat, & appellatur Hacanos) manifesta visione reuelare dignatus est. Erat in eodem monasterio quædam sanctimonialis foemina nomine Begu, quæ triginta & amplius annos dedicata Domino virginitate in monachica conuersatione seruiebat. Hæc tunc in dormitorio sororum pausans, audiuit subito in aëre notum campanæ sonum, quo ad orationes excitari vel cōuocari solebant, cum quis eorum de sæculo fuisset euocatus: apertisque, vt sibi videbatur, oculis, aspexit detecto domus culmine fusam desuper lucem omnia repleuisse. Cui videlicet luci cum solicita intenderet, vidit animam præfatæ Dei famulæ in ipsa luce comitantibus ac ducentibus angelis ad cœlum ferri. Cumque somno excussa videret ceteras pausantes circa se sorores, intellexit vel in somnio vel in visione mentis ostensum sibi esse quod viderat. Statimque exurgens nimio timore perterrita cucurrit ad virginem, quæ tunc monasterio abbatissę vice præfuit, cui nomen erat Frigit, fletuque ac lacrymis multum perfusa, ac suspiria longa trahens, nunciauit matrem illarum omnium Hildam abbatissam iam migrasse de sæculo, & se aspectante cum luce immensa ducibus angelis ad æternæ lumina lucis & supernorum consortia ciuium ascendisse. Quod cum illa audisset, suscitauit cunctas sorores, & in ecclesiam conuocatas, orationibus ac psalmis pro anima matris operam dare monuit. Quod cum residuo noctis tempore diligenter agerent, venerunt primo diluculo fratres qui eius obitum nunciarent a loco vbi defuncta est. At illi respondentes dixerunt se prius eadem cognouisse, & cum exponerent per ordinem quomodo hæc vel quando didicissent, inuentum est eadem hora transitum eius illis ostensum esse per visionem, qua illam referebant exisse de mundo. Pulcraque rerum concordia procuratum est diuinitus, vt cum illi exitum eius de hac vita viderent, tunc isti introitum eius in perpetuam animarum vitam cognoscerent. Distant autem inter se monasteria hæc tredecim ferme millibus passuum. Ferunt autem quod eadem nocte in ipso quoque monasterio vbi præfata Dei famula obiit, cuidam virginum Deo deuotarum, quæ illam immenso amore diligebat, obitus illius in visione apparuerit, quę animam eius cum angelis ad cœlum ire conspexerit, atque hoc ipsa qua factum est hora his quæ secum erant famulabus Christi manifeste narrauerit, easq; ad orandum pro anima eius, etiam priusquam cetera congregatio eius obitum cognouisset, excitauerit. Quod ita fuisse factum mox congregationi, mane facto, innotuit. Erat enim hæc ipsa hora cum aliis nonnullis Christi ancillis in extremis monasterij locis seorsum posita, vbi nuper venientes ad conuersionem foeminæ solebant probari, donec regulariter institutæ in societatem congregationis susciperentur.

CAPVT XXIIII.

In huius monasterio abbatissæ fuit frater quidam diuina gratia specialiter insignis, qui carmina religioni & pietati apta facere solebat, ita vt quicquid ex diuinis litteris per interpretes disceret, hoc ipse post pusillum verbis poëticis maxima suauitate & compunctione compositis in sua, id est, Anglorum lingua proferret. Cuius carminibus multorum sæpe animi ad contemptum sæculi, & ad appetitum sunt vitæ cœlestis accensi. Et quidem & alij post illum in gente Anglorum religiosa poëmata facere tentabant, sed nullus ei æquiparari potuit. Namque ipse non ab hominibus, neque per hominem institutus canendi artem didicit, sed diuinitus adiutus, gratis canendi donum accepit. Vnde nihil vnquam friuoli & superuacui poëmatis facere potuit, sed ea tantummodo quæ ad religionem pertinent, religiosam eius linguam decebant. Siquidem in habitu sæculari vsque ad tempora prouectioris ætatis constitutus, nil carminum aliquando didicerat. Vnde nonnunquam in conuiuio cum esset lætitiæ causa

decretum,

decretum, vt omnes per ordinem cantare deberent, ille vbi appropinquare ſibi citharam cernebat, ſurgebat a media cœna, & egreſſus ad ſuam domum repedabat. Quod dum tempore quodam faceret, & relicta domo conuiuij egreſſus eſſet ad ſtabula iumentorum, quorum ei cuſtodia nocte illa erat delegata, ibique hora iam competenti membra dediſſet ſopori; aſtitit ei quidam per ſomnium, eumque ſalutans ac ſuo appellans nomine, Cedmon, inquit, canta mihi aliquid. At ille reſpondit, Neſcio, inquit, cantare. Nam & ideo de conuiuio egreſſus, huc ſeceſſi, quia cantare non poteram. Rurſum ille qui cum eo loquebatur: Attamen, ait, cantare mihi habes. Quid, inquit, debeo cantare? At ille: Canta, inquit, principium creaturarum. Quo accepto reſpōſo, ſtatim ipſe cœpit cantare in laudem Dei conditoris verſus quos nunquam audierat, quorum iſte eſt ſenſus: Nunc laudare debemus auctorem regni cœleſtis, potentiam creatoris, & conſilium illius, facta patris gloriæ. Quomodo ille cum ſit æternus Deus omnium miraculorum auctor extitit, qui primo filiis hominum cœlum pro culmine tecti, dehinc terram cuſtos humani generis omnipotens creauit. Hic eſt ſenſus non autem ordo ipſe verborum quæ dormiens ille canebat. Neque enim poſſunt carmina, quamuis optime compoſita, ex alia in aliam linguam ad verbum ſine detrimento ſui decoris ac dignitatis transferri. Exurgens autem a ſommo, cuncta quæ dormiens cantauerat memoriter retinuit, & his mox plura in eundem modum verba Deo digni carminis adiunxit: Veniensque mane ad villicum qui ſibi præerat, quid doni percepiſſet indicauit, atq; ad abbatiſſam perductus, iuſſus eſt multis doctoribus viris præſentibus indicare ſomnium, & dicere carmen, vt vniuerſorum iudicio quid vel vnde eſſet quod referebat, probaretur. Viſumque eſt omnibus cœleſtem ei a Domino conceſſam eſſe gratiam. Exponebantque illi quendam ſacræ hiſtoriæ ſiue doctrinæ ſermonem, præcipientes ei ſi poſſet hunc in modulationem carminis transferre. At ille ſuſcepto negotio abiit, & mane rediens optimo carmine quod iubebatur compoſitum reddidit: vnde mox abbatiſſa amplexata gratiam Dei in viro ſæcularem, illum habitum relinquere & monachicum ſuſcipere propoſitum docuit: ſuſceptumque in monaſterium cum omnibus ſuis fratrum cohorti aſſociauit, iuſſitque illum ſeriem ſacræ hiſtoriæ doceri. At ipſe cuncta quæ audiendo diſcere poterat, rememorando ſecum & quaſi mundum animal ruminando in carmen dulciſſimum conuertebat, ſuauiuſque reſonando doctores ſuos viciſſim auditores ſui faciebat. Canebat autem de creatione mundi, & origine humani generis, & tota Geneſis hiſtoria: de egreſſu Iſrael ex Ægypto, & ingreſſu in terram repromiſſionis: de aliis plurimis ſacræ ſcripturæ hiſtoriis, de incarnatione Domini, ac paſſione, & reſurrectione, & aſcenſione in cœlum, de aduentu Spiritus ſancti, & apoſtolorum doctrina: item de terrore futuri iudicij, & horrore pœnæ gehennalis, ac dulcedine regni cœleſtis multa carmina faciebat. Sed & alia perplura, de beneficiis & iudiciis diuinis, in quibus cunctis homines ab amore ſcelerum abſtrahere, ad dilectionem vero & ſolertiam bonæ actionis excitare curabat. Erat enim vir multum religioſus, & regularibus diſciplinis humiliter ſubditus. Aduerſum vero illos, qui aliter facere volebant, zelo magni feruoris accenſus. Vnde & pulcro vitam ſuam fine concluſit. Nam propinquante hora ſui diſceſſus, quattuordecim diebus, præueniente corporea infirmitate preſſus eſt, adeo tamen moderate, vt & loqui toto eo tempore poſſet & ingredi. Erat autem in proxima caſa, in qua infirmiores & qui prope morituri eſſe videbantur induci ſolebant. Rogauit ergo miniſtrum ſuum veſpere incumbente nocte, qua de ſæculo erat exiturus, vt in ea ſibi locum quieſcendi præpararet. Qui miratus cur hoc rogaret, qui nequaquam adhuc moriturus eſſe videbatur, fecit tamen quod dixerat. Cumque ibidem poſiti viciſſim aliqua gaudente animo vna cum eis qui ibidem antea inerant, loquerentur ac iocarentur, & iam medię noctis tempus eſſet tranſcenſum, interrogauit omnes ſi Euchariſtiam intus haberent. Reſpōdebant, Quid opus eſt Euchariſtia, neque enim mori adhuc habes, qui tam hilariter nobiſcum velut ſoſpes loqueris. Rurſus ille: Et tamen, ait, afferte mihi Euchariſtiam. Qua accepta in manu, interrogauit, ſi omnes placidum erga ſe animum & ſine querela controuerſiæ ac rancoris haberent. Reſpondebant omnes, placidiſſimam ſe mentem ad illum & ab omni ira remotam habere. Eumque viciſſim rogabant, an placidam erga ipſos

mentem gereret. Qui confestim respondit: Placidam ego mentem, filioli, erga omnes famulos Dei gero. Sicque se cœlesti muniens viatico vitæ alterius ingressui parauit. Et interrogauit, quam prope esset hora qua fratres ad dicendas Domino laudes nocturnas excitari deberent. Respondebant: Non longe est. At ille: bene ergo, expectemus horam illam. Et signans se signo sanctę crucis, reclinauit caput ad ceruical, modicumque obdormiens, ita cum silentio vitam finiuit. Sicque factum est, vt quomodo simplici ac pura mente tranquillaque deuotione Domino seruierat, ita etiam tranquilla morte mundum relinquens, ad eius visionem veniret. Illaque lingua quæ tot salutaria verba in laudem conditoris composuerat, vltima quoque verba in laudem ipsius signando sese, & spiritum suum in manus eius commendando clauderet: qui etiam præscius sui obitus extitisse, ex his quæ narrauimus, videtur.

CAPVT XXV.

His temporibus monasterium virginum, quod Coludiurbem cognominant, cuius & supra meminimus, per culpam incuriæ flammis absumptum est. Quod tamen a malitia inhabitantium in eo, & præcipue illorum, qui maiores esse videbantur, contigisse omnes qui nouere, facillime potuerunt aduertere. Sed non defuit puniendis admonitio diuinæ pietatis, qua correcti per ieiunia, fletus & preces iram a se, instar Niniuitarum, iusti iudicis auerterent. Erat namque in eodem monasterio vir de gente Scotorum Adamanus vocabulo, ducens vitam in continentia & orationibus multum Deo deuotam, ita vt nil vnquam cibi vel potus, excepta die Dominica, & quinta Sabbati, perciperet: sæpe autem noctes integras peruigil in oratione transigeret. Quæ quidem illi districtio vitæ arctioris primo ex necessitate emendandæ suæ prauitatis obuenerat: sed procedente tempore necessitatem in consuetudinem verterat. Siquidem in adolescentia sua sceleris aliquid commiserat: quod commissum, vbi ad cor suum rediit, grauissime exhorruit, & se pro illo puniendum a districto iudice timebat. Accedens ergo ad sacerdotem a quo sibi sperabat iter salutis posse demonstrari, confessus est reatum suum, petiitque vt consilium sibi daret, quo posset fugere a ventura Dei ira. Qui audito eius commisso, dixit: Grande vulnus grandioris curam medelæ desiderat, & ideo ieiuniis, psalmis & orationibus, quantum vales, insiste, quo preoccupando faciem Domini in confessione propitium eum inuenire merearis. At ille quem nimius reæ conscientiæ tenebat dolor, & internis peccatorum vinculis, quibus grauabatur, ocyus desiderabat absolui: Adolescentior sum, inquit, ætate & vegetus corpore, quicquid mihi imposueris agendum, dummodo saluus fiam in die Domini, totum facile feram, etiam si totam noctem stando in precibus peragere, & integram septimanam iubeas abstinendo transigere. Qui dixit: Multum est vt tota septimana absque alimento corporis perdures, sed biduanum vel triduanum satis est obseruare ieiunium, hoc facito donec post modicum tempus rediens ad te, quid facere debeas, & quamdiu pœnitentiæ insistere tibi plenius ostendam. Quibus dictis & descripta illi mensura pœnitendi, abiit sacerdos. Et ingruente causa subita secessit Hiberniam, vnde originem duxerat, neque vltra ad eum iuxta suum condictum rediit. At ipse memor præcepti eius simul & promissi sui, totum se lacrymis, pœnitentiæ, vigiliis sanctis, & continentiæ mancipauit, ita vt quinta solum Sabbati & Dominica, sicut prędixi, reficeretur, ceteris septimanæ diebus ieiunus permaneret. Cumque sacerdotem suum Hiberniam secessisse, ibique defunctum esse audisset, semper ex eo tempore, iuxta condictum eius memoratum, continentiæ modum obseruabat. Et quod causa diuini timoris semel ob reatum compunctus cœperat, iam causa diuini amoris delectatus præmiis indefessus agebat. Quod dum multo tempore sedulus exequeretur, contigit eum die quadam de monasterio illo longius egressum comitante secum vno de fratribus, peracto itinere redire. Qui cum monasterio propinquarent, & ædificia illius sublimiter erecta aspicerent, solutus est in lacrymas vir Dei, & tristitiam cordis vultu indice prodebat. Quod intuens comes, quare faceret inquisiuit. At ille: Cuncta, inquit, hæc quæ cernis ædificia publica vel priuata, in proximo est vt ignis absumens in cinerem conuertat. Quod ille audiens, mox vt intrauerunt monasterium matri congregationis, vocabulo

curauit indicare. At illa merito turbata de tali præsagio, vocauit ad se virum, & diligentius ab eo rem, vel vnde hoc ipse nosset, inquirebat. Qui ait: Nuper præoccupatus noctu vigiliis & psalmis, vidi astantem mihi subito quendam incogniti vultus, cuius præsentia cum essem exterritus, dixit mihi, ne timerem, & quasi familiari me voce alloquens: Benefacis, inquit, qui tempore isto nocturno quietis, non somno indulgere, sed vigiliis & orationibus insistere valuisti. At ego: Noui, inquit, multum mihi esse necesse vigiliis salutaribus insistere, & pro meis erratibus sedulo Dominum deprecari. Qui adiiciens: Verum, inquit, dicis, quia tibi & multis opus est peccata sua bonis operibus redimere, & cum cessant a laboribus rerum temporalium, tunc pro appetitu æternorum bonorum liberius laborare: sed hoc tamen paucissimi faciunt. Siquidem modo totum hoc monasterium ex ordine perlustrans, singulorum casas ac lectos inspexi, & neminem ex omnibus præter te, erga sanitatem animæ suæ occupatum reperi: sed omnes prorsus & viri & fœminæ, aut somno torpent inerti, aut ad peccata vigilant. Nam & domunculæ quæ ad orandum vel legendum factæ erant, nunc in comessationum, potationum, fabulationum, & ceterarum sunt illecebrarum cubilia conuersæ. Virgines quoque Deo dicatę, contempta reuerentia suę professionis, quotiescunque vacant, texendis subtilioribus indumentis operam dant, quibus aut se ipsas ad vicem sponsarum in periculum sui status adornent, aut externorum sibi virorum amicitiam comparent. Vnde merito loco huic & habitatoribus eius grauis de cœlo vindicta flammis sæuientibus præparata est. Dixit autem abbatissa: Et quare non citius hoc compertum mihi reuelare voluisti? Qui respondit: Timui propter reuerentiam tuam, ne forte nimium conturbareris: & tamen hanc cōsolationem habeas, quod in diebus tuis hæc plaga non superueniet. Qua diuulgata visione, aliquantulum loci accolæ paucis diebus timere, & se ipsos intermissis facinoribus castigare cœperunt. Verum post obitum ipsius abbatissæ redierunt ad pristinas sordes, imo sceleratiora fecerunt. Et cum dicerent, Pax & securitas, extemplo præfatæ vltionis sunt pœna multati. Quæ mihi cuncta sic esse facta reuerendissimus meus conpresbyter Edgils referebat, qui tunc in illo monasterio degebat. Postea autem discedentibus inde ob desolationem plurimis incolarum, in nostro monasterio plurimo tempore conuersatus, ibidemque defunctus est. Hæc ideo nostræ historiæ inserenda credidimus, vt admoneremus lectorem operum Domini, quam terribilis sit in consiliis super filios hominum, ne forte nos tempore aliquo carnis illecebris seruientes, minusque Dei iudicium formidantes, repentina ira eius corripiat, & vel temporalibus damnis iuste sæuiens affligat, vel ad perpetuam perditionem districtius examinans tollat.

CAPVT XXVI.

Anno dominicæ incarnationis sexcentesimo octogesimo quarto, Ecgfridus rex NordanHumbrorum misso Hiberniam cum exercitu duce Berto, vastauit misere gentem innoxiam, & nationi Anglorum semper amicissimam, ita vt nec ecclesiis quidem aut monasteriis manus parceret hostilis. At insulani & quantum valuere armis arma repellebant, & inuocantes diuinæ auxilium pietatis cælitus se vindicari continuis diu imprecationibus postulabāt. Et quamuis maledici regnum Dei possidere non possint, creditum tamen est quod hi qui merito impietatis suæ maledicebantur, ocyus Domino vindice pœnas sui reatus luerent. Siquidem anno post hunc proximo, idem rex cum temere exercitum ad vastandam Pictorum prouinciam duxisset, multum prohibentibus amicis, & maxime beatæ memoriæ Cutberto, qui nuper fuerat ordinatus episcopus, introductus est, simulantibus fugam hostibus, in angustias inaccessorū montium, & cum maxima parte copiarum quas secum adduxerat extinctus, anno ætatis suæ quadragesimo, regni autem quintodecimo, die tertiodecimo Kalendarum Iuniarum. Et quidem, vt dixi, prohibuerunt amici ne hoc bellum iniret: sed quomodo anno præcedēte noluerat audire reuerendissimum patrem Ecgbertum, ne Scotiam nil se lædentem impugnaret, datum est illi ex pœna peccati illius, ne nunc eos qui ipsum ab interitu reuocare cupiebant, audiret. Ex quo tempore spes cœpit & virtus regni Anglorum fluere, ac retro sublapsa referri. nam & Picti terram possessionis suæ quam tenuerunt

Angli & Scoti qui erant in Britannia, & Britonum quoque pars nonnulla, libertatem receperunt, quam & hactenus habent per annos circiter quadraginta & sex. Vbi inter plurimas gentes Anglorum vel inter emptos gladio, vel seruitio addictos, vel de terra Pictorum fuga lapsos, etiam reuerendissimus vir domini Trumvvini, qui in eos episcopatũ acceperat, recessit cum suis qui erant in monasterio Ebbercurnig, posito quidem in regione Anglorum, sed in vicinia freti, quod Anglorum terras Pictorumque disterminat: eosque vbicunque poterat amicis per monasteria commendans, ipse in sæpe dicto famulorum famularumque Dei monasterio, quod vocatur Streaneshalch, locum mansionis elegit: ibique cum paucis suorum in monachica districtione vitam, nõ sibi solummodo sed & multis vtilem plurimo annorum tempore duxit. Vbi etiam defunctus in ecclesia beati Petri apostoli iuxta honorem & vita & gradu eius condignum conditus est. Præerat quidem tunc eidem monasterio regia virgo Elflet, vna cum matre Eanflede, quarum supra fecimus mentionem. Sed adueniente illuc episcopo, maximum regendi auxilium simul & suæ vitæ solatium deuota Deo doctrix inuenit. Successit autem Ecgfrido in regnum Altfrit vir in scripturis doctissimus, qui frater eius & filius Osuiu regis esse dicebatur: destructumque regni statum, quamuis intra fines angustiores, nobiliter recuperauit. Quo videlicet anno, qui est ab incarnatione dominica sexcentesimus octogesimus quintus, Lothere Cantuariorum rex, cum post Ecgbertum fratrem suum, qui nouem annos regnauerat, ipse duodecim annos regnasset, mortuus erat octauo Idus Februarij. Vulneratus namque est in pugna Australium Saxonum, quos contra eum Edric filius Ecgberti aggregarat, & inter medendum defunctus est. ac post eum idem Edric anno vno ac dimidio regnauit. Quo defuncto regnum illud per aliquod temporis spatium reges dubij, vel externi disperdiderunt, donec legitimus rex Victred, id est, filius Ecgberti confortatus in regno, religione simul & industria gentem suam ab extranea inuasione liberaret.

CAPVT XXVII.

IPSO etiam anno quo finem vitæ accepit rex Ecgfridus, episcopum, vt diximus, fecit ordinari Lindisfarnensium ecclesiæ virum sanctum & venerabilem Cudbertum, qui in insula permodica, quæ appellatur Farne, & ab eadem ecclesia nouem ferme milibus passuum in Oceano procul abest, vitam solitariam per annos plures in magna corporis & mentis continentia duxerat. qui quidem a prima ætate pueritiæ studio religiosæ vitæ semper ardebat: sed ab ineunte adolescentia monachicum & nomen assumpsit & habitum. Intrauit autem primo monasterium Mailros, quod in ripa Tuidi fluminis positum, tunc abbas Eata vir omnium mansuetissimus regebat. Qui postea episcopus Hagustaldensis siue Lindisfarnensis ecclesiæ factus est, vt supra memorauimus. Cui tempore illo præpositus Boisil magnarum virtutum & prophetici spiritus sacerdos fuit. Huius discipulatui Cudbertus humiliter subditus, & scientiam ab eo sanctarum scripturarum, & bonorum operum sumsit exempla. Qui postquam migrauit ad Dominum, Cudbertus eidem monasterio factus præpositus, plures & auctoritate magistri, & exemplo suæ actionis regularem instituebat ad vitam. Nec solum ipsi monasterio regularis vitæ monita simul & exempla præbebat, sed & vulgus circumpositum longe lateque a vita stultæ consuetudinis ad cœlestium gaudiorum conuertere curabat amorem. Nam & multi fidem quam habebant iniquis profanabant operibus, & aliqui etiam tempore mortalitatis neglectis fidei sacramentis, quibus erant imbuti, ad erratica idololatriæ medicamina concurrebant, quasi missam a Deo conditore plagam per incantationes vel filacteria, vel alia quælibet dæmoniacæ artis arcana cohibere valerent. Ad vtrorumque ergo corrigendum errorem crebro ipse de monasterio egressus, aliquotiens equo sedens, sed sæpius pedibus incedens, circumpositas veniebat ad villas, & viam veritatis prædicabat errantibus, quod ipsum etiam Boisil suo tempore facere consueuerat. Erat quippe moris eo tempore populis Anglorum, vt veniente in villã clerico vel presbytero, cuncti ad eius imperium verbum audituri confluerent, libenter ea quæ dicerentur, audirent; libentius ea quæ audire & intelligere poterant, operando sequerentur. Porro Cudberto tanta erat dicendi peritia, tantus amor

persuadendi quæ docuerat, tale vultus angelici lumen, vt nullus præsentium latebras ei sui cordis celare præsumeret, quin omnes palam quæ gesserant confitendo proferrent: quia nimirum hæc eadem illum latere nullo modo putarent, & confessa dignis, vt imperabat, pœnitentiæ fructibus abstergerent. Solebat autem ea maxime loca peragrare, & illis prædicare in viculis, qui in arduis asperisque montibus procul positi aliis horrori erant ad visendum, & paupertate pariter ac rusticitate sua doctorum arcebant accessum. Quos tamen ille libenter pio mancipatus labori tanta doctrinæ solertis excolebat industria, vt de monasterio egressus sæpe hebdomada integra, aliquando duabus vel tribus, nonnunquam etiam mense pleno domum non rediret: sed demoratus in montanis plebem rusticam verbo prædicationis simul & opere virtutis ad cœlestia vocaret. Cum ergo venerabilis Domini famulus multos in Mailrosensi monasterio degens annos, magnis virtutum signis effulgeret, transtulit eum reuerendissimus abbas ipsius Eata ad insulam Lindisfarnensium, vt ibi quoque fratribus custodiam disciplinæ regularis & auctoritate præpositi intimaret, & propria actione præmonstraret. Nam & ipsum locum tunc idem reuerendissimus pater, abbatis iure regebat. siquidem a temporibus antiquis ibidem & episcopus cum clero, & abbas solebat manere cum monachis, qui tamen & ipsi ad curam episcopi familiariter pertineret. Quia nimirum Aidam, qui primus eius loci episcopus fuit, cum monachis illuc, & ipse monachus adueniens, monachicam in eo conuersationem instituit. Quomodo & prius beatus pater Augustinus in Cantia fecisse noscitur, scribente ei reuerendissimo papa Gregorio, quod & supra posuimus. Sed quia tua fraternitas, inquit, monasterij regulis erudita seorsum fieri non debet a clericis suis in ecclesia Anglorum, quæ nuper auctore Deo ad fidem perducta est, hanc debet conuersationem instituere, quæ in initio nascentis ecclesiæ fuit patribus nostris, in quibus nullus eorum ex his qui possidebant aliquid suum esse dicebat: sed erant eis omnia communia.

CAPVT XXVIII.

Exin Cudbertus crescentibus meritis religiosæ intentionis ad anachoreticæ quoque contemplationis, quæ diximus, silentia secreta peruenit. Verum quia de vita illius & virtutibus ante annos plures sufficienter & versibus heroicis & simplici oratione conscripsimus, hoc tantum in præsenti commemorare satis sit, quod aditurus insulam, protestatus est fratribus dicens: Si mihi diuina gratia in loco illo donauerit, vt de opere manuum mearum viuere queam, libens ibi morabor; sin alias, ad vos citissime, Deo volẽte, reuertar. Erat autem locus & aquæ prorsus & frugis & arboris inops, sed & spirituum malignorum frequentia humanæ habitationi minus accommodus: sed ad votum viri Dei habitabilis per omnia factus est. Siquidem ad aduentum eius spiritus recessere maligni. Cum autem ipse sibi ibidem expulsis hostibus mansionem angustam circumuallante aggere & domos in ea necessarias iuuante fratrum manu, id est, oratorium & habitaculum commune construxisset, iussit fratres in eiusdem habitaculi pauimento foueam facere; erat autem tellus durissima & saxosa, cui nulla omnino species venæ fontanæ videretur inesse. Quod dum facerent ad fidem & preces famuli Dei, alio die aqua plena inuenta est; quæ vsque ad hanc diem sufficientem cunctis illo aduenientibus gratiæ suæ cœlestis copiam ministrat. Sed & ferramenta sibi ruralia cum frumento afferri rogauit, quod dum præparata terra tempore congruo seminaret, nil omnino non dico spicarum, sed ne herbę quidem ex eo germinari vsque ad æstatis tempora contigit. Vnde visitantibus se ex more fratribus hordeum iussit afferri, si forte vel natura soli illius, vel voluntas esset superni largitoris, vt illius frugis ibi potius seges oriretur. Quod dum sibi allatum vltra omne tempus serendi, vltra omnem spem fructificandi eodem in agro sereret, mox copiosa seges exorta desideratam proprij laboris viro Dei refectionem præbebat. Cum ergo ibidem multis annis Deo solitarius seruiret (tanta autem erat altitudo aggeris quo mansio eius erat vallata, vt cœlum tantum ex ea, cuius introitum sitiebat, aspicere posset) contigit vt congregata synodo non parua sub præsentia regis Ecgfridi iuxta fluuium Alnæ, in loco qui dicitur *Adtwiforda*, quod significat ad duplex vadum, cui beatæ memoriȩ Theodorus

archiepiſcopus præſidebat, vno animo omniumque conſenſu ad epiſcopatum Eccleſiæ Lindisfarnenſis eligeretur. Qui cum multis legatariis ac litteris ad ſe præmiſſis nequaquam ſuo monaſterio poſſet erui, tandem rex ipſe præfatus vna cum ſanctiſſimo antiſtite Trumvvini necnon & aliis religioſis ac potentibus viris in inſulam nauigauit. Conueniunt & de ipſa inſula Lindisfarnenſi in hoc ipſum multi de fratribus, genu flectunt, omnes adiurant per Dominum; lacrymas fundunt, obſecrant, donec ipſum quoque lacrymis plenum dulcibus extrahunt latebris; atque in ſynodum pertrahunt. Quo dum perueniret, quamuis multum renitens, vnanima cunctorum voluntate ſuperatur, atque ad ſuſcipiendum epiſcopatus officium collum ſubmittere compellitur: eo maxime victus ſermone, quod famulus Dei Boiſil (cum mente prophetica cuncta quæ ei eſſent ſuperuentura patefaceret) antiſtitem quoque eum futurum eſſe prædixerat. Nec tamen ſtatim ordinatio decreta, ſed peracta hieme, quæ imminebat, in ipſa ſolennitate Paſchali completa eſt Eboraci, ſub præſentia præfati regis Ecgfridi, conuenientibus ad conſecrationem eius ſeptem epiſcopis; in quibus beatæ memoriæ Theodorus primatum tenebat. Electus eſt autem primo in epiſcopatum Haguſtaldenſis eccleſiæ pro Trumberto, qui ab epiſcopatu fuerat depoſitus. Sed quoniam ipſe plus Lindisfarnenſi eccleſiæ, in qua conuerſatus fuerat, dilexit præfici; placuit vt Eata reuerſo ad ſedem eccleſiæ Haguſtaldenſis, cui regendæ primo fuerat ordinatus, Cudbertus eccleſiæ Lindisfarnenſis gubernacula ſuſciperet. Qui ſuſceptum epiſcopatus gradum, ad imitationem beatorum apoſtolorum, virtutum ornabat operibus. Commiſſam namque ſibi plebem & orationibus protegebat aſſiduis, & admonitionibus ſaluberrimis ad cœleſtia vocabat. &, quod maxime doctores iuuare ſolet, ea quæ agẽda docebat, ipſe prius agendo præmonſtrabat. Erat quippe ante omnia diuinæ caritatis igne feruidus, patientiæ virtute modeſtus, orationum deuotioni ſolertiſſime intentus, affabilis omnibus, qui ad ſe conſolationis gratia veniebant. Hoc ipſum quoque orationis loco ducens, ſi infirmis fratribus opem ſuæ exhortationis tribueret, ſciens quia qui dixit: Diliges dominum Deum tuum: dixit &: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Erat & abſtinentiæ caſtigatione inſignis, erat gratia compunctionis ſemper ad cœleſtia ſuſpenſus. Denique cum ſacrificium Deo victimæ ſalutaris offerret, non eleuata in altum voce, ſed profuſis ex imo pectore lacrymis, Domino ſua vota cõmendabat. Duobus autem annis in epiſcopatu peractis, repetiit inſulam ac monaſterium ſuũ diuino admonitus oraculo, quia dies ſibi mortis, vel vitæ magis illius quæ ſola vita dicenda eſt, iam appropiaret introitus. Sicut ipſe quoque tempore eodem nonnullis, ſed verbis obſcurioribus, quæ tamen poſtmodum manifeſte intelligerentur, ſolita ſibi ſimplicitate pandebat: quibuſdam autem hoc idem etiam manifeſte reuelabat.

CAPVT XXIX.

ERAT enim quidam preſbyter vitæ & morum probitate venerabilis nomine Herebertus iam dudum viro Dei, ſpiritalis amicitiæ fœdere copulatus. Qui in inſula ſtagni illius pergrandis, de quo Dervventionis fluuij primordia erumpunt, vitam ducens ſolitariam, annis ſingulis eum viſitare, & monita perpetuæ ab eo ſalutis audire ſolebat. Hic cum audiret eum ad ciuitatem Lugubaliam deueniſſe, venit ex more cupiens ſalutaribus eius exhortationibus ad ſuperna deſideria magis magiſq; accendi. Qui dum ſeſe alterutrum cœleſtis vitæ poculis debriarent, dixit inter alia antiſtes: Memento, frater Herebertte, vt modo quicquid opus habes me interroges, mecumque loquaris: poſtquam enim ab inuicem digreſſi fuerimus, non vltra nos in hoc ſæculo carnis obtutibus inuicem aſpiciemus. Certus ſum namque, quia tempus meæ reſolutionis inſtat, & velox eſt depoſitio tabernaculi mei. Qui hæc audiens, prouolutus eſt eius veſtigiis, & fuſis cum gemitu lacrymis: Obſecro, inquit, per Dominum, ne me deſeras: ſed tui memor ſis fidiſſimi ſodalis, rogeſque ſupernam pietatem, vt cui ſimul in terris ſeruiuimus, ad eius videndam gratiam ſimul tranſeamus ad cœlos. Noſti enim quia ad tui oris imperium ſemper viuere ſtudui, & quicquid ignorantia vel fragilitate deliqui, æque ad tuæ voluntatis examen mox emendare curaui. Incubuit precibus Antiſtes, ſtatimque edoctus in ſpiritu impetraſſe ſe quod petebat a Domino: Surge, inquit, frater

mi, &

mi, & noli plorare, sed gaudio gaude, quia quod rogauimus, superna nobis clementia donauit. Cuius promissi & prophetiæ veritatem, sequens rerum astruxit euentus; quia & digredientes ab inuicem non se vltra corporaliter viderunt, sed vno eodemque die, hoc est, Kalendarum Aprilium tertiodecimo egredientes e corpore spiritus eorum, mox beata inuicem visione coniuncti sunt, atque angelico ministerio pariter ad regnum cœleste translati. Sed Herebertus diutina prius infirmitate decoquitur, illa, vt credibile est, dispensatione dominicæ pietatis, vt si quid minus haberet meriti a beato Cudberto, suppleret hoc castigans longæ ægritudinis dolor, quatenus æquatus gratia suo intercessori, sicut vno eodemque tempore cum eo de corpore egredi, ita etiam vna atque indissimili sede perpetuæ beatitudinis meruisset recipi. Obiit autem pater reuerendissimus in insula Farne, multum deprecatus fratres, vt ibi quoque sepeliretur, vbi non paruo tempore pro Domino militarat. At tamen tandem eorum precibus victus, assensum dedit vt ad insulam Lindisfarnensium relatus, in ecclesia deponeretur. Quod dum factum esset, episcopatum ecclesiæ illius anno vno seruabat venerabilis antistes Vilfridus, donec eligeretur qui pro Cudberto antistes ordinari deberet. Ordinatus est autem post hæc Eadbertus vir scientia scripturarum diuinarum, simul & præceptorum cœlestium obseruantia, ac maxime eleemosynarum operatione insignis, ita vt iuxta legem omnibus annis decimam non solum quadrupedum, verumetiam frugum omnium atque pomorum, necnon & vestimentorum partem pauperibus daret.

CAPVT XXX.

VOLENS autem latius demonstrare diuina dispensatio, quanta in gloria vir Domini Cudbertus post mortem viueret, cuius ante mortem vita sublimis crebris etiam miraculorum patebat indiciis, transactis sepulturæ eius annis vndecim, immisit in animo fratrum, vt tollerent ossa illius. Qui, more mortuorum, consumpto iam & in puluerem redacto corpore, reliqua sicca inuenienda putabant, atque in nouo recondita loculo in eodem quidem loco, sed supra pauimentum dignæ venerationis gratia locarent. Quod dum sibi placuisse Eadberto antistiti suo referrent, annuit consilio eorum, iussitque vt die depositionis eius hoc facere meminissent. Fecerunt autem ita. & aperientes sepulcrum, inuenerunt corpus totum, quasi adhuc viueret, integrum, & flexilibus artuum compagibus multo dormienti quam mortuo similius. Sed & vestimenta omnia quibus indutum erat, non solum intemerata, verumetiam prisca nouitate & claritudine miranda apparebant. Quod vbi videre fratres, nimio mox timore perculsi festinauerunt referre antistiti quæ inuenerant; qui tum forte in remotiori ab ecclesia loco refluis vndique pelagi fluctibus cincto, solitarius manebat. In hoc etenim semper quadragesimæ tempus agere, in hoc quadraginta ante dominicum natale dies in magna continentiæ, orationis, & lacrymarum deuotione transigere solebat. In quo etiam venerabilis prædecessor eius Cudbertus priusquam insulam Farne peteret, aliqua[illegible]cretius Domino militabat. Attulerunt autem ei & partem indumentorum, quæ corpus sanctum ambierant: quæ cum ille & munera gratanter acciperet, & miracula libenter audiret, nam & ipsa indumenta quasi patris adhuc corpori circundata miro deosculabatur affectu, Noua, inquit, indumenta corpori pro his quæ tulistis circundate, & sic reponite in arca quam parastis. Scio autem certissime, quod non diu vacuus remanebit locus ille, qui tanta miraculi cœlestis gratia sacratus est. Et quam beatus est, cui in eo facultatem quiescendi Dominus totius beatitudinis auctor atque largitor præstare dignabitur! Hæc & huiusmodi plura vbi multis cum lacrymis & magna compunctione antistes, lingua etiam tremente compleuit, fecerunt fratres vt iusserat, & inuolutum nouo amictu corpus, nouaque in theca reconditũ, supra pauimentũ sanctuarij posuerunt. Nec mora Deo dilectus antistes Eadbertus morbo correptus est acerbo, ac per dies crescente multũq; ingrauescẽte ardore lãguoris, nõ multo post, id est, pridie nonas Maias etiã ipse migrauit ad Dominũ. Cuius etiã corpus in sepulcro benedicti patris Cudberti ponẽtes, posuerũt desuper arcã in qua incorrupta eiusdem patris membra locauerant. In quo etiã loco signa sanitatum

aliquoties facta meritis amborum, testimonium ferunt. e quibus aliqua in libro vitæ illius, olim memoriæ mandauimus. Sed & in hac historia quædam quæ nos nuper audisse contigit, superadiicere commodum duximus.

CAPVT XXXI.

ERAT in eodem monasterio frater quidam nomine Beadvvegen, tempore non pauco hospitum ministerio deseruiens, qui nunc vsque superest, testimonium habens ab vniuersis fratribus cunctisque superuenientibus hospitibus, quod vir esset multæ pietatis ac religionis, iniunctoque sibi officio supernæ tantum mercedis gratia subditus. Hic cum quadam die lænas siue saga, quibus in hospitali vtebatur, in mari lauisset, rediens domum repentina medio itinere molestia tactus est, ita vt corruens in terram, & aliquamdiu pronus iacens, vix tandem resurgeret. Resurgens autem sensit dimidiam corporis sui partem a capite vsque ad pedes paralysis languore depressam, & maximo cum labore baculo innitens domum peruenit. Crescebat morbus paulatim, & nocte superueniente grauior effectus est; ita vt die redeunte vix ipse per se exsurgere aut incedere valeret. Quo affectus incommodo, concepit vtile mente consilium, vt ad ecclesiam quoquo modo posset perueniens, intraret ad tumbam reuerendissimi patris Cudberti, ibique genibus flexis supplex supernam pietatem rogaret, vt vel ab huiuscemodi languore, si hoc sibi vtile esset, liberaretur; vel si se tali molestia diutius castigari diuina prouidente gratia oporteret, patienter dolorem ac placida mente sustineret illatum. Fecit igitur vt animo disposuerat, & imbecilles artus baculo sustentans intrauit ecclesiam, ac prosternens se ad corpus viri Dei, pia intentione per eius auxilium Dominum sibi fieri propitium precabatur. Atque inter preces velut in soporem solutus, sensit, vt ipse postea referre erat solitus, quasi magnam latamque manum caput sibi, in parte qua dolebat, tetigisse, eodemque tactu totam illam, quæ languore pressa fuerat, corporis sui partem paulatim fugiente dolore ac sanitate subsequente, ad pedes vsque pertransisse. Quo facto mox euigilans, sanissimus surrexit, ac pro sua sanitate Domino gratias denuo referens, quid erga se actum esset fratribus indicauit. Cunctisque congaudentibus, ad ministerium quod sollicitus exhibere solebat, quasi flagello probante, castigatior rediit. Sed & indumenta quibus Deo dicatum corpus Cudberti vel viuum antea, vel postea defunctum vestierant, etiam ipsa a gratia curandi non vacarunt: sicut in volumine vitæ & virtutum eius, quisque legerit, inueniet.

CAPVT XXXII.

NEC silentio prætereundum, quod ante triennium per reliquias eius factum nuper mihi per ipsum in quo factum est fratrem, innotuit. Est autem factum in monasterio, quod iuxta amnem Dacore constructum ab eo cognomen accepit, cui tunc vir religiosus Suidbertus abbatis iure præfuit. Erat in eo quidam adolescens, cui tumor deformis palpebram oculi fœdauerat, qui cum per dies crescens [illegible] interitum minaretur, curabant medici hunc appositis pigmentorum fomentis [illegible]re, nec valebant: quidam abscindendum esse dicebant, alij hoc fieri metu maioris periculi vetabant. Cumque tempore non pauco frater præfatus tali incommodo laboraret, neque imminens oculo exitium humana manus curare valeret, quin per dies augesceret, contigit eum subito diuinæ pietatis gratia per sanctissimi patris Cudberti reliquias sanari. nam quando fratres sui corpus ipsius post multos sepulturæ annos incorruptum reppererant, tulerunt partem de capillis, quam more reliquiarum rogantibus amicis dare vel ostendere in signum miraculi possent. Harum particulam reliquiarum eo tempore habebat penes se quidam de presbyteris eiusdem monasterij, nomine Thridredus, qui nūc ipsius monasterij abbas est. Qui cum die quadam ingressus ecclesiam aperuisset thecam reliquiarum, vt portionem earum roganti amico præstaret, contigit & ipsum adolescentem, cui oculus languebat, in eadem tunc ecclesia adesse. Cumque presbyter portionem, quantam voluit, amico dedisset, residuum dedit adolescenti, vt suo in loco reponeret. At ille salubri instinctu admonitus, cum accepisset capillos sancti capitis, apposuit palpebræ languenti, & aliquādiu tumorem illum infestum, horum

appositione comprimere ac mollire curabat. Quo facto reliquias, vt iusserat, sua in theca recondidit, credens suum oculum capillis viri Dei, quibus attactus erat, ocyus esse sanandum. Neque eum sua fides fefellit. Erat enim, vt referre est solitus, tunc hora circiter secunda diei. Sed cum alia quæque dies illa exigebat cogitaret & faceret, imminente hora ipsius diei sexta, repente contingens oculum ita sanum cum palpebra inuenit, ac si nihil vnquam in eo deformitatis ac tumoris apparuisset.

LIBER QVINTVS.

CAPVT PRIMVM.

SVCCESSIT autem viro Domini Cudberto in exercenda vita solitaria, quam in insula Farne ante episcopatus sui tempora gerebat, vir venerabilis Aedilvvaldus, qui multis annis in monasterio quod dicitur Inripum, acceptum presbyteratus officium condignis gradu ipse consecrabat actibus. Cuius vt meritum vel vita qualis fuerit clarescat certius, vnum eius narro miraculum, quod mihi vnus e fratribus, propter quos & in quibus patratum est, ipse narrauit: videlicet Gudfridus venerabilis Christi famulus & presbyter, qui etiam postea fratribus eiusdem ecclesiæ Lindisfarnensis, in qua educatus est, abbatis iure præfuit. Veni, inquit, cum duobus fratribus aliis ad insulam Farne, loqui desiderans cum reuerendissimo patre Aedilvvaldo. Cumque allocutione eius refecti, & benedictione petita domum rediremus; ecce subito positis nobis in medio mari interrupta est serenitas qua vehebamur, & tanta ingruit tamque fera tempestatis hiems, vt neque velo neque remigio quicquam proficere, neque aliud quam mortem sperare valeremus. Cumq; diu multum cum vento pelagoque frustra certantes, tandem post terga respiceremus, si forte vel ipsam de qua egressi eramus insulam aliquo conamine repetere possemus, inuenimus nos vndique versum pari tempestate præclusos, nullamque spem nobis in nobis restare salutis. Vbi autem longius visum leuauimus, vidimus in ipsa insula Farne egressum de latibulis suis amantissimum Deo patrem Aedilvvaldum iter nostrum inspicere. Audito etenim fragore procellarū ac feruentis Oceani, exierat videre quid nobis accideret. cumque nos in labore ac desperatione positos cerneret, flectebat genua sua ad patrem domini nostri Iesu Christi, pro nostra vita & salute deprecaturus. Et cum orationem compleret, simul tumida æquora placauit, adeo vt cessante per omnia sæuitia tempestatis, secundi nos venti ad terram vsque per plana maris terga comitarentur. Cumque euadentes ad terram nauiculam quoq; nostram ab vndis exportaremus, mox eadem quæ nostri gratia modicum siluerat, tempestas rediit, & toto illo die multum furere non cessauit: vt palam daretur intelligi, quod modica illa quæ prouenerat intercapedo quietis, ad viri Dei preces nostræ euasionis gratia cœlitus donata esset. Mansit autem idem vir Dei in insula Farne duodecim annis, ibidemque defunctus est: sed in insula Lindisfarnensi iuxta præfatorum corpora episcoporum in ecclesia beati Petri apostoli sepultus est. Gesta vero sunt hęc temporibus Alfridi regis, qui post fratrem suum Ecgfridum genti NordanHumbrorum decem & octo annis præfuit.

CAPVT II.

CVIVS regni principio, defuncto Eata episcopo, Ioannes vir sanctus, Hagustaldensis ecclesiæ præsulatum suscepit, de quo plura virtutum miracula, qui eum familiariter nouerunt, dicere solent, & maxime vir reuerendissimus ac veracissimus Beretun diaconus quondam eius, nunc autem abbas monasterij, quod vocatur *Inderauuda*,

id est, in silua Deirorum. e quibus aliqua memoriæ tradere commodum duximus. Est autem mansio quædam secretior, nemore raro & vallo circundata, non longe ab Hagustaldensi ecclesia, id est, vnius ferme miliarij & dimidij spatio, interfluente Thino amne separata, habens cœmeterium sancti Michaelis archangeli, in qua vir Dei sæpius vbi oportunitas arridebat temporis, & maxime in quadragesima, manere cum paucis, atque orationibus ac lectioni quietus operam dare consueuerat. Cumq; tempore quodam incipiente quadragesima ibidem mansurus aduenirer, iussit suis quærere pauperem aliquem maiore infirmitate vel inopia grauatum, quem secum habere illis diebus ad faciendam eleemosynam posset. sic enim semper facere solebat. Erat autem in villa non longe posita quidam adolescens mutus, episcopo notus (nam sæpius ante illum percipiendæ eleemosynæ gratia venire consueuerat) qui ne vnum quidem sermonem vnquam profari poterat. Sed & scabiem tantam & furfures habebat in capite, vt nil vnquam capillorum ei in superiori parte capitis nasci valeret, tantum in circuitu horridi crines stare videbantur. Hunc ergo adduci præcipit episcopus, & ei in conseptis eiusdem mansionis paruum tugurium fieri, in quo manens quotidianam ab eo stipem acciperet. Cumque vna quadragesimę esset impleta septimana, sequenti dominica iussit ad se intrare pauperem. Ingresso linguam proferre ex ore, ac sibi ostendere iussit; & apprehendens eum de mento, signum sanctæ crucis linguæ eius impressit, quam signatam reuocare in os, & loqui illum præcepit: Dicito (inquiens) aliquod verbum, dicito *gea gea*, quod est, lingua Anglorum verbum affirmandi & consentiendi, id est, etiam. Dixit ille statim soluto vinculo linguæ quod iussus erat. Addidit episcopus nomina litterarum. Dicito a: dixit ille a: Dicito b: dixit ille b. Cumque singula litterarum nomina dicente episcopo, respõderet, addidit & syllabas ac verba illi dicẽda proponere. Et cum in omnibus consequenter responderet, præcepit eum sententias longiores dicere; & fecit. neque vltra cessauit tota die illa & nocte sequente, quantum vigilare potuit (vt ferunt qui præsentes fuere) loqui aliquid, & arcana suæ cogitationis ac voluntatis, quod nũquam antea potuit aliis ostẽdere; in similitudinem illius diu claudi, qui curatus ab apostolis Petro & Ioãne, exiliens stetit & ambulabat, & intrauit cum illis in templum, ambulans & exiliens & laudans Dominum: gaudens nimirum vti officio pedum quo tanto tempore erat destitutus. Cuius sanitati congaudens episcopus, præcepit medico etiam sanandæ scabredini capitis eius curam adhibere. Fecit vt iusserat, & iuuante benedictione ac precibus antistitis, nata est cũ sanitate cutis, venusta species capillorum. Factusque est iuuenis limpidus vultu, & loquela promptus, capillis pulcerrime crispis, qui ante fuerat deformis pauper & mutus. Sicque de percepta lætatus sospitate, offerente ei etiam episcopo, vt in sua familia manendi locum acciperet, magis domum reuersus est.

CAPVT III.

NARRAVIT idem Berechtus & aliud de præfato antistite miraculum. Quia cum reuerendissimus vir Vilfridus post longum exilium in episcopatum esset Hagustaldensis ecclesiæ receptus, & idem Ioannes defuncto Bosa viro multæ sanctitatis & humilitatis episcopus pro eo Eboraci substitutus, venerit ipse tempore quodam ad monasterium virginum, in loco qui vocatur Vetadun, cui tũc Hereburg abbatissa pręfuit. Vbi cum venissemus, inquit, & magno vniuersorum gaudio suscepti essemus, indicauit nobis abbatissa, quod quædam de numero virginum, quæ erat filia ipsius carnalis, grauissimo languore teneretur, quia phlebotomata est nuper in brachio, & cum adhuc esset in studio, tacta est infirmitate repentini doloris. Quo mox increscente magis grauatũ est brachium illud vulneratũ, ac versum in tumorem, adeo vt vix duabus manibus circũplecti posset; ipsaq; iacens in lecto præ nimietate doloris iam moritura videretur. Rogauit ergo episcopũ abbatissa, vt intrare ad eã ac benedicere illã dignaretur, quia crederet eam ad benedictionẽ vel tactũ illius mox melius habiturã. Interrogans autem ille quãdo phlebotomata esset puella, & vt cognouit quia in luna quarta, Dixit: Multũ insipiẽter & indocte fecistis, in luna quarta phlebotomando. Memini enim beatæ memorię Theodorũ archiepiscopũ dicere, quia periculosa sit satis illius tẽporis phlebotomia

mia, quādo & lumen lunæ & reuma Oceani in cremēto est. Et quid ego possum puellę, si moritura est, facere? At illa instantius obsecrans pro filia, quam opido diligebat, nam & abbatissam eam pro se facere disposuerat; tandem obtinuit vt ad languentem intraret. Intrauit ergo, me secum assumpto, ad virginem quæ iacebat multo, vt dixi, dolore constricta, & brachio intantum grossescente, vt nihil prorsus in cubitu flexionis haberet. Et astans dixit orationem super illam, ac benedicens egressus est. Cumque post hæc hora competente consederemus ad mensam, adueniens quidam clamauit me, ducens foras, & ait: Postulat Coenburg (hoc enim erat nomen virginis) vt ocyus regrediaris ad eam. Quod dum facerem, reperi illam ingrediens vultu hilariorem, & velut sospiti similem. & dum assiderem illi dixit: Vis petamus bibere? Et ego: Volo inquam, & multum delector, si potes. Cumque oblato poculo biberemus ambo, cœpit mihi dicere, quod ex quo episcopus orationem pro me, benedictione completa, fecit & egressus est, statim melius habere incipio: & si necdum vires pristinas recepi, dolor tamē omnis, & de brachio, vbi ardentior inerat, & de toto meo corpore, velut ipso episcopo foras eum exportante, funditus ablatus est; tametsi tumor adhuc in brachio manere videatur. Abeuntibus autem nobis inde, continuo fugatum dolorem membrorum, fuga quoque tumoris horrendi secuta est, & erepta morti ac doloribus virgo laudes Domino saluatori, vna cum ceteris qui ibi erant seruis illius, referebat.

CAPVT IIII.

ALIVD quoque non multum huic dissimile miraculum de præfato antistite narrauit idem abbas dicens: Villa erat comitis cuiusdam, qui vocabatur Puch, non longe a monasterio nostro, id est, duorum ferme milium spatio separata, cuius coniunx quadraginta ferme diebus erat acerbissimo languore detenta, ita vt tribus septimanis non posset de cubiculo, in quo iacebat, foras efferri. Contigit autem eo tempore virum Dei illo ad dedicandam ecclesiam ab eodem comite vocari. Cumque dedicata esset ecclesia, rogauit comes eum ad prandendum domum suam ingredi. renuit episcopus, dicens, se ad monasterium quod proxime erat, reuerti debere. At ille obnixius precibus instans, vouit etiam se eleemosynas pauperibus daturum, dummodo ille dignaretur ea die domum suam ingrediens, ieiunium soluere. Rogaui & ego vna cum illo, promittens etiam me eleemosynas in alimoniam inopum dare, dum ille domum comitis pransurus ac benedictionem daturus intraret. Cumq; hoc tarde ac difficulter impetraremus, intrauimus ad reficiendum. Miserat autem episcopus mulieri, quæ infirma iacebat, de aqua benedicta quam in dedicationē ecclesiæ consecrauerat, per vnum de his qui mecum venerant fratribus, præcipiens vt gustandam illi daret, & vbicunque maximum ei dolorem inesse didicisset, de ipsa eam aqua lauaret. Quod vt factum est, surrexit statim mulier sana, & non solum se infirmitate longa carere, sed & perditas dudum vires recepisse sentiens, obtulit poculum episcopo, ac nobis: cœptumq; ministerium nobis omnibus propinandi vsque ad prandium completum non omisit; imitata socrum beati Petri, quæ cum febrium fuisset ardoribus fatigata, ad tactum manus dominicæ surrexit, & sanitate simul ac virtute recepta, ministrabat eis.

CAPVT V.

ALIO item tempore vocatus ad dedicandam ecclesiam comitis, vocabulo Addi, cū postulatū cōplesset ministeriū, rogatus est ab eodē comite, intrare ad vnū de pueris eius qui acerrima ægritudine premebatur, ita vt deficiente penitus omnium membrorum officio, iam iamq; moriturus esse videretur. cui etiam loculus iam tunc erat præparatus, in quo defunctus condi deberet. Addidit autem vir etiam lacrymas precibus, diligenter obsecrans vt intraret oraturus pro illo, quia multum necessaria sibi esset vita ipsius: crederet vero quia si ille ei manum imponeret, atque eum benedicere voluisset, statim melius haberet. Intrauit ergo illo episcopus, & vidit eum mœstis omnibus iam morti proximum, positumq; loculum iuxta eum in quo sepeliendus poni deberet. Dixitque orationem, ac benedixit eum, & egrediens dixit solito consolantium sermone: Bene conualescas, & cito. Cumque post hæc sederent ad mensam, misit puer

ad dominum suum, rogans sibi poculum vini mittere, quia sitiret. Gauisus ille multum quod bibere posset, misit ei calicem vini benedictum ab episcopo. Quem vt bibit, surrexit continuo, & veterno infirmitatis discusso, induit se ipse vestimentis suis, & egressus inde intrauit, & salutauit episcopum & conuiuas, dicens quod ipse quoque delectaretur manducare & bibere cum eis. Iusserunt eum sedere secum ad epulas, multum gaudentes de sospitate illius. Residebat, vescebatur, bibebat, lætabatur, quasi vnus e cõuiuis agebat. Et multis post hæc annis viuens, in eadem quam acceperat salute permansit. Hoc autem miraculum memoratus abbas non se præsente factum, sed ab his qui præsentes fuerunt sibi perhibet esse relatum.

CAPVT VI.

NEQVE hoc silentio prætereundum arbitror, quod famulus Christi Herebaldus in se ipso ab eo factum solet narrare miraculum: qui tunc quidem in clero illius conuersatus, nunc in monasterio quod est iuxta ostium Vvinri fluminis, abbatis iure præest. Vitam, inquit, illius (quantum hominibus æstimare fas est) quam præsens optime cognoui, per omnia episcopo dignam esse comperi. Sed & cuius meriti apud internum iudicẽ habitus sit, & in multis aliis & in meipso maxime expertus sum. Quippe quem ab ipso, vt ita dicam, mortis limite reuocans, ad viam vitæ sua oratione ac benedictione reduxit. Nam cum primæuo adolescentiæ meæ tempore in clero illius degerem, legendi quidem canendique studiis traditus, sed non adhuc animum perfecte a iuuenilibus cohibens illecebris, contigit die quadam nos iter agentes cum illo deuenisse in viam planam & amplam atque cursui equorum aptam. Cœperuntque iuuenes qui cum ipso erant maxime laici postulare episcopum, vt cursu maiore equos suos inuicem probare liceret. At ille primo negauit, ociosum dicens esse quod desiderabant. sed ad vltimum multorum vnanima intentione deuictus, facite, inquit, si vultis, ita tamen vt Herebaldus ab illo se certamine abstineat. Porro ipse diligentius obsecrans, vt & mihi certandi cum illis copia daretur (fidebam namque equo, quem mihi ipse optimum donauerat) nequaquam impetrare potui. At cum sæpius huc atque illuc, spectante me & episcopo, concitatis in cursum equis reuerterentur, & ipse lasciuo superatus animo, non me potui cohibere, sed, prohibente licet illo, ludentibus me miscui, & simul cursu equi contendere cœpi. Quod dum agerem, audiui illum post tergum mihi cum gemitu dicentem: O quam magnum væ facis mihi sic equitando. Et ego audiens nihilominus cœptis institi vetitis. Nec mora, dum feruens equus quoddam itineris concauum valentiore impetu transiliret, lapsus decidi: & mox velut emoriens sensum penitus motumque omnem perdidi. Erat namque in loco illo lapis terræ æqualis obtectus cespite tenui, neque vllus alter in tota illa campi planitie lapis inueniri poterat: casuque euenit, vel potius diuina prouisione ad puniendam inobedientiæ meæ culpam, vt hunc capite ac manu quam capiti ruens supposueram, tangerem, atque infracto pollice, capitis quoque iunctura solueretur, & ego, vt dixi, simillimus mortuo fierem. & quia moueri non poteram, tetenderunt ibidem papilionem in quo iacerem. Erat autem circiter hora diei septima, a qua ad vesperam vsque quietus & quasi mortuus permanens, tunc paululum reuiuisco, ferorque domum a sociis, ac tacitus tota nocte perduro. Vomebam autem sanguinem, eo quod & interanea essent ruendo conuulsa. At episcopus grauissime de casu & interitu meo dolebat, eo quod me speciali diligeret affectu: nec voluit nocte illa iuxta morem cum clericis suis manere, verum solus in oratione persistens noctem ducebat peruigilem, pro mea, vt reor, sospitate supernæ pietati supplicans. Et mane primo ingressus ad me, & dicta super me oratione, vocauit me nomine meo, & quasi de graui somno excitatum interrogauit, si nossem quis esset qui loqueretur ad me. At ego aperiens oculos, aio, Etiam: tu es antistes meus amatus. Potes, inquit, viuere? Et ego: Possum, inquam, per orationes vestras, si voluerit Dominus. Qui imponens capiti meo manum cum verbis benedictionis rediit ad orandum. Et post pusillum me reuisens inuenit sedentem & iam loqui valentem, cœpitq; me interrogare (diuino vt mox patuit admonitus instinctu) an me esse baptizatum absque scrupulo nossem. Cui ego absque vlla me hoc dubietate scire respondi, quod

salutari fonte in remissionem peccatorum essem ablutus, & nomen presbyteri a quo me baptizatum noueram, dixi. At ille, Si ab hoc, inquit, sacerdote baptizatus es, non es recte baptizatus. Noui namque eum, & quia cum esset presbyter ordinatus, nullatenus propter ingenij tarditatem potuit catechizandi vel baptizandi ministerium discere. Propter quod & ipse illum ab huius præsumptione ministerij, quod regulariter implere nequibat, omnino cessare præcepi. Quibus dictis eadem hora me catechizare ipse curauit. Factumque est, vt exufflante illo in faciem meam, confestim me melius habere sentirem. Vocauit autem medicum, & dissolutam mei cranij iuncturam componere atque alligare iussit. Tantumque mox accepta eius benedictione conualui, vt in crastinum ascendens equum cum ipso iter in alium locum facerem. nec multo post plene curatus, vitali etiam vnda perfusus sum. Mansit autem in episcopatu annis triginta tribus; & sic cœlestia regna conscendens, sepultus est in porticu sancti Petri, in monasterio suo, quod dicitur, In silua Deirorum, anno ab incarnatione Domini septingentesimo vicesimo primo. Nam cum præ maiore senectute minus episcopatui administrando sufficeret, ordinato in episcopum Eboracensis ecclesiæ Vilfrido presbytero suo, secessit ad monasterium præfatum, ibique vitam Deo digna conuersatione compleuit.

CAPVT VII.

ANNO autem regni Aldfridi tertio Ceadualla rex occidentalium Saxonum cum genti suæ duobus annis strenuissime præesset, relicto imperio propter Dominum regnumque perpetuum venit Romam: hoc sibi gloriæ singularis desiderans adipisci, vt ad limina beatorum apostolorum fonte baptismatis ablueretur, in quo solo didicerat generi humano patere vitæ cœlestis introitum: simul etiam sperans, quia mox baptizatus carne solutus ad æterna gaudia iam mundus transiret. quod vtrumque, vt mente disposuerat, Domino adiuuante, completum est. Etenim illo perueniens, pontificatum agente Sergio, baptizatus est die sancto sabbati Paschalis, anno ab incarnatione Domini sexcentesimo octuagesimo nono, & in albis adhuc positus, languore correptus, duodecimo Kalendarum Maiarum die solutus est a carne, & beatorum est regno sociatus in cœlis. Cui etiam tempore baptismatis Papa memoratus Petri nomen imposuerat, vt beatissimi apostolorum principis (ad cuius sacratissimum corpus per longa locorum interualla pio ductus amore venerat) etiam sanctissimum nomen referret. qui in eius quoque ecclesia sepultus est. Et iubente pontifice apitaphium in eius monumento scriptum est, vt & memoria deuotionis ipsius fixa per sæcula maneret, & legentes quoque vel audientes exemplum facti ad studium religionis accenderet. Scriptum est ergo hoc modo:

Culmen, opes, subolem, pollentia regna, triumphos,
Exuuias, proceres, mœnia, castra, lares:
Quæque patrum virtus, & quæ congesserat ipse,
Ceduald armipotens liquit amore Dei.
Vt Petrum sedemque Petri rex cerneret hospes,
Cuius fonte meras sumeret almus aquas:
Splendificumque iubar radianti carperet haustu,
Ex quo viuificus fulgor vbique fluit.
Percipiensque alacer rediuiuæ præmia vitæ,
Barbaricam rabiem nomen & inde suum
Conuersus conuertit ouans, Petrumque vocari,
Sergius antistes iussit vt ipse pater
Fonte renascentis, quem Christi gratia purgans,
Protinus ablatum vexit in arce poli.
Mira fides regis, clementia maxima Christi.
Cuius consilium nullus adire potest.
Sospes enim veniens supremo ex orbe Britanni,
Per varias gentes, per freta, perque vias,

Vrbem Romuleam vidit, templumque verendum
Aspexit Petri mystica dona gerens.
Candidus inter oues Christi sociabilis iuit,
Corpore nam tumulum mente superna tenet.
Commutasse magis sceptrorum insignia credas,
Quem regnum Christi promeruisse vides.

Hic depositus est Ceadualla, qui & Petrus, rex Saxonum, sub die duodecimo Kalendarum Maiarum, indictione secunda, qui vixit annos plus minus triginta, imperante domino Iustiniano piissimo Augusto, anno eius cõsulatus quarto, pontificante apostolico viro, domino Sergio Papa anno secundo. Abeunte autem Romam Ceadualla, successit in regnum Hun de stirpe regia: qui cum triginta & septem annis imperium tenuisset gentis illius, & ipse relicto regno ac iunioribus commendato, ad limina beatorum Apostolorum Gregorio pontificatum tenente profectus est. Cupiens in vicinia locorum sanctorum ad tẽpus peregrinari in terris, quo familiarius a sanctis recipi mereretur in cœlis. Quod his temporibus plures de gente Anglorum nobiles ignobilesq; laici & clerici, viri ac fœminæ certatim facere consueuerunt.

CAPVT VIII.

Anno autem post hunc quo Ceadualla Romæ defunctus est proximo, id est, sexcentesimo nonagesimo incarnationis dominicæ, Theodorus beatæ memoriæ archiepiscopus senex & plenus dierum, id est, annorum octoginta & octo, defunctus est. Quem se numerum annorum fuisse habiturum, ipse iam dudum somnij reuelatione edoctus, suis prædicere solebat. Mansit autem in episcopatu annis viginti duobus, sepultusque est in ecclesia sancti Petri, in qua omnium episcoporum Dorouernensium sunt corpora deposita. De quo vna cum consortibus eiusdem sui gradus recte & veraciter dici potest, quia corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum viuet in generatione & generationes. Vt enim breuiter dicam, tãtum profectus spiritalis tempore præsulatus illius Anglorum ecclesiæ, quantum nunquam antea potuere, ceperunt. Cuius personam, vitam, ætatem, & obitum epitaphium quoq; monumenti ipsius versibus heroicis triginta & quattuor palam ac lucide cunctis illo aduenientibus pandit. quorum primi sunt hi:

Hic sacer in tumba pausat cum corpore præsul,
Quem nunc Theodorum lingua Pelasga vocat.
Princeps pontificum, felix summusque sacerdos,
Limpida discipulis dogmata disseruit.

Vltimi autem hi:

Namque diem nonamdecimam september habebat,
Cum carnis claustra spiritus egreditur.
Alma nouæ scandens felix consortia vitæ,
Ciuibus angelicis iunctus in arce poli.

CAPVT IX.

Svccessit autem Theodoro in episcopatu Berechtvvaldus, qui erat abbas in monasterio quodam iuxta ostium aquilonare fluminis Genlade positum, quod Racvvlf nuncupatur. Vir & ipse scientia scripturarum imbutus, & ecclesiasticis simul ac monasterialibus disciplinis summe instructus, tametsi prædecessori suo minine comparandus. qui electus est quidem in episcopatum anno dominicæ incarnationis sexcentesimo nonagesimo secundo, die primo mensis Iulij, regnantibus in Cantia Vvichtredo & Suebhardo. Ordinatus autem anno sequente, tertio die Kalendarum Iuliarum dominica, a Godvvino metropolitano episcopo Galliarum, & sedit in sede sua pridie Kalendarum Septembrium dominica. Qui inter multos quos ordinauit antistites, etiam Gebmundo Rhofensis ecclesiæ præsule defuncto, Tobiam pro illo consecrauit, virũ Latina, Græca & Saxonica lingua, atque eruditione multiplici instructum.

CAPVT X.

Eo tempore venerabilis & cum omni honorificentia nominandus famulus Christi & sacerdos Ecgbertus, quem in Hibernia insula peregrinam ducere vitam, pro adipiscenda in cælis patria, retulimus, proposuit animo pluribus prodesse, id est, inito opere Apostolico verbum Dei aliquibus earum, quę nondum audierant, gentibus euangelizando committere, quarum in Germania plurimas nouerat esse nationes, a quibus Angli vel Saxones, qui nunc Britanniam incolunt, genus & originem duxisse noscuntur; unde hactenus a vicina gente Britonum corrupte Germani nuncupantur: sunt autem Fresones, Rugini, Dani, Huni, antiqui Saxones, Boruchtuarij. Sunt etiam alij perplures iisdem in partibus populi, paganis adhuc ritibus seruientes, ad quos venire præfatus Christi miles circumnauigata Britannia disposuit, si quos forte ex illis ereptos satanæ ad Christum transferre valeret, vel, si hoc fieri non posset, Romam venire ad videnda atque adoranda beatorum apostolorum ac martyrum Christi limina cogitauit, sed ne aliquid horum perficeret, superna illi oracula simul & opera restiterũt, siquidem electis sociis strenuissimis, & ad prædicandum verbum idoneis, vtpote actione simul & eruditione præclaris, præparatisque omnibus quæ nauigantibus esse necessaria videbantur, venit die quadam mane primo ad eum vnus de fratribus, discipulus quondam in Britannia & minister Deo dilecti sacerdotis Boisili (cum esset idem Boisil præpositus monasterij Mailrocensis sub abbate Eata, vt supra narrauimus) referens ei visionem quæ sibi eadem nocte apparuisset; cùm expletis, inquiens, hymnis matutinalibus in lecto membra deposuissem, ac leuis mihi somnus obrepsisset, apparuit magister quondam meus & nutritor amantissimus Boisil, interrogauitque me an eum cognoscere possem, aio, Etiã: tu es enim Boisil. At ille: Ad hoc, inquit, veni vt responsum Domini saluatoris Ecgberto afferam, quod te tamen referente oportet ad illum venire, dic ergo illi, quia non valet iter quod proposuit implere, Dei enim voluntas est, vt ad Columbæ monasteria magis docenda pergat. Erat autem Columba primus doctor fidei christianæ transmontanis Pictis ad aquilonem, primusque fundator monasterij, quod in Hu insula multis diu Scotorum Pictorumque populis venerabile mansit; qui videlicet Columba nunc a nonnullis, composito a cella & Columba nomine, Columcelli vocatur. Audiens autem verba visionis Ecgbertus, præcepit fratri qui retulerat, ne cuiquam hæc alteri referret, ne forte illusoria esset visio. Ipse autem tacitus rem considerans, veracem esse timebat, nec tamen a parando itinere, quo ad gentes docendas iret, cessare volebat. At post paucos dies rursum venit ad eum præfatus frater, dicens, quia & ea nocte sibi post expletas matutinas Boisil per visum apparuerit, dicens: Quare tam negligenter ac tepide dixisti Ecgberto, quæ tibi dicenda præcepi. At nunc vade, & dic illi: quia velit nolit, debet ad monasteria Columbæ venire, quia aratra eorum non recte incedunt. Oportet autem eum ad rectum hæc tramitem reuocare. Qui hæc audiens, denuo præcepit fratri, ne hæc cuiquam patefaceret. Ipse vero tametsi certus est factus de visione, nihilominus tentauit iter dispositum cum fratribus memoratis incipere. Cumque iam naui imposuissent quæ tanti itineris necessitas poscebat, atque oportunos aliquot diebus ventos exspectarent, facta est nocte quadam tam sæua tempestas, quæ perditis nonnulla ex parte his quæ in naui erant rebus, ipsam in latus iacentem inter vndas relinqueret. Saluata sunt tamen omnia quæ erant Ecgberti & sociorum eius. Tum ille quasi propheticum illud dicens, quia propter me est tempestas hæc, subtraxit se illi profectioni, & remanere domi passus est. At vero vnus de sociis eius, vocabulo Victbertus, cum esset & ipse contemptu mundi, ac doctrinæ scientia insignis (nam multos annos in Hibernia peregrinus anachoreticam in magna perfectione vitam egerat) ascendit nauem, & Fresiam perueniens, duobus annis continuis genti illi ac regi illius Radbedo verbum salutis prædicabat, neque aliquem tanti laboris fructum apud barbaros inuenit auditores. Tunc reuersus ad dilectæ locum peregrinationis, solito in silentio Domino vacare cœpit. Et quoniam externis prodesse ad fidem non poterat, suis amplius ex virtutum exemplis prodesse curabat.

CAPVT XI.

VT autem vidit vir Domini Ecgbertus, quia nec ipse ad prædicandum gentibus venire permittebatur, retentus ob aliam sanctæ ecclesiæ vtilitatem, de qua oraculo fuerat præmonitus, nec Witbertus illas deueniens in partes quicquam proficiebat, tentauit adhuc in opus verbi mittere viros sanctos & industrios, in quibus eximius Wilbrordus presbyterij gradu & merito præfulgebat. Qui cum illo aduenissent (erant autem numero duodecim) diuertentes ad Pipinum ducem Francorum gratanter ab illo suscepti sunt. Et quia nuper citeriorem Fresiam, expulso inde Radbedo rege, ceperat, illo eos ad prædicandum misit, ipse quoque imperiali auctoritate iuuans, ne quis prædicantibus quicquam molestiæ inferret, multisque eos qui fidem suscipere vellent beneficiis attollens. Vnde factum est opitulante gratia diuina, vt multos in breui ab idololatria ad fidem conuerterent Christi. Horum secuti exempla duo quidam presbyteri de natione Anglorum, qui in Hybernia multo tempore pro æterna patria exulauerant, venerunt ad prouinciam antiquorum Saxonum, si forte aliquos ibidem prædicando Christo acquirere possent, erant autem vnius ambo sicut deuotionis, sic etiam vocabuli, nam vterque eorum appellabatur Heuvvaldus: ea tamē distinctione, vt pro diuersa capillorū specie, vnus niger, alter albus Heuvvaldus diceretur. Quorum vterq; pietate religionis imbutus, sed niger Heuvvaldus magis sacrarū literarum erat scientia instructus. Qui venientes in prouinciam intrauerunt hospitium cuiusdam villici, petieruntque ab eo vt transmitterentur ad satrapam, qui super eos erat, eo quod haberent aliquid legationis & causæ vtilitatis, quod deberent ad illum perferre. Non enim habēt regem iidem antiqui Saxones, sed satrapas plurimos suæ genti præpositos, qui ingruente belli articulo mittunt æqualiter sortes, & quęcunque sors ostenderit, hunc tempore belli ducem omnes sequuntur, & huic obtemperant, peracto autem bello, rursum æqualis potentiæ omnes fiunt satrapæ. Suscepit ergo eos villicus, & promittens se mittere eos ad satrapam qui super se erat, vt petebāt, aliquot diebus secum retinuit. Qui cum cogniti essent a barbaris, quod essent alterius religionis, nam hymnis & psalmis semper & orationibus vacabant, & quotidie sacrificium Deo victimæ salutaris offerebant, habentes secum vascula sacra, & tabulam altaris vice dedicatam, suspecti sunt habiti, quia si peruenirent ad satrapam, & loquerentur cum illo, auerterent illum a diis suis, & ad nouam christianæ fidei religionem trāsferrent, sicque paulatim omnis eorum prouincia veterem cogeretur in nouam mutare culturam. Itaque rapuerunt eos subito, & interemerunt, album quidem Heuvvaldum veloci occisione gladij, nigellum autem longo suppliciorum cruciatu, & horrenda membrorum omnium discerptione, quos interemptos in Rhenum proiecerunt. Quod cum satrapa ille, quem videre volebant, audisset, iratus est valde, quod ad se venire volentes peregrini non permitterentur. Et mittens occidit vicanos illos omnes, vicumque incendio consumpsit. Passi sunt autem præfati sacerdotes & famuli Christi quinto Non. Octob. die, nec martyrio eorum cælestia defuere miracula. Nam cum perempta eorum corpora, amni, vt diximus, a paganis essent iniecta, contigit vt hæc contra impetum fluuij decurrentis per quadraginta fere milia passuum ad ea vsque loca, vbi illorum essent socij, transferrentur. Sed & radius lucis permaximus, atque ad cælum vsque altus, omni nocte supra locum fulgebat illum, vbicunque ea peruenisse contingeret, & hoc etiam paganis, qui eos occiderant, intuentibus. Sed et vnus ex eis in visione nocturna apparuit cuidam de sociis suis, cui nomen erat Tilmon, viro illustri, & ad sæculum quoque nobili, qui de milite factus fuerat monachus, indicans quod eo loci corpora eorum posset inuenire, vbi lucem de cælo terris radiasse conspiceret: quod ita completum est. Inuenta namque eorum corpora, iuxta honorem martyribus condignum, recondita sunt, & dies passionis vel inuentionis eorum congrua illis in locis veneratione celebratur. Denique gloriosissimus dux Francorum Pipinus vbi hæc comperit, adducta ad se eorum corpora condidit cum multa gloria in ecclesia Coloniæ ciuitatis iuxta Rhenum. Fertur autem quod in loco in quo occisi sunt fons ebullierit, qui in eodem loco vsque hodie copiosa fluenti sui dona perfundat.

CAPVT

CAPVT XII.

PRIMIS ſane temporibus aduentus eorum in Freſiam, mox vt comperit Wilbrordus datam ſibi a principe licentiam ibidem prædicandi, accelerauit venire Romam, cuius ſedi apoſtolicæ tunc Sergius papa præerat, vt cum eius licentia & benedictione deſideratum euangelizandi gentibus opus iniret: ſimul & reliquias beatorum apoſtolorum ac martyrum Chriſti ab eo ſe ſperans accipere, vt dum in gente cui prædicaret deſtructis idolis eccleſias inſtitueret, haberet in promptu reliquias ſanctorum quas ibi introduceret, quibuſque ibidem depoſitis conſequenter in eorum honorem quorum eſſent illa ſingula quæque loca dedicaret. Sed & alia perplura, quæ tanti operis negotium quærebat, vel ibi diſcere, vel inde accipere cupiebat. In quibus omnibus cum ſui voti compos eſſet effectus, ad prædicandum rediit. Quo tempore fratres qui erant in Freſia verbi miniſterio mancipati, elegerunt ex ſuo numero virum modeſtum moribus & manſueto corde Suidbertum, qui eis ordinaretur antiſtes. Quem Britanniam deſtinatum ad petitionem eorum ordinauit reuerendiſſimus Wilfridus epiſcopus, qui tunc forte patria pulſus in Merciorum regionibus exulabat. Non enim eo tempore habebat epiſcopum Cantia, defuncto quidem Theodoro, ſed necdum Berthvvaldo ſucceſſore eius, qui trans mare ordinandus ierat, ad ſedem epiſcopatus ſui reuerſo. Qui videlicet Suidbertus accepto epiſcopatu de Britannia regreſſus, non multo poſt ad gentem Boruchtuariorum ſeceſſit, ac multos eorum prædicando ad viam veritatis perduxit. Sed expugnatis non longo poſt tempore Boruchtuariis, a gente antiquorum Saxonum, diſperſi ſunt quolibet hi qui verbum receperāt. Ipſeque antiſtes cum quibuſdam Pipinum petiit, qui interpellante Slichildedride coniuge ſua dedit ei locum manſionis in inſula quadam Rheni, quæ lingua eorū vocatur in litore. In qua ipſe conſtructo monaſterio, quod hactenus hæredes eius poſſident, aliquandiu cōtinentiſſimam geſſit vitam, ibique diem clauſit vltimum. Poſtquam vero per annos aliquot in Freſia qui aduenerant docuerunt, miſit Pipinus, fauente omnium conſenſu, virum venerabilem Wilbrordum Romam, cuius adhuc pontificatum Sergius habebat, poſtulans vt eidem Freſonum genti archiepiſcopus ordinaretur. Quod ita vt petierat impletum eſt, anno ab incarnatione Domini ſexcenteſimo nonageſimo ſexto. Ordinatus eſt autem in eccleſia ſanctæ martyris Ceciliæ die natalis eius, impoſito ſibi a Papa memorato nomine Clementis, ac mox remiſſus ad ſedem epiſcopatus ſui, id eſt, poſt dies quatuordecim, ex quo in vrbem venerat. Donauit autem ei Pipinus locum cathedræ epiſcopalis in caſtello ſuo illuſtri, quod antiquo gentium illarum vocabulo Wiltaburg, id eſt, oppidum Wiltorum, lingua autem Gallica Traiectum vocatur, in quo ædificata eccleſia, reuerendiſſimus pontifex longe lateque verbum fidei prædicās, multoſque ab errore reuocans, plures per illas regiones eccleſias & monaſteria nonnulla conſtruxit. Nam non multo poſt alios quoque illis in regionibus conſtituit ipſe antiſtites, ex eorum numero fratrū, qui vel ſecū vel poſt ſe illo ad prædicandū venerāt, ex quibus aliquāti iā dormierunt in Domino. Ipſe autē Wilbrordus cognomēto Clemēs adhuc ſupereſt, longa iam venerabilis ætate, vt pote triceſimū & ſextū in epiſcopatu habēs annū, & poſt multiplices militiæ cæleſtis agones ad præmia remunerationis ſupernæ tota mente ſuſpirans.

CAPVT XIII.

HIS tēporibus miraculū memorabile & antiquorū ſimile in Britannia factum eſt. Namque ad excitationē viuentiū de morte animæ, quidam aliquādiu mortuus ad vitā reſurrexit corporis, & multa memoratu digna quæ viderat narrauit. E quibus hic aliqua breuiter perſtringēda eſſe putaui. Erat autē paterfamilias in regione Nordā Humbrorum, quæ vocatur Incuningum, religioſam cum domo ſua gerens vitam, qui infirmitate corporis tactus, & hac creſcente per dies, ad extrema perductus primo tempore noctis defunctus eſt. Sed diluculo reuiuiſcens ac repente reſidens, omnes qui corpori flentes aſſederant timore immenſo perculſos in fugam conuertit, vxor tantum quæ eum amplius amabat (quamuis multum tremens & pauida) remanſit. Quam ille conſolatus: Noli, inquit, timere, quia iam vere reſurrexi a morte qua tenebar, & apud homines ſum iterū viuere permiſſus. Non tamen ea mihi qua ante conſueuerā conuerſatione, ſed multum diſſimili ex hoc tēpore viuendum eſt, ſtatimque ſurgens abiit ad

villulæ oratorium, & vsque ad diem in oratione persistẽs, mox omnem quam possederat substantiam in tres diuisit portiones. E quibus vnam coniugi, alteram filiis tradidit, tertiam sibiipsi retentans, statim pauperibus distribuit. Nec multo post sæculi curis absolutus ad monasterium Mailros, quod Tuidi fluminis circunflexu maxima ex parte clauditur, peruenit, acceptaque tonsura, locum secretæ mansionis, quam præuiderat, abbas intrauit, & ibi vsque ad diem mortis in tanta mentis & corporis contritione durauit, vt multa illum quæ alios laterent vel horrenda vel desideranda vidisse, etiam si lingua sileret, vita loqueretur. Narrabat enim hoc modo quod viderat: Lucidus, inquit, aspectu & clarus erat indumento, qui me ducebat, incedebamus autem tacentes, vt videbatur mihi, contra ortum solis solsticialem, cumque ambularemus deuenimus ad vallem multæ latitudinis ac profunditatis, infinitæ autem longitudinis, quæ ad leuam nobis sita unum latus flammis feruentibus nimiũ terribile, alterum furenti grandine ac frigore niuium omnia perflante atq; verrente non minus intolerabile, præferebat. Vtrumque autem erat animabus hominum plenum, quæ vicissim hincinde videbantur quasi tempestatis impetu iactari: Cum enim vim feruoris immensi tolerare nõ possent, prosiliebant miseræ in medium frigoris infesti, et cum neque ibi quippiam requiei inuenire valerent, resiliebant rursus vrendæ in medium flammarum inextinguibilium. Cumque hac infœlici vicissitudine longe lateque, prout aspicere poteram, sine vlla quietis intercapedine innumerabilis spirituum deformium multitudo torqueretur, cogitare cœpi quod hic fortasse esset infernus, de cuius tormentis intolerabilibus narrare sæpius audiui. Respondit cogitationi meæ ductor qui me præcedebat. Nõ hoc, inquiens, suspiceris, non enim hic infernus est ille quem putas. At cum me hoc spectaculo tam horrendo perterritum paulatim in vlteriora produceret, vidi subito ante nos obscurari incipere loca, & tenebris omnia repleri; quas cum intraremus in tantum paulisper condensatæ sunt, vt nihil præter ipsas aspicerem, excepta dumtaxat specie & veste eius qui me ducebat. Et cum progrederemur sola sub nocte per vmbras, ecce subito apparent ante nos crebri flammarum terrarũ globi, ascendentes quasi de puteo magno, rursumque decidentes in eundem. Quo cum perductus essem, repente ductor meus disparuit, ac me solum reliquit in medio tenebrarum & horrendæ visionis. At cum eidem globi ignium sine intermissione modo alta peterent, modo ima barathri repeterent, cerno omnia quæ ascendebant fastigia flammarum plena esse spiritibus hominum, qui instar fauillarum cum fumo ascendentium, nunc ad sublimiora proiicerentur, nunc retractis ignium vaporibus relaberentur in profundum. Sed & fœtor incomparabilis cum eisdem vaporibus ebulliens, omnia illa tenebrarum loca replebat. Et cum diutius ibi pauidus consisterem, vtpote incertus quid agerem, quo verterem gressum, quiue mihi finis maneret, audio subito post terga sonitum immanissimi fletus ac miserrimi, simul & cachinnum crepitantem, quasi vulgi indocti captis hostibus insultantis. Vt autem sonitus idem clarior redditus ad me vsque peruenit, consydero turbam malignorum spirituum, quæ animas hominum mœrentes eiulantesque, ipsa vero multum exultans & cachinnans, medias illas trahebat in tenebras. E quibus videlicet hominibus, vt dignoscere potui, quidam erat attonsus vt clericus, quidam laicus, quædam fœmina. Trahentes autem eos maligni spiritus descenderunt in medium barathri illius ardentis, factumque est, vt cum longius subeuntibus eis fletum hominum & risum dæmoniorum clare discernere nequirem, sonum tamen adhuc promiscuum in auribus haberem. Interea ascẽderunt quidam spirituum obscurorum de abysso illa flammiuoma, & accurrentes circundederunt me, atque oculis flammantibus, & de ore ac naribus ignem putidum efflãtes, angebant. Forcipibus quoque igneis quos tenebant in manibus minitabantur me comprehendere, nec tamen me vllatenus contingere, tametsi terrere præsumebant. Qui cum vndique versum hostibus & cæcitate tenebrarum cõclusus, huc illucq; oculos circumferrẽ, si forte alicunde quid auxilij quo saluarer aduenirer, apparuit retro viã qua venerã quasi fulgor stellæ micãtis inter tenebras, q paulatim crescẽs & ad me ocyus festinãs vbi appropinquauit, dispersi sunt, & aufugerũt omnes q me forcipibus rapere quærebãt spiritus infesti. Ille autẽ q aduenięs eos fugauit, erat ipse qui me ante ducebat. Qui mox cõuersus ad dexterum iter quasi cõtra ortum

ortum solis brumalem me ducere cœpit. Nec mora exemptum tenebris in auras me serenæ lucis eduxit. Cumq; me in luce aperta duceret, vidi ante nos murū permaximū, cuius neque longitudini hinc vel inde neque altitudini vllus esse terminus videretur. Cœpi autem mirari, quare ad murum accederemus, cum in eo nullam ianuam vel fenestram vel ascensum alicubi conspicerem. Cum ergo peruenissemus ad murum, statim nescio quo ordine fuimus in summitate eius. Et ecce ibi erat campus latissimus ac lætissimus, tantaque fragrantia vernantium flosculorum plenus, vt omnem mox fœtorem tenebrosi fornacis, qui me peruaserat, effugaret admirandi huius suauitas odoris. Tanta autem lux cuncta ea loca perfuderat, vt omni splendore diei siue solis meridiani radiis videretur esse præclarior. Erantq; in hoc campo innumera hominum albatorum conuenticula, sedesque plurimę agminum lętantiū. Cumq; inter choros fœlicium incolarum medios me duceret, cogitare cœpi quod hoc fortasse esset regnum cælorum, de quo prædicari sæpius audiui. Respondit ille cogitatui meo: Non, inquiens, hoc est regnum cælorum quod autumas. Cumque procedentes transissemus et has beatorum mansiones spirituum, aspicio ante nos multo maiorem luminis gratiam quam prius, in qua etiam vocem cantantium dulcissimam audiui, & odoris fragrantia miri tanta de loco effundebatur, vt is quem antea degustans quasi maximum rebar, iam permodicus mihi odor videretur, sicut etiam lux illa campi florentis eximia, in comparatione eius, quæ nunc apparuit, lucis, tenuissima prorsus videbatur & parua. In cuius amœnitatem loci cum nos intraturos sperarem, repente ductor substitit, nec mora gressum retorquens, ipsa me via qua venimus reduxit. Cumque reuersi peruenisemus ad mãsiones illas lætas spirituum candidatorū dixit mihi: Scis quæ sint ista omnia quæ vidisti? Respondi ego, Non; & ait, Vallis illa quã aspexisti flãmis feruẽtibus & frigoribus horrẽda rigidis, ipse est locus in quo examinandæ & castigãdæ sunt animæ illorū, qui differẽtes cõfiteri & emẽdare scelera sua quæ fecerūt, in ipso tãdẽ mortis articulo ad pœnitentiã cõfugiūt, & sic de corpore exeunt, qui tamen quia confessionẽ & pœnitentiã vel in morte habuerūt, omnes in die iudicij ad regnum cælorū peruenient. Multos autẽ preces viuentiū, & eleemosynæ, & ieiunia, & maxime celebratio missarū, vt etiã ante diẽ iudicij liberẽtur, adiuuãt. Porro puteus ille flãmiuomus ac putidus quẽ vidisti, ipsum est os gehennæ, in quo quicunq; semel inciderit, nunquã inde liberabitur in æuū. Locus vero ille florifer, in quo pulcherrimã hãc iuuentutẽ iocundari ac fulgere conspicis, ipse est in quo recipiūtur animæ eorū, qui in bonis quidẽ operibus de corpore exeunt, nõ tamen sunt tantæ perfectionis, vt in regnū cælorū statim mereãtur introduci, qui tamẽ omnes in die iudicij ad visionẽ Christi & gaudia regni cælestis intrabūt. Nã quicũq; in omni verbo & opere & cogitatione perfecti sunt, mox de corpore egressi ad regnum cæleste perueniūt. Ad cuius vicinia pertinet locus ille, vbi sonū cãtilenæ dulcis cū odore suauitatis ac splẽdore lucis audisti. Tu autẽ quia nũc ad corpus reuerti, & rursum inter homines viuere debes, si actus tuos curiosius discutere, & mores sermonesq; tuos in rectitudine ac simplicitate seruare studueris, accipies & ipse post mortẽ locum mansionis inter hæc, quæ cernis, agmina lætabunda spirituū beatorum. Namque ego cum ad tempus abscessissem abs te, ad hoc feci, vt quid de te fieri deberet agnoscerem: Hæc mihi cum dixisset, multum detestatus sum reuerti ad corpus, delectatus nimirum suauitate ac decore loci illius quem intuebar, simul & consortio eorum quos in illo esse videbam. Nec tamen ductorem meum aliquid rogare audebam. Sed inter hæc nescio quo ordine repente inter homines me viuere cerno. Hæc & alia quæ viderat idem vir Domini non omnibus passim desidiosis ac vitæ suæ incuriosis referre volebat, sed illis solummodo qui vel tormentorum metu perterriti, vel spe gaudiorum perennium delectati, profectum pietatis ex eius verbis haurire volebant. Denique in vicinia cellæ illius habitabat quidam monachus nomine Henigils, presbyteratus etiam, quem bonis operibus adornabat, gradu præeminens, qui adhuc superest, & in Hibernia insula solitarius vltimam vitæ ętatem pane cibario & frigida aqua sustentat. Hic sæpius ad eundẽ virum ingrediens, audiuit ab eo repetita interrogatione, quæ & qualia essent quæ exutus corpore viderat, per cuius relationẽ ad nostrã quoq; agnitionẽ peruenere, quæ de his pauca perstrinximus. Narrabat autem visiones suas etiam regi Alfrido viro

vndecunque doctissimo, & tam libenter tamq; studiose ab illo auditus est, vt eius rogatu in monasterio supra memorato inditus, ac monachica sit tonsura coronatus, atque ad eum audiẽdum sæpissime cũ illas in partes deuenisset accederet. Cui videlicet monasterio tempore illo religiosæ ac modestæ vitæ abbas & presbyter Ediluald us præerat, qui nunc episcopalem Lindisfarnensis ecclesiæ cathedram condignis gradu actibus tenet. Accepit autem in eodem monasterio locum mansionis secretiorem, vbi liberius continuis in orationibus famulatui sui conditoris vacaret. Et quia locus ipse super ripam fluminis erat situs, solebat hunc creber ob magnum castigandi corporis affectum ingredi, ac sæpius in eo supermeantibus vndis immergi, sicque ibidem, quamdiu sustinere posse videbatur, psalmis vel precibus insistere fixusque manere, ascendente aqua fluminis vsque ad lumbos, aliquando & vsque ad collũ, atque inde egrediens ad terram, nunquam ipsa vestimenta vda vel algida deponere curabat, donec ex suo corpore calefierent & siccarentur. Cumque tempore hyemali defluentibus circa eum semifractarum crustis glacierum, quas & ipse aliquando contriuerat, quo haberet locum standi siue immergendi se in fluuio, dicerentque qui videbant: Mirum frater Drithelme, hoc enim erat viro nomen, quod tantam frigoris asperitatem vlla ratione tolerare præuales? Respondebat ille simpliciter, erat namque homo simplicis ingenij ac moderatæ naturæ, frigidiora ego vidi. Et cum dicerent, mirum quod tam austerã tenere continentiam velis? Respondebat: Austeriora ego vidi. Sicque vsque ad diem suæ vocationis infatigabili cælestium bonorum desyderio corpus senile inter quotidiana ieiunia domabat, multisque & verbo & conuersatione saluti fuit.

CAPVT XIIII.

At contra fuit quidam in prouincia Merciorũ, cuius visiones ac verba & conuersatio plurimis, sed non sibimetipsi profuit. Fuit autem quidam temporibus Coẽredi, qui post Edilredum regnauit, vir in laico habitu atque officio militari positus, sed quãtum pro industria exteriori regi placens, tantum pro interna suimet negligentia displicens. Admonebat ergo illum sedulo, vt confiteretur & emẽdaret ac relinqueret scelera sua, priusquam subito mortis superuentu tempus omne pœnitẽdi & emendandi perderet: Verum ille, licet frequẽter admonitus, spernebat verba salutis, seseq; tempore sequenti pœnitẽtiam acturum esse promittebat. Inter hæc tactus infirmitate decidit in lectum, atque acri cœpit dolore torqueri. Ad quẽ ingressus rex, diligebat enim eum, multum hortabatur, vt vel tunc antequam moreretur pœnitentiam ageret cõmissorum. At ille respondebat: Non se tunc velle cõfiteri peccata sua, sed cum ab infirmitate resurgeret, ne forte exprobrarent sibi sodales, quod timore mortis faceret ea quæ sospes facere noluerat. Fortiter quidem vt sibi videbatur locutus, sed miserabiliter vt postea patuit dæmoniaca fraude seductus est, cumque morbo ingrauescente denuo ad eum visitandum ac docendum rex intraret, clamauit statim miserabili voce: Quid vis modo? Quid huc venisti? Non enim mihi aliquid vtilitatis aut salutis potes vltra conferre. At ille: Noli, inquit, ita loqui, vide vt sanum sapias: Non, inquit, insanio, sed pessimam mihi conscientiam certus præ oculis habeo. Et quid, inquit, hoc est. Paulo ante, inquit, intrauerunt domum hanc duo pulcherrimi iuuenes, & resederunt circa me, vnus ad caput, & vnus ad pedes, protulitque vnus libellum perpulchrum, sed vehementer modicum, ac mihi ad legendum dedit, in quo omnia quæ vnquam bona feceram intuens scripta repperi, & hæc erant nimium pauca & modica. Receperunt codicem neque aliquid mihi dicebant. Tunc subito superuenit exercitus malignorum & horrendorum vultu spirituum, domumque hanc & exterius obsedit, & intus maxima ex parte residens impleuit. Tunc ille, qui & obscuritate tenebrosæ faciei & primatu sedis maior esse videbatur eorũ, proferens codicem horrendæ visionis, & magnitudinis enormis, & põderis pene importabilis, iussit vni ex satellitibus suis mihi ad legendũ deferri; quẽ cũ legissem, inueni omnia scelera, nõ solũ quæ opere vel verbo, sed etiã quæ tenuissima cogitatione peccaui, manifestissime in eo tetris esse descripta litteris, dicebatq; ad illos, qui mihi assederãt, viros albatos & præclaros: Quid hic sedetis, sciẽtes certissime quia noster est iste? Responderunt: Verũ dicitis, accipite & in cumulũ dãnationis vestræ ducite. Quo dicto, statim disparuerũt. Surgẽtesq; duo nequissimi spiritus, habẽtes in manib⁹ furcas,

percusserunt me, vnus in capite, & vnus in pede; qui videlicet modo cum magno tormento irrepunt mea viscera in interiora corporis mei; mox que, vt ad inuicem perueniunt, moriar, & paratis ad rapiendum me dæmonibus in inferni claustra pertrahar. Sic loquebatur miser desperans, & non multo post defunctus pœnitentiam, quam ad breue tempus cum fructu veniæ facere supersedit, in æternū sine fructu pœnis subditus facit. De quo cōstat, quia, sicut beatus Papa Gregorius de quibusdā scribit, non pro se ista, cui non profuere, sed pro aliis viderit, qui eius interitum cognoscentes, differre tempus pœnitentiæ, dum vacat, timerent, ne improuiso mortis articulo præuenti impœnitentes perirent. Quod autem codices diuersos per bonos siue malos spiritus sibi vidit offerri, ob id superna dispēsatione factum est, vt meminerimus facta & cogitationes nostras non in ventum diffluere, sed ad examen summi iudicis cuncta seruari, siue per amicos angelos in fine nobis ostendenda, siue per hostes. Quod vero prius candidum codicem protulerunt angeli, deinde atrum dæmones, illi perparuum, isti enormē, animaduertendum est, quod in prima ætate bona aliqua fecit, quæ tamen vniuersa praue agendo iuuenis obnubilauit. Qui si econtrario errores pueritiæ corrigere in adolescentia, ac benefaciendo a Dei oculis abscondere curasset, posset eorum numero sociari, de quibus ait Psalmus: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorū tecta sunt peccata. Hanc historiam, sicut a venerabili antistite Pechtelmo didici, simpliciter ob salutem legentium siue audientium, narrandam esse putaui.

CAPVT XV.

Novi autem ipse fratrem, quem vtinam non nossem, cuius etiam nomen, si hoc aliquid prodesset, dicere possem, positum in monasterio nobili, sed ipsum ignobiliter viuentem. Corripiebatur quidem sedulo a fratribus ac maioribus loci, atque ad castigatiorem vitam conuerti admonebatur. Et quamuis eos audire noluisset, tolerabatur tamen ab eis longanimiter ob necessitatem operum ipsius exteriorum: erat enim fabrili arte singularis. Seruiebat autem multum ebrietati, & ceteris vitæ remissioris illecebris, magisque in officina sua die noctuque residere, quam ad psallendum atque orandum in ecclesia audiendumque cum fratribus verbum vitæ concurrere consueuerat. Vnde accidit illi (quod solent dicere quidam) quia qui non vult ecclesiæ ianuam sponte humiliatus ingredi, necesse habet in ianuam inferni non sponte damnatus introduci. Percussus enim languore, atque ad extrema perductus, vocauit fratres, & multum mœrens ac dānato similis cœpit narrare, quia videret inferos apertos & Satanam immersum in profundum tartari; Caiphan quoque, cum ceteris qui occiderunt Dominum, iuxta eum flammis vltricibus contraditum; in quorum vicinia, inquit, heu misero mihi locum aspicio æternæ perditionis esse præparatum. Audientes hæc fratres, cœperunt diligenter exhortari, vt vel tunc positus adhuc in corpore pœnitentiam ageret. Respondebat ille desperans: Non est mihi modo tempus vitam mutandi, cum ipse viderim iudicium meum iam esse completum. Talia dicens sine viatico salutis obiit, & corpus eius in vltimis est monasterij locis humatum, neque aliquis pro eo vel missas facere, vel psalmos cantare, vel saltem orare præsumebat. O quam grandi distantia diuisit Dominus lucem & tenebras. Beatus protomartyr Stephanus passurus mortem pro veritate vidit cælos apertos, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem a dextris Dei, & vbi erat futurus ipse post mortem, ibi oculos mentis ante mortem, quo lætior occumberet, misit. At contra faber ille tenebrosę mentis & actionis imminēte morte vidit aperta tartara, vidit damnationen diaboli & sequacium eius; vidit etiam suum infœlix inrer tales carcerem, quo miserabilius ipse desperata salute periret, sed viuentibus qui hæc cognouissent causam salutis sua perditione relinqueret. Factum est hoc nuper in prouincia Berniciorum, ac longe lateque diffamatum, multosque ad agendam & non differendam scelerum suorum pœnitudinem prouocauit. Quod vtinam exhinc etiam nostrarum fiat lectione litterarum.

CAPVT XVI.

Qvo tempore plurima pars Scotorum in Hybernia & nonnulla etiam de Britonibus in Britannia rationabile & ecclesiasticum paschalis obseruantiæ tempus, Domino donante suscepit. Siquidem Adamnanus, presbyter & abbas monachorum, qui erant

in inſula Hu, cùm legationis gratia miſſus a ſua gente veniſſet ad Alfridum regem Anglorum, & aliquandiu in ea prouincia moratus videret ritus eccleſiæ canonicos, & a pluribus, qui erant eruditiores, eſſet ſolerter admonitus, ne contra vniuerſalem eccleſiæ morem, vel in obſeruantia paſchali, vel in aliis quibuſque decretis cum ſuis pauciſſimis & in extremo mundi angulo poſitis viuere præſumeret, mutatus mente eſt: ita vt ea quæ viderat & audierat in eccleſiis Anglorum, ſuæ ſuorumque conſuetudini libentiſſime præferret. Erat enim vir bonus & ſapiens, & ſcientia ſcripturarum nobiliſſime inſtructus. Qui cum domum rediiſſet, curauit ſuos, qui erant in Hu, quiue eidem erant ſubditi monaſterio, ad eum, quem cognouerat quemque ipſe ex toto corde ſuſceperat, veritatis callem perducere, nec valuit. Nauigauit itaque Hiberniam, & prædicans eis ac modeſta exhortatione declarans legitimum paſchæ tempus, plurimos eorum & pene omnes, qui ab Hiienſium erant dominio liberi, ab errore correctos, ad vnitatem reduxit catholicam, ac legitimum paſchæ tempus obſeruare perdocuit. Qui cum celebrato in Hibernia canonico paſcha ad ſuam inſulam reuertiſſet, ſuiſque in monaſterio catholicam temporis paſchalis obſeruantiam inſtantiſſime prædicaret, nec tamen perficere quod conabatur poſſet, contigit eum ante expletum anni circulum migraſſe de ſæculo, diuina vtique gratia diſponente, vt vir vnitatis & pacis ſtudioſiſſimus ante ad vitem raperetur æternam, quam redeunte tempore paſchali grauiorem cum eis, qui eum ad veritatem ſequi nolebant, cogeretur habere diſcordiam. Scripſit idem vir de locis ſanctis librum legentibus multum vtillimum, cuius auctor erat docendo ac dictando Galliarum epiſcopus Arcuulfus, qui locorum gratia ſanctorum venerat Hieroſolymam. Et luſtrata omni terra repromiſſionis, Damaſcum quoque, Conſtantinopolim, Alexandriam, multaſque maris inſulas adierat, patriamque nauigio reuertens vi tempeſtatis in occidentalia Britanniæ litora delatus eſt; ac poſt multa ad memoratum Chriſti famulum Adamnanum perueniens, vbi doctus in ſcripturis ſanctorumque locorum gnarus eſſe compertus eſt, libentiſſime eſt ab illo ſuſceptus, libentius auditus, adeo vt quæque ille ſe in locis ſanctis memoratu digna vidiſſe teſtabatur, cuncta mox ille litteris mandare curauerit; fecitque opus, vt dixi, multis vtile, & maxime illis qui longius ab eis locis, in quibus Patriarchæ & Apoſtoli erant, ſecreti, ea tantum de his, quę lectione didicerint, norunt. Porrexit autem librum hunc Adamnanus Alfrido regi, ac per eius eſt largitionem etiam minoribus ad legendum contraditus; ſcriptor quoque ipſe multis ab eo muneribus donatus, in patriam remiſſus eſt. De cuius ſcriptis aliqua decerpere, ac noſtræ huic hiſtoriæ inſerere commodum fore legentibus reor.

CAPVT XVII.

SCRIPSIT ergo de loco dominicæ natiuitatis in hunc modum: Bethleem ciuitas Dauid in dorſo ſita eſt anguſto, ex omni parte vallibus circumdata, ab Occidente in Orientem mille paſſibus longa, humilis, ſine turribus, muro per extrema plani verticis inſtructo. In cuius orientali angulo quaſi quoddam naturale ſemiantrum eſt, cuius exterior pars natiuitatis Dominicæ fuiſſe dicitur locus, interior præſepe Domini nominatur. Hæc ſpelunca tota interius precioſo marmore tecta, ſupra locum vbi Dominus natus ſpecialius traditur, ſanctæ Mariæ grandem geſtat eccleſiam. Scripſit item hoc modo de loco paſſionis & reſurrectionis illius: Ingreſſus a ſeptentrionali parte vrbem Hieroſolymam, primum de locis ſanctis pro conditione platearum diuertendum eſt ad eccleſiam Conſtantinianam, quæ Martyrium appellatur. Hanc Conſtantinus imperator, eo quod ibi crux Domini ab Helena eius matre reperta ſit, magnifico & regio cultu conſtruxit. Dehinc ab occaſu Golgotana videtur eccleſia, in qua etiam rupis illa apparet, quæ quondam ipſa infixo Domini corpore crucem Domini tulit argenteam, modo pergrandem ſuſtinens crucem, pendente magna deſuper ærea rota cum lampadibus. Infra ipſum vero locum Dominicæ crucis excisa in petra crypta eſt, in qua ſuper altare pro defunctis honoratis ſacrificium ſolet offerri, poſitis interim in platea corporibus. Huius quoque ad occaſum eccleſiæ anaſtaſis, hoc eſt, reſurrectionis Dominicæ rotunda eccleſia, tribus cincta parietibus, duodecim columnis ſuſtentatur, inter parietes ſingulos latum habens ſpatium viæ, quæ tria altaria in tribus locis parietis medij continet,

continet, hoc est, australi, aquilonali, & occidentali. Hęc bis quaternas portas, id est, introitus, per tres e regione parietes habet, e quibus quatuor ad vulturnum, & quatuor ad Eurum spectant. Huius in medio monumentum Domini rotundum petra excisum est, cuius culmen intrinsecus stans homo manu contingere potest, ab Oriente habens introitum, cui lapis ille magnus appositus est, quod intrinsecus ferramentorum vestigia vsque in præsens ostendit. Nam extrinsecus vsque ad culminis summitatem totum marmore tectum est: summum vero culmen auro ornatum, auream magnam gestat crucem. In huius ergo monumenti aquilonari parte sepulchrum Domini in eadem petra excisum est, longitudinis septem pedum, trium mensura palmarum pauimento altius eminet. Introitum habens a latere meridiano, vbi die noctuque duodecim lampades ardent, quatuor intra sepulchrum, octo supra in margine dextro. Lapis qui ad ostium monumenti positus erat nunc fissus est, cuius pars minor quadratum altare ante ostium nihilominus eiusdem monumenti stat, maior vero pars, in Orientali eiusdem ecclesiæ loco, quadrangulum aliud altare sub linteaminibus extat. Color autem eiusdem monumenti & sepulchri albo & rubicundo permixtus videtur.

CAPVT XVIII.

De loco quoque ascensionis Dominicæ præfatus auctor hoc modo refert: Mons Oliuarum altitudine monti Sion par est, sed latitudine & longitudine præstat, exceptis vitibus & oliuis, raræ ferax arboris, frumenti quoque & hordei fertilis. Neque enim brucosa, sed herbosa & florida soli illius est qualitas. In cuius summo vertice, vbi Dominus ad cælos ascendit, ecclesia rotunda, grādis, ternas per circuitum cameratas habet porticus desuper tectas. Interior namque domus propter dominici corporis meatum camerari & tegi non potuit, altare ad Orientem habens angusto culmine protectum. In cuius medio vltima Domini vestigia cælo desuper patente vbi ascendit visuntur. Quæ cum quotidie a credentibus terra tollatur, nihilominus manet, eandemque adhuc speciem veluti impressis signatam vestigiis seruat. Hæc circa ærea rota iacet, vsque ad ceruicem alta, ab Occasu habens introitum, pendente desuper in trochleis magna lampade, totaque die ac nocte lucente. In Occidentali eiusdem ecclesiæ parte sunt fenestrę octo, totidemque e regione lampades in funibus pendentes, vsque Hierosolymam per vitrum fulgent, quarum lux corda intuentium cum quadam alacritate & compunctione pauefacere dicitur. In die ascensionis Dominicæ per annos singulos missa peracta validi flaminis procella desursum venire consueuit, & omnes qui in Ecclesia adfuerint terræ prosternere. De situ etiam Hebron & monumentis patrum ita scribit: Hebron quondam ciuitas & metropolis regni Dauid, nunc ruinis tantum quid tunc fuerit ostendens, vno ad Orientem stadio speluncam duplicem in valle habet, vbi sepulchra patriarcharum quadrato muro circundantur, capitibus versis ad Aquilonem; & hæc singula singulis tecta lapidibus instar basilicæ dolatis trium patriarcharum candidis. Adam obscurioris & vilioris operis, qui haud longe ab illis ad Borealem extremamque muri illius partem pausat, Trium quoque fœminarum viliores & minores memoriæ cernuntur. Mambre etiam collis mille passibus est a monumentis his, ad Boream herbosus valde & floridus, campestrem habens in vertice planiciem. In cuius Aquilonari parte quercus Abrahę, duorum hominum altitudinis truncus, ecclesia circundata est. Hæc de opusculis excerpta præfati scriptoris ad sensum quidem verborum illius, sed breuioribus strictisque comprehensa sermonibus nostris, ad vtilitatem legentium historiis indere placuit. Plura voluminis illius, si quem scire delectat, vel in ipso illo volumine, vel in eo, quod de illo dudum strictim excerpsimus, epitomate, requirat.

CAPVT XIX.

Anno Dominicæ incarnationis septingentesimo quinto Alfridus rex Nortanhumbrorum defunctus est, anno regni sui vicesimo necdum impleto. Cui succedens in imperium filius suus Osredus, puer octo circiter annorum, regnauit annis vndecim. Huius regni principio antistes occidentalium Saxonum Heddi cælestem migrauit ad vitam. Bonus quippe erat vir ac iustus, & episcopalem vitam siue doctrinam magis insito sibi virtutum amore, quam lectionibus institutus exercebat. Denique reueren-

dissimus antistes Pecthelmus, de quo in sequentibus loco suo dicendum est, qui cum successore eius Aldhelmo multo tempore adhuc diaconus siue monachus fuit, referre est solitus, quod in loco quo defunctus est, ob meritum sanctitatis eius, multa sanitatum sint patrata miracula, hominesque prouinciæ illius solitos ablatum inde puluerem propter lãguentes in aquam mittere, atque huius gustum siue aspersionem multis sanitatem ægrotis & hominibus & pecoribus conferre. Propter quod, frequenti ablatione pulueris sacri, fossa sit ibidem facta non minima. Quo defuncto episcopatus prouinciæ illius in duas parochias diuisus est: vna data est Danieli, quam vsque hodie regit, altera Aldhelmo, cui annis quatuor strenuissime præfuit: ambo & in rebus ecclesiasticis & in scientia scripturarum sufficienter instructi. Denique Aldhelmus cum esset adhuc præsbyter & abbas monasterij, quod Mailduiurbem nominant, scripsit iubente synodo suæ gentis librum egregium aduersus errorem Britonum, quo vel Pascha non suo tempore celebrant, vel alia perplura ecclesiasticæ castitati & paci contraria gerũt, multosque eorum, qui occidentalibus Saxonibus subditi erãt Britones, ad catholicam Dominici Paschæ celebrationem huius lectione perduxit. Scripsit & de virginitate librum eximium, quem in exemplum Sedulij geminato opere & versibus hexametris & prosa composuit. Scripsit & alia nonnulla vtpote vir vndecunque doctissimus, nam & sermone nitidus, & scripturarum, vt dixi, tam liberalium quam ecclesiasticarum erat eruditione mirandus. Quo defuncto pontificatum pro eo suscepit Forthere, qui vsque hodie superest, vir & ipse in scripturis sanctis multum eruditus. Quibus episcopatum administrantibus statutum est synodali decreto, vt prouincia Australium Saxonum, quæ eatenus ad ciuitatis Ventanæ, cui tunc Daniel præerat, parochiam pertinebat, & ipsa sedem episcopalem ac proprium haberet episcopum. Consecratusque est eis primus antistes Eadbertus, qui erat abbas in monasterio beatæ memoriæ Wilfridi episcopi, quod dicitur Selesеu. Quo defuncto Ceolla suscepit officium pontificatus. Ipso autem ante aliquot annos ex hac luce subtracto, episcopatus vsque hodie cessauit.

CAPVT XX.

Anno autem imperij Hosredi quarto Coenredus, qui regno Merciorum nobilissime tempore aliquanto præfuerat, nobilius multo sceptra regni reliquit; nam venit Romam, ibique attonsus, pontificatum habente Constantino, ac monachus factus ad limina Apostolorum in precibus, ieiuniis, & eleemosynis vsque ad diem permansit vltimum; succedẽte in regnum Coenredo filio Edilredi, qui ante ipsum Coenredum idem regnum tenebat. Venit autẽ cum illo & filius Sigheri regis orientalium Saxonum, cuius supra meminimus, vocabulo Offa, iuuenis amantissimæ ætatis & venustatis, totæq; suæ genti ad tenenda seruandaque regni sceptra exoptatissimus. Qui pari ductus deuotione mentis reliquit vxorem, agros, cognatos, & patriam propter Christũ & propter Euangelium, vt in hac vita cẽtuplum acciperet, & in sæculo vẽturo vitam æternam. Et ipse ergo, vbi ad loca sancta Romam peruenerunt, attonsus, & in monachico vitam habitu complẽs, ad visionem beatorum Apostolorum in cęlis diu desideratam peruenit. Eodem sane anno quo hi Britanniam reliquere, antistes eximius Wilfridus post quadraginta & quinque annos accepti episcopatus diem clausit extremum, in prouincia quæ vocatur Inundalum, corpusq; eius loculo inditum perlatum est in monasterium ipsius, quod dicitur Inrhypum, & iuxta honorem tanto pontifici congruum in ecclesia beati Apostoli Petri sepultum: De cuius statu vitæ, vt ad priora repedantes, paucis quæ sunt gesta memoremus, cum esset puer bonæ indolis, atque vitam in probis moribus transigens, ita se modeste & circumspecte in omnibus gerebat, vt merito a maioribus quasi vnus ex ipsis amaretur & veneraretur, vbi quartumdecimum ætatis contigit annum, monasticam sæculari vitam prætulit: Quod vbi patri suo narrauit, iam enim mater obierat, libenter eius votis ac desideriis cælestibus annuit, eumq; cœptis insistere salutaribus iussit; venit ergo ad insulam Lindisfarnensem, ibiq; monachorum famulatui se contradens, diligenter ea quę monasticę castitatis ac pietatis erãt, & discere curabat & agere; & quia acris erat ingenij, didicit citissime psalmos & aliquot codices, nec dum quidem attonsus: verum his qui tonsura maiores sunt virtutibus, id est, humilitatis & obedientiæ, non mediocriter insignitus; propter quod & a senioribus & coetaneis suis

iusto

iusto colebatur affectu. In quo videlicet monasterio cum aliquot annos Deo seruiret, animaduertit paulatim adolescēs, animi sagacis, minime perfectam esse virtutis viam, quæ tradebatur a Scotis, proposuitque animo venire Romam, & qui ad sedem apostocam ritus ecclesiastici, siue monasteriales, seruarentur, videre. Quod cum fratribus referret, laudauerunt eius propositum, eumque id, quod mente disposuit, perficere suadebant. At ille confestim veniens ad reginam Eanfledam, cui notus erat, eiusque consilio & suffragiis præfato fuerat monasterio sociatus, indicauit ei desiderium sibi inesse beatorum Apostolorum limina visitandi. Quæ delectata bono adolescentis proposito, misit eum Cantiam ad regem Erconbertum, qui erat filius auunculi sui, postulans vt eum honorifice Romam transmitteret, quo tempore ibi gradum archiepiscopatus Honorius vnus ex discipulis beati Papæ Gregorij, vir in rebus ecclesiasticis sublimiter institutus, seruabat. Vbi cum aliquamdiu demoratus adolescens animi viuacis diligenter his, quæ inspiciebat, discendis operam daret, superuenit illo alius adolescens nomine Biscop, cognomento Benedictus, de nobilibus Anglorum, cupiens & ipse Romam venire, cuius supra meminimus. Huius ergo comitatui rex sociauit Wilfridum, atque illum secum Romam perducere iussit. Qui cum Lugdunum peruenissent, Wilfridus a Dalfino ciuitatis episcopo ibi retentus est, Benedictus cœptum iter gnauiter Romam vsque compleuit; delectabatur enim antistes prudentia verborum iuuenis, gratia venusti vultus, alacritate actionis, & constantia ac maturitate cogitationis. Vnde & omnia, quę necesse habebat, abundāter ipsi cum sociis suis (quamdiu secum erāt) donabat, & insuper offerebat, vt si vellet partem Galliarum non minimam illi regendam committeret, ac filiam fratris sui virginem illi coniugem daret, eumque ipse loco adoptiui haberet. At ille gratias agens pietati, quam erga eum (cum esset peregrinus) habere dignaretur, respondit, propositum se magis alterius conuersationis habere, & ideo patria relicta Romam iter agere cœpisse. Quibus auditis antistes misit eum Romam, dato duce itineris, & cunctis simul quæ necessitas poscebat itineris largiter subministratis, obsecrans sedulo, vt cum in patriam reuerteretur, per se iter facere meminisset. Veniens vero Wilfridus Romam, & orationibus ac meditationi rerum ecclesiasticarum (vt animo proposuerat) quotidiana mancipatus instantia, peruenit ad amicitiam viri sanctissimi ac doctissimi Bonifacij videlicet archidiaconi, qui etiam consiliarius erat apostolici Papæ. Cuius magisterio quatuor Euangeliorum libros ex ordine didicit, computum Paschæ rationabilem, & alia multa, quæ in patria nequiuerat, ecclesiasticis disciplinis accommoda eodem magistro tradente percepit. Et cum menses aliquot ibi studiis occupatus fœlicibus exegisset, rediit ad Dalfinum in Galliam, & tres annos apud ipsum commoratus, attonsus est ab eo, & in tanto habitus amore, vt hæredem sibi illum facere cogitaret. Sed ne hoc fieri posset, antistes crudeli morte præreptus est, & Wilfridus ad suæ potius, hoc est, Anglorum gentis episcopatum reseruatus. Nam Brunechilda regina missis militibus episcopum iussit interfici, quem ad locum quidem quo decollandus erat secutus est Wilfridus clericus illius, desiderans cum eo (tametsi ipso multum prohibente) pariter occumbere; sed hunc vbi peregrinum atque oriundum de natione Anglorum cognouere, carnifices pepercere illi, neque eum trucidare cum suo voluere pontifice. At ille Britanniam veniens coniunctus est amicitiis Aldfridi regis, qui catholicas ecclesiæ regulas sequi semper & amare didicerat, vnde & illi, quia catholicum eum esse comperit, mox donauit terram decem familiarum, in loco qui dicitur Stanford, & non multo post monasterium triginta familiarum, in loco qui vocatur Inrhypum. Quem videlicet locum dederat pridem ad construendum inibi monasterium his, qui Scotos sequebantur. Verum quia illi postmodum optione data maluerunt loco cedere, quam Pascha catholicum, ceterosque ritus canonicos, iuxta Romanæ & Apostolicæ ecclesiæ consuetudinem recipere, dedit hoc illi quem melioribus imbutum disciplinis ac moribus vidit. Quo in tempore ad iussionem præfati regis presbyter ordinatus est in eodem monasterio ab Agilberto episcopo Geuissorum, cuius supra meminimus, desiderante Rege, vt vir tantæ eruditionis ac religionis sibi specialiter indiuiduo comitatu sacerdos esset ac doctor. Quem non multo post, detecta & eliminata, vt supra docuimus, Scotorum secta, Galliam mittens cum

consilio atque consensu patris sui Osvvi, episcopum sibi rogauit ordinari, cum esset annorum circiter triginta, eodem Agilberto tunc episcopatum agente Parisiacæ ciuitatis, cum quo & alij vndecim episcopi ad dedicationem antistitis conuenientes, multum honorifice ministerium impleuerunt: Quo adhuc in transmarinis partibus demorante, consecratus est in episcopatum Eboraci iubente rege Osvvi Ceadda vir sanctus, vt supra memoratum est, & tribus annis ecclesiam sublimiter regens, dehinc ad monasterij sui quod est in Læstingari curam secessit, accipiente Wilfrido episcopatum totius Nortanhumbrorum prouinciæ; qui deinde regnante Ecgfrido pulsus est episcopatu, & alij pro illo consecrati antistites, quorum supra meminimus, Romamque iturus, & coram apostolico Papa causam dicturus, vbi nauem conscendit, flante Fauonio pulsus est Fresiam, & honorifice susceptus a barbaris ac rege illorum Aldgislo, prędicabat eis Christum, & multa eorum milia verbo veritatis instituens a peccatorum suorum sordibus fonte saluatoris abluit. Et quod postmodum Wilbrordus reuerendissimus Christi pontifex in magna deuotione compleuit, ipse primus ibi opus Euangelicum cœpit. Ibi ergo hiemem cum noua Dei plebe fœliciter exigens, sic Romam veniendi iter repetiit, & vbi causa eius ventilata est præsente Agathone papa & pluribus episcopis, vniuersorum iudicio absque crimine accusatus fuisset, episcopatu esse dignus inuentus est; quo in tempore idem papa Agatho, cum synodum congregaret Romæ centum vigintiquinq; episcoporum, aduersus eos qui vnam in Domino saluatore voluntatem atque operationem dogmatizabant, vocari iussit & Wilfridum, atque inter episcopos consedentem dicere fidem suam simul & prouinciæ siue insulæ de qua venerat; cumque catholicus fide cum suis esset inuentus, placuit hoc inter cetera eiusdem synodi gestis inseri, scriptumque est hoc modo: Wilfridus Deo amabilis episcopus Eboracensis ciuitatis Apostolicam sedem de sua causa appellans, & ab hac potestate de certis incertisque rebus absolutus, & cum aliis centum vigintiquinque coepiscopis in synodo in iudicij sede constitutus, & pro omni aquilonali parte Britanniæ & Hiberniæ insulis, quæ ab Anglorum & Britonum, nec non Scottorum & Pictorum gentibus incoluntur, veram & catholicam fidem confessus est, & conscriptione sua corroborauit. Post hæc reuersus Britanniam, prouinciam Australium Saxonum ab idololatriæ ritibus ad Christi fidem conuertit. Vectæ quoque insulæ verbi ministros destinauit, & secundo anno Aldfridi, qui post Ecgfridum regnauit, sedem suam & episcopatum ipso rege inuitante recepit. Sed post quinque annos denuo accusatus ab eodem ipso rege & plurimis episcopis, præsulatu pulsus est, veniensque Romam, cum præsentibus accusatoribus acciperet locum se defendendi, consedentibus episcopis pluribus cum apostolico papa Ioanne, omnium iudicio probatum est, accusatores eius nonnulla in parte falsas contra eum machinasse calumnias, scriptumque est a præfato papa regibus Anglorum Edilredo & Aldfrido, vt eum in episcopatum suum, eo quod iniuste fuerit condemnatus, facerent recipi. Iuuit autem causam absolutionis eius lectio synodi beatæ memoriæ papæ Agathonis, quæ quondam ipso præsente in vrbe atque in eodem concilio inter episcopos residente, vt prædiximus, acta est. Cum ergo causa exigente synodus eadem coram nobilibus & frequentia populi, iubente apostolico papa, diebus aliquot legeretur, vētum est ad locum vbi scriptum erat: Wilfridus Deo amabilis episcopus Eboracensis ciuitatis apostolicam sedem de sua causa appellans, & ab hac potestate de certis incertisque rebus absolutus, &c. quæ supra posuimus. Quod vbi lectum est, stupor apprehendit audientes, & silente lectore cœperunt alterutrum requirere, quis esset ille Wilfridus episcopus: tum Bonifacius consiliarius apostolici papæ, & alij perplures, qui eum temporibus Agathonis papæ ibi viderunt, dicebant ipsum esse episcopum, qui nuper Romam accusatus a suis, atq; ab apostolica sede iudicandus, aduenerat; qui iamdudum, inquiunt, æque accusatus huc adueniens, mox audita ac diiudicata causa & controuersia vtriusque partis, a beatæ memoriæ papa Agathone probatus est, contra fas a suo episcopatu repulsus, & tanto apud eum habitus est honore, vt ipsum in concilio, quod cōgregarat, episcoporum, quasi virum incorruptæ fidei & animi probi residere præciperet. Quibus auditis, dicebant omnes vna cum ipso pontifice, virum tantæ autoritatis, qui per quadraginta prope annos episcopatu fungebatur, nequaquam

quaquam damnari debere: sed ad integrum culpis accusationum absolutum, patriam cum honore reuerti. Qui cum Britanniam remeans in Galliarum partes deuenisset, tactus est infirmitate repentina, & ea crescente adeo pressus, vt neq; equo vehi posset, sed manibus ministrorum portaretur in grabato. Sic delatus in ciuitatem Meldum Galliæ quatuor diebus ac noctibus quasi mortuus iacebat, halitu tantum pertenui quia viueret demonstrans. Cumque ita sine cibo & potu, sine voce & auditu quatriduo perseuerararet, quinta demum illucescente die quasi de graui experrectus somno exurgens resedit, apertisque oculis vidit circa se choros psallentium, simul & flentium fratrum, ac modicum suspirans interrogauit vbi esset Acca presbyter; qui statim vocatus intrauit, & videns eum melius habentem ac loqui iam valentem; flexis genibus gratias egit Deo cum omnibus qui aderant fratribus: & cum parum consedissent, ac de supernis iudiciis trepidi aliquantum fabulari cœpissent, iussit pontifex cæteros ad horam egredi, & ad Accam presbyterum ita loqui exorsus est: visio mihi modo tremēda apparuit, quam te audire ac silentio tegere volo, donec sciam quid de me fieri velit Deus: astitit enim mihi quidā candido præclarus habitu, dicens se Michaëlem esse archangelum, & ob hoc, inquit, missus sum, vt te a morte reuocem. Donauit enim tibi Dominus vitā per orationes ac lacrymas discipulorum & fratrum tuorum, & per intercessionem suæ beatæ genetricis semperque virginis Mariæ: Quapropter dico tibi, quia modo quidem ab infirmitate hac sanaberis, sed paratus esto, quia post quadriennium reuertens visitabo te. Patriam vero perueniēs maximā possessionum tuarū, quę tibi ablatæ sunt, portionem recipies, atq; in pace tranquilla vitam terminabis: conualuit igitur episcopus cunctis gaudentibus & Deo gratias agentibus, cœptoque itinere Britanniam venit; lectis autem epistolis quas ab Apostolico Papa aduexerat, Bertvvaldus archiepiscopus & Edilredus quondam rex, tunc autem abbas, libentissime fauerunt; qui videlicet Edilredus accitum ad se Conredum, quem pro se regem fecerat, amicum episcopo fieri petiit & impetrauit, sed Aldfridus Nortanhumbrorum rex eum suscipere contempsit, nec longo tempore superfuit, vnde factum est, vt regnante Osredo filio eius, mox synodo facta iuxta fluuium Nidd, post aliquantum vtriusq; partis conflictum, tandem cunctis fauentibus in præsulatum sit suæ receptus ecclesiæ; Sicque quatuor annis, id est, vsq; ad diem obitus sui vitam duxit in pace. Defunctus est autem quarta Idus Octobris in monasterio suo, quod habebat in prouincia Vndalum, sub regimine Cudbaldi abbatis, & ministerio fratrum perlatus in primum suum monasterium, quod dicitur Inrhipum, positusque est in ecclesia beati Apostoli Petri iuxta altare ad Austrum, vt & supra docuimus, & hoc de illo Epitaphium est scriptum.

Vvilfridus hic magnus requiescit corpore præsul,
Hanc Domino qui aulam ductus pietatis amore
Fecit, & eximio sacrauit nomine Petri,
Cui claues cæli Christus dedit arbiter orbis,
Atque auro ac tyrio deuotus vestiit ostro.
Quin etiam sublime crucis radiante metallo
Hic posuit trophæum, nec non & quatuor auro
Scribi Euangelij præcepit in ordinem libros,
Ac thecam e rutilo his condignam condidit auro.
Paschalis qui etiam solemnia tempora cursus
Catholici ad iustum correxit dogma canonis,
Quem statuere patres, dubioque errore remoto
Certa suæ genti ostendit moderamina ritus,
Inque locis istis monachorum examina crebra
Colligit, ac monitis cauit quæ regula patrum
Sedulus instituit, multisque domique forisque
Iactatus nimirum per tempora longa periclis,
Quindecies ternos postquam egit episcopus annos,
Transiit, & gaudens cælestia regna petiuit,
Dona Iesu vt grex pastoris calle sequatur.

CAPVT XXI.

Anno post obitum præfati patris proximo, id est, quinto Osredi regis, reuerendissimus pater Adrianus abbas cooperator in verbo Dei Theodori beatæ memoriæ episcopi defunctus est, & in monasterio suo in ecclesia beatæ Dei genitricis sepultus; qui est annus quadragesimusprimus, ex quo a Vitaliano papa directus est cum Theodoro: ex quo autem Britanniam venit tricesimus nonus: cuius doctrinæ simul & Theodori inter alia testimonium perhibet, quod Albinus discipulus eius, qui monasterio ipsius in regimine successit, in tantum studiis scripturarum institutus est, vt Græcam quidem linguam non parua ex parte, Latinam vero non minus quam Anglorum, quæ sibi naturalis est, nouerit Suscepit vero pro Wilfrido episcopatum Hagustaldensis ecclesiæ Acca presbyter eius, vir & ipse strenuissimus, & coram Deo & hominibus magnificus, qui & ipsius ecclesiæ suæ, quæ in beati Andreę Apostoli honorem consecrata est, ædificium multifario decore ac mirificis ampliauit operibus. Dedit namque operam, quod & hodie facit, vt acquisitis vndecumque reliquiis beatorum Apostolorum & martyrum Christi, in venerationem illorum poneret altaria, distinctis porticibus in hoc ipsum intra muros eiusdem ecclesiæ: sed & historias passionum eorum vna cum ceteris ecclesiasticis voluminibus summa industria congregans, amplissimam ibi ac nobilissimam bibliothecam fecit. Necnon & vasa sancta & luminaria, aliaque huiusmodi, quę ad ornatum domus Dei pertinent, studiosissimæ parauit: cantorem quoque egregium nomine Maban, qui a successoribus discipulorum beati papæ Gregorij in Cantia fuerat cantandi sonos edoctus, ad se suosque instituendos accersit, ac per annos duodecim tenuit, quatenus & ea, quæ illi non nouerant, carmina ecclesiastica doceret, & ea, quæ quondam cognita longo vsu vel negligentia inueterare cœperant, huius doctrina in priscum renouarentur statum. Nam & ipse episcopus Acca cantator erat peritissimus, quomomodo etiam in literis sanctis doctissimus, & in catholicæ fidei confessione castissimus, in ecclesiasticæ quoque institutionis regulis solertissimus extiterat, & vsque dum sua præmia piæ deuotionis acciperet existere non destitit. Vtpote qui a pueritia in clero sanctissimi ac Deo dilecti Bosa Eboracensis episcopi nutritus atque eruditus est. Deinde ad Wilfridum episcopum spe melioris propositi adueniens, omnem in eius obsequio vsque ad obitum illius expleuit ætatem: Cum quo etiam Romam veniens, multa illic, quæ in patria nequiuerat, ecclesiæ sanctæ institutionis, vtilia didicit.

CAPVT XXII.

Eo tempore Naitanus rex Pictorum, qui Septentrionales Britanniæ plagas inhabitant, admonitus ecclesiasticarum frequenti meditatione scripturaruum, abrenunciauit errori quo eatenus in obseruatione Paschæ cum sua gente tenebatur, & se suosque omnes ad catholicam obseruantiam, Dominicæ resurrectionis tempus celebrandum perduxit. Quod vt facilius & maiori autoritate perficeret, quæsiuit auxilium de gente Anglorum, quos iamdudum ad exemplum sanctæ Romanæ & Apostolicæ ecclesiæ suam religionem instituisse cognouit. Siquidem misit legatarios ad virum venerabilem Ceolfridum abbatem monasterij beatorum apostolorum Petri & Pauli, quod est ad ostium Wiri amnis, & iuxta amnem Tinam, in loco qui vocatur Ingriuum, cui ipse post Benedictum, de quo supra diximus, gloriosissime præfuit, postulans vt exhortatorias sibi litteras mitteret, quibus potentius confutare posset eos, qui Pascha non suo tempore obseruare præsumerent, simul & de tonsuræ modo vel ratione qua clericos insigniri deceret. Excepto quod etiam ipse in his non parua ex parte esset imbutus, & architectos sibi mitti petiit, qui iuxta morem Romanorum ecclesiam de lapide ingente ipsius facerent, promittens hanc in honorem beati apostolorum principis dedicandam: se quoque ipsum cum suis omnibus morem sanctæ Romanæ & apostolicæ ecclesiæ semper imitaturum, inquantum dumtaxat tam longe a Romanorum loquela & natione segregati hunc ediscere possent. Cuius religiosis votis ac precibus fauens reuerendissimus abbas Ceolfridus, misit architectos quos petebat & literas scriptas in hunc modum. Domino excellentissimo & gloriosissimo regi Naitano Ceolfridus abbas in Domino salutem. Catholicam sancti Paschæ obseruātiam, quam

a nobis

a nobis, rex Deo deuote, religioso studio quæsisti, promptissime ac libentissime tuo desiderio, iuxta quod ab Apostolica sede didicimus, patefacere satagimus: scimus namque cælitus sanctæ ecclesiæ donatum, quotiens ipsi rerum Domini discendæ, docendæ, custodiendæ veritati operam impendunt. Nam & vere omnino dixit quidam sæcularium scriptorum, quod fœlicissimo mundi statu ageretur, si vel reges philosopharentur, vel regnarent philosophi. Quod si de philosophia huius mundi, vere intelligere de statu huius mundi, merito diligere potuit homo hunc mundum, quanto magis ciuibus patriæ cælestis in hoc mundo peregrinantibus optandum est, & totis animi viribus supplicandum, vt quo plus in mundo quique valent, eo amplius eius, qui super omnia est, iudicis mandatis auscultare contendant, atque ad hæc obseruanda secum eos quoque: qui sibi commissi sunt, & exemplis simul & autoritate instituant. Tres sunt ergo regulæ sacris inditæ literis, quibus Paschæ celebrandi tempus nobis præfinitum nulla prorsus humana licet autoritate mutari, e quibus duæ in lege Moysi diuinitus statutæ, tertia in Euangelio per effectum dominicæ passionis & resurrectionis adiuncta est. Præcepit enim lex, vt Pascha primo mense anni & tertia eiusdem mensis septimana, id est, a quinta decima die vsque ad vicesimam primam, fieri deberet, additumque est per institutionem apostolicam ex Euangelio, vt in ipsa tertia septimana diem dominicam expectare, atq; in ea temporis Paschalis initium tenere debeamus. Quam videlicet regulam triformem si quis rite custodierit, nunquam in adnotatione festi Paschalis errabit. Verum si de his singulis enucleatius ac latius audire desideras, scriptum est in Exodo, vbi liberandus de Ægypto populus Israel primum Pascha facere iubetur, quia dixerit Dominus ad Moysen & Aaron; Mensis iste vobis principium mensium primus erit in mensibus anni. Loquimini ad vniuersum cœtum filiorum Israël, & dicite eis: Decima die mensis huius tollat vnusquisque agnum per familias & domos suas. Et paulo post: Et seruabitis eum vsque ad quartamdecimam diem mensis huius. immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israël ad vesperam. Quibus verbis manifestissime constat, quod ita in obseruatione Paschali mentio fit diei quartædecimæ, vt non tamē in ipsa die quartadecima Pascha fieri præcipiatnr, sed adueniente tandem vespera diei quartædecimæ, id est, quintadecima luna, quæ initium tertiæ septimanæ faciat, in cæli faciem prodeunte, agnus immolari iubeatur. Et quod ipsa sit nox quintædecimæ lunæ, in qua percussis Ægyptiis, Israël est a longa seruitute redemptus: Septem, inquit, diebus azyma comedetis. Quibus iterum verbis tota tertia septimana eiusdem primi mensis decernitur solemnis esse debere. Sed ne putaremus eadem septem dies a quartadecima vsq; ad vicesimam esse computandas, continuo subiecit: In die primo non erit fermentum in domibus vestris. Quicunque comederit fermentum in domibus vestris, peribit anima illa de Israël. A die primo vsque ad diem septimum, & cetera, vsque dum ait: In eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de terra Ægypti. Primum ergo diem azymorum appellat eum, in quo exercitum eorum esset educturus de Ægypto. Constat autē, quia non quartadecima die, in cuius vespera agnus est immolatus, & quæ proprie Pascha siue Phase dicitur, sed quintadecima sunt educti ex Ægypto, sicut in libro Numerorum apertissime scribitur. Profecti igitur de Ramesse quintadecima die mensis primi, altera die fecerunt Phase filij Israël in manu excelsa. Septem ergo dies azymorum, in quarum prima eductus est populus Domini ex Ægypto, ab initio, vt diximus, tertiæ septimanæ, hoc est, a quintadecima die mensis primi vsque ad vicesimam primam eiusdem mēsis diem completam computari oportet. Porro dies quartus decimus extra hunc numerum separatum, sub Paschæ titulo prænotatur, sicut Exodi sequentia patenter edocent. Vbi cum dictum esset: In eadem enim ipsa die educam exercitum vestrum de terra Ægypti, protinus additum est: Et custodietis diem istum in generationes vestras ritu perpetuo. Primo mēse quartadecima die mensis comedetis azyma vsque ad diem vicesimam primam eiusdem mensis ad vesperam. Septem diebus fermentatum non inuenietur in domibus vestris. Quis enim non videat, a quartadecima vsque ad vicesimam primam, non septem solummodo, sed octo potius esse dies, si & ipsa quartadecima annumeretur? Sin autem, vt diligentius explorata scripturæ veritas docet, a vespera diei quartædecimæ vsque ad

vesperam vicesimæ primæ computauerimus, videbimus profecto, quod ita dies quartamdecimam vesperam suam festi Paschalis initium porrigat, vt non amplius tota sacra solemnitas quam septem tantum modo noctes cum totidem diebus comprehendat. Vnde vera esse probatur nostra diffinitio, qua tempus Paschale primo mense anni, & tertia eius hebdomada celebrandum esse diximus. Veraciter enim tertia agitur hebdomada, quod a vespera quartæ decimæ diei incipit, & in vespera vicesimæ primæ completur. Post quam vero Pascha nostrum immolatus est Christus, diemque nobis dominicam, quæ apud antiquos vna vel prima Sabbati siue Sabbatorum vocatur, gaudio suæ resurrectionis fecit esse solemnem, ita hanc nunc apostolica traditio festis Paschalibus inseruit, vt nihil omnino tempore Paschæ legalis præoccupandum, nihil minuendum esse decerneret, quin potius statuit vt expectaretur iuxta præceptum legis idem primus anni mensis, expectaretur quartadecima dies illius, expectaretur vespera eiusdem. Et cum hæc dies in Sabbatum forte incideret, tolleret vnusquisque agnum per familias & domos suas, & immolarent eum ad vesperam, id est, præpararent omnes ecclesiæ per orbem, quæ vnam catholicam faciunt, panem & vinum in mysterium carnis & sanguinis agni immaculati, qui abstulit peccata mundi, & præcedente congrua lectionum, orationum & cæremoniarum Paschalium solemnitate, offerrent hæc Domino in spem futuræ suæ redemptionis. Ipsa est enim eadem nox in qua de Ægypto per sanguinem agni Israëlitica plebs erepta est, ipsa est, in qua per resurrectionem Christi liberatus est a morte æterna omnis Dei populus. Mane autem illucescente die dominica, primam Paschalis festi diem celebrarent. Ipse est enim dies, in qua resurrectionis suæ gloriam Dominus multifario piæ reuelationis gaudio discipulis patefecit. Ipsa prima dies azymorum, de qua multum distincte in Leuitico scriptum est: Mense primo quartadecima die mensis huius ad vesperam Phase Domini est, & quintadecima die mensis huius solemnitas azymorum Domini est. Septem diebus azyma comedetis, dies primus erit celeberrimus sanctusque. Si ergo fieri posset, vt semper in diem quintumdecimum primi mensis, id est, in lunam quintamdecimam Dominica dies incurreret, vno semper eodemque tempore cum antiquo Dei populo, quanquam sacramentorum genere discreto, sicut vna eademque fide Pascha celebrare possemus. Quia vero dies septimanæ non æquali cum luna tramite procurrit, decreuit apostolica traditio, quæ per beatum Petrum Romæ prædicata, per Marcum euangelistam & interpretem ipsius Alexandriæ confirmata est, vt adueniente primo mense, adueniente in eo vespera diei quartædecimæ, expectetur etiam dies dominica a quintadecima vsque ad vicesimam primam diem eiusdem mensis. In quacunque enim harum inuenta fuerit, merito in ea Pascha celebrabitur: quia nimirum hæc ad numerum pertinet illarum septem dierum, quibus azyma celebrari iubetur. Itaque fit vt nunquam Pascha nostrum a septimana mensis primi tertia in vtramuis partem declinet, sed vel totam eam, id est, omnes septem legalium azymorum dies, vel certe aliquos de illis teneat. Nam etsi saltem vnum ex eis, hoc est, ipsum septimum apprehenderit, quem tam excellenter scriptura commendat: Dies autem, inquiens, septimus erit celebrior & sanctior, nullumque seruile opus fiet in eo, nullus arguere nos poterit, quod non recte dominicum Paschæ diem, quem de Euāgelio suscepimus, in ipsa quam lex statuit tertia primi mensis hebdomada celebremus. Cuius obseruantiæ catholica ratione patefacta patet e contrario error irrationabilis eorum, qui præfixos in lege terminos nulla cogente necessitate vel anticipare vel transcendere præsumunt. Namque sine ratione necessitatis alicuius anticipant illi tempus in lege præscriptum, qui Dominicum Paschæ diem a quartadecima mensis primi vsque ad vicesimam putant lunam esse seruandum. Cum enim a vespera diei tertiædecimæ vigilias sanctæ noctis celebrare incipiunt, claret quod illum in exordio sui Paschæ diem statuunt, cuius nullam omnino mentionem in decreto legis inueniunt. Et cum vicesima prima die mēsis Pascha Dominicum celebrare refugiunt, patet profecto quod illam per omnia diem a sua solemnitate secernunt, quam lex maiore præ ceteris festiuitate memorabilem sæpenumero commendat; sicque diem Paschæ ordine peruerso & aliquando in secunda hebdomada totam compleant, & nunquam in hebdomadæ tertiæ die septimo ponāt.

Rursumque

Rursumque qui a sextadecima die mensis sæpe dicti vsque ad vicesimam secundam Pascha celebrandum magis autumant, non minore vtique errore, tametsi altero latere, a recto veritatis tramite diuertunt, & veluti naufragia scyllæ fugientes in charybdis voraginem submergendi decidunt. Nam cum a luna decimasexta primi mensis oriente, id est, a vespera diei quintædecimæ Pascha incipiendum doceant, nimirum constat quod quartamdecimam diem mensis eiusdem, quam lex primitus & præcipue commendat, a sua prorsus solemnitate secludunt, ita vt quintædecimæ, in qua populus Dei ab Ægyptiaca seruitute redemptus est, & in qua Dominus suo mundum sanguine a peccatorum tenebris liberauit, in qua etiam sepultus spem nobis post mortem beatæ quietis tribuit, vix vesperam tangant, Idemque pœnam erroris sui in semetipsos recipientes, cum in vicesimasecunda die mensis Paschæ diem statuunt dominicum, legitimos vtique terminos Paschæ aperta transgressione violant: vtpote qui ab illius diei vespera Pascha incipiunt, in qua hoc lex consummari & perfici debere decreuit; illam in Pascha diem assignent primam, cuius in lege mentio nulla vsquam reperitur, id est, quartæ primam septimanæ. Qui vtrique non solum in diffinitione & computo lunaris ætatis, sed & in mensis primi nonnunquam inuentione falluntur. Quæ disputatio maior est, quam epistola hac vel valeat comprehendi, vel debeat. Tantum hoc dicam, quod per æquinoctium vernale semper inerrabiliter posset inueniri, qui mensis, iuxta computum lunę, primus anni, qui esse debeat vltimus. Æquinoctium autem iuxta sententiam omnium orientalium, & maxime Ægyptiorum, qui præ ceteris doctoribus calculandi palmam tenent, duodecimo Kalendarum Aprilium die prouenire consueuit, vt etiam ipsi horologica inspectione probauimus, Quęcunque ergo luna ante ęquinoctium plena est, quartadecima videlicet, vel quintadecima existens, hæc ad præcedentis anni nouissimum pertinet mensem, ideoque Paschæ celebrando habilis nō est. Quæ vero post æquinoctium, vel in ipso æquinoctio, suum plenilunium habet, in hac absque vlla dubietate, quia primi mensis est, & antiquos Pascha celebrare solitos, & nos vbi Dominica dies aduenerit celebrare debere, noscendum est. Quod ita fieri oportere illa nimirum ratio cogit, quia in Genesi scriptum est, quod Deus fecit duo magna luminaria, luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti. Vel sicut alia dicit æditio, luminare maius in inchoationem diei, & luminare minus in inchoationem noctis. Sicut ergo prius sol a medio procedens orientis æquinoctium vernale suo præfixit exortu, deinde luna sole ad vesperam occidente, & ipsa plena a medio secuta est orientis, ita omnibus annis idem primus lunæ mensis eodem necesse est ordine reseruari, vt non ante æquinoctium, sed vel ipso æquinoctij die, sicut in principio factum est, vel eo transcenso plenilunium habere debeat. At si vno saltem die plenilunium tempus æquinoctij præcesserit, non hanc primo mense anni incipientis, sed vltimo potius præteriti, lunam esse ascribendam, & ideo festis Paschalibus inhabilem, memorata ratio probat. Quod si mysticam quoque vos in his rationem audire delectat, primo mense anni, qui etiam mensis nouorum dictus est, Pascha facere iubemur, quia renouato ad amorem cælestium spiritu mentis nostræ, sacramenta Dominicæ resurrectionis & ereptionis nostræ celebrare debemus. Tertia eiusdem mensis septimana facere præcipimur, quia ante legem & sub lege promissus tertio tempore sæculi cum gratia venit ipse, qui Pascha nostrum immolaretur Christus: quia tertia post immolationē suæ passionis die resurgens a mortuis, hanc dominicam vocari & in ea nos annuatim Paschalia eiusdem resurrectionis voluit festa celebrare. Quia nos quoque ita solum veraciter eius solemnia celebramus, si per fidem, spem, & charitatem Pascha, id est, transitum de hoc mundo ad patrem cum illo facere curamus. Post æquinoctium veris plenilunium mensis præcipimur obseruare Paschalis, vt videlicet primo sol longiorem nocte faciat diem, deinde luna plenum suæ lucis orbem mundo præsentet: quia primo quidem sol iustitiæ, in cuius pennis est sanitas, id est, Dominus Iesus per resurrectionis suæ triumphum cunctas mortis tenebras superauit, ac sic ascendens in cælos, misso desuper spiritu, ecclesiam suam, quæ sæpe lunæ vocabulo designatur, internæ gratiæ luce repleuit: quem videlicet ordinem nostræ salutis propheta contemplatus, aiebat, Eleuatus est sol, & luna

stetit in ordine suo. Qui ergo plenitudinem lunæ Paschalis ante æquinoctium prouenire posse contenderit, talis in mysteriorum celebratione maximorum a sanctarum quidem scripturarum doctrina discordat, concordat autem eis, qui sine præueniente gratia Christi se saluari posse confidunt; qui, etsi vera lux tenebras mundi moriendo ac resurgendo nunquam vicisset, perfectam se habere posse iustitiam dogmatizare præsumunt. Itaque per æquinoctialem solis exortum post plenilunium primi mensis hunc ex ordine subsequens, id est, post completam diem eiusdem mensis quartamdecimam, quæ cuncta ex lege obseruanda accepimus, expectamus adhuc, monente Euangelio, in ipsa hebdomada tertia tempus diei Dominicæ, & sic demum votiua Paschæ nostri festa celebramus, vt indicemus nos non cum antiquis excussum Ægyptiæ seruitutis iugum venerari, sed redemptionem totius mundi, quæ in antiqui Dei populi liberatione præfigurata, in Christi autem resurrectione completa est, deuota fide ac dilectione colere, vt de resurrectionis etiam nostræ, quam eadem die Dominica futuram credimus, spe nos certissima gaudere signemus. Hic autem, quem vobis sequendum monstramus, computus Paschæ decennouenali circulo continetur, qui dudum quidem, hoc est, ipsis Apostolorum temporibus iam seruari in ecclesia cœpit, maxime Romæ & Ægypti, vt supra iam diximus, sed per industriam Eusebij, qui a beato martyre Pamphilo cognomen habet, distinctius in ordinem compositus est, vt quod eatenus per Alexandriæ pontificem singulis annis per omnes ecclesias mandari consueuerat, iam deinde congesta in ordinem serie lunæ quartædecimæ, facillime posset ab omnibus sciri. Cuius computum Paschalis Theophilus Alexandriæ præsul in centum annorum tempus Theodosio imperatori composuit. Item successor eius Cyrillus seriem nonaginta & quinque annorum in quinque decennouenalibus circulis comprehendit; Post quem Dionysius exiguus totidē alios ex ordine pari schemate subnexuit, qui ad nostra vsque tempora pertingebant: quibus termino appropinquantibus tanta hodie calculatorum exuberat copia, vt etiam in nostris per Britanniam ecclesiis plures sint, qui mandatis memoriæ veteribus illis Ægyptiorum argumentis facilime possint in quotlibet spatia temporum Paschales protendere circulos, etiamsi ad quingentos vsque & tringinta duos voluerint annos. Quibus expletis, omnia quæ ad solis & lunæ, mensis & septimanæ, consequentiam spectant, eodem quo prius ordine recurrunt. Ideo autem circulos eosdem temporum instantium vobis mittere supersedimus, quia de ratione tantum temporis Paschalis instrui quærentes, ipsos vobis circulos Paschæ catholicos abundare probastis. Verum his de Pascha succincte, vt petistis, strictimque commemoratis, tonsuram quoque, de qua pariter vobis literas fieri voluistis, hortor vt ecclesiasticam & Christianæ fidei congruam habere curetis: & quidem scimus, quia neque Apostoli omnes vno eodemque sunt modo attonsi, neque nunc ecclesia catholica sicut vna fide, spe, & charitate in Deum consentit, ita & iam vna atque indissimili totum per orbem tonsuræ sibi forma congruit. Denique vt superiora, id est, patriarcharum tempora respiciamus, Iob exemplar patientiæ ingruente tribulationum articulo caput totondit: probauit vtique, quia tempore fœlicitatis capillos nutrire cōsueuerat. At Ioseph & ipse castitatis, humilitatis, pietatis, ceterarumque virtutum executor ac doctor eximius, cum esset seruitio absoluendus attonsus esse legitur, patet profecto, quia tempore seruitutis intonsis in carcere crinibus manere solebat. Ecce vterq; vir Dei diuersum ab altero vultus habitum foris præmonstrabat, quorum tamen intus conscientia in parili virtutum sibi gratia cōcordabat. Verum si profiteri nobis liberum est, quia tonsuræ discrimen non noceat quibus pura in Deum fides & charitas in proximum sincera est, maxime cū nunquam patribus catholicis sicut de Paschæ vel fidei diuersitate conflictus, ita etiam de tonsuræ differentia legatur aliqua fuisse controuersia. Inter omnes tamen quas vel in ecclesia vel in vniuerso hominū genere reperimus tonsuras, nullam magis sequendam nobis amplectendamque iure dixerim ea, quam in capite suo gestabat ille, cui se confitenti Dominus ait: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portę inferi non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues regni cælorum. Nullā vero magis abominandam detestandamq; merito cunctis fidelibus crediderim ea quam habebat ille, cui gratiam sancti Spiritus comparare

volenti

volenti dicit idem Petrus: Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Nō enim est tibi pars neque sors in sermone hoc. Neque vero ob id tantum in coronam attondimur, quia Petrus ita attonsus est, sed quia Petrus in memoriam dominicæ passionis ita attonsus est, idcirco & nos, qui per eādem passionem saluari desideramus, ipsius passionis signum cum illo in vertice, summa videlicet corporis nostri parte, gestamus. Sicut enim omnis ecclesia, quæ per mortem sui viuificatoris ecclesia facta est, signum sanctæ crucis eius in fronte portare consueuit, vt crebro vexilli huius munimine a malignorum spirituum defendatur incursibus, crebra huius admonitione doceatur, se quoque carnem suam cum vitiis & concupiscentiis crucifigere debere, ita etiam oportet eos, qui vel monachi votum, vel gradum clericatus habentes, artioribus se necesse habent pro Domino continentiæ frænis astringere. Formam quoque coronæ, quam ipse in passione sua spineam portauit in capite, vt spinas ac tribulos peccatorum nostrorum portaret, id est, exportaret & auferret a nobis, suo quemque in capite per tonsuram præferre; vt se etiam irrisiones & opprobria pro illo libenter ac prompto animo sufferre ipso etiam frontispicio doceant; vt coronam vitæ æternæ, quam repromisit Deus diligentibus se, se semper expectare, proque huius perceptione & aduersa se mundi & prospera contemnere designent. Cæterum tonsuram eam quam Magum ferunt habuisse Simonem, quis rogo fidelium non statim cum ipsa magia primo detestetur & merito exufflet? Quæ aspectu in frontis quidem superficie coronæ videtur speciem præferre, sed vbi ad ceruicem considerando perueneris, decurtatam eam quam te videre putabas inuenies coronam; vt merito talem Simoniacis & non Christianis habitum conuenire cognoscas, qui in præsenti quidem vita a deceptis hominibus putabantur digni perpetuæ gloria coronæ, sed in ea quæ hanc sequitur vitam non solum omni spe coronæ priuati, sed æterna insuper sunt pœna damnati. Neque vero me hæc ita prosecutum æstimes, quasi eos qui hanc tonsuram habent condemnandos iudicem, si fide & operibus vnitati catholicæ fauerint, imo confidenter profiteor plurimos ex eis sanctos ac Deo dignos extitisse. Ex quibus est Adamnanis abbas & sacerdos Columbiensium egregius, qui cum legatus suæ gentis ad Aldfridum regem missus, nostrum quoque monasterium videre voluisset, miramque in moribus ac verbis prudentiam, humilitatem, religionem ostēderet, dixi illi inter alia colloquēs: Obsecro sancte frater, qui ad coronam te vitæ quæ terminum nesciat tendere credis, qui contrario tuæ fidei habitu terminatam in capite coronæ imaginem portas? Et si consortium beati Petri quæris, cur eius quem ille anathematizauit tonsuræ imaginem imitaris, & non potius eius cum quo in æternum beatus viuere cupis, etiam nunc habitum te, quantum potes, diligere monstras? Respondit ille: Scias pro certo frater mi dilecte, quia & si Simonis tonsuram ex consuetudine patriæ habeam, simoniacam tamen perfidiam tota mente detestor ac respuo: beatissimi autem Apostolorum principis, quantum mea paruitas sufficit, vestigia sequi desidero. At ego: Credo, inquam, vere quod ita sit, sed tamen indicio sit, quod ea quæ Apostoli sunt Petri in abdito cordis amplectimini, si quæ eius esse nostis etiam in facie tenetis. Namque prudentiam tuam facilime diiudicare reor, quod aptius multo sit eius, quem toto corde abominaris, cuiusque horrendam faciem videre refugis, habitum vultus a tuo vultu Deo iam dicato separare, & econtra eius, quem apud Deum patrem habere patronum quæris, sicut facta vel monita cupis sequi, sic etiam morem habitus te imitari cōdeceat. Hęc tunc Adamnano dixi, qui quidem quantum conspectis ecclesiarum nostrarum statutis profecisset probauit, cum reuersus ad Scotiam multas postea gētis eiusdem turbas ad catholicam temporis Paschalis obseruantiam sua prædicatione correxit; tametsi eos qui in Hui insula morabantur monachos, quibusque speciali rectoris iure præerat, nec dum ad viam statuti melioris reducere valebat. Tonsuram quoque, si tantum sibi autoritatis subesset, emendare meminisset. Sed & nunc tuam prudentiam rex admoneo, vt ea quæ vnitati catholicę & apostolicæ ecclesiæ concinunt, vna cum gente, cui te rex regum & Dominus dominorum præfecit, in omnibus seruare contendas. Sic enim fit, vt post acceptam temporalis regni potentiam ipse beatissimus Apostolorū princeps cælestis quoque regni tibi tuisque cum ceteris electis libens pandat introitum. Gratia te regis æter-

ni longiori tempore regnantem ad nostram omnium pacem custodiat incolumem, dilectissime in Christo fili. Hæc epistola cum præsente rege Naitano multisque viris doctioribus esset lecta, ac diligenter ab his qui intelligere poterant in linguam eius propriam interpretata, multum de eius exhortatione gauisus esse perhibetur, ita vt surgẽs de medio optimatum suorum consessu genua flecteret in terram, Deo gratias agens, quod tale munusculum de terra Anglorum mereretur accipere. Et quidem & antea noui, inquit, quia hæc erat vera Paschæ celebratio, sed in tantum modo rationem huius temporis obseruãdam cognosco, vt parum mihi omnino videar de his antea intellexisse. Vnde palam profiteor, vobisque qui assidetis præsentibus protestor; quia hoc obseruare tempus Paschæ cum vniuersa mea gente perpetuo volo, & hanc accipere debere tonsuram, quam plenam esse rationis audiuimus, omnes qui in meo regno sunt clericos decerno. Nec mora quæ dixerat regia autoritate perfecit. Statim namque iussu publico mittebantur ad transcribendum, discendum, obseruandum per vniuersas Pictorum prouincias circuli Paschæ decennouenales, obliteratis per omnia erroneis octoginta & quatuor annorum circulis. Attondebantur omnes in coronam ministri altaris ac monachi. Et quasi nouo se discipulatui beatissimi apostolorum principis Petri subditam eiusque tutandam patrocinio gens correcta gaudebat.

CAPVT XXIII.

Nec multo post illi quoque qui insulam Hii incolebant monachi Scoticæ nationis, cum his quæ sibi erant subdita monasteriis ad ritum Paschæ ac tonsuræ canonicum, Domino procurante, perducti sunt. Siquidem anno ab incarnatione Domini septingẽtesimo sextodecimo, quo Osredo occiso Coenredus gubernacula regni Nortan Humbrorum suscepit, cum venisset ad eos de Hibernia Deo amabilis & cum omni honorificentia nominandus pater ac sacerdos Ecgbertus (cuius superius memoriam sępius fecimus) honorifice ab eis & multo cum gaudio susceptus est. Qui quoniã & doctor suauissimus, & eorum quæ agenda docebat erat executor deuotissimus, libẽter auditus ab vniuersis, immutauit piis ac sedulis exhortationibus inueteratam illam traditionẽ parentũ eorũ, de quibus apostolicũ illum licet proferre sermonem: Quod æmulationem Dei habebant, sed non secundũ scientiam, Catholicoq; illos atq; apostolico more celebrationẽ, vt diximus, præcipue solẽnitatis sub figura coronæ perpetuæ agere perdocuit. Quod mira diuinæ constat factũ dispensatione pietatis, vt quoniam gẽs illa, quæ nouerat scientiã diuinæ cognitionis, libẽter ac sine inuidia populis Anglorũ cõmunicare curauit: ipsa quoq; postmodũ per gentẽ Anglorũ in eis, quã minus habuerat, ad perfectam viuendi normã perueniret. Sicut econtra Britones, qui nolebãt Anglis eã quã habebãt fidei christianæ notitiã pandere, credentibus iam populis Anglorũ & in regula fidei catholicæ per omnia instructis, ipsi adhuc inueterati & claudicantes a semitis suis, & capita fieri sine corona prætendũt, & solennia Christi sine ecclesiæ Christi societate venerantur. Susceperũt autẽ Hyenses monachi docente Ecgberto ritus viuendi catholicos, sub abbate Duumchado post annos circiter octoginta, ex quo ad prædicationem gẽtis Anglorũ Aidanũ miserant antistitẽ. Mãsit autẽ vir Domini Ecgbertus annos tredecim in præfata insula, quã ipse velut noua quadã relucente gratia ecclesiasticæ societatis & pacis Christo consecrauerat. Annoq; incarnationis dominicæ septingẽtesimo vicesimo octauo, quo Pascha dominicũ octauo kalendarũ Maiarũ die celebrabatur, cũ missarũ solennia in memoriã eiusdẽ dominicæ resurrectionis celebrasset, eodẽ die & ipse migrauit ad Dominũ, ac gaudiũ summæ festiuitatis, quod cũ fratribus quos ad vnitatis gratiã conuerterat inchoauit, cũ Domino & Apostolis ceterisq; cæli ciuibus compleuit, imo idipsum celebrare sine fine nõ desinit. Mira autẽ diuinæ dispẽsatio prouisionis erat, quod venerabilis vir non solũ in Pascha trãsiuit de hoc mundo ad patrẽ, verum etiã cum eo die Pascha celebraretur, quo nunquam prius in eis locis celebrari solebat. Gaudebant ergo fratres de cognitione certa & catholica tẽporis Paschalis, lætabantur de patrocinio pergentis ad Dominũ patris, per quẽ fuerant correcti. Gratulabatur ille quod & eatenus in carne seruatus est, donec illũ in Pascha diẽ suos auditores, quẽ semper antea vitabãt, suscipere ac secũ agere videret. Sicq; certus de illorũ correctione reuerendissimus pater exultauit vt videret diem Domini, vidit, & gauisus est.

CAPVT. XXIIII.

ANNO dominicæ incarnationis septingentesimo vicesimo quinto (qui erat annus septimus Osrici regis Nordan Humbrorum qui Coenredo successerat) Victredus filius Ecgberti rex Cantuariorum defunctus est, nono die kalendarum Maiarum: & regni, quod per XXXIIII. & semis annos tenebat, filios tres, Edilbertum, Eadbertum & Aldricum reliquit heredes. Anno, post quem, proximo Tobias Rhofensis ecclesiæ præsul defunctus est, vir, vt supra meminimus, doctissimus. Erat enim discipulus beatæ memoriæ magistrorum Theodori archiepiscopi & abbatis Adriani: vnde, vt dictum est, cum eruditione litterarum vel ecclesiasticarum vel generalium, ita Græcam quoque cum Latina didicit linguam, vt tam notas & familiares sibi eas, quam natiuitatis suæ loquelam, haberet. Sepultus vero est in porticu sancti Pauli apostoli, quam intro ecclesiam sancti Andreæ sibiipse in locum sepulcri fecerat. Post quem episcopatus officium Alduulf Bertvvaldo archiepiscopo consecrante suscepit. Anno dominicæ incarnationis DCCXXIX. apparuerunt cometæ duæ circa solem, multum intuentibus terrorem incutientes. Vna quippe solem præcedebat mane Orientem, altera vespere sequebatur Occidentem, quasi Orienti simul & Occidenti diræ cladis præsagæ, vel certe vna diei altera noctis præcurrebat exortum, vt vtroque tempore mala mortalibus imminere signarent. Portabant autem facem ignis contra Aquilonem quasi ad accendendum acciuem, apparebantque mense Ianuario, & duabus ferme septimanis permanebant. Quo tempore grauissima Sarracenorum lues Gallias misera clade vastabat, & ipsi non multo post in eadem prouincia dignas suæ perfidiæ pœnas luebant. Quo anno sanctus vir Domini Ecgbertus, vt supra commemorauimus, ipso die Paschæ migrauit ad Dominum, & mox peracto Pascha, hoc est, septimo Iduum Maiarum die, Osric rex Nordan Humbrorum vita decessit, cum ipse regni, quod vndecim annis gubernabat, successorem fore Ceolvvlfum decreuisset, fratrem illius qui ante se regnauerat Coenredi regis. Cuius regni & principia & processus tot ac tantis redundauere rerum aduersantium motibus, vt quid de his scribi debeat, quem ve habitura sint finẽ singula, necdum sciri valeat. Anno dominicæ incarnationis septingentesimo tricesimo primo Bertvvaldus archiepiscopus longa consumptus ætate defunctus est, die quinto Iduum Ianuariarum, qui sedit annos triginta septem, menses sex, dies quatuordecim. Pro quo, anno eodem factus est archiepiscopus vocabulo Tacuine de prouincia Merciorum, cum fuisset presbyter in monasterio quod vocatur Bruidum. Consecratus est autem in Dorouernensi ciuitate a viris venerabilibus Daniele Ventano & Ingualdo Londoniensi & Alduino Lucidfeldẽsi & Alduulfo Rhofensi antistitibus, die decima Iunij mensis dominica, vir religione & prudentia insignis, sacris quoque literis nobiliter instructus. Itaque in præsenti ecclesiis Cantuariorum Tacuine & Aldvvlfus episcopi præsunt; porro prouinciæ Orientalium Saxonum Ingualdus episcopus, prouinciæ Orientalium Anglorum Eadbertus & Hadulacus episcopi, prouinciæ Occidentalium Saxonum Daniel & Forthere episcopi, prouinciæ Merciorum Alduinus episcopus. Et eis populis qui vltra amnem Sabrinam ad Occidentem habitant Walstodus episcopus, Prouinciæ Huicciorum Wilfridus episcopus, prouinciæ Lindisfarorum Cymbertus episcopus præest; episcopatus Vectæ insulæ ad Danielem pertinet episcopum Ventę ciuitatis. Prouincia Australium Saxonum iam aliquot annis absque episcopo manens, ministerium sibi episcopale ab Occidentalium Saxonum antistite quærit. Et hæ omnes prouinciæ ceteræque Australes ad confinium vsque Humbre fluminis cum suis quoque regibus Merciorum regi Edilbaldo subiectæ sunt. At vero prouinciæ Nordan Humbrorum, cui rex Ceoluulf præest, quatuor nunc episcopi præsulatum tenent: Wilfridus in Eboracensi ecclesia, Edilvvaldus in Lindisfaronẽsi ecclesia, Acca in Hagustaldẽsi ecclesia, Pecthelmus in ea quæ Candida casa vocatur, quæ nuper multiplicatis fidelium plebibus, in sedem pontificatus addita, ipsum primum habet antistitem. Pictorũ quoque natio tempore hoc & fœdus pacis cum gente habet Anglorum, & catholicæ pacis & veritatis cũ vniuersali ecclesia particeps existere gaudet. Scoti qui Britanniam incolunt suis cõtenti finibus, nihil contra gentem Anglorum insidiarum moliuntur aut fraudium. Britones quamuis & maxima ex parte domestico sibi odio gentem Anglorum, & totius

catholicæ ecclesiæ statutum Pascha, minus recte moribusque improbis impugnent, tamen & diuina sibi & humana prorsus resistente virtute in neutro cupitum possunt obtinere propositum. Quippe qui quamuis ex parte sui sint iuris, nonnulla tamen ex parte Anglorum sunt seruitio mancipati. Et arridente pace ac serenitate temporum, plures in gente Nordan Humbrorum, tam nobiles quam priuati, se suosque liberos depositis armis satagunt magis accepta tonsura monasterialibus asscribere votis, quam bellicis exercere studiis. Quæ res quem sit habitura finem posterior ætas videbit. Hic est in præsentiarum vniuersæ status Britanniæ, anno aduentus Anglorum in Britanniā circiter ducentesimo octogesimoquinto, dominicæ autem incarnationis anno septingentesimo tricesimo primo; in cuius regno perpetuo exultet terra, & cōgratulātē in fide eius Britannia, lætentur insulæ multæ, & confiteantur memoriæ sanctitatis eius.

EPITOME SIVE BREVIARIVM TOTIVS PRAECEDENTIS HISTORIAE ANGLOrum, per eundem venerabilem Bedam Anglosaxonem, cum auctario incerti auctoris, quod diuerso characterum genere excudi curauimus.

VERVM ea quæ temporum distinctione latius digesta sunt, ob memoriā cōseruandam breuiter recapitulari placuit. ¶ Anno igitur ante incarnationem dominicam sexagesimo, C. Iulius cæsar primus Romanorum Britanniam bello pulsauit, & vicit, nec tamē ibi potuit regnum obtinere. ¶ Anno ab incarnatione Domini XXXXVI. Claudius secundus Romanorum Britannias adiēs, plurimam insulæ partem in deditionem recepit, & Orcadas quoque insulas Romano adiecit imperio. ¶ Anno ab incarnatione Domini C.LXVII. Eleutherius Romæ præsul factus quindecim annos ecclesiam gloriosissime rexit, cui literas rex Britanniæ Lucius mittens, vt Christianus efficeretur petiit & impetrauit. ¶ Anno ab incarnatione Domini CLXXXIX. Seuerus Imp. factus decem & septem annis regnauit, qui Britanniam vallo a mari vsque ad mare præcinxit. ¶ Anno trecentesimo octogesimo primo Maximus in Britānia creatus imperator, in Galliā transiit, & Gratianum interfecit. ¶ Anno quadringentesimo nono Roma a Gothis fracta est, ex quo tempore Romani in Britannia regnare cessarunt.

¶ Anno quadringentesimo tricesimo Palladius ad Scotos, in Christum credentes, a Cælestino Papa primus mittitur episcopus. Anno CCCC.XLIX. Martianus cum Valentiniano imperium suscipiens septem annis tenuit. Quorum tempore Angli, a Britonibus accersiti, Britanniam adierunt. ¶ Anno D.XXVIII. eclipsis solis facta est decimo quarto Calend. Mart. ab hora prima vsque ad tertiam. ¶ Anno quingentesimo quadragesimo eclipsis solis facta est duodecimo kalendas Iul. & apparuerunt stellæ pene hora dimidia ab hora diei tertia. ¶ Anno D.XLVII. Ida regnare cœpit, a quo regalis Nordan Humbrorum prosapia originem tenet, & XII. annis in regno permansit. ¶ Anno D.LXV. Columba presbyter de Scotia venit Britanniam ad docendos Pictos, & in insula Hii monasteriū fecit. ¶ Anno D.XCVI. Gregorius papa misit Britanniam Augustinū cum monachis, qui verbum Dei genti Anglorū euangelizarent. ¶ Anno D.XCVII. venere Britanniam præfati doctores, qui fuit annus plus minus centesimus quinquagesimus aduentus Anglorum in Britanniam. ¶ Anno DCII. misit papa Gregorius pallium Britāniam Augustino episcopo iam facto, & plures verbi ministros, cum quibus & Paulinū. ¶ Anno DCIII. pugnatum est Addeglastane. ¶ Anno DCIIII. Orientales Saxones fidem Christi perceperūt, sub rege Geberto & antistite Mellito. ¶ Anno DCV. Gregorius papa obiit. ¶ Anno DCXVI. Edilbertus rex Cantuariorum defunctus est. ¶ Anno DCXXII. Paulinus a Iusto archiepiscopo ordinatur genti Nordan Humbrorum antistes. ¶ Anno DCXXVI. Eandfleda filia Eduini regis baptizata est cum duodecim in sabbato Pentecostes. ¶ Anno DCXXVII. Eduinus rex baptizatus est cum sua gente in Pascha. ¶ Anno DCXXXIII. Eduino rege perempto Paulinus Cantiam rediit. ¶ Anno DCXL. Eadbaldus rex Cantuariorum obiit. ¶ Anno DCXLII. Osvualdus rex occisus est. ¶ Anno DCXLIIII. Paulinus quondam Eboraci, sed nunc Rhofensis ciuitatis episcopus, migrauit ad Dominum. ¶ Anno DCLI. Osvvine rex occisus, & Aidan episcopus defunctus est. ¶ Anno DCLIII. Middilangli sub principe Penda fidei mysteriis sunt imbuti.

¶ Anno sexcentesimo quinquagesimo quinto periit Penda, & Mercij facti sunt Christiani.

¶ Anno sexcentesimo sexagesimo quarto eclipsis solis facta, Earcombertus rex Cātuariorum defunctus & Colmanus cum suis ad Scotos reuersus est, & pestilentia venit. Et Ceadda ac Vvil-

fridus

fridus Nordan Humbrorum ordinantur episcopi. ¶ Anno sexcentesimo sexagesimo octauo Theodorus ordinatur episcopus. ¶ Anno sexcentesimo septuagesimo Osvvi rex Nordan Hũbrorum obiit. ¶ Anno sexcentesimo septuagesimo tertio, Ecgbertus rex Cantuariorum obiit. Et synodus facta est ad Herudforda præsente Ecgfrido rege, præsidente vero Theodoro archiepiscopo, vtilima decem capitulorum. ¶ Anno sexcẽtesimo septuagesimo quinto Vulshere rex Merciorum postquam septendecim annis regnauerat defunctus, Edilredo fratri reliquit imperiũ. ¶ Anno sexcentesimo septuagesimo sexto Edilredus vastauit Cantiã. ¶ Anno DCLXXVIII. cometa apparuit, Vvilfridus episcopus a sede sua pulsus est ab Ecgfrido rege, & pro eo Bosa, Eata, & Eadhedus consecrati antistites. ¶ Anno DCLXXIX. Elfvvini occisus est. ¶ Anno DCLXXX. facta est synodus in campo Hedfelda de fide catholica, præsidente archiepiscopo Theodoro, in quo adfuit & Iohãnes abbas Romanus, quo anno Hilda abbatissa in Streaneshale obiit. ¶ Anno DCLXXXV. Ecgfridus rex Nordan Humbrorum occisus est. ¶ Anno eodem Lotheri rex Cantuariorum obiit. ¶ Anno DCLXXXVIII. Ceaduualla rex Occidẽtalium Saxonum Romam de Britannia pergit. ¶ Anno DCXC. Theodorus archiepiscopus obiit.

Anno DCXCVII. Ostrida regina a suis, id est, Merciorum primatibus, interempta est. ¶ Anno DCXCVIII. Berthredus dux regius Nordan Humbrorum a Pictis interfectus est. ¶ Anno DCCIIII. Edilredus postquam triginta & vnum annos genti Merciorum præfuit, monachus factus, Conredo regnum dedit. ¶ Anno DCCV. Aldfridus rex Nordan Humbrorũ defunctus est.

¶ Anno DCCIX. Conredus rex Merciorum, post quam sex annos regnauit, Romam pergit.

¶ Anno DCCXI. Berthfridus præfectus cum Pictis pugnauit. ¶ Anno DCCXVI. Osredus rex Nordan Humbrorum interfectus est. Et rex Merciorum Ceolredus defunctus est. Et vir Domini Ecgbertus Hiienses monachos ad catholicum Pascha, & ecclesiasticam correxit tonsuram.

Anno DCCXXV Vvichtredus rex Cantuariorum obiit. Anno DCCXXIX. cometæ apparuerũt, sanctus Ecgbertus transiit, Osrichus mortuus est. ¶ Anno DCCXXXI. Berthvvaldus archiepiscopus obiit. ¶ Anno eodem Tarvvini consecratus est archiepiscopus.

¶ *Anno ab incarnatione Domini* DCCXXXII. *Ecgbertus pro Vvilfrido Eboraci episcopus factus, Cymbertus episcopus Lindisfarorum obiit. ¶ Anno septingentesimo tricesimo tertio eclipsis facta est solis decimo octauo kalendas Septembris circa horam diei tertiam, ita vt pene totus orbis solis quasi nigerrimo & horrendo scuto videretur esse coopertus. ¶ Anno ab incarnatione Domini septingentesimo tricesimo tertio Tarvvini archiepiscopus, accepto ab apostolica authoritate pallio, ordinauit Alvvich & Sigfridum episcopos. ¶ Anno septingentesimo tricesimo quarto luna sanguineo rubore perfusa quasi hora integra secunda kalendarũ Februariarum circa gallicantum, dehinc nigredine subsequente ad lucem propriam reuersa. ¶ Anno ab incarnatione Christi septingentesimo tricesimo quarto Tarvvini episcopus obiit. ¶ Anno ab incarnatione Domini septingentesimo tricesimo quinto Nothelmus archiepiscopus ordinatur, & Ecgbertus episcopus, accepto ab apostolica sede pallio, primus post Paulinum in archiepiscopatum confirmatus est, ordinauitque Fruidbertum & Fruidvvaldum episcopos, & Beda presbyter obiit. ¶ Anno septingentesimo tricesimo septimo nimia siccitas terram fecit infœcundam, & Ceolvvulfus sua voluntate attonsus regnum Eadberto reliquit. ¶ Anno ab incarnatione Christi septingentesimo tricesimo nono Edilhartus Occidentalium Saxonum rex obiit, & Nothelmus archiepiscopus. ¶ Anno ab incarnatione Domini septingentesimo quadragesimo Cudbertus pro Nothelmo consecratus est. Edilvvaldus rex Merciorum per impiam fraudem vastabat partem Nordan Humbrorum, erat que rex eorum Eadbertus occupatus cum suo exercitu contra Pictos. Edilvvaldus quoque episcopus obiit, & pro eo Convvulfus ordinatur antistes. Aruvvini & Eadbertus interempti. ¶ Anno septingentesimo quadragesimo primo siccitas magna terram occupauit. Carolus rex Francorum obiit, & pro eo filij Caroloman & Pippin regnum acceperunt. ¶ Anno septingentesimo quadragesimo quinto Vvilfridus episcopus & Inguvaldus Lundonia episcopus migrauerunt ad Dominum. ¶ Anno septingentesimo quadragesimo septimo Herefridus vir Dei obiit. ¶ Anno septingentesimo quinquagesimo Cudretus rex Occidentalium Saxonum surrexit contra Edilvvaldum regem & Oengusum. Theneorus atque Eanredus obiit. Eadbertus campum Cyil cum aliis regionibus suo regno addidit. ¶ Anno septingẽtesimo quinquagesimo sexto, anno regis Eadberti quinto, Idus Ianuarias eclipsis solis facta est, Postea eodem anno & mense, hoc est, nono kalendarum Februarium luna eclipsim pertulit horrendo & nigerrimo scuto. ¶ Anno* DCCLIIII. *Bonifacius, qui & Vvinfridus, Francorum episcopus cum quinquaginta tribus martyrio coronatus est, & pro eo Redgerus consecratur archiepiscopus a Stephano papa.*

¶ Anno DCCLVII. *Edilbaldus rex Merciorum a suis tutoribus noctu morte fraudulenta miserabiliter peremptus occubuit, Beonredus regnare cœpit, Cymvvulfus rex Occidentalium Saxonum obiit. Eodem etiam anno Offa fugato Beonredo Merciorum regnum sanguinolento quæsiuit gladio. ¶ Anno* DCCLVIII. *Eadbertus rex Nordan Humbrorum Dei amoris causa & cælestis patria, violentia accepta sancti Petri tonsura, filio suo Osvvulfo regnũ reliquit. ¶ Anno* DCCLIX. *Osvvulfus a suis ministris facinorose occisus est. Et Edilvvaldus anno eodem a sua plebe electus, intrauit in regnum: cuius secundo anno magna tribulatio mortalitatis venit, & duobus ferme annis permansit, populantibus duris ac diuersis ægritudinibus, maxime tamen dysenteria languore. ¶ Anno* DCCLXI. *Oengus Pictorum rex obiit. Qui regni sui principium vsque ad finem facinore cruento tyrãnus perduxit carnifix, & Osvvini occisus est. Anno* DCCLXV. *Aluchredus rex susceptus est in regnum. Anno* DCCLXI. *Ecgbertus archiepiscopus prosapia regali ditatus ac diuina scientia imbutus, & Erithubertus vere fideles episcopi ad Dominum migrauerunt.*

HAEC de historia ecclesiastica Britannorum, & maxime gentis Anglorum, prout vel ex literis antiquorum, vel ex traditione maiorum, vel ex mea ipse cognitione scire potui, Domino adiuuante, digessi Beda Dei famulus & presbyter monasterij beatorum apostolorum Petri & Pauli, quod est ad Vvirimudam & Ingiruum. Qui natus in territorio eiusdem monasterij, cum essem annorum septem cura propinquorum datus sum educandus reuerendissimo abbati Benedicto, ac deinde Ceolfrido, cunctumque ex eo tempus vitæ in eiusdem monasterij habitatione peragens, omnem meditandis scripturis operam dedi, atque inter obseruantiam disciplinæ regularis & quotidianam cantandi in ecclesia curam semper aut discere, aut docere, aut scribere dulce habui. Nono decimo autem vitæ meæ anno diaconatum, tricesimo gradum presbyteratus, vtrumque per ministerium reuerendissimi episcopi Ioannis, iubente Ceolfrido abbate, suscepi. Ex quo tempore accepti presbyteratus vsque ad annum ætatis meæ quinquagesimum nonum hæc in scripturam sanctam, meæ meorumque necessitati, ex opusculis venerabilium patrum breuiter annotare, siue etiam ad formam sensus & interpretationis eorum superadiicere curaui.

In principium Genesis vsque ad natiuitatem Isaac, & electionem Israelis, & Ismaelis reprobationem libros tres.
De tabernaculo & vasis eius ac vestibus sacerdotum libros tres.
Item in primam partem Samuhelis, id est, vsque ad mortem Saulis libros quatuor.
De ædificatione templi allegoricæ expositionis, sicut & cætera, libros duos.
Item in Regum librum triginta quæstionum.
In Prouerbia Salomonis libros tres.
In Cantica canticorum libros sex.
In Isaiam, Danielem, duodecim prophetas, & partem Iheremiæ, distinctiones capitulorũ ex tractatu beati Ieronymi excerptas.
In Esdram & Neemiam libros tres.
In canticum Abacuch librum vnum.
In librum beati patris Tobie explanationis allegoricæ de Christo & ecclesia librũ vnum.
Item capitula lectionum in pentateuchũ Moysi, Iosue, Iudicum.
In libros Regum & verba dierum.
In librum beati patris Iob.
In parabolas, Ecclesiasten, & Cantica cãticorũ.
In Isaiam prophetam.
In Esdram quoque & Neemiam.
In euangelium Marci libros quatuor.
In euangelium Lucæ libros sex.
Homiliarum euangelij libros duos.
In apostolum, quæcunque in opusculis sancti Augustini exposita inueni, cuncta per ordinem transcribere curaui.
In Actus apostolorum libros duos.
In epistolas septem canonicas libros singulos.
In Apocalypsim sancti Ioannis libros tres.
Item capitula lectionum in totum nouum testamentum excepto Euangelio.
Item librum Epistolarum ad diuersos, videlicet De sex ætatibus sæculi vna est. De mansionibus filiorũ Israel, vna. De eo, quod ait Isaias, Et claudẽtur ibi in carcere, & post dies multos visitabũtur, vna. De ratione bisexti, & de æquinoctio iuxta Anatholium, vna.
Item de historiis sanctorũ. Librum vitæ & passionis sancti Fœlicis confessoris, de metrico Paulini opere, in prosam transtuli.
Librum vitæ & passionis sancti Anastasij, male de Græco translatum, & peius a quodam imperito emendatum, prout ad sensum correxi.
Vitam sancti patris monachi simul & antistitis Cudberti, & prius heroico metro, & postmodum plano sermone descripsi.
Historiam abbatũ monasterij huius, in quo supernæ pietati deseruire gaudeo, Benedicti, Ceolfridi, & Vvertberti, in libellis duobus.
Historiã quoq; Ecclesiasticam gentis nostræ, in quinq; libros.
Martyrilogiũ de natalicis sanctorũ martyrum diebus, in quo omnes, quos inuenire potui, nõ solum qua die, verum etiam quo genere certaminis, vel sub quo iudice mundum vicerint, diligenter annotare studui.
Librũ Hymnorũ diuerso metro siue rhythmo.
Librum Epigrammatum heroico metro siue elegiaco.
De natura rerum & de temporibus libros singulos.
Item de temporibus librum vnum maiorem.
Librum etiam de orthographia alphabeti ordine distinctum.
Item librum de metrica arte & huic adiũctum alium.
De schematibus & tropis libellum, hoc est, de figuris modisque locutionum, quibus scritura sancta contexta est.

ORATIO BEDÆ AD CHRISTVM.

TE deprecor bone IESV, vt cui propitius donasti verba tuæ sapientiæ vel scientiæ dulciter haurire, dones etiam benignus aliquando ad te omnis sapientiæ fontem peruenire, & apparere semper ante faciem tuam, qui viuis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

DE GESTIS ANGLORVM LIBRI TRES, INCERTO AVCTORE.

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

ANNO ab incarnatione Domini quadringentesimo quadragesimo nono, venere Angli & Saxones Britanniam. Aduẽtus causam licet vsquequaq; decantatam, non erit ab re hic retexere. Sed vt quod intendo certius elucescat, altius ordiẽdum. ROMANI Britanniam, per Iul. Cæsarem in Latias leges iurare compulsam, magna dignatione coluerunt; vt & in annalibus legere, & in veterum ædificiorum vestigiis est videre. Ipsi etiam principes qui toti pene orbi imperitarunt, huc aucupatis occasionibus libenter adnauigare, hic æuum solebant trãsigere. Denique Seuerus & Constantius imperatores amplissimi, ambo apud insulam diem functi, & supremo honore sunt funerati. Quorum Seuerus, ob prouinciam ab incursione barbarorum muniendam, celebrem illam & vulgatissimam fossam de mari ad mare duxit. Constantius vir, vt aiunt, magnæ ciuilitatis, Constantinum ex Helena stabularia susceptum, egregiæ spei iuuenem reliquit heredem. Qui ab exercitu imperator consalutatus, expeditione in superiores terras indicta, magnam manum Britannorum militum abduxit: per quorum industriam, triumphis ad vota fluẽtibus, breui rerum potitus, emeritos & laboribus functos, in quadam parte Galliæ ad occidentem super litus oceani locauit. vbi hodieque posteri eorum manentes, immane quantum conualuere; moribus linguaque nonnihil a nostris Britonibus degeneres.

CAPVT II.

SVCCEDENTIBVS annis Maximus, homo imperio aptus, si non contra fidem ad tyrannidem anhelasset, quasi ab exercitu impulsus purpuram induit. Statimq; in Galliam transitum parans, ex prouincia omnem pene militem abrasit. Constantinus quidam non multo post ibidem spe nominis imperator allectus, quicquid residuum erat militaris roboris exhausit. Sed alter a Theodosio, alter ab Honorio interfecti, rebus humanis ludibrio fuere. Copiarũ quæ illos ad bella secutæ fuerant, pars occisa, pars post fugam ad superiores Britannos concessit. Ita cum tyranni nullum in agris pręter semibarbaros, nullum in vrbibus præter ventri deditos reliquissent: Britannia omni patrocinio iuuenilis vigoris viduata, omni exercitio artium exinanita, conterminarũ gẽtium inhiationi diu obnoxia fuit. Siquidem in vestigio Scotorum & Pictorum incursione multi mortales cæsi; villę vrbesq; subrutæ; prorsus omnia incẽdio ferroq; fœdata. Turbati insulani, qui omnia tutiora putarent, quam prœlio decernere; partim pedibus salutem quærentes, fugam in montana intendunt; partim sepultis thesauris, quorum plerique in hac ætate defodiuntur, Romam ad petendas suppetias contendunt. Romani miseratione infracti, nihilq; antiquius ęstimantes, quam fessis rebus sociorũ opem porrigere, semel & iterum perturbato longius hoste, operã suam exhibuere. Postremo lõginquæ peregrinationis pertæsi, aduentum in posterũ excusant. discerent ipsi potius a martio patrũ calore nõ degenerare, animis & armis patriã defensare. Adiiciunt verbis normã muri pro sui tuitione cõstruendi, ad propugnacula excubãdi, in hostẽ; si necesse esset, procursandi: & cetera quę disciplina militaris exigit exequẽdi. Post monita lacrymis miserorũ comitati discedũt. Abeũtes felix fortuna prosequẽs, votis suorũ restituit. Tũ vero Scoti, desperati reditus audito nuncio, incitantur; & plus solito in Britones irruere, & murum complanare, paucos resistentes opprimere, prædas non ignobiles domum agere. At vulgus terræ reliquum ad palatium aduolat, regis sui fidem implorans.

CAPVT III.

ANNO dominicæ incarnationis septingentesimo nono, habuit Via rex vxorem Ethelburgam, fœminam sane regij generis & animi: quæ cum crebro viri instillaret auribus, vt mundanis rebus vel extremis annis valefacerent, & ille hortantem de die in diem differret, astu tandem vincere parat. Cum enim quadam vice apud villam ingenti tumultu expleuissent, postridie cum discessissent, villicus ex reginæ continentia palatium quanta potest deformitate, tam fimo pecudum, quam aggere ruderum infamat: postremo, in lecto vbi cubauerant, porcam nouiter enixam collocauit. Interea cum iam plus miliario processum esset, illa maritum vxoriis delinimentis aggreditur, rogans vt illuc vnde abierant, necessario pedem referant, magni discriminis rem fore, si non exaudiat. Re non difficiliter impetrata; rex videns locũ Sardanapalicis deliciis parem, nunc fœda solitudine deformem miratur, tacitoque iudicio oculi rem examinantes ad mulierem redire. Tunc illa, occasione aucupata, lætumque subridẽs, Et vbi sunt, ait, domine cõiunx, hesterni strepitus? vbi aulæa Sydoniis fucis ebria? vbi parasitorum discurrens petulantia? vbi dædalea vasa pondere metallorum mensas ipsas onerantia? vbi terra marique exquisita ad gulæ lenocinium obsonia? nonne omnia fumus & ventus? nonne omnia transierunt: & væ his qui hæserunt, quia simul transibunt. Cogita quæso, quam mirabiliter defluunt carnes, quæ modo in deliciis nutriuntur. nõne nos qui ingurgitamur vberius, putrescemus miserius? Potentes potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior instat cruciatio. Nec plura locuta, maritum compulit in sententiam exemplo, quem multis annis insusurrauerat verbo. Nam post triũphales bellorum manubias, post multarum virtutum gradus, summum culmen perfectionis meditatus Romam abiit. Ibi ne pompam suæ conuersionis faceret, non publicis vultibus expositus crinem deposuit: sed vt solius Dei vultibus placeret, amictu plebeio tectus clam consenuit. Nec deerat tanti dux fœmina facti, quæ cum antea virum ad hoc audiendum incitasset, tunc mærentem verbis lenire, labentem exemplis erigere, prorsus quod ad salutem eius spectaret, nihil dimittere. Ita mutua karitate connexi, temporibus suis viam hominum ingressi sunt, non sine magnis, vt accepimus, miraculis, quibus diuina dignatio felicium coniugum sæpe respondit meritis.

CAPVT IIII.

OSVVALDI regis laudes historia panegyrico prosequitur modo, quarum nos cõpetentes particulas, velut quodam complectimur epilogo. Quantus enim in eius pectore fidei feruor caluerit, facile ex hoc animaduertentes: quod si quando antistes Aldanus Scotice auditoribus facienda proponeret, & interpres deesset, cõfestim rex ipse, quamuis indutus chlamydem vel auro rigẽtem, vel Tyrios murices æstuantem, id minus dignanter corripiens, barbari sermonis inuolucrum patria lingua expediret. Vulgatissimũ est quoque quod crebro appositis obsoniis, cũ conuiuæ dentes in cibos acuerent, mentes intenderent, ipse voluptatem frænarit, penuria sua pauperum mercatus gaudia. vnde etiam arbitror temporaliter absolutam esse cœlestis sententiæ fidem, quã diuinum quondam resultauit oraculum. Dispersit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in sæculum sæculi. Nam quod auditor mirari debeat, & infitiari non valeat, dextera illa regalis tantarum eleemosynarum largitrix, hodieque cum brachio, cute & neruis incorrupta viget. Totum vero corpus reliquum, præter ossa, in cineres resolutum, communionem mortalitatis non euasit. Et sunt quidem nõnullorum sanctorum corporales exuuiæ, nullius omnino labis consciæ. Quapropter viderint alij, quo examine iudicium suum ponderent. ego istud gratius & euidentiori miraculo diuinius esse pronuntio. Nam vsu etiam pretiosa degenerant: & quicquid videtur rarius, prædicatur vberius. Iam non superfluus essem, si dicere affectarem, quam sedulus fuerit preces in altum porrigere, votis cœlos onerare. Adeo est amplior laus ista in Osuualdo, quam vt nostra oratione indigeat cumulari. Quando enim negligeret, qui rebellione per Pendam regem Merciorum excitata, cum stipatoribus fusis, ipse quoque ferratam siluam in pectore gereret, nec atrocitate vulnerum, nec

nec mortis confinio potuit argui, quin pro animabus fidelium suorum domino Deo supplicaret. Ita vir in sęculo ingentis gloriæ, magnæ apud Deū gratiæ, animam exuens, gratiosam suis posteris profudit memoriam, per miraculorum frequentiam. Merito: res enim non perstricta, sed coruo rarior albo, hominem abundare diuitiis, & nolle lasciuire viciis.

CAPVT V.

CONSCENDIT igitur tremulum culmen regni Ceovvilfus ab Ida septimus, & idoneus ad cetera: & non deerat litterarum peritia, acri animo & alacri studio comparata. Vadatur veritatem sermonis mei Beda, qui eo tempore, quo maxime litteras scaturiebat Britannia, huic potissimum historiam Anglorum eliminandam obtulit: eligens nimirum in illo auctoritatem propter imperium, scientiam corrigendi propter ingenium.

CAPVT VI.

HVIVS anno quarto, idem historiographus post multos in sancta Ecclesia libros elaboratos, cœlestem patriam, quam diu suspirauerat, ingressus est, anno dominicæ incarnationis septingentesimo tricesimo quarto, ætatis suæ sexagesimo: vir quem mirari facilius quam digne prędicare possis: quod in extremo mundi angulo natus, doctrinæ corusco terras omnes perstrinxerit. Nam Britannia, quæ quibusdam alter orbis appelatur, quod Oceano interfuso non multis historiis comperta est; habet in remotissima sui plaga, locum natiuitatis eius & educationis, Scotiæ propinquum. Plaga olim & suaue-olentibus monasteriorum floribus dulcis, & vrbium a Romanis ædificatarum frequentia renidens: nunc vel antiquo Danorum vel recenti Normanorum populatu lugubris, nihil quod animos multum alliciat prætendens. Ibi est Wira, nec egenæ latitudinis, nec segnis gurgitis amnis, qui pelago influus, naues serena inuectas aura, placido ostij excipit sinu: cuius vtrasque ripas Benedictus quidam ecclesiis insigniuit, & monasteria ibidem construxit, alterum Petri, alterum Pauli nomine, caritatis & regulæ vnione non discrepantia. Huius industriam & patientiam mirabitur, qui leget librum quem Beda composuit de vita eius & reliquorū abbatum suorum. Industriam, quod copiam librorum aduexerit, quod artifices lapidearum ædium & vitrearum fenestrarum primus omnium in Angliam asciuerit: totum pene æuum talia transigendo peregrinatus. Quippe studio aduehendi conatus aliquid insolitum, amor patriæ, & voluptas elegantiæ, asperos fallebant labores. Neque enim ante Benedictum lapidei tabulatus domus in Britannia nisi perraro videbantur: neque perspicuitate vitri penetrata lucem ædibus solaris iaciebat radius. Patientiam, quod in cœnobio sancti Augustini apud Cantuariam libēter venienti Adriano cesserit: non reueritus beati Theodori Archiepiscopi supercilium, sed veneratus magisterium. quod, dum per alienas terras cursitat, diu absens, subintroductum a monachis Wirensibus se inconsulto abbatem, æquanimiter, immo magnanimiter tulerit, domūque reuersus, parilem illi honorem inconcessum in omni potestate cōmmunicauerit. Qui & ictus paralysi tam valide, vt nihil ei esset flexibile, tertium constituerit, quod alter, de quo diximus, eadem non mitius decoqueretur valitudine. Cumque morbus increscens iam quateret vitalia, socio ad se delato, solo nutu valedixit. Sed nec ille præstantius valuit rependere officium: vtpote qui propinquiorem tendebat ad exitum. nam ante Benedictum defunctus est. Successit Cellefridus, sub quo res monasterij in immensum auctæ. Is cum diuturno senio viuendi satisfecisset desiderio, Romam ire perrexit, senilem animam, vt sperabat, dominis effusurus Apostolis. Sed enim voti effectu carens, naturę debitum apud Lingonis ciuitatem iniit. Reliquiæ ossium posterioribus annis ad monasterium suum: deinde tempore Danicæ vastationis cum ossibus beatæ Hildæ Glastoniam portatæ. Horum abbatum gratiam quę per se satis eminet, cōspicuus alumnus eorū Beda in splendidiorem excellētiam vrget, cum quidem scriptū sit: Gloria patris est filius sapiens: quod alter eū monachauerit, alter educauerit. Quod quia ipse Beda pro cōpendio noticiæ subiecit, omnē vitam suā quodā epilogo cōprehendēs, ipsius verba lector

recognoscat licebit: ne meis sermonibus vel plus vel minus ipsa nouæ formæ procudat necessitas. Ait ergo in fine Ecclesiasticæ Anglorum historiæ vir tum in ceteris, tum in hoc laudabilis, quod vel quantulamcumque sui cognitionem posteritati non inuiderit:

Hæc de historia ecclesiastica Britannorum, domino adiuuāte, digessi Beda famulus Christi & presbyter monasterij apostolorū Petri & Pauli, quod est ad Wiremudā. Qui natus in territorio eiusdem monasterij, cū essem annorum VII. cura propinquorū datus educandus sum reuerendissimo abbati Benedicto, ac deinde Celfrido: cunctūq; ex eo tēpus vitæ in eiusdem monasterij habitatione peragens, omnem meditandis scripturis operam dedi: atq; inter obseruātiam disciplinę regularis, & quotidianam cantandi curam in ecclesia, semper aut discere, aut docere, aut scribere dulce habui. Nonodecimo autem vitæ meæ anno diaconatum, & tricesimo gradum præsbyteratus, vtrumq; per ministerium reuerendissimi episcopi Ioannis, iubente abbate Celfrido suscepi. Ex quo tēpore accepti presbyteratus, vsq; ad annū ætatis meæ quinquagesimum nonū, hæc in scripturam sanctā meæ meorumq; necessitati, ex opusculis venerabilium patrū breuiter hic annotare: siue etiam ad formam sensus & interpretationis eorū adiicere curaui.

Deinde enumeratis XXXVII. voluminibus, quæ in septuaginta octo libris edidit, addidit: Teq; precor Domine Iesu, vt cui propitius donasti verba tuæ scientiæ dulciter haurire, dones etiam benignus aliquando ad te fontē omnis scientiæ peruenire, & apparere semper ante faciem tuam. Præterea omnes, ad quos hæc historia peruenire potuerit nostræ nationis, legentes siue audientes, simpliciter precor, vt pro meis infirmitatibus, & mentis & corporis, apud supernam clemētiam sæpius interuenire meminerint: & hanc quoq; mihi in suis prouinciis suæ remunerationis vicem rependant, vt qui de singulis prouinciis siue locis sublimioribus, quæ memoratu digna, incolis grata credideram, diligēter annotare curaui, apud omnes fructum piæ intercessionis inueniam. Deficit hic ingenium, succumbit eloquium: nesciens quid plus laudem, librorum numerositatem, an sermonum sobrietatē. Infuderat eum, proculdubio non indigno haustu diuina sapientia, vt angusto vitæ spatio tanta elaboraret volumina. Quid quod fertur eum Romam iuisse, vt libros suos vel ecclesiasticæ doctrinæ conuenire præsens assereret, vel si resultarent, Apostolico nutu corrigeret. verum tamen quod Romæ fuerit, solide non affirmo: sed eum illuc inuitatum haud dubie pronuntio. quod hæc epistola clarum faciet; simul & quanti penderit eum Romana sedes, vt eum tantopere desideraret.

SERGIVS episcopus, seruus seruorum Dei, Celfrido religioso abbati salutem. Quibus verbis ac modis clementiam Dei nostri, atq; inenarrabilem prouidentiam possumus affari, & dignas gratiarum actiones pro immensis circa nos eius beneficiis persoluere, qui in tenebris & vmbra mortis positos, ad lumē scientiæ perducit. Et infra: Benedictionis interea gratiam, quam nobis per præsentem portitorem tua misit deuota religio, libenti & hilari animo, sicut ab ea directa est, nos suscepisse, cognosce. Oportunis ergo ac dignis amplectendæ solicitudinis tuæ petitionibus arctissima deuotione fauētes, hortamur Deo dilectam religiositatis tuæ bonitatem, vt quia exortis quibusdam Ecclesiasticarum causarum capitulis, non sui examinatione lōgius innotescendis, opus nobis sunt ad conferēdum arte litteraturæ imbuti: sicut decet deuotum auxiliatorem sanctæ matris vniuersalis ecclesiæ, obedientem deuotionem huic nostræ exhortationi non desistas accommodare: sed absq; aliqua immoratione religiosum Dei famulum Bedam venerabilis monasterij tui presbyterum ad limina Apostolorū principum dominorum meorum Petri & Pauli, amatorum tuorum ac protectorum, ad nostræ mediocritatis conspectum non moreris dirigere, quem fauente domino sanctis tuis precibus non diffidas prospere ad te redire, peracta præmissorum capitulorum cum auxilio Dei desiderata solmnitate. Erit enim, vt confidimus, etiam cunctis tibi creditis profuturum, quicquid ecclesiæ generali claruerit per eius præstantiam impertitum. Ita iam celebris erat fama, quod in quæstionibus enodandis indigeret eo sublimitas Romana. Nec vero vnquam Gallicanus tumor inuenit in Anglo, quod argueret merito. Adeo Latinitas omnis eius fidei & magisterio palmam dedit: nam & fidei sanæ & incuriosæ,

sed

sed dulcis fuit eloquentiæ, in omnibus explanationibus diuinarum scripturarum: & magis illa rimatur, quibus lector Dei dilectionem & proximi cohiberet, quam illa quibus vel sales libaret, vel linguæ rubiginem limaret. Porro de vitæ illius sanctitate dubitare quępiam, arcet illius irrefragabilis dicti veritas, quod protulit mũdo diuæ Sophiæ maiestas: In maliuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subiecto peccatis. Quod profecto non de mũdana sapientia dicit, quæ indifferenter hominũ cordibus illabitur, & qua creberrime pessimi, & nullas vsq; ad extremũ diem figẽtes metas sceleribus, pollere cõspiciuntur, iuxta illud Dominicũ: Filij huius sæculi prudẽtiores filiis lucis in generatione sua sunt: sed illam sapientiã nominat, quę disciplinæ effugit fictũ, & quæ separat se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu, & bene viuẽdi & bene dicendi. Vnde pulcerrime Seneca de causis cõmemorat Catonem, oratoris officium diffinientem, dixisse: Orator est vir bonus, dicendi peritus. Emundabat ergo Ecclesiasticus orator prius conscientiam, vt sic accederet ad recludendam mysticorum scriptorum intelligentiam. Quî enim fieri potest vt seruiret viciis, qui medullas intimas hauriret, qui totas cogitationes consumeret in scripturarum expositionibus? Nam vt ipse fatetur in libro tertio super Samuelem expositionis suæ, si non aliud afferrent emolumentum, hoc sibi non mediocriter valerent. Quod dum omni studio agebat, & lubricum sæculi, & inanes cogitationes post tergum ponebat. Defæcatus itaque viciis, subibat in interiora velaminis, quæ intus acceperat animo, foras efferens sermone castigato.

CAPVT VII.

VERVMTAMEN animi eius pura sanctitas, & sancta puritas, magis proximo tempore obitus excellunt. Siquidem continuis septem hebdomadibus stomachi indignatione cibos nauseans, ægroque & angusto suspirio halitum producens, adeo vt eum incommoditas lecto prosterneret, non tamen litteralium studiorum reiecit operam. Totis enim diebus, præter debitum psalmodiæ pensum, assiduis ad discipulos lectionibus, ruminandisque & absoluendis quæstionum difficultatibus, grauedinem valetudinis decipere, suspensa interim cogitatione nitebatur. Euangelium quoque Iohannis, quod difficultate sui mentes legentium exercet, his diebus lingua interpretatus Anglica, condescendit minus imbutis Latina. Subindeque monebat discipulos, dicens: Discite filioli, dum vobiscum sum. nescio enim quamdiu subsistam: & si post modicum tollat me factor meus, & reuertatur spiritus ad eum qui illum misit, & in hanc vitam venire concessit. Diu vixi: bene consuluit mihi Dominus in hoc vitæ tempore. Cupio iam dissolui, & esse cum Christo. Plerumque spe metuque libratis, cum neutrum præponderaret, inferebat: Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. Non ita inter vos vixi, vt me pudeat viuere: sed nec mori timeo, quia bonum dominum habemus. Sanctissimi Ambrosij dictum mutuatus: felix qui tam secura conscientia loquebatur, vt nec viuere erubesceret, nec mori timeret. Illinc reueritus aspectus hominum, istinc occultum Dei ęquanimiter expectans arbitrium. Sæpe vi doloris pressus, his exemplis respirabat: Diligit Deus hominem quem corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit. Aurum probat fornax, & virum iustum caminus tentationis. Non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Prosequebantur dicta lacrymæ, & suspiriorum difficultas. Iam vero noctibus, quia deerant qui docerentur, vel verba exciperent, lucubrabat ipse sibi pernox in gratiarum actione, & psalmorum cantu: implens sapientissimi viri dictum, vt nunquam minus solus esset, quam cum solus esset. Siquando vero sopor palpebras repleret, qui erat & modicus & grauis, confestim excussus turbatusque, affectum semper Deo intentum hac voce prodebat: Suscipe me Domine seruum tuum in bonum, non calumnientur me superbi. fac cum seruo tuo secundũ misericordiam tuam. Hæc & alia ex reliquis memoriæ præteritæ vltro ori occurrebant exempla, quę promebat per tẽporum interualla, prout leniebatur infesti morbi angustia. Feria vero tertia ante Ascensionem inualescente, ad summum incõmodum modicus tumor in pedibus eius apparuit, haud dubius vicinę mortis pręsagus & index. Tunc accita cõgregatione inunctus & communicatus, osculo cũctis libato, futurã sui

memoriam a singulis implorans, nonnullis etiam familiariorem amicitiam emeritis, xeniola quæ in secretis habebat, largitus est.

CAPVT VIII.

DIE vero ascensionis, cum iam anima fragilem vsum corporis exosa, egrediq; cupiens palpitaret, contra oratorium quo orare consuerat, cilicio subiecto decumbens, illibato sensu, & hilari vultu spiritus sancti gratiam inuitabat, dicens: O rex gloriæ Domine virtutũ, qui triumphator hodie super omnes cœlos ascendisti, ne derelinquas nos orphanos: sed mitte promissum patris in nos spiritum veritatis. Hac oratione finita, supremum efflauit spiritum, subsequente & omnium naribus expletis odore, qualem nec thymiama, nec balsama spirant: sed paradisiaco & quasi vernalis vbicumq; exhalat lætitia. Humatus est tunc in eodem monasterio: sed modo cum beato Cuthberto Dunelmi situm fama confirmat. Sepulta est cum eo pene omnis gestorum noticia ad nostra tẽpora. Adeo nullus Anglorum studiorum eius æmulus, nullus gloriarum sequax fuit, qui omissæ monetę lineam persequeretur. Pauci quos ęquus amauit Iesus, quamuis litteris non ignobiliter informati, tota vita ingratum cõsumpserunt silentium. Alij vix primis labris illas gustantes, ignauum confouerunt ocium. Ita cum pigro semper succederet pigrior multo tempore, studiorum in tota insula tepuit feruor. Magnum ignauiæ testimonium dabunt versus epitaphij, pudendi prorsus, & tanti viri mausoleo indigni:

Presbyter hic Beda requiescit, carne sepultus:
Dona Christe animam in cœlis gaudere per æuum:
Daque illum Sophiæ debriari fonte, cui iam
Suspirauit ouans intento semper amore.

Poteritne vlla excusatione hic pudor extenuari, vt nec in eo monasterio, vbi illo viuẽte totius litteraturæ exultabat gymnasium, potuerit inueniri homo, qui memoriam eius formaret, nisi exili & miserabili stilo! Sed de hoc satis dictum: nunc quod in manibus erat, repetam.

CAPVT IX.

CELVVLFVS citra grauitatem Christianã existimans terrenis negotiis inmorari: post octo annos regni regem exuens, in Lindisfarnensi ecclesia monachatum accepit. Quo loci quanta religionis gratia conuersatus sit, testatur celebris iuxta Cuthbertum sepultura: & multa superne ostẽsa miracula. Prouiderat ante ne vacillaret res publica, substituto in regnum Egberto patrui sui filio. Quod ille accipiens, bonorum terens orbitas, xx. annis egregio moderamine coercuit. Habuit fratrem æquiuocum nomine, Eboraci Archiepiscopum, qui & sua prudentia, & germani potentia, sedem illam in genuinum statum reformauit. Namque quod cuiuis gesta Anglorum legenti in prõptu est, Paulinus eiusdem vrbis primus Antistes in hostilitatis loco pulsus, apudq; Rofecestram diem obiens: ibidem illud insigne pallij, quod ab Honorio papa acceperat, reliquit. Plures post eum tantę vrbis prę̨sules simplici episcopatus nomine contenti, nihil altius anhelauerant. At vero Egbertus inthronisatus, cogitans animosioris ingenij homo, quod sicut superbum est, si appetas indebita, ita ignauum si negligas debita: pallium multa Apostolici throni appellatione reparauit. Hic omnium liberalium artium (vt ita dicam) armarium, immo sacrarium fuit; & nobilissimam Eboraci bibliothecam instituit. Cuius rei testem idoneum aduoco Alcuinum, qui a regibus Angliæ pro pace missus ad Carolum Magnum imperatorem, apud eum fotus hospitio, in epistola ad Eambaldũ tertio loco Egberti successorem dixit: Laus & gloria Deo, qui dies meos in prosperitate bona conseruauit, vt in exaltatione filij mei karissimi gauderem, qui laboraret vice mea in Ecclesia, vbi ego nutritus & eruditus fueram, & præesset thesauris sapientiæ, in quibus me magister meus dilectus Egbertus archiepiscopus heredem reliquit. Item Carolo Augusto: Date mihi exquisitiores eruditionis scholasticæ libellos: quales in patria habui per bonã & deuotissimã magistri mei Egberti industriã. Et si placet sapientiæ vestræ, remittam aliquos ex pueris nostris, qui excipiant inde quæque necessaria, & reuehant in Franciam flores Britanniæ, & non sit tantummodo in Eboraca hortus

» hortus conclusus, sed etiam in Turonica emissiones paradisi. Hic est Alcuinus, qui, vt dixi, pro pace ad Carolum directus, & ibi seu terrę amoenitate, seu Regis humanitate captus resedit: magnique apud eum habitus, imperialem animum, quantum ab aulicis curis vacabat, Dialectica & Rhetorica, & etiam Astronomia cōposuit. Erat enim omnium Anglorum, quos quidem legeris, post beatum Adelmum & Bedam doctissimus: multis libris ingenij periculum fecit.

CAPVT X.

SANE quoniam ad locum venimus, vt Caroli Magni mentio se vltro inferret: volo de linea regum Francorum, de qua multa fabulabatur antiquitas, veritatem subtexere. Nec multum a proposito elongabor: quia progeniem eorum nescire, damnum duco scientiæ, cum & confines nobis sint, & ad eos maxime Christianum spectet imperium. & forte quibusdam non iniocundum videbitur, si hoc percurrant impendium, quibus magna volumina euoluere non erit otium.

FRANCI a feritate morum Græco vocabulo dicti, quod iussu primi Valentiniani imperatoris Alanos in Mæotidas paludes refugientes eiecerunt. Parua gens prius, & exilis, incredibile quātum breui adoleuit, decenni vectigalium indulgentia. Hoc enim peracto, ante bellum salutis discrimen inierant. Ita accedente libertate in immensum aucti, primo maximam partem Germaniæ, procedente tempore totas Gallias occupantes, signa sua comitari coegere. Vnde Lotharingi, & Alamanni, & ceteri Transrenani populi, qui imperatori Teutonicorum subiecti sunt, magis proprie se Francos appellari iubent: & eos quos nos putamus Galvvalas, antiquo vocabulo quasi Gallos nuncupant. Quibus & ego assensum commodo: sciens quod Carolus Magnus regem quem Francorum fuisse nemo qui infitias eat, ea gentili lingua vsus sit, quam Franci transrenani terunt. Legenti vitam Caroli, in promptu occurrit, quod sermo meus a vero non exulat. Anno igitur incarnati verbi CCCCXXVI. Franci primū regem habuerunt Faramundum. Nepos Faramundi fuit Meroueus, a quo omnes post eum reges Merouingi vocati sunt. Eodem modo, & filij regum Anglorum a patribus patronymica sumpserunt: vt filius Edgari, Edgaring: filius Edmundi, Edmūding vocentur: & ceteri in hunc modum. communiter vero Adelingi dicuntur. Naturalis ergo lingua Francorum communicat cum Anglis, quod de Germania gentes ambæ germinauerunt. Feliciter & potenter regnauerunt Merouingi, vsque ad annum incarnationis Domini CCCCCCLXXXVII. Tunc enim Pipinus filius Ansegisi, comes Palatii apud Transrenanos Francos factus est. Is captatis occasionibus, quibus ambitum palliaret, dominū suum Theodoricum regem, Merouingorum fecē, sub iugum misit. Et vt facti leniret infamiā, specie tenus illi regis nomine donato, cuncta intus & foris regebat pro libito. Huius Pipini genealogia, supra infraque cōtexitur ita: Ansbertus sanator ex filij Lotharij, patris Dagoberti Blitilde genuit Arnoldū. A. Arnulfum Metensem episcopū. A. Nodulfum Walthisimi. E. genuit Martinū, quem interfecit Ebroinus. V. genuit Wandregisilum abbatem. Ansegisus dux genuit Pipinum. Filius Pipini fuit Carolus Tudites, quem illi Martellum vocant, quod tyrannos per totam Franciam emergentes contuderit: Saracenos Galliam infestantes egregie depulerit. Hic paternæ sequax sententiæ, reges tenuit in clientela, Comitis contentus nomine. Reliquit filios duos, Pipinum & Carlomagnum. Carlomagnus incertum qua de causa sæculum relinquens, tonsoratus est in monte Cassino. Pipinus a Stephano papa, successore Zachariæ, apud sanctum Dionysium in regem Francorum & patricium Romanorum coronatus est. Nam imperatoribus Constantinopolitanis, iam dudum a solida virtute degenerantibus, nec vllam Italiæ & ecclesiæ Romanæ opem ferentibus, quæ multis annis tyrannidem Longobardorum suspirauerant: idem propter iniurias illorum, potestati Francorum applorauit. Qua propter Pipinus Alpibus transcensis, Desiderium regem Longobardorum ita coartauit, vt ablata Romanæ Ecclesiæ restitueret, & ne repeteret, sacramento firmaret, in Franciam reuersus est: & post aliquot annos obiit, superstitibus liberis, Carolo & Carlomagno. Carlomagnus post biennium finem vitæ habuit. Carolus nomē Magni ab effectu sortitus, duplo quam pater habuerat, regnum

ampliauit x x x. & eo amplius annis, simplici regis nomine fatigatus, & ab imperatoria appellatione, quamuis sæpe ab Adriano papa inuitaretur, temperans. Verum eodem apostolico defuncto, cum consanguinei eius Leonem sanctissimum, qui successerat, plagis in ecclesia beati Petri affecissent, adeo vt & linguam mutilarent, & lumina tenebrarent, Romam ad reformandum statum ecclesiæ ire maturauit. Ibi in improbos vltionem executus, tota hieme resedit, apostolicum per Dei miraculum plane loquentem & videntem, proprio tribunali restituens. Inter has moras Quirites collato cum præsule consilio, die natalis domini, Augustum inopinate acclamant. Quod cognomen licet inuitus & insuetum admisisset, postea tamen animositate qua decebat, contra imperatores Constantinopolitanos defendens, Ludouico filio hereditarium contradidit. Ex eius genere regnauere in illa regione, quæ nunc proprie Francia dicitur, vsque ad Hugonem cognomento Capet, a quo descendit modernus Ludouicus: ex eadem progenie regnauerunt imperatores in Alemannia & Italia, vsque ad annum DCCCCVII. Tunc enim quidam Conradus rex Teutonicorum, illud imperium arripuit. Huius nepos fuit Otho ille Maximus: nihil probitatis debens omnibus ante se imperatoribus. In virtute & gratia mirabilis, hereditatem imperij posteris reliquit suis. nam modernus Henricus ex eius sanguine lineam trahit.

Videntur hic non pauca deesse.

CAPVT XI.

DOMINO karissimo, & in Christi amore ceteris regibus Anglorum præferendo, Ethelbaldo, Bonifacius archiepiscopus, legatus Germanicus Romanæ ecclesiæ, perpetuam in Christo karitatis salutem. Confitemur coram Deo, quia quando prosperitatem vestram, & fidem, & bona opera audimus, lætamur. quando autem aliquid aduersum vel in euentu bellorum, vel de periculo animarum de vobis cognoscimus, tristamur. Audiuimus enim quod eleemosynis intentus, furta & rapinas prohibes, & pacem diligis, & defensor viduarum, & pauperum es: & inde Deo gratias agimus. Quod vero legitimum matrimonium spernis, si pro castitate faceres, esset laudabile. sed quia in luxuria & adulterio etiam cum sanctimonialibus volutaris, est vituperabile, & damnabile. Nam & famam gloriæ vestræ coram Deo & hominibus confundit, & inter idololatras constituit, quia templum Dei violasti. Quapropter, fili karissime, pœnitere, & memorare quam turpe sit, vt tu, qui multis gentibus dono Dei dominaris, ad iniuriam eius sis libidinis seruus. Audiuimus præterea, quod optimates pene omnes gentis Merciorum tuo exemplo legitimas vxores deserant, & adulteras & sanctimoniales constuprent. Quod quam sit peregrinum ab honestate, doceat nos aliena gentis institutio. Nam in antiqua Saxonia, vbi nulla Christi cognitio, si virgo in paterna domo, vel maritata sub coniuge, fuerit adulterata, manu propria strangulatam cremant, & supra fossam sepultæ corruptorem suspendunt: aut cingulo tenus vestibus abscissis flagellant eam castæ matronæ, & cultellis pungunt, & de villa in villam missæ occurrunt nouæ flagellantes, donec interimant. Insuper & Winedi, quod est fœdissimum genus hominum, hunc habent morem, vt mulier viro mortuo se in rogum cremati pariter arsura præcipitet. Si ergo gentiles Deum ignorantes, tantum zelum castimoniæ habeant, quid tibi conuenit, fili karissime, qui Christianus & Rex es? Parce ergo animæ tuæ, parce multitudini populi tuo pereuntis exemplo: de quorum animabus redditurus es rationem. Attende & illud: quod si gens Anglorum, sicut in Francia & Italia, & ab ipsis paganis nobis improperatur, spretis legitimis matrimoniis per adulteria diffluit, nascitura ex tali commixtione sit gens ignaua & Dei contemtrix, quæ perditis moribus patriam pessundet, sicut Burgundionibus, & Prouincialibus, & Hispanis contigit, quos Sarraceni multis annis infestarunt propter peccata præterita. Præterea nunciatum est nobis, quod multa priuilegia ecclesiarum & monasteriorum auferens, ad hoc audendum duces tuos exemplo prouoces.

Sed

Sed recogita quæso, quam terribilem vindictam Deus in anteriores reges exercuit, eius culpæ conscios, quam in te arguimus: Nam Celredum prædecessorem tuum stupratorem sanctimonialium, & ecclesiasticorum priuilegiorum fractorem, splendide cum suis comitibus epulantem spiritus malignus arripuit, & sine confessione & viatico, cum diabolo sermocinanti & legem Dei detestanti animam extorsit. Osredum quoque regem Deirorum & Bernitiorum, earundem culparum reum, ita effrenem egit, vt regnum & iuuenilem ætatem contemptibili morte amitteret. Carolus quoque princeps Francorum, multorum monasteriorum euersor, & ecclesiasticarum pecuniarum in vsus proprios commutator, longa tortione & verenda morte consumptus est. Et infra: Quapropter fili karissime, paternis te subnixis precibus deprecamur, vt non despicias consilium patrum tuorum, qui pro Dei amore celsitudinem tuam appellare satagunt. Nihil enim bono regis salubrius, quam si commissa, cum arguuntur, libenter emendentur: quia per Salomonem dicitur: Qui diligit disciplinam, diligit sapientiam. Ideo fili karissime, ostendentes consilium iustum, contestamur & obsecramus per viuentem Deum, & per filium eius Iesum Christum, & per Spiritum sanctum, vt recorderis quam fugitiua sit vita præsens, & quam breuis & momentanea delectatio spurcæ carnis, & quam ignominiosum sit, vt breuis vitæ homo mala exempla in perpetuum posteris relinquat. Incipe ergo melioribus moribns vitam componere, & præteritos errores iuuentutis corrigere, vt hic coram hominibus laudem habeas, & in futuro æterna gloria gaudeas. Valere celsitudinem tuam, & in bonis moribus proficere optamus.

Multa hic quoque requiri videntur.

CAPVT XII.

DOMINO beatissimo, & vere amantissimo, Leoni, sanctæ & apostolicæ sedis Romanæ Pontifici, Kemulfus, gratia Dei rex Merciorum, cum episcopis & ducibus, & omni sub nostra ditione dignitatis gradu, sincerissimæ in Christo dilectionis salutem: Gratias omnipotenti Deo semper agimus, qui ecclesiam suo precioso sanguine adquisitam, inter diuersas mundi huius procellas, nouis semper prioribus ad vitam sumptis suescit ducibus ad portum salutis attrahere, eamque noua luce infundere, quatinus nullo sit tenebrarum errore fuscata, sed viam veritatis inoffenso pede gradiatur. Vnde merito omnis per orbem exultat ecclesia, quia cum omnium verus remunerator bonorum, gloriosissimum gregis sui pastorem Adrianum perpetuo remunerandum super æthera duxisset: suis tamen ouibus pia erexit prouidentia præuium, qui scit ouile Dominicum ad caulas non inferius vitæ agitare. Hos quoque merito quos extremitas orbis tenet, eodem modo præ ceteris gloriamur, quia illius sublimitas nostra salus est, illius proceritas nobis perennis exultatio. quia vnde tibi apostolica dignitas, inde nobis fidei veritas innotuit. Quapropter oportunum arbitror tuis sanctis iussionibus aurem obedientiæ nostræ humiliter inclinari, & quæ tuæ pietati rite nobis sequenda videantur, toto nisu implenda: quæ vero rationi contraria deprehensa fuerint, citius declinanda, ac interim a nobis omnimodis resecanda. Sed modo, ego Kemulfus gratia Dei rex, excellētiam tuam humilis exoro, vt te sine offensione animi vestri de profectu nostro, vt optamus, liceat alloqui, quatinus in gremium me pietatis tuæ tranquilla pace percipias, & quem meritorum nulla facultas erigit, larga benedictionis tuæ vbertas ad plebem suam regendam locupletet, vt vna mecum gentem, quam vestra apostolica auctoritas fidei rudimentis imbuit, per intercessionem tuam contra impetus exterorum omnipotens erigat, & per se regnum quod ipse Deus dedit nobis dilatare dignetur. Hanc benedictionem omnes qui ante me sceptro præfuere Merciorum meruerunt ab antecessoribus tuis adipisci. Hanc ipse humilis peto, & a vobis, o sanctissime, impetrare cupio, quatinus in primis adoptionis sorte me tibi filium suscipias, sicuti te mihi patris persona diligo, & totis obedientiæ viribus semper amplector. Debet enim inter tantas personas fides seruari, & inuiolata caritas custodiri: quia paterna pietas filiorum felicitas in Deo esse credenda est, secundum illud Ezechiæ: Pater filiis notā faciet veritatem

tuam domine. In quibus verbis te amande genitor imploro, vt filio tuo, tam & si indigno, veritatem domini tuis verbis sacrosanctis notam facere non deneges, vt per tuam sanam eruditionem, Deo adiuuante, ad melioris vitę propositum merear peruenire. Quin etiam dulcissime cum omnibus episcopis nostris & cuiuscumque apud nos dignitatis personis deprecor, vti nobis de multimodis inquisitionibus, super quibus maximam subtilitatem vestram dignum duximus perquirere, benigne respondeas, ne sanctorum traditio patrum, & ab illis tradita nobis regula quasi incognita, per aliquid vicietur in nobis, sed sermo tuus directus nobis in caritate & mansuetudine veniat, vt per Dei misericordiam profuturum in nobis percipiat fructum. Primum namque est, quod Pontifices nostri, ac peritissimi quique in nobis dicunt, quod contra Canones & apostolica statuta, quæ nobis a patre beatissimo Gregorio dirigente statuta sunt, sicut vos scitis, auctoritas Dorouernensis Metropolitani in duas scindatur parœcias, cuius eodem patre mandante ditioni subiacere debent episcopi XII. sicut per ecclesias nostras legitur in epistola, quam fratri coepiscopo Augustino direxit, de duobus Lundoniæ & Eboracæ metropolis episcopis, quam etiam apud vos haberi non dubitamus. Sed ipse primum pontificalis apex Lundoniæ, sub honore & ornamento pallij, fuerat conscriptus: pro eo Dorouernensis oblatus est atque concessus. Nam quia beatæ recordationis Augustinus, qui verbum Dei imperante Gregorio Anglorum genti ministrabat, & gloriosissime præfuit ecclesiis Saxoniæ, in eadem ciuitate diem obiit, & corpus illius in Basilica beati Petri apostolorum principis, quam successor eius Laurentius sacrauit, conditum fuisset: visum est cunctis gentis nostræ sapientibus, quatinus in illa ciuitate Metropolitanus honor haberetur, vbi corpore pausat, qui his partibus fidei veritatem inseruit. Cuius itaque, sicut vos scitis, dignitatis honorem primum rex Offa, propter inimicitiam cum venerabili Lamberto, & gente Cantuariorum acceptam auertere, & in duas parœcias dissipare nisus, & piissimus coepiscopus & antecessor vester Adrianus rogatu prędicti regis facere cœpit, quod prius nemo pręsumpsit, & Merciorum præsulem pallio extulit. Neutrum tamen ex his culpamus, quos Christus (vt credimus) æterna victoria triumphat. sed tamen excellentiam vestram humiles exoramus, quibus a Deo merito sapientiæ clauis collata est, vt super hac causa cum sapientibus vestris quæratis, & quicquid vobis videatur, nobis postea seruandum rescribere dignemini; ne tunica Christi incõsutilis, alicuius inter nos dissensionis schisma patiatur, sed per vestram sanam doctrinam, vt desideramus, ad veræ pacis vnitatem dirigatur. Magna enim humilitate simul & dilectione hæc tibi scripsimus, Papa beatissime, clementiam tuam profusius precantes, quatinus ad ea quæ a nobis necessario explicata sunt, benigne & iuste respondeas. Sed & illam epistolam quam Ethelardus archiepiscopus noster coram cunctis prouincialibus episcopis nostris, multiplicius de suis ac totius Britanniæ causis & necessitatibus tibi scripsit, pro amore perscrutari digneris: & quicquid de rebus, quæ in ea scripta sunt, fidei normula poscat, pagina nobis veritatis patefacere memineris. Ego præterito anno legationem meam etiam & episcoporum per Wadam abbatem misimus. at ille accipiens ipsam legationem, segniter, immo insipienter deduxit: sed modo modicum amoris gratia misimus per Byrne presbyterum, & Phildas & Cheolberth ministros meos, pater amande, mitto quod C XX. Mancusas cum litteris, precans te vt benigne suscipias, & benedictionem tuam nobis donare digneris. Omnipotens Deus te longæuo tempore ad laudem suæ sanctæ ecclesiæ custodiat incolumem.

CAPVT XIII.

DOMINO excellentissimo Kenulfo regi prouinciæ Saxoniæ, Leo papa. Veniens ad sacratissima limina beatorum apostolorum Petri & Pauli, tam orationis vota fideliter soluens, quam nostræ apostolicæ sedi causam sui sacerdotij suggerens, reuerendissimus & sanctissimus frater noster Athelardus archiepiscopus Dorouernensis ecclesiæ obtulit nobis vestræ regalis excellentiæ syllabas: quibus in duabus epistolis a vobis directis, plenis fidei rectæ, magnam humilitatem vestram reperientes, omnipotenti Deo referimus grates, qui vestram prudentissimam excellentiam in omnibus adornauit & decora-

decorauit erga beatum Petrum apostolorum principem, & nobiscum habere dilectionem, & in omnibus apostolicis humiliter consentire censuris. Porro in vna ex illis epistolis reperimus gratia nostræ apostolicæ functionis, si iusta fecissetis, animam vestram pro nobis posuissetis benigne. Immo nostræ prosperitati multum in Domino congaudeatis: & quando nostræ dulcissimæ admonitionis litteræ ad vestræ humanitatis perueniunt aures, cum omni suauitate cordis, de gaudio spirituali quasi filii paternum munus suscipere fatemini. Ferebatur vere & hoc, quod aliquantula ex vestra facultate benedictionem nobis offerri demandasti, id est, c x x. mancusas, quas cum magno amore pro animæ vestræ salute suscepimus. Et prædictus archiepiscopus cum sociis suis honorifice ac benigne a nobis susceptus est, & adiuuari eum in suis necessitatibus fecimus libenter. Interea credentes vestræ prudentissimæ excellentiæ, vbi ferebatur in ipsis tuis apicibus, quod nostris quidem apostolicis sanctionibus nullus Christianus contraire præsumit: ideo totis nisibus nostris ea quæ regno tuo expediunt, emittere atque prędicare conamur, vt ea quæ vobis prælatus frater noster Athelardus archiepiscopus, seu tota Synodus euangelicæ & apostolicæ doctrinæ, sanctorumque patrum, necnon prædecessorum sanctorum nostrorum pontificum canonica censura prædicante, vestræ regali excellentiæ seu principibus gentis vestræ, & vniuerso populo Dei edisserit, nequaquam in orthodoxa eorum doctrina quippiam resistere debeatis: Domino ac redemtore nostro in euangelio dicente, vbi ait: Qui vos recipit, me recipit: & qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ recipiet. quanto magis pro ipso sæpedicto archiepiscopo, quem nobis valde nimisque collaudasti, sicuti & est, videlicet clarissimus, dignissimus, carissimus, atque peritissimus: & quia illum scitis prudentem, bonis ornatum moribus, Deoque & hominibus dignum. Ecce fili dulcissime, & amantissime atque præstantissime, rex bone, in his tuis assertionibus collaudamus dominum omnipotentem, qui talem nobis demonstrauit antistitem: qui sicut verus pastor inducere verbis secundum doctrinam sanctarum scripturarum dignam pœnitentiam valet, & eruere, qui sub ditione sacerdotali eius existunt, animas eorum in inferno inferiori: & ab igne inextinguibili deducens eos, & introducens in portum salutis, & offerre pro illis hostiam dignam & immaculatam in cospectu diuinæ maiestatis omnipotenti Deo. Et quia multum nobis prænominatus archiepiscopus, in omni sanctitate sua & vitæ conuersatione vltro citroque placuit, vt valde nimis ei credentes, ex auctoritate beati Petri apostolorum Principis, cuius vel immeriti vices gerimus, talem præbuimus præsulatum, vt si quispiam ex subiectis suis, tam regibus & principibus, quam vniuerso populo transgressus fuerit dominica mandata, excommunicet eum vsque dum pœniteat: & si impœnitens fuerit, sit vobis sicut Ethnicus & Publicanus. De secundo Ethelardo iam facto archiepiscopo Dorouernensis ecclesiæ, sicut a nobis poposcit vestrorum præsulum excellentia, vt ei iustitiam de ipsis diœcesibus suis, tam episcoporum quam monachorum, quibus illicite, vt vos cognouistis, exspoliatus est, & a venerabili sede eius, quas dudum tenuit, ablatæ sunt, nos per omnia enucleatius trutinantes, in sacro scrinio nostro reperimus, sanctum Gregorium prædecessorem nostrum, in ipsa sancta sede omnia in integro ipsam parœciam numero x i i. beato Augustino Syncello suo archiepiscopo tradidisse, & confirmasse, episcopos consecrandi. Vnde & nos veritate ipsa reperta, ordinationes seu confirmationes apostolica auctoritate eas illi in integro, sicut antiquitus fuerit, cōstituentes, reddidimus: & priuilegium confirmationis secundum sacrorum canonum censuram ecclesiæ suæ obseruandum tradidimus.

Desunt nonnulla.

CAPVT XIIII.

Offa interea, ne sibi fraudi forent dure in prouinciales admissa, vndique amicos regis venans pacemque concilians, Butrico regi West-Saxonum filiam Edelburgam nuptum dedit. Karolum Magnum regem Francorum frequentibus legationibus amicum parauit: quamuis non facile quod suis artibus conduceret in Karoli animo inuenerit. Discordarant antea, adeo vt magnis motibus vtrobique concurrentibus,

etiam negotiatorum commeatus prohiberentur. Est epistola Albini huiusce rei index: cuius partem hic apponam, documentum ingens magnanimitatis & fortitudinis Karoli, qui omnem ætatẽ triuerit in bellis contra paganos Deo rebelles. Antiqui, inquit, Saxones & omnes Fresonum populi instante rege Karolo, alios præmiis, & alios minis sollicitãte, ad fidem Christi cõuersi sunt. Sed anno transacto idem rex cum exercitu irruit super Sclauos: eosque subegit suę ditioni. Auares, quos nos Hunos dicimus, exarserunt in Italiam, & a ducibus præfati regis Christianis superati, domum cum opprobrio reuersi sunt. Similiter & super Baugariam irruerunt: qui & ipsi ab exercitu Christiano superati & dispersi sunt. Etiam & eiusdẽ Christianissimi duces regis & tribuni multam partem Hispaniæ tulerunt a Sarracenis, quasi trecenta milia in longum per maritima. Sed heu, proh dolor! quod iidem maledicti Sarraceni, qui & Agareni, tota dominãtur Africa & Asia maiori maxima ex parte, nescio quid de nobis venturũ sit: aliquid enim dissensionis diabolico fomento inflammante, nuper inter regem Karolum, & regem Offam exortum est: ita vt vtrinq; nauigatio interdicta negociantibus cesset. Sunt qui dicant nos pro pace esse in illas partes mittendos. In his verbis præter illa quæ superius notaui, poterit curiosius animaduerti, quantum iam annorum effluxerit, ex quo Sarraceni Africam & Asiam inuaserunt. Et profecto, nisi Dei clementia ingenitũ robur Francorum imperatorem animasset, pridem Europã etiam subiugassent. Adeo contemtis imperatoribus Cõstantinopolitanis, Siciliam & Sardiniam, & Baleares insulas, & pene omnes terras, quæ pelago cinguntur, præter Cretam & Rhodum & Cyprum, occupauerunt. Sed nostris diebus per Normãnos Siciliam; per Pisanos Corsicã & Sardiniam, per Francos & omnis generis Christianos ex Europa, magnam partem Asię, & ipsam Ierusalẽ relinquere coacti sunt. De quibus, quia in sequentibus amplior erit narrandi locus, nunc ex verbis Karoli fœdus firmũ inter eum & Offam compactum subiiciam: Karolus gratia Dei rex Francorum & Longobardorum, & patricius Romanorum, viro venerando & fratri karissimo Offæ regi Merciorum salutem. Primo gratias agimus omnipotenti Deo de salute animarum, de catholicę fidei sinceritate, quam in vestris laudabiliter paginis reperimus exaratam. De peregrinis vero qui pro amore Dei & salute animarum suarum, beatorum apostolorum limina desiderãt adire: cum pace sine omni perturbatione vadant. Sed si aliqui, non religioni seruientes, sed lucra sectantes inueniantur inter eos: locis optimis statuta soluant telonia. Negociatores quoque volumus vt ex mandato nostro patrocinium habeant in regno nostro legitime: & si in aliquo loco iniusta affligantur oppressione, reclamẽt ad nos vel nostros iudices, & plenam iubebimus iusticiam fieri. Cognoscat quoque dilectio vestra, quod aliquam benignitatem de dalmaticis nostris vel palliis ad singulas sedes episcopales regni vestri vel Ethelredi direximus in eleemosynam domini apostolici Adriani: deprecantes vt pro eo intercedi iubeatis, nullam habentes dubitationem beatam illius animam in requie esse: sed vt fidem & dilectionem ostendamus in amicum nobis karissimum. Sed & de thesauro humanarum rerum, quem Dominus Iesus gratuita pietate concessit, aliquid per Metropolitanas ciuitates direximus: vestræ quoque dilectioni vnum balteum, & vnum vniscum, & duo pallia serica.

CAPVT XV.

Haec saltem verba epistolæ decrepens idcirco apposui, vt posteris elucescat amicitia Offæ & Karoli. cuius familiaritate fretus, licet multorum impeteretur odio: & dulci tamen vitam consumsit ocio, & Ecferthum filium ante mortem suam in regem inunctum successorẽ dimisit. Ille sedulo paternæ immanitatis vestigia declinans, priuilegia omnium ecclesiarum, quæ sæculo suo genitor attenuauerat, prona deuotione reuocauit: prædium quoque quod pater Malmesburiæ abstulerat, reddidit in manu Cuberti tunc illius loci abbatis, hortatu Ethelardi archiepiscopi Cãtuarię, strenui sane & Deo digni viri: quem abbatem ibi fuisse ante, constans asseuerat opinio, hoc argumentum assumens, quod defunctum se eo loco tumulari fecerit. Itaque cum spes egregiæ indolis primis annis Ecferthi adoleret, sæua mors vernantis ætatis florem messuit. Vnde Osberto patricio Albinus: Non arbitror, quod nobilissimus iuuenis Ecferthus propter peccata sua mortuus sit: sed quia pater suus pro confirmatione regni eius multum

» multum sanguinem effudit. Post quattuor ergo menses regni excedens, Kenulfum » quinto genu nepotem Pendæ ex fratre Kenvvalrio regem constituit.

CAPVT XVI.

KENVLFVS in primis magnus vir, & virtutibus famā supergrediēs, nihil quod liuor digne carperet vnquā admisit, dum domi religiosus, in bello victoriosus fuerit. Contra Cantuaritas successiuū ab Offa suscipiēs odium, regionem illā valide afflixit; regemq; eorum Edbrithum cognomine Pren, vinctū abduxit: sed non multo post, humana miseratione mollitus, soluendū curauit. Nam apud Wincelcumbā vbi ecclesiā quę adhuc superest, Deo ædificauerat, ipsa dedicationis die regem captiuū manumittens libertate palpauit, memoriale clementię suæ spectaculū exhibens. Aderat ibidem munificentiæ regiæ applausor Gutredus, quē ille Cantuaritis regem prę̄fecerat. Sonabat Basilica plausibus, platea fremebat discursibus, quod ibi in cōuentu XII. episcoporū, X. ducum, nullus largitatis pateretur repulsam; omnes suffarcinatis marsupiis abirent. Nā præter illa xenia, quę magnates susceperāt, inæstimabilis scilicet precij & numeri, in vtēsilibus, vestibus, equis electissimis, omnibus qui agros nō habebant libram argenti, presbyteris mancā auri, monachis solidū vnum, postremo toti populo multa erogauit. Idē monasteriorū loca, cū magnis ea redditibus, quantum hoc tēpore incredibile videatur, ampliasset, XXIIII. regni anno funere suo honorauit. Filius eius Kenelmus puer admodū la sorore sua Quēdrida innocue cæsus: nomēq; & decus martyrij adeptus, ibidē pausat.

CAPVT XVII.

POST illum, regnum Merciorum nutabundum, & vt ita dicā exangue, nihil quod littera dignetur cōminisci habuit. Sed ne quis nos arguat semimutilatā historiā interrumpere, regū succedentium nomina transcurrā. Ceoulfus Kenulfi vno anno regnās, altero a Bernulfo expulsus est. Bernulfus tertio regni anno ab Egbirtho rege West Saxonum victus & fugatus, mox ab orientalibus Anglis occisus est: quod ille Orientalē Angliam, vt debitū Mercij regnum, inuaserit. Ludecanius ab iisdē Anglis post biennē potestatem, vltioni antecessoris animo intēdens oppressus est. Wildasius in initio regni ab eodem Egbirtho sub iugū missus, regnauit annis XIII. & illi & filio capitis & pecuniarū tributa persoluens. Eadē sorte Berthulfus XIII. regnās annis, nouissime a piratis Danorū vltra mare fugatus. Bulredus accepta Ethelspida filia regis Arthulfi filij Egbirthi, affinitate illius & vectigalium pensionem & hostium deprędationem cōsolatus est. Sed post vigesimo secundo anno ab eisdem patria deturbatus, Romam diffugit: ibiq; apud scholā Anglorum, in Ecclesia sanctæ Mariæ tumulatus est. Vxor eius tunc quidem in patria residens: sed postea virum secuta, apud Papiam extremā sortem incurrit. Tunc regnum illud a Danis cuidam Celulpho Burredi ministro traditū, & ne vltra placitum retineret, sacramento firmatum: post paucos annos Elfridus nepos Egbirti obtinuit. Ita principatus Merciorum, qui per tumidam gentilis viri insaniam subito effloruit, tunc per miseram semiuiri regis ignauiā omnino emarcuit, anno Dominicæ incarnationis D. CCCV. Quo circa, quia de recensione temporum fidem placitam absoluens, vltra eius tempora excurri; hic figam metam primo volumini: vt multifidus turmes regnorum in vnius West-Saxonici terminetur compendium.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

LVCHDOVICVS Pius Karoli Magni filius quattuor filios habuit, Lotharium, Pipinum, Luchdouicum, Karolum cognomento Caluum. Quorum Lotharius etiam patre viuente nomen imperatoris vsurpans, regnauit annis quindecim in parte Germaniæ: & nunc Lotharingia quasi regnum Lotharij dicitur: & in tota Italia cum Roma. In extremo vitæ aduersa valitudine vexatus, sæculo renuntiauit. Vir omnium ante se immanissimus, quippe qui proprium patrem crebro captiuatum in ergastulis vinxerit. Erat sane ille mansueti animi & simplicis: sed

quia mortua Ermengarde, de qua priores liberos tulerat, Karolum ex Iudith vxore natum arctius exosculabatur, a Lothario inclementer exagitatus est. Pipinus alter filius Luchdouici, regnauit in Aquitania & Wasconia. Luchdouicus tertius, filius Luchdouici, præter Noricam quā habebat, tenuit regna quæ pater suus illi dederat, id est, Allemāniam, Turingiam, Austrasiā, Saxoniam, & Auarorū, id est, Hunorū regnū. Karolus vero medietatē Franciæ ab Occidente, & totam Neustriā, Britanniā, & maximā partem Burgundiæ, Gothiā, Wasconiam, Aquitaniā: submoto inde Pipino filio Pipini, & in monasterio sancti Medardi adtonso. Qui postea inde per fugā elapsus, Aquitaniā ingressus, multo tempore fugiendo latuit: iterumque a Ranulfo præfecto perfide deceptus, cōprehensus est, & ad Karolum adductus, Siluanecto perpetuo est exilio detrusus. Post mortem vero Luchdouici piissimi imperatoris, Lotharius ante obitum patris, decem & nouem annis vnctus ad imperatorē contra fratres suos, id est, Ludouicū piissimum regem Baioariorum & Karolum exercitum duxit, adiuncto sibi Pipino cum Aquitanorum populo, in pago Autisiodorēse, in loco qui vocatur fontaneum. In loco quo cum Franci cum omnibus nationibus sibi subiectis mutua se cæde prosternerēt: ad vltimū Luchdouicus & Karolus, Lothario fugato, triumphū adepti sunt. Post cruentissimum vero prælium pace inter eos facta, diuiserunt inter se regnum Francorum, vt supra diximus. Lotharius vero ex Ermengarda filia Hugonis tres filios habuit, Primum Luchdouicum, cui regnum Romanorum & Italiā tradidit: alterum autem Lotharium, cui sedē imperialem reliquit: tertium vero Karolum, cui Prouinciā gubernandā reliquit. Decessit quoque Lotharius anno incarnationis Domini nostri Iesu Christi D. CCCLV. imperij siue regni sui XXXIII. Post cuius obitum Karolus filius eius qui Prouinciam gubernabat, octauo anno moritur. Dehinc Luchdouicus imperator Romanorum, & Lotharius fratres, regnum eius, hoc est, Prouinciam inter se dispertiunt. Ludouicus autem rex Noricorum, id est, Baioariorum, Ludouici imperatoris filius, anno incarnationis Domini D. CCCLXV. post festiuitatē paschalem regnum suū inter filios suos diuisit. & Karlomano quidem dedit Noricā, id est, Baioariā & Marcas contra Sclauos, & Langobardos. Ludouico vero Turingiam, Austrasios, Francos, & Saxoniā dimisit. Karolo quoque Alemanniā, & Curuualam, id est, comitatum Cornugalliç reliquit. Ipse tamē Ludouicus super filios suos feliciter regnauit in omni potestate sua annis X. & post obiit Ludouicus rex, anno Dominicæ incarnationis D. CCCLXXVI. cum regnasset annis LIIII. Karolus autē rex occidentaliū Francorum, anno XXXVI. regni sui in Italiā pergens, orandi causa ad limina apostolorum peruenit: ibiq; a cuncto populo Romano imperator eligitur, & a Iohanne papa in imperatorem consecratur octauo Kalendas Ianuarij, anno Dominicæ incarnationis D. CCCLXXV. inde in Galliā prospere regressus est. Anno quoq; regni sui XXXV. & imperij tertio inchoante, in Italiam iterum perrexit, & colloquio Iohānis papæ vsus, in Galliā reuertens transcenso Ciniso monte præsentis luminis caruit visu III. Nonas Octobris, indictione decima, anno Domini nostri D. CCCLXXVII. cui successit in regno filius eius Ludouicus. Deinde anno regni sui secundo necdum expleto, idem Ludouicus obiit in Compendio palatio, sexto idus Aprilis, indictione XII. anno Domini D. CCCLXXIX. Deinde filij eius Ludouicus & Karlomanus: regnum eius inter se dispertiunt. Prædictus vero rex Ludouicus in pago Viminaco cum Normannis bellum gerens, triumphū adeptus est, & non multo post obiit, pridie Nonas Augusti, anno Domini D. CCCLXXXIII. indictione XV. Regnauit annos duos, menses tres, dies XXIIII. cui successit in regno frater eius Karlomanus. regnauit annis tribus, & diebus sex. Deinde in Euuelmo situ in monte Aerico, a fero singulari percussus est. obiit Dominicæ anno incarnationis D. CCCLXXXIIII. indictione secunda, octauo idus Decembris.

CAPVT II.

DEINDE Karolus rex Sueuorū, filius Ludouici regis Noricorū, monarchiā totius imperij Francorum & Romanorum assumit, anno verbi incarnati D. CCCLXXXIIII. indictione tertia. Cuius visionem quia memorabilē puto, hic dignum duco intexere. IN nomine Dei summi regis regum, Ego Karolus imperator gratuito Dei dono rex « Germanorū, atque imperator Francorū, & Patricius Romanorum, sacra nocte Domi- «

nitæ diei post celebratū nocturnarū horarum diuinū officium, dum irem repausatio-nis cubitū, & vellem dormitionis capere somnū; venit vox ad me terribiliter dicēs: Karole, exiet a te modo spiritus tuus in hora non modica. Statimq; fui raptus in spiritu: & qui me sustulit in spiritu, fuit candidissimus, tenuitq; manu sua glomerē lineū, clarissime iubar luminis emittentē, sicut solēt cometę facere, quādo apparēt: cœpitq; illū dissoluere, & dixit ad me: Accipe filum glomeris micātis, & liga ac noda firmiter in pollice manus tuę dexterę, quia per illum duceris in labyrintheas infernorū pœnas. & hoc dicto, præcessit me velociter, distorquēs filū luciflui glomeris, duxitque me in profundissimas valles, & igneas, quæ erant plenę puteis ardētibus pice & sulphure, plumboq; & cera & adipe. ibi inueni Pontifices patris mei & auunculorum meorum. Quos cum pauens interrogarem, quid tam grauia paterētur tormenta: responderunt mihi: Fuimus episcopi patris tui, & auunculorum tuorū: & dum debuimus illos & populum illorum de pace & concordia admonere & prædicare, seminauimus discordias, & incentores malorum fuimus. Vnde nunc incendimur in istis tartareis suppliciis: & nos & alij homicidiorū & rapinarum amatores. huc etiā tui episcopi & satellites venient, qui similiter amāt nunc facere. Et dum hæc tremebundus auscultarē, ecce nigerrimi dæmones aduolātes cum vncis igneis volebāt apprehēdere filū glomeris, quem in manu tenebam, & ad se attrahere: sed reuerberātibus radiis illius glomeris, nō valebant filum contingere. Deinde post tergū meum currentes, voluerunt me aduncinare, & in ipsos puteos sulfureos præcipitare. Sed ductor meus qui portabat glomerē, iactauit super scapulas filum glomeris, & duplicauit illum, traxitque post se fortiter. Sicque ascendimus super montes altissimos igneos, de quibus oriebātur paludes & flumina feruentia, & omnia metallorū genera bulliētia. Vbi reperi innumeras hominum & principū patris mei & fratrum meorū animas pręcipitatas: alias vsq; ad capillos, alias vsque ad mentum, alias vsque ad vmbilicū: clamaueruntq; ad me eiulando: Dum viximus, amauimus, tecum & cum patre tuo, & cum fratribus tuis, & cum auunculis tuis facere prælia & homicidia, & rapinas cupiditate terrena. ideo in ista bullientia flumina & metallorum diuersa genera sustinemus tormēta. Et cum ad hæc timidus accederē, audiui retro me animas clamare: Potentes potenter tormenta patientur. & respexi, & vidi super ripas fluminis bulliētes fornaces piceas & sulphureas, plenas magnis draconibus, & scorpionibus, & serpētibus diuersi generis: vbi etiā vidi aliquos patris mei principes, & meos & fratrum meorū, necnon & auunculorū meorum dicentes mihi: Heu nobis Karole; vides quam grauia habemus tormēta propter nostrā malitiā, & superbiam, & mala consilia quę regibus nostris, & tibi dedimus propter cupiditatē. Cumq; hæc dolendo cōgemiscerem: cucurrerūt ad me dracones apertis & plenis faucibus igne & sulphure & pice, volentes me inglutire. At ductor meus triplicauit super filū, a cuius radiis claritatis superata sunt ora illorū ignea: & protexit me validius, & descendimus in vnam vallē quæ erat ex vna parte tenebrosa, ardens velut clibanus ignis: ex alia vero parte tā amænissima & splēdidissima, vt nulla ratione dicere valeam. Vertiq; me cōtra tenebrosam & flāmiuomam partē, vidiq; ibi aliquos reges mei generis in magnis suppliciis: & tunc nimis cōstrictus angustia, putaui me statim in ipsis demergi suppliciis a gigantibus nigerrimis, qui ipsam vallem inflammabant cunctis generibus ignium: & valde tremens, glomeris filo illuminante oculos meos, vidi e latere vallis paulisper albescere lumen: ibique duos fontes fluere: vnus erat nimium calidus, alter vero clarus & tepidus. & erant ibi duo dolia. Cumque illuc irem, filo glomeris regente, gressus meos intuitus super vnum, vbi erat feruens aqua, vidi ibi genitorem meum Ludouicū stare vsq; ad femora, & nimis dolore aggrauatus, & angore percussus dixit ad me: Domine meus Karole, noli timere. scio quia reuertetur rursus spiritus tuus ad corpus tuū, & permisit te Deus huc venire, vt videres propter quæ peccata ego & omnes quos vidisti, talia toleramus supplicia. Vno enim die sum in isto feruentis dolij balneo, & altero die transmittor in isto suauissimo altero dolio: & hoc fit precibus sancti Petri & sancti Remigij, cuius patrociniis hactenus genus nostrum regnauit. Sed si mihi cito subueneris, tu & mei fideles episcopi & abbates, & omnis ordo ecclesiasticus, missis oblationibus, psalmodiis, vigiliis, eleemosynis, velociter liberatus ero de isto aquæ bullientis dolio.

Nam frater meus Lotharius & filius eius Ludouicus, sancti Petri sanctiq; Remigij precibus exempti sunt de istis poenis, & iam ducti sunt in gaudium paradisi. Dixitq; ad me: Respice sinistrorsum. Cumq; respexissem, vidi ibi duo dolia altissima bullientia. Ista, inquit, tibi sunt præparata: nisi te emendaueris & poenitentiā egeris de tuis nefandis delictis. Coepiq; tunc grauiter horrere. Cumque cerneret comes meus in tāto pauore esse spiritū meum: dixit ad me: Sequere me ad dexterā luculentissimæ vallis paradisi. Et cum graderemur, contēplatus sum ingenti claritate cum gloriosis regibus sedere Lothariū auunculum meū super lapidem topazium miræ magnitudinis, coronatū diademate precioso: & iuxta eum filiū eius Ludouicum, similiter corona coronatū. Vidensque me: cominus accersiuit blanda voce, dicens: Karole, successor meus nunc tertius in imperio Romanorum, veni ad me. Scio quia per poenalem locum venisti, vbi est pater tuus frater meus, positus in thermis sibi destinatis: sed per misericordiā Dei citissime de illis liberabitur poenis, sicut & nos liberati sumus meritis sancti Petri sanctiq; Remigij precibus: cui Deus magnū apostolatum dedit super reges & super gentes Frācorum. qui nisi quisquiliis nostræ propaginis suffragatus fuerit & adiuuerit: iam deficiet genealogia nostra regnando & imperādo. Vnde scito quia tolletur ocyus potestas imperij de manu tua: & postea paruissimo viues tempore. Tunc cōuersus cōtra me Ludouicus, dixit mihi: Imperium quod hactenus tenuisti iure hereditario, debet recipere Ludouicus filius filiæ meæ. Et hoc dicto: visum est mihi affore in præsentiarū Ludouicum infantulum. Tunc intuens eum Lotharius auus eius, dixit mihi: Talis videtur infans esse, qualis ille puer fuit, quē statuit Dominus in medio discipulorū, & dixit: Taliū est regnum coelorū. Dico vobis, quia angeli eorum semper vident faciē patris mei, qui in coelis est. Tu vero redde potestatē imperij illi, per illud filum glomeris quod in manu tenes. Disnodans ergo filum de pollice dexteræ meæ, donabā illi monarchiam omnem imperij per ipsum filū. Statimq; ipsum glomus fulgidum sicut iubar solis, coadunatum est totū in manu eius. sicque post hoc factum mirabile, reuersus spiritus meus est in corpore meo, valde fessus & conterritus. Deniq; sciant omnes velint an nolint, quia secundū destinationem Dei, in manū illius reuertetur imperiū Romanorum. Et quod super ipsum non præualeo agere præripiente me articulo vocationis meæ, Deus qui viuorū dominatur, & mortuorum, illud perficiet, & confirmabit: cuius æternum regnum & sempiternum imperium permanet in sæcula sæculorum, Amen.

CAPVT III.

VISIONEM istam & regnorū partitionē verbis quibus scriptā inueni, hic apposui. Hoc ergo Karolo vix duobus annis potestate integra imperij & regni functo: successit in regno Karolus filius illius Ludouici qui apud Cōpendium obiit. hic est Karolus, qui filiam Eduardi regis Anglorū duxit, deditq; Normanniā Rolloni cum filia sua Gisla, quæ esset vas pacis, pignetrix foederis. At vero in imperio successit Karolo isti Arnulphus rex de genere imperatorio, tutor Ludouici pueri, de quo visio superior narrat. Arnulpho ergo post xv. annos defuncto, successit Ludouicus idem. Quo mortuo, Conradus rex quidā Theutonicorum imperauit. Huic successit filius Henricus qui misit ad Eldestannum regem Anglorum pro duabus sororibus suis, Aldgita & Eggita. quarum posteriorem filio Othoni collocauit: alteram cuidam duci iuxta Alpes nuptum dedit. Ita hodieque imperium Romanorum, & regnum Francorum ab antiqua vnione scissum: alterum imperatores, alterum reges habet.

Et hoc loco mutila est Anglica historia.

CAPVT IIII.

ANNO Dominicæ incarnationis D. CCCLXXII. Elfredus filius Ethenulfi iunior, qui vnctionē regiam & coronā a papa Leone olim Romæ susceperat, regnū accepit, & XXVIII. & semis annos laboriosissime, sed fortissime tenuit. Laborum eius inextricabiles labyrinthos singillatim euoluere non fuit consiliū: propterea quod sit legentium quędā confusio, gestorū per omnes annos recēsitio. Nam quidā exercitus hostilis per eū vel satellites eius ab vna parte fugatus, in alterā secedebat: rursusque inde pulsus

alia loca petebat,omnia rapinis & cædibus complens.cum quoq; scripto sequi,& vt ita dicam,cum eo insulā circuire,forsitan quis dixerit extremæ esse demētiæ. Summatim igitur omnia exponam. Continuis nouē annis cum hostibus cōpugnans, modo incertis fœderibus illusus,modo in illudentes vltus,& ad hoc tandē inopię coactus est,vt vix tribus pagis in fide vigētibus,id est,Haintescire,Wiltescire,Summerseta etiam,in insulam quandam plaustri vligine vix accessibilem,vocabulo Adelingea refugerit. Solebat ipse postea in tempora feliciora reductus, casus suos iocunda hilarique comitate familiaribus exponere,qualiterque per beati Cuthberti meritum eos euaserit;sicut plerumque mos est mortalibus , vt eos illa iuuet meminisse, quæ olim horruerint excepisse. Nam cum quadam die in insula inclusus solus domi esset: sociis per oram fluminis ad piscandum dispersis:corpus curis ægrum sopori cōmisit.Et ecce Cuthbertus Lindisfarnensis quondā episcopus, his dormientem alloquitur: Ego sum Cuthbertus,si audisti: Misit me Dominus,vt tibi prospera annunciē.Quia enim Anglia iam dudum peccatorum pœnas enormiter luit: modo tandem indigenarū sanctorū meritis super eam misericordiæ suæ oculo respicit. Tu quoq; tam miserabiliter regno extorris,gloriose post paucū tempus in solio reponeris. atque a Deo signum eximium tibi dabo. Venient hodie piscatores tui,magnam vim grādium piscium corbibus euehentes. quod eo erit mirabilius:quia his diebus gelāte aqua fluuius asperatus nihil tale sperari permittit.Super hæc,hodie gelido rore stillans aër omnē piscantium artē eludit. Verum tu fortunæ secundæ compos,regaliter feceris, si adiutorē tuum Deum, & me eius nuncium cōpetenti deuotione demerueris.Hæc dicēs sanctus,regem soporatū sollicitudinibus exuit: matremque prope cubantem,tenuesq; somnos propter leuamen curarū ad durū cubile inuitantem,eiusdem nuncij confortauit lætitia.Experrecti ambo vnum & idem se somniasse frequenti verborū recursu iterabāt:cum piscatores ingressi tantam piscium copiā exhibuere , vt cuiusuis magni exercitus ingluuiē posse exsaturare videretur .Nec multo post,ergastulum exire ausus,magnę astutiæ periculum fecit.Regis enim Danorum sub specie mimi subiens tentoria,vnius tantū fidelissimi fruebatur conscientia.Ibi vt ioculatoriæ professor artis, etiam in secretiora triclinij admissus, nihil fuit arcanum quod non exciperet,tum oculis,tum auribus. Pluresq; dies ibi moratus,cum ex omnibus quæ nosse desiderarat,animo satis fecisset suo, ad Elingiā rediit. Congregatisq; comitibus,exponit inimicorū ocium: leue vincendi negotium:cunctis ad audiendū erectis.Ipse contractis vndecumq; auxiliis, explorantibus præmissis, de sede Barbarorum certior redditus,eosq; repente adortus incredibili strage cæcidit. Residui cum rege suo dederant obsides,quod Christianitatē susciperent, & ab Anglia discederent. quod & factū est.Namq; rex eorū Gudram,quem nostri Gurmundū vocant,cum xxx. proceribus & omni populo baptizatus,& in filiū a rege susceptus est:datę prouincię orientalium Anglorū,& NordanHumbrorum, vt eas sub fidelitate regis, iure foueret hereditario, quas peruaserat latrocinio. verū quia non mutabit Æthiops pellē suam , datas ille terras,tyrānico fastu proterens,duodecimo anno vitā finiuit. Posteris quoq; perfidiæ successionē mittens,donec a nepote istius Elfridi Ethelstano subiugati regē vnum Anglię fieri vel inuiti cōcesserunt,sicut hic dies inuenit.Ceteri ex Danis qui Christiani esse recusauerunt,cum Astengo mare transfretauerūt.vbi quę mala fecerint,indigenæ norunt. Tota enim ora maritima vsq; ad mare Tyrrhenū grassati, Parisios & Turones,& multas alias vrbes,quæ vel super Sequanā,vel Ligerim,& nobiles Galliæ fluuios sitæ sunt,ciuibus vacuarūt.Tunc corpora multorū sanctorū ab antiquæ requietionis sedibus eru- „ ta,& ad tutiora loca delata , peregrinas ecclesias vsq; ad hoc tēpus cineribus nobilita- „ runt suis. Tunc & beati Martini corpus, vt Sidonius ait , totis venerabile terris, in quo post vitę tempora viuit honos, Autisiodorū a clericis suis portatum & in ecclesia beati Germani locatū , inauditis signis circumiacentiū regionū homines excitabat. Cumq; aduentantes pro remediorū gratia,plurima conferrent, quæ baiulorum onera palparent,vt fieri solet,ex pecunię partitione lis cōmissa:Turonicis totā vendicātibus,quod eorū herus oblatores mirabilibus inuitasset: indigenis cōtra referentibus, Germanum non disparem merito,æqualem officio. & videri quidem amborū esse potētiæ:sed prępönderare prærogatiuā ecclesiæ.Ad laxandum dubietatis nodum,quæritur & ponitur

inter duorum sanctorum corpora leprosus vix solo anhelitu palpitans: cetera tabidus, & in viuo cadauere iam præmortuus. Arcetur tota nocte humana custodia: vigilat tamen Martini gloria. Nam postera die apparuit cutis hominis a parte illius splendida: a parte Germani solita deformitate lurida. Et ne daret euentui miraculum, obuertunt Martino latus morbidum. Iam vero cum prima aurora in lucem prorumperet: a festinantibus ministris inuenitur vir tota cute integer, tota incolumis, prædicans beniuolentiam domestici præsulis: qua cessit honori gratissimi hospitis. Ita Furonici ex tunc & deinceps per patroni suffragium tuto familiare cumulabant marsupium, donec pacis aura clementior propriis eos penatibus inuexit.

CAPVT V.

Hoc tempore creditur fuisse Iohannes Scotus, vir perspicacis ingenij, & multæ facundiæ: qui dudum concrepantibus vndique bellorum fragoribus in Franciam ad Karolum Caluum transierat: cuius rogatu hierarchiam Dionysij Ariopagitę in Latinum verbum de Græco transtulit. Composuit etiam librum, quem περὶ φύσεων μερισμοῦ, id est, de naturæ diuisione titulauit, propter perplexitatem necessarium, quæstionem soluendam bene vtilem. Si tamen ignoscatur ei in aliquibus, in quibus a Latinorũ tramite deuiauit, dum in Græcos acriter oculos intendit. Succedentibus annis munificentia Elfredi susceptus, venit in Angliã: & apud monasterium a pueris, quos docebat, grafiis (vt fertur) perforatus, etiam martyr æstimatus est. Quod sub ambiguo ad iniuriam sanctæ animę non dixerim: cum celebrem eius memoriam sepulcrum in sinistro latere altaris, & epitaphij prodant versus, scabri quidem & moderni temporis lima carentes: sed ab antiquo non adeo deformes.

Clauditur in tumulo sanctus sophista Iohannes,
Qui ditatus erat iam viuens dogmate miro.
Martyrio tandem Christi conscendere regnum,
Quo meruit regnant sancti per sæcula cuncti.

CAPVT VI.

Anno Dominicæ incarnationis nongentesimo primo, obtinuit Elvvardus filius Elfredi, & tenuit annos XXIII. Litterarum scientia multo patre inferior, sed regni potestate incomparabiliter gloriosior. Hic quia multas filias habebat, dedit Eduam Karolo regi Francorũ filio Ludouici, filij Karoli Calui: cuius filiã, vt sæpe dixi, Ethenulfus rex Roma rediens acceperat: nec liberos prę velocitate mortis ex ea susceperat. At vero Karolus iste gener Elvvardi, multis calamitatibus a Rollone coactus, partẽ illi Galliæ, quæ nunc Normannia vocatur, concessit. Longũ est prosequi quot annis, & quanta audacia omnia inquietauerint Normanni ab Oceano Britannico, vt ante memoraui, vsque ad Tyrrenum mare; primo Hasten; mox Rollo. Qui nobili, sed per vetustatẽ obsoleta prosapia Noricorum ortus, regis præcepto patria carẽs, multos quos vel æs alienum, vel conscientia scelerũ exagitabat, magnis spebus sollicitatos secum abduxit. Itaq; piraticam aggressus, cum vbique libera spaciaretur insania, apud Carnotũ hæsit. Siquidem ciues nec armis nec muris confisi, beatæ dominæ suffragium Mariæ adorant. Camisiam quoque eiusdem virginis, quam Karolus Caluus cum aliis reliquiis a Constãtinopoli aduexerat, in modũ vexilli super propugnacula custodũ trita pectoribus ventis exponunt. Hostes insani ridere: & in eam per mane sagittas dirigere non impune. Nam mox oculis obnubilatis, nec retro regredi, nec ante tẽdere valuere. Id opidani lætis animis conspicati, multa eorũ cæde, quãtum fortuna aspirabat, gaudium suum satiarunt. Euasit tamẽ Rollo, quem suæ fidei Deus reseruabat. Nec multo post Rothomagum, & confines vrbes armis obtinuit, anno Domini octingentesimo LXXVI, anno vno ante obitum Karoli Calui. Cuius filius Ludouicus, vt supra lectum est, Normannos vicit quidem, sed non expulit. At vero Karolus filius istius Ludouici, nepos Karoli Calui ex filio Ludouico, vt prius tetigi, multotiens aduersis bellis expertus, nihil sibi fortunam restituere quod aliis abstulisset, cum magnatibus librato consilio, bonum esse liberalitatem ostentare regiam, cum non posset propulsare iniuriam. Rollonem paci-

fice accersiuit. Erat ille iam grandæuus & facile ad concordiam inclinatus est. Ita fœdus ictum est, vt baptisma susciperet: & terram illam de rege, sicut de domino suo, cognosceret. Vbi considerari potuit ingenita & effrænis barbaries viri. Si quidem cum, dono concesso, astantes suggererent vt pedem largitoris oscularetur, dedignatus genibus aduolui, apprehensum pedē regis, ad os suum stans attraxit. Ilico resupinato, secutus est risus Normānorum. Francis reprehendentibus factum: excusat Rollo imprudentiam, allegans prouinciæ suæ morem. Ita rebus compositis, Rothomagum rediit, ibiq; diem clausit anno ducatus, XLII.

CAPVT VII.

FILIVS huius Karoli fuit Ludouicus. Is a quodam Ysembardo, qui ad paganismū reuersus fidem luserat, irritatus, proceres suos de suffragio conuenit. Quibus nec respōsum referentibus, Hugo quidam non magni nominis tyro, filius Roberti comitis Mōtis, vltro pro domino duellum expetiit: & prouocatorem interemit. Ludouicus cum toto exercitu apud Pontimum subsecutus, omnibus barbaris quos ille adduxerat vel occisis, vel elapsis, opimam lauream obtinuit. Sed non multo post pro labore illius expeditionis extrema valitudine debilitatus, heredem regni Hugonem illum instituit, prædicandæ fidei & virtutis iuuenem. Ita prosapia Karoli Magni in illo cessauit; seu quod vxor eius sterilis fuerat, seu quod pro breuitate vitæ absque prole decesserat. Hugo alteram filiam Eduardi duxit vxorem, & genuit Robertum: Robertus Henricum: Henricus Philippum: Philippus Ludouicum: Ludouicus Philippum, qui nunc in Francia regnat.

CAPVT VIII.

ANNO dominicæ incarnationis nongentesimo vigesimo quarto, Haroldus rex Noricorum misit Ethelstanno regi Anglorum nauem, rostra aurea & velum purpureum habentem, densa testudine clypeorum inauratorum intrinsecus circumgyratam. Missorum nomina fuere, Helgrim & Offrid, qui regaliter in vrbe Eboraca suscepti, sudorem peregrinationis præmiis decentibus extersere. Henricus primus filius Conradi (multi enim huius nominis fuere) rex Theutonicorum, & Imperator Romanorum, sororem eius filio Ottoni desponsauit, tot in circuitu regibus prętermissis, progeniei generositatem & animi magnitudinem in Ethelstanno, e longinquo conspicatus. Adeo enim hæc duo in eo consentiens habitaculum effecerant, vt nullus esset vel genere clarior & illustrior, vel animo audacior & efficacior. Qua re perpenso consilio quod quatuor sorores haberet, in quibus præter discrimen nihil de formæ gratia desiderares, duas postulanti Cæsari misit. Quas ille quomodo nuptum locauerit, iam sermo præoccupauit. Tertiam legitima copula sortitus est comparem Ludouicus Aquitanorum princeps, de genere Karoli Magni superstes. Quartam in qua omne coagulum pulcritudinis, quod ceteræ pro parte habent, naturaliter confluxerat, Hugo rex Francorum per nuncios a Germano expetiit. Princeps huius legationis fuit Adulfus filius Balduini comitis Flandriæ ex filia regis Eduardi Elspia. Is cum in conuentu procerum apud Albandunam proci postulata exposuisset, protulit munera sane amplissima, & quæ cuiuslibet auarissimi cupiditatem incunctanter explerent: Odores aromatum, qualia nunquam antea in Anglia visa sunt: Honores gemmarum, præsertim smaragdorum, in quorum viriditate sol repercussus oculos astantium gratiosa luce animaret: Equos cursores plurimos cum phaleris, fuluum, vt Maro ait, mandentes sub dentibus aurum: Vas quoddam ex onychino, ita subtili cælatoris arte sculptum, vt vere fluctuare segetes, vere germinare vires, vt moueri hominum imagines viderentur, ita lucidum & politum, vt vice speculi vultus intuentium æmularetur: Ensem Constantini Magni, in quo litteris aureis nomen antiqui possessoris legebatur: In capitulo quoque super crassas auri laminas clauum ferreum affixum cerneres, vnum ex quatuor quos Iudaica factio dominici corporis aptarat supplicio: Lanceam Karoli Magni, quam Imperator inuictissimus contra Sarracenos exercitum ducens, si quando in hostem vibrabat, nunquam nisi victor abibat. Ferebatur esse eadem quæ dominico

lateri Centurionis manu impacta, pretiosi vulneris hiatu paradisum miseris mortalibus aperuit: Vexillum Mauricij beatissimi martyris, & Thebeæ legionis principis, quo idem rex in bello Hispano quoslibet infestos & confertos inimicorum cuneos disrumpere, & in fugam solitus erat cogere: Diadema vero ex auro quidem multo, sed magis gemmis preciosum; quarum splendor ita intuentes faculas luminis iaculabatur, vt quanto quis certaret visum intendere, tanto magis reuerberatus cogeretur cedere: Particulam sanctæ & adorandæ crucis crystallo inclusam, vbi soliditatem lapidis oculus penetrans potest discernere qualis sit ligni color, & quæ quantitas: Portiunculam quoque coronæ spineæ eodem modo inclusam, quam ad derisionem regni, militaris rabies sacrosancto imposuit capiti.

CAPVT IX.

ANNO dominicæ incarnationis D. C C C C. L I X. Edgarus honor ac deliciæ Anglorum, filius Edmundi, frater Eduini iuuenculus annorum XVI. regnum adipiscens, eodem ferme numero tenuit. Res eius multum splendidæ, etiam nostro celebrantur tempore. Affluxit annis illius diuinitatis amor propicius, quam ipse mercabatur sedulo deuotione animi & viuacitate consilij. Denique vulgatum est, quod eo nascente, angelicam vocem Dunstannus accepit: Pax Angliæ quamdiu puer iste regnauerit, & Dunstannus noster vixerit. Respondit veritas rerum cælesti oraculo. Adeo illis viuentibus ordo ecclesiasticus effloruit, & tumultus bellicus emarcuit. Nec vllus fere annus in Chronicis præteritus est, quo non magnum & necessarium patriæ aliquid fecerit, quo non monasterium nouum fundauerit. Nullas insidias domesticorum, nullum exterminium alienorum sensit. Regem Scotorum Kinnadium, Crumbonum, Malcomum archipiratam, Macusium, omnesq; Walensium regulos ad curiam coactos, vno & perpetuo sacramento sibi obligauit, adeo vt apud ciuitatem Legionum sibi occurrentes, in pompam triumphi per fluuium illos deduceret. Vna enim naui impositos ipse ad clauum sedens remigare cogebat: per hoc ostentans regalem magnificentiam, qui subiectam haberet tot regum potentiam. vnde factum est vt fama eius per ora omnium volitante, alienigenæ Saxones, Flandritæ, ipsi etiam Dani huc frequēter annauigarent, Edgaro familiares effecti. Quorum aduentus magnum prouincialibus detrimentum peperit: quod a Saxonibus animorum inconditam ferocitatem, a Flandritis corporum eneruem molliciem, a Danis potationem discerent. Homines antehac in talibus integri, & naturali simplicitate sua defensare, aliena non mirari. Inde merito culpant eum litteræ. nam ceteras infamias, quas post dicam, magis resperserunt cantilenæ.

CAPVT X.

ANNO dominicæ incarnationis D. C C C C. L X X I I I I. Edgarus totius Albionis Basileus venerat in saltum venationis feracem, vt fit plerumque sociis ad insequendas feras per deuia dispersis, solus remanserat: itaque continuatione cursus ad egressum nemoris perueniens, constitit, sodales operiens. Nec mora, grauante nutantia lumina somno, pedes efficitur, vt transacti laborem diei temperaret modicæ quietis voluptas. Iacebat ergo sub malo siluatica stratus, vbi penduli per circuitum rami foliatam effecerant cameram. Lassitudine itaque suadente riuus subter scatebris loquacibus fluēs, soporem inuitabat; cum canis femina, cui cura ferarum vestigia insequi, prægnans, & iuxta pedes accubans, dormitantem exterruit. Namque matre tacente, catuli aluo inclusi latratus multiformes & sonoros reddidere, quodam nimirum sui carceris gaudio incitati. Hoc monstro attonitus, dum ad cacumen arboris oculos intendit, videt poma vnum post alterum delapsa in fluuium: quorum collisione bullis aquatilibus inter se crispantibus, vox articulata insonuit, *welaste*, id est, bene est tibi. Nec multo post, vndarum voluminibus agentibus, vrceolus super aquam apparuit, & post vrceolum, vrceolus exundans aqua, nam alter vacuus erat: & quamuis crebro gurgitis impulsu maior minorem vrgeret, vt scilicet aquas suas in illum infunderet, nunquam tamen obtinere potuit, quin vrceolus vacuus recederet, iterumque quasi superbo gestu victor

vrceum

vrceum impeteret. Domum vero regreſſus, excitabatur, vt dicit ſcriptura, & ſcopebat ſpiritum ſuum. Sed conuenit eum mater, vt ſerenaret frontem, & animum ſibi ſtudio futurum, vt appellaret Deum, qui noſſet ænigmata inſpiratione ſua patefacere. Quo admonitu, recudit ille mœſticiam, & ſoluit in ocia curas, conſcius maternæ ſanctitatis, cui ſoleret Deus multa reuelare. Erat eius vocabulum Elgiua, bonis operibus intenta, pietate & dulcedine prædita; vt etiam reos quos triſtis ſententia iudicū palam damnauerat, ipſa occulte redimeret. Precioſus amictus, qui pleriſque mulieribus eſt leno ſoluendi pudoris, illi erat ſupellex munificentiæ: vt quamlibet operoſam veſtem cōſpecto ſtatim largiretur pauperi. Speciem corporis, & artificium manuum, in ea liuor quoque laudaret, cum nihil reprehendere poſſet. Igitur intimis medullis vaticinium combibens, poſtero mane filio dixit: Latratus catulorum quem matre quieſcente dedêre, ſignificat, quod poſt obitum tuum quieſcentibus illis qui modo valent & viuunt, nondum nati nebulones contra Dei latrabunt eccleſiam. Sane quod vnum pomum ſecutum eſt alterum, ita quod ex colliſione ſecundi in primis videretur vox ſonuiſſe, *weliſte*: hoc innuit, quod ex te qui modo arboris totam inumbras Angliam, duo procedent filij. Fautores fidei extinguent primum. Tunc diuerſæ partis incentores dicent pueris vtriſque, *weliſte*: quia mortuus regnabit in cœlo, viuus in ſeculo. Iam vero quod vrceus maior minorem implere non poterat: hoc deſignat, quod gentes Aquilonares, quæ numeroſiores ſunt quā Angli, Angliam poſt mortem tuam impetent. Et quamuis crebro compatriotarum aduentu ruinas ſuas ſuppleant, nunquam hunc angulum mundi poterunt implere: quin potius Angli noſtri cum maxime victi videbuntur, eas expellent: eritque ſub ſuo & Dei arbitrio vſque ad præfinitum tempus a Chriſto. Huius vaticinij veritatem lectio poſterior patefaciet. Conſiderari ergo debet parentis & prolis indubitata ſanctitas, quod alter viderit ænigma vigilans ſine obſtaculo: & altera ſoluerit problema, de longe porrecto prophetiæ oculo. Sanctitati quoq; morum communicabat ſeueritatis animoſitas, vt nullum cuiuſcumque dignitatis hominem leges eludere impune permitteret. Nemo eius tempore priuatus latro: nemo popularis prædo, niſi qui mallet in fortunas alienas graſſari propriæ vitæ diſpendio. Quomodo enim auſus hominum præteriret, qui etiam omnis generis feras ſanguinis auidas ex regno exterminari cogitarit: Woualoque regi Walenſium edictum impoſuerit, vt ſibi quotannis tributum ccc. luporum penſitaret? Quod cum tribus annis feciſſet, quarto deſtitit; nullum ſe vlterius inuenire profeſſus. Præterea, vt fertur, licet ſtaturæ fuerit & corpulentiæ perexilis, tantas vires in illo corpuſculo dignatio naturæ incluſerat, vt vltro ad congrediendum laceſſeret, quemcumque audacem cognoſceret. hoc maxime timens, ne in tali colludio timeretur. Denique in quodam conuiuio, vbi ſe plerumq; fatuorum dicacitas liberius oſtentat, fama eſt Kinnadium regem Scotorum ludibundum dixiſſe: Mirum videri tam vili homuncioni tot prouincias ſubijci. idque a quodam Mimo ſiniſtra aure acceptum, & Edgaro poſt modicum ſolenni conuiuio in os obiectum. At ille, re ſuis celata, Kinnadium quaſi magni myſterij cōſultandi gratia accerſiit, longeque in ſiluam ducto, vnum e duobus, quos ſecum attulerat enſibus, tradidit; & nunc, inquit, licebit vires tuas experiare, cum ſoli ſimus. Iam enim faxo vt appareat, quis alteri merito ſupponi debeat. Tu quoque ne pedem referas, quin mecum rem ventiles. Turpe eſt enim regi in cōuiuio eſſe dicaculum, nec in prælio eſſe promtulum. Cōfuſus ille, nec verbo mutire auſus, ad pedes domini regis procidit, ſimplicis ioci veniam precatus, & confeſtim conſecutus.

CAPVT XI.

Anno dominicæ incarnationis nongenteſimo ſeptuageſimo quinto, facta eſt ſynodus apud Wintoniam. Quis ibi fuerit finis certaminis, aliæ litteræ docent, dominicam imaginem expreſſe locutam, clericos eorumque fautores confudiſſe. Sed adhuc non ſedatis animis, Calnæ concilium indictum. Vbi cum in cœnaculo, abſente propter ætatem rege, conſidentibus totius Angliæ ſenatoribus, magno conflictu & controuerſia res ageretur, & validiſſimum illum eccleſiæ murum, Dunſtannum dico, multorum conuiciorū iacula impeterent, nec quaterent, ſuas partes cuiuſq; ordinis iuris ſummo

studio tuentibus, solarium totum repente cum axibus & trabibus dissiluit & concidit. Omnibus ad terram elisis, solus Dunstannus stans super vnam trabem, quæ superstes erat, probe euasit. Reliqui vel exanimati, vel perpetui languoris compede detenti. Hoc miraculum Archiepiscopo exhibuit, pacem de clericis omnibus Anglis, tunc & deinceps in eius sententiam concedentibus.

CAPVT XII.

Interea rex Eduardus fratrem puerulum & nouercam pietate congrua colere, solum nomen regis habere, illis cetera permittere: paternæ religionis vestigia rimari, bonis consiliis aurē & animum accōmodare. At mulier nouercali odio vipereum dolū ruminās, vt nec nomen regis filio deesset, insidias priuigno struere; quas hoc modo cōsummauit. Lassus venatione reuertebatur, propter laborē siti anhelās. Comites quoq;, quemq; casus fuerat, canes cōsectabantur. Auditoq; quod illi in contigua villa habitarent, equo concito, illuc contendit iuuenculus solus, nihil propter innocentiā metuens, aliorum quippe animos ex suo ponderans. Tunc illa, muliebri blanditia aduentantem alliciens, sibi fecit intendere, & post libata basia, porrectum poculum auide hauriētem per satellitem sica transfodit. Quo vulnere saucius, cum quantis animæ reliquiis poterat, sonipedem calcaribus monuisset ad suos reuerti: vno pede lapsus, alteroq; per deuia tractus vndante cruore, indicia interitus sui se quęrentibus dedit. Et tunc quidem sine honore apud Warrham sepeliri iusserūt, inuidentes scilicet mortuo cespitem ecclesiasticum, cui viuo inuiderant decus regium. Actitabant igitur publicam & festiuam lętitiam, quasi cum corpore pariter infodissent memoriam. Sed affuit diuinæ serenitatis assensus, qui innocenter cæsum miraculorum sublimaret gloria. adeo cœlestia iudicia humanis præpōderant. Ibi ostensa de cœlo lumina: ibi claudus gressum composuit: ibi mutus organum resumpsit: ibi prorsus omnis inualitudo sanitati locū fecit. Sparsus rumor per totā Angliam martyris merita prędicabat. Quo excitata interfectrix, illuc iter adordiebatur. Iamq; equū incensum stimulis vrgebat, cum manifestā iram Dei persensit. Animal namq; familiare quo sedere cōsueuerat, antea ventis promtius quod auras ipsas præcurreret, tunc nutu Dei stabat immobile. Instant ministri, hinc flagris, illinc clamoribus, vt potentem heram qua solebat alacritate eueheret. Cassus labor cōsumitur. mutato quoq; iumento, casus idē sequitur. Intellexit, licet tarde, brutū pectus quo portentū illud respiceret. Qua propter quod per se non meruit, per alium fieri consensit. Namq; Elfredus ille quem supra culpaui, quod monasteria destruxisset, temeritatis pœnitens, multoque gemitu animum angēs, sacro corpori de ignobili loco leuato, iustas & egregias inferias apud Sceptoniam soluit, nō tamen effugit: sed post annum vermibus, quos pediculos vocamus, consumptus est. Et quoniam indisciplinatus animus ipse sibi tormentū est, patiturq; suos etiam hic mens anxia manes, Elfrida de illo regali supercilio inclinata dire pœnituit, adeo vt multis annis apud Wareuellam carnem in deliciis nutritam cilicio conuolueret, noctibus solo strata sine ceruicali somnum hauriret, cruces præterea quascumq; posset corpori commiscens. Speciosa mulier, & pulcre viro sobria: sed quia tantum nefas commisit, pœna digna. Creditumque & celebriter vulgatum, quod propter eius in Eduardum insolentiam, multo post tempore tota patria seruitutem meruisset barbaricam.

CAPVT XIII.

De Iohanne quintodecimo, sanctę Romanæ ecclesię papa, qui & Gerbertus dictus est, non absurdum erit, vt opinor, si litteris mandemus, quæ per omnium ora volitant. Ex Gallia natus, monachus a puero apud Floriacum adoleuit. Mox cum Pythagoricum biuium attigisset, seu tædio monachatus, seu gloriæ cupiditate captus, nocte profugit in Hispaniam, animo præcipue intendens, vt Astrologiam & ceteras id genus artes a Sarracenis edisceret. Hispania olim multis annis a Romanis possessa, tempore Honorij Imperatoris in ius Gothorū concesserat. Gothi vsq; ad tēpora beati Gregorij Arriani: tunc per Leoandrum episcopum Hispalis, & per Richaredum regem fratrem Herminigildi, quem pater nocte paschali pro fidei confessione interfecerat catholico

choro

choro vniti sunt. Successit Leandro Isidorus, doctrina & sanctitate nobilis: cuius corpus nostra ætate Aldefonsus rex Galliciæ Toletum transtulit, ad pondus auro comparatum. Sarraceni enim qui Gotthos subiugarant, ipsi quoque a Karolo Magno victi, Galliciam, & Lusitaniam, maximas Hispaniæ prouincias amiserunt. Possident vsque hodie superiores regiones, & sicut Christiani Toletum, ita ipsi Hispalim, quam Sibiliam vulgariter vocant, caput regni habent; diuinationibus & inuocationibus more gentis famulari studentes. Ad hos igitur, vt dixi, Gerbertus perueniens, desiderio satisfecit. Ibi vicit scientia Ptolomæum in astrolabio, Haldendreum in astrorum interstitio, Iulium Firmicum in fato. Ibi quid cantus & volatus auium portendat, didicit: ibi exire tenues ex inferno figuras: ibi postremo quicquid noxium vel salubre curiositas humana deprehendit. Nam de licitis artibus, Arithmetica, Musica, Astronomia, & Geometria, nihil attinet dicere, quas ita ebibit, vt inferiores ingenio suo ostẽderet, & magna industria reuocaret in Galliam, omnino ibi iam pridem obsoletas. Abacum certe primus a Sarracenis accipiens, regulas dedit, quæ a sudantibus abacistis vix intelliguntur. Hospitabatur apud quendam sectæ illius philosophum, quem multis primo expensis, post etiam promissis demerebatur. Nec deerat Sarracenus, quin sciẽtiam venditaret, assidere frequenter, nunc de seriis, nunc de nugis colloqui, libros ad scribendum præbere. Vnus erat codex totius artis conscius, quem nullo modo elicere poterat. ardebat contra Gerbertus librum quoquomodo ancillari. Semper enim nitimur in vetitum, & quicquid negatur, pretiosius putatur. Ad preces ergo conuersus, orare per Deum, per amicitiam; multa offerre, plura polliceri. Vbi id parum procedit, nocturnas insidias tentat. Ita hominem, conniuente etiam filia, cum qua assiduitas familiaritatem parauerat, vino inuadens, volumen sub ceruicali positum arripuit, & fugit. Ille somno excussus, indicio stellarum, qua peritus erat arte, insequitur fugitãtem. Profugusque respiciens, eademque sententia periculum comperiens; sub ponte ligneo, qui proximus erat, se occulit, pendulus pontem amplectens, vt nec aquam, nec terram tangeret. Ita quærentis auiditas frustrata, domum reuertitur. Tunc Gerbertus viam accelerans, deuenit ad mare: ibique per incantationes diabolo accersito, perpetuum paciscitur hominium, si se ab illo qui denuo insequebatur defensatum, vltra pelagus eueheret. Et factum est. Sed hæc vulgariter ficta crediderit aliquis; quod soleat populus litteratorum famam lædere; dicens illum loqui cum Dæmone, quem in aliquo viderint excellentem opere. Vnde Boëtius in libro de consolatione philosophiæ, queritur se propter studium sapientiæ de talibus notatum: quasi conscientiam suam sacrilegio polluisset, ob ambitum dignitatis. Non conueniebat, inquit, vilissimorum me spirituum præsidia captare, quem tu in hanc excellentiam componebas, vt consimilem Deo faceres. Atqui hoc ipso videmur affines maleficio, quod tuis imbuti disciplinis, tuis instituti moribus sumus. Hæc Boetius. Mihi vero fidem facit de istius sacrilegio, inaudita mortis excogitatio. Cur enim se moriens, vt postea dicemus, excarnificaret, ipse sui corporis horrendus lanista, nisi noui sceleris conscius esset? Vnde in vetusto volumine, quod in manus meas incidit, vbi omnium Apostolicorum nomina continebantur & anni, ita scriptum vidi: Iohannes, qui, & Gerbertus, menses decem: hic turpiter vitam suam finiuit.

CAPVT XIIII.

GERBERTVS Galliam repatrians, publicas scholas professus, arcem magisterij attigit. Habebat conphilosophos & studiorum socios Constantinum abbatem Sancti Maximini, quod est iuxta Aurelianos, ad quem edidit regulas de abaco: & Elbodũ Episcopum, vt dicunt, Wimiburgensem, qui & ipse ingenij monimenta dedit in epistola quam facit ad Gerbertum de quęstione diametri super Macrobium, & in nonnullis aliis. Habuit discipulos prædicandæ indolis, & prosapiæ nobilis, Robertum filium Hugonis, cognomento Capet, Ottonem filium Ottonis Imperatoris. Robertus rex postea Franciæ, magistro vicem reddidit, & Archiepiscopum Remensem fecit. Extant apud illam ecclesiam doctrinæ ipsius documenta: horologium arte mechanica compositum: organa hydraulica, vbi mirum in modum per aquæ violentiam ventus

emergens implet concauitatem barbiti, & per multiforatiles tractus æreæ fistulæ modulatos clamores emittunt. Et erat ipse rex in ecclesiasticis cantibus non mediocriter doctus: & tum in hoc, tum in ceteris, multum ecclesiæ profuit. Denique pulcherrimam sequentiam: Sancti Spiritus adsit nobis gratia. & responsorium; O Iuda & Ierusalem, cõtexuit, & alia plura, quę non me pigeret dicere, si non alios pigeret audire. Otto post patrem Imperator Italiæ, Gerbertum Archiepiscopum Rauennatem, & mox papam Romanum creauit. Vrgebat ipse fortunas suas fautore diabolo, vt nihil quod semel excogitasset, imperfectum relinqueret. Denique thesauros olim a gẽtilibus defossos arte nigromantiæ molibus eruderatis inuentos, cupiditatibus suis implicuit. Adeo improborum vilis in Deum affectus, & eius abutuntur patientia, quos ipse mallet ridere, quam perire. Sed repperit tandem vbi magister suus hæreret, &, vt dici solet, quasi cornix cornici oculos effoderet, dum pari arte tentamẽtis eius occurreret. Erat iuxta Romam in cãpo Martio statua, ærea an ferrea incertum mihi, dexteræ manus indicem digitum extentum habens: scriptum quoq; in capite, HIC PERCVTE. Quod superioris æui homines ita intelligendum rati, quasi ibi thesaurum inuenirent, multis securium ictibus innocentem statuam laniauerant. Sed illorum Gerbertus redarguit errorem, longe aliter ambiguitate absoluta. Namque meridie Sole in centro existenti, notans quo protenderetur vmbra digiti, ibi palum figit. Mox superueniente nocte, solo cubiculario laternam portante comitatus, contendit. Ibi terra solitis artibus dehiscens, latum ingredientibus patefecit introitum. Conspicantur ingentem regiam, aureos parietes, aurea lacunaria, aurea omnia. Milites aureos, aureis tesseris quasi animum oblectantes. Regem Thalicum cum regina discumbentes, apposita obsonia, astantes ministros, pateras multi ponderis & precij, vbi naturam vincebat opus. In interiori parte domus, carbunculus lapis in primis nobilis & paruus inuentu, tenebras noctis fugabat. In contrario angulo stabat puer arcum tenens, extento neruo & arundine intenta. Ita in omnibus cum oculos spectantium ars preciosa raptaret: nihil erat quod posset tangi, & si posset videri. continuo enim vt quis manum ad congregandum aptaret, videbantur omnes illæ imagines prosilire, & impetum in præsumptorem facere. Quo timore abstinuit gressus Gerbertus, ambitumque suum fregit: sed non abstinuit cubicularius, quin mirabilis artificij cultellum, quem mensæ impositum viderat, arriperet; arbitratus scilicet, in tanta præda posse paruum latrocinium latere. Verum mox imaginibus omnibus cum fremitu exurgentibus, puer quoque emissa harundine in carbunculum tenebras induxit: & nisi ille monitu domini cultellum reiicere accelerasset, graues ambo pœnas dedissent. Sic insatiata cupiditatis voragine, laterna gressus ducente, discessum. Talia illum aduersus præstigiis machinatum fuisse, constans vulgi est opinio. Verumtamen si quis verum diligenter exsculpat: videbit nec Salomonem, cui Deus ipse dederit sapientiam, huiusce inscium commenti fuisse. Vt enim Iosephus auctor est, thesauros multos cum patre defodit in loculis, qui erant, inquit, mechanico modo reconditi sub terra. Nec Hyrcanum prophetia & fortitudine clarum, qui vt obsidionis leuaret iniuriam, de Dauid sepulcro tria milia talenta auri arte mechanica exuit, vt obsessori partem enumeraret, parte xenodochia construeret. At vero Herodes qui magis præsumptione quam consilio idem aggredi voluerit, multos ex satellitibus igne ex interiori parte prodeunte amiserit. Præterea cum audio dominum Iesum dicentem: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor: credo quod qui dederit Salomoni virtutem super dæmones, vt idem historiographus testatur, adeo vt dicat etiam suo tempore fuisse viros, qui illos ab obsessis corporibus expellerent, apposito naribus patientis anulo, habente sigillum a Salomone mõstratum, credo, inquam, quod & isti hanc scientiam dare potuit: nec tamen affirmo quod dederit.

CAPVT XV.

SED hæc lecturis relinquens, dicam quod a quodam loci nostri monacho, genere Aquitanico, ætate prouecto, arte medico, in pueritia audisse me memini. Ego, aiebat, septennis, despecta exilitate patris mei municipis Bacinonensis admodum tenuis,

transcendens

transcendens niues Alpinas, in Italiam veni. Ibi vt id ætatis pusio, summa inopia victum quæritans, ingenium potius quam ventrem colui. Adultus multa illius terræ miracula oculis hausi, & memoriæ mandaui. Inter quæ vidi montem perforatum, vltra quem accolæ ab antiquo æstimabant thesauros Octauiani reconditos. Ferebantur etiam multi causa scrutandi ingressi, per anfractus & semitas viarum intercepti, perisse. Sed quia nullus fere timor auidas mentes ab incepto reuocat, ego cum sodalibus, viris circiter duodecim, seu prædandi, seu videndi studio, illud iter meditabar aggredi. Itaque Dædali secuti ingenium, qui Theseum de labirintho filo eduxit præuio, nos quoque glomus ingens portantes paxillum in introitu fiximus. Ibi principio fili ligato, accensis laternis, ne præter deuia, cæcitate etiam impediremur, deuoluto glomere, & per vnumquodque miliarium paxillo apposito, sub cauerna montis quomodocumque iter nostrum direximus. Cæca erant omnia, & magni horroris plena. Vespertiliones de concauis egredientes, oculos & ora infestabant. Semita arcta, & a læua præcipitio, & subterlabente fluuio timenda: vidimus tramitem vestitam nudis ossibus, fleuimus cadauera tabo adhuc fluentia hominum, quos eadem quæ nos, species raptasset, post montis introitum non valentium inuenire exitum. Sed tandem aliquando post multos timores ad egressum vlteriorem peruenientes, vidimus stagnum placidum aquis crispantibus, vbi dulcibus illæsa lapsibus alludebat vnda littoribus. Pons æreus vtramque ripam continuabat. Vltra pontem visebantur miræ magnitudinis equi aurei, cum assessoribus æque aureis, & cetera quæ de Gerberto dicta sunt. In quibus die medio Phœbi iubar infusum, duplicato fulgore oculos intuentium hebetabat. Nos qui hoc eminus videntes propiori aspectu delectaremur, asportaturi, si sors sineret, aliquam splendidi metalli crustam, hortamine alterno animati, stagnum transire paramus, sed nequicquam. Dum enim quidam ceteris præsumtior exteriori margini pontis pedem imponeret, continuo, quod mirum auditu sit, illo depresso vlteriore, leuatus est, producens rusticum æreum cum æreo malleo. Quo ille vndas verberans, ita obnubilauit aëra, vt diem cælumque subtexeret. Retracto pede pax fuit. Temtatum idem a pluribus, idemque expertum. Itaque desperato transitu, aliquantum ibi constitimus, & quamdiu potuimus solo saltem visu libauimus aurum. Mox per vestigia fili regressi, pateram argenteam reperimus: qua in frusta desecta, & minutatim partita, pruritum auiditatis nostræ tantummodo irritantes, non etiam fami fecimus satis. Postero die collato consilio magistrum quendam illius temporis adiuimus, qui dicebatur nomen Dei ineffabile scire. Interrogatur scientiam, non inficiatur, adiiciens quod tanta esset eius nominis virtus, vt nulla ei magica, nulla mathesis obsistere posset. Ita pretio redemptus ieiunus & confessus, nos eodem modo paratos duxit ad fontem, de quo hausta in phiala argentea, tangens digitis litteras figurabat, donec oculis intelleximus, quod ore effari nequiuimus. Tunc fiducialiter ad montem accessimus, sed exitum vlteriorem a dæmonibus credo obstipatum offendimus, inuidentibus scilicet Deum, quod eorum commenta refelleret. Venit sane ad me necromanticus quidam Iudæus, quem audita gestorum fama exciuerat. Percunctatusque rem, vbi socordiam nostram audiuit, multo cachinno bilem succutiens, quin tu (inquit) videas licebit, quantum potentia artis meæ valeat. Et incunctanter montem introiens, nonmulto post egressus est, multa quę vltra fluuium notaueram ad indicium sui transitus afferens, puluerem sane locupletissimum, quo quicquid contingeretur, in aurum flauescebat, non quod ita pro vero esset, sed quia ita videretur, quod ab aqua dilueretur. Nihil enim quod per necromantiam fit, potest in aqua aspectum intuentium fallere. Confirmat veritatem sermonis mei, res quæ tempore eodem acciderat. Erant in strata publica, qua Romam itur, duæ ancillæ, quibus nihil bibacius, nihil putidius, vno commorantes tugurio, vno imbutæ maleficio. Hæ hospitem, si quando solus superueniebat, vel equum, vel suem, vel quodlibet aliud videri faciebant, & mercatoribus venum propo-

nebant, nummos inde acceptos abligurientes. Et forte quadam nocte quendam ephebum, qui moribus histrionicis victum exigeret, excipiētes hospicio, asinum videri fecerunt: magnum suis commodis emolumentum habentes asinum, qui transeuntium detineret oculos, miraculo gestuum. Quocumq; enim modo præcepisset anus, mouebatur asinus.

Nec enim amiserat intelligentiam, etsi amiserat loquelam. Multum itaque quæstum conflauerant vetulæ: vndique confluente multitudine vulgi, ad spectandos ludos asini. Rumor vicinum diuitem aduocauit, vt quadrupedem non pauculis nummis in suos vsus transferret: admonitus, vt si perpetuum vellet habere histrionem, arceret eum aqua. Custos ergo appositus, mandatum seuere exequebatur. Præteriit plurimum tempus. Asinus, quando temulentia dominum in gaudium excitasset, conuiuas iocis suis lætificabat. Sed, sicut rerum omnium fastidium est, dissolutius post hæc haberi cepit: Quapropter incautiorem nactus custodiam, abrupto loco effugiens, in proximum lacum se proiecit, & diutius in aqua volutatus, figuram sibi humanam restituit. Custos ab obuiis sciscitatus, illumque, vestigiis insecutus, interrogat an vidisset asinum. Refert ille, se asinum fuisse, modo hominem: omnemque casum exponit. Miratus famulus ad dominum detulit: dominus ad Apostolicum, Leonem dico, seculo nostro sanctissimum. Conuictę anus idem fatentur. Dubitantem Papam confirmat Petrus Damianus litteraturæ peritus: non mirum si hæc fieri possunt, productoque exemplo de Simone Mago, qui Faustinianum in Simonis figura videri, & a filiis horreri fecit, instructiorem de cetero in talibus reddidit.

CAPVT XVI.

Haec Aquitanici verba ideo inserui, ne cui mirum videatur, quod de Gerberto fama dispersit, fudisse sibi statuæ caput certa inspectione siderum, cum videlicet omnes planetæ exordia cursus sui meditarentur, quod non nisi interrogatum loqueretur, sed verum vel affirmatiue vel negatiue pronuntiaret. Verbi gratia: Diceret Gerbertus, ero Apostolicus? responderet statua, etiam. Morior antequam cantem missam in Ierusalem? Non. Quo illum ambiguo deceptum ferunt: vt nihil excogitaret pænitentiæ, qui animo blandiretur suo de longo tempore. Quando enim Ierosolimam ire deliberaret, vt mortem stimularet? nec prouidit quod est Romæ Ecclesia Ierusalem dicta, id est, visio pacis: quia quicumque illuc confugerit, cuiuscumque criminis obnoxius, subsidium inuenit. Hanc in ipsius vrbis rudimentis Asylum accepimus dictam, quod ibi Romulus, vt augeret ciuium numerum, statuisset omnium reorum refugium. Ibi cantat Papa missam tribus dominicis: quibus prætitulatur statio ad Ierusalem. Quo circa cum vno illorum dierum Gerbertus ad missam se pararet, inualitudinis ictus ingemuit, eademque crescente decubuit. Consulta statua: deceptionem & mortem suam cognouit. Aduocatis igitur Cardinalibus, diu facinora sua deplorauit: quibus inopinato stupore percussis, nec aliquid referre valentibus, ille insaniens, & præ dolore ratione hebetata, minutatim se dilaniari, & membratim foras proiici iussit. Habeat inquit membrorum officium, qui eorum quæsiuit hominium, namque animus meus nunquam illud adamauit sacramentum, immo sacrilegium.

CAPVT XVII.

Et quia diuerticulum feci, puto non inhonestum, si dicam quod in Saxonia tempore Regis istius accidit: & non adeo totum anno Dominicæ incarnationis M. XII. Melius interim spaciari in talibus: quam immorari in eius rebus & ignauis & tristibus. Quod profecto erit iocundius: si ab antiquitate scriptum illius qui passus est apposuero. Simul vero & propius videbitur, quam si meis texuissem litteris. Præterea indecens non æstimo, si multicolori stylo varietur oratio.

Ego Otbertus peccator, etsi vellem celare quod in me factum est diuinum iudicium, membrorum meorum tremor proderet. Quod quemadmodum factum sit referam; vt omnibus innotescat quanta sit pœna inobedientiæ. Eramus ad vigilias natalis domini in villa quadam Saxoniæ, vbi erat ecclesia Magni martyris, Presbyter nomine Robertus, missam primam inchoauerat, ego in cœmeterio cum sodalibus XVIII, viris XV. feminis tribus, choreas ducens, & cantilenas seculares perstrepens, ita sacerdotem impediebam, vt ipsa verba nostra inter sacrosancta missarum solemnia resonaret. Quo circa mandato nobis, vt taceremus, neglecto, imprecatus est dicens: Placeat Deo & Sancto Magno, vt ita cantantes permaneatis vsque ad annum. Verba pondus habuerunt. Filius presbyteri Iohannes sororem suam nobiscum cantantem per brachium arripuit, statimque illud a corpore euulsit, sed gutta sanguinis non exiit. Ipsa quoque toto anno nobiscum permansit, choros ducens & cantans. Pluuia non cecidit super nos, Frigus nec calor, nec fames; nec sitis; nec lassitudo nos affecit; Indumenta nec calceamenta nostra attriuimus: sed quasi vecordes cantabamus. Primum ad genua: mox ad femora terræ dimensi sumus. Fabrica tecti aliquando nutu Dei super nos erigebatur, vt pluuias arceret. Tandem euoluto anno, Herbertus ciuitatis Coloniensis episcopus nodo, a quo manus nostræ ligabantur, nos absoluit: & apud altare sancti Magni reconciliauit. Filia presbyteri cum aliis duobus spiritum efflauit. Ceteri continuis tribus diebus & noctibus dormiuimus. Aliqui postea obierunt, & miraculis coruscant: ceteri pœnam suam tremore membrorum produnt. Datæ sunt nobis hæ litteræ a domino Peregrino beati Herberti successore: anno Dominicæ incarnationis M. XIII.

CAPVT XVIII.

In hac vrbe, quæ olim Agrippina, ab Agrippa genero Augusti dicta, postea à Traiano Imperatore Colonia denominata est, quod ibi ad imperium allectus, colonias ciuium Romanorum eo deduxerit. In hac, inquam, ciuitate fuit Episcopus quidam præclarus religione, quamuis turpis corpore.

Cvivs vnum miraculum, quod moriens prædixit, referam: si prius dixero quam insolitus casus eum in tanto culmine fatigauerit. Imperator terræ illius, dominica illa quæ vocatur quinquagesima, venatum pergens, solus ad horam siluæ deuenit, omnibus comitibus dispersis: iuxta quam habebat Ecclesiam ille presbyter agrestis, deformis sane, & pene portentum naturæ. Imperator militem se mentitus, suppliciter Missam rogat: Ille confestim paret. Alter interea voluebat animo, quare Deus tam deformem hominem sacramenta sua conficere sineret; a quo formosa cuncta procedunt. Mox cum aduersum tractus ventum esset: scitote quoniam Dominus ipse est Deus: sacerdos socordiam pueri familiaris increpitans respexit, & concitatiori voce, quasi cogitanti Imperatori responderet; dixit: Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Quo dicto repercussus Imperator, propheticum virum æstimans, inuitum & renitentem sublimauit in Archiepiscopum. Quod tamen semel susceptum, dignis moribus honestauit. Bene agentes blande appellare: improbos excommunicationis stigmate inurere, sine personarum acceptione. Multa illius acta constanter accolæ prædicant, quorum vnum pro suscepti operis breuitate lector percurret. In monasterio sanctimonialium vrbis illius erat virgo quædam, quæ illic magis parentum officio, quam bonæ vitæ studio adoleuerat. Hæc & speciei lenocinio, & dulci ad omnes alloquio, amatores inuitabat. Sed cum ceteri vel timore Dei, vel pro infamia seculi, cupiditates suas cohiberent, vnus quem opum congeries & alta progenies in proteruiam accenderant, abrupit quod legis, quod iusticiæ, puellæ virginale expugnare ausus, abductamque domum, in loco iustæ coniugis habuit. Transiit multum tempus in abbatissæ precibus, in propinquarum admonitionibus, ne tam fœda facinora assuesceret. Ille surdis auribus admonen-

tes transiens: velut pelagi rupes immota resistit. At forte antistes aberat, curiæ curis implicatus. Regresso res nunciatur. Mandat ille continuo, vt ouis ouili restituatur. Itaque multis verbis vltro citroque habitis, mulier monasterio redditur: sed non multo post, abscessu pontificis aucupato, abripitur. Tunc in delinquentem excommunicatio promulgatur: ita vt nullus ciuium cum eo colloqui, nullus conuiuari auderet. Quam ille iniuriam parui pensans, in prædia iuris sui longe abiit, non vt præceptum foueret, sed vt arbitrium fugeret, ibi cum excommunicata sua vitam transigens, homo factiosus & potens. Sed cum Deus Episcopum ad superos euocaret, & graui dolore membra depastus, in lecto decumberet, conuenerunt vndique compatriotæ vt extremæ benedictioni beati viri communicarent. Solus ille venire non præsumens, subornauit aliquos qui pro se loquerentur. Eius nomen auditum primo pontifex gemitu excepit: inde subiecit verba. Verba ipsa dicturus sum: si miser ille maledictam mulierem dimiserit, sit absolutus: Si perstiterit, posteriori anno hac eadem die & hora qua ego decedam, sit ante Deum rationem reddere paratus. Videbitis autem me quando signum ad sextam insonuerit efflare. nec fides verbis defuit. Nam & iste hora qua prædixerat defunctus, & ille anno euoluto eadem die & hora cum amica fulmine ictus exanimatus est.

CAPVT XIX.

ANNO Dominicæ incarnationis M.XVII. Robertus rex Francorũ vitam clausit, vir eleemosynis deditus, adeo vt festis diebus cum amiciretur & insigniretur regiis insignibus, si non aliud haberet ad manum, ipsa vestimenta pauperibus distribueret, ne ex industria vestiarij egenos importune petentes arcerent. Habebat duos filios, Odonem & Henricũ. Odo maior natu hebes, alter astutus & vehemens. Diuiserat in amorem prolem vtramque parens vterque. Pater primogenitum amplectebatur: dictitans successurum. Mater minorem fouebat, cui etsi non per ætatem, per prudentiam certe regnum deberetur. Ita vt sunt fœminæ in incepto pertinaces, non prius abstitit, quam omnes duces qui regno famulantur, præmiis & pollicitis ingentibus, in sua vota traduceret. Henricus ergo, maxime annitente Roberto Normanno, coronatus est priusquam pater plane expiraret. Cuius beneficij obnoxius: cum ille (vt superius dixi) Ierosolymam iret: Guilelmum filium eius puerulum, contra desertores potentissime iuuit.

Hic quædam deesse videntur.

At Cuncto transcursa vitæ meta Sceptonæ defunctus, & Wintoniæ sepultus est.

CAPVT XX.

ANNO Dominicæ incarnationis M.XXXVI. Haroldus, quem fama filium Cunctonis ex filia Elfelmi comitis loquebatur, regnauit annis quatuor & mensibus totidem. Elegerunt eum Dani & Lundoniæ ciues, qui iam pene in barbarorum mores propter frequentem conuictum transierant. Angli diu obstiterunt: magis vnum ex filiis Elgeredi qui in Normannia morabantur, vel Hardacnutum filium Cunctonis ex Emma, qui tunc in Danemarchia erat, Regem habere volentes. Maximus tum iusticiæ propugnator fuit Govvinus comes: qui etiam pupillorum se tutorem professus, Reginam Emmam, & reginæ gazas custodiens, resistentes vmbone nominis sui aliquamdiu dispulit. Sed tandem vi & numero impar, cessit violentiæ: Haroldus regno confirmato, nouercam exiliauit. Illa in Normannia nihil sibi tutum arbitrata, vbi defunctis fratre & nepotibus recens deserti orphani feruebat inuidia, in Flandriam transiit, ad Balduinum comitem expertum probitate virum. Qui postea defuncto Rege Hẽrico, qui Philippum paruum reliquerat filium, regnum Francorum nobiliter aliquantis annis rexit: fideliterq; adulto (nam eius amitam vxorem habebat) restituit

restituit. Huius sub vmbra Emma securum triennium egit. Quo pacto Haroldus Oxenefordæ, mense Aprili, defunctus, Westmonasterium tumulum habet. Tunc ab Anglis & Danis in vnam sententiam propter Hardacnutum est missum. Ille per Normanniam in Angliam mense Augusto venit. Nam filij Edelredi, iam fere omnibus despectui erant, magis propter paternæ socordiæ memoriam, quam propter Danorum potentiam. Hardacnutus biennio, præter decem dies, regnans, spiritum inter pocula, apud Lamudam iuxta Lundoniam amisit: & Wintoniæ iuxta patrem sepultus est. Iuuenis qui egregiam pietatem animi in fratrem & sororem ostenderit. Germanum Edvvardum annosæ peregrinationis tædio, & spe fraternæ necessitudinis, natale solum reuisentem, obuiis (vt aiunt) manibus excipiens, indulgentissime retinuit. Sane ne silentio premam quod de primogenito Elfredo rumigeruli spargunt, ille inter mortem Haroldi, & expectationem Hardacnuti, fluctiuagans regnum ingressus, compatriotarum perfidia, & maxime Govvini, luminibus orbatus est apud Gilingeam. Inde ad Heliense cœnobium directus: miseram vitam pauco tempore pane cibario sustentauit, omnibus comitibus præter decimos decapitatis. Nam sors decimum quemque morti exemerat. Hæc quia fama serit non omisi: sed quia Chronica tacet, pro solido non asserui. Hac de causa, Hardacnutus Liuingo Cridintumensi episcopo, quem fama facti auctorem asserebat, infensus, illum episcopatu expulit: sed post annum pecunia serenatus restituit. Govvinum quoque obliquis oculis intuitus, ad sacramentum purgationis compulit. Apposuit ille fidei iuratæ xenium, vt gratiam plenam redimeret: locupletissimam sane & pulcherrimam ratem, auro rostratam, habentem LXXX. milites, qui haberent in brachiis singuli armillas duas, vnamquamque XVI. vnciarum auri, in capitibus cassides deauratas: securim Danicam in humero sinistro, hastile ferreum dextra manu gestantes. Et ne singula enumerem, armis omnibus instructos: in quibus fulgor cum terrore certans, sub auro ferrum occuleret. Ceterum (vt dicere ceperam) Hardacnutus Gimhildem sororem suam, filiam Cunctonis ex Emma, spectatissimæ speciei puellam, a multis procis tempore patris suspiratam, nec impetratam, Henrico Imperatori Alemannorum nuptum misit. Celebris illa pompa nuptialis fuit, & nostro adhuc seculo etiam in triuiis cantitata: dum tanti nominis virgo ad nauem duceretur, stipantibus omnibus Angliæ proceribus, & in expensas conferentibus, quicquid absconderat vel marsupium publicum, vel ærarium regium. Ita ad sponsum perueniens, multo tempore fœdus coniugale fouit. Postremo adulterij accusata, puerulum quendam, sturni sui alumnum, quem secum ex Anglia duxerat, delatori, Giganteæ molis homini, ad monomachiam apposuit, ceteris clientibus inerti timore refugientibus. Itaque conserto duello, per miraculum Dei insimulator succiso poplite eneruatur. Gimhildis insperato triumpho tripudians, viro repudium dedit, nec vltra minis aut blandiciis adduci potuit, vt thalamo illius consentiret. Sed velum sanctimonialium suscipiens, in Dei seruitio placido consenuit otio.

CAPVT XXI.

ERAT Imperator multis & magnis virtutibus præditus: & omnium ante se pene bellicosissimus, quippe qui etiam Windelicos, & Leuticios subegerit, ceterosque populos Sueuis conterminos: qui vsque ad hanc diem soli omnium mortalium paganas superstitiones anhelant. Nam Sarraceni & Turchi Deum creatorem colunt, Mahumeth non Deum, sed Dei prophetam æstimantes: Windelici vero Fortunam adorant, cuius idolum loco nominatissimo ponentes, cornu illius dexteræ componunt plenum potu illo, quem Græco vocabulo, ex aqua & melle, hydromel vocamus. Vnde vltimo die Nouembris mensis, in circuitu sedentes, in commune prægustant. Et si cornu plenum inuenerint, magno strepitu applaudunt: quod eis futuro anno pleno copia cornu responsura sit in omnibus: si contra, gemunt. Hos ergo Henricus tributarios effecerat: vt omnibus sollemnitatibus, quibus coronabantur Reges eorum, quatuor lebetem quo carnes condiebantur, in humeris suis

per anulos quatuor vectibus ad coquinam vectitarent. Præterea crebro tumultibus regni expeditus, cum se communioni & hilaritati dedisset, ioci plenus; vt sat erit duobus probare exemplis. Sororem sanctimonialem vnice diligebat: vt suo eam lateri deesse non pateretur: sed semper triclinium eius suo coniungeret. Dum igitur quadam hyeme, quæ niuibus & pruinis aspera inhorruerat, vno diu loco detineretur: clericus quidam familiarior iusto puellæ effectus, crebro nocturnas in cubiculo eius protelabat vigilias: & quamlibet multimodis tergiuersationibus nequitiam palliaret, aduertit illud aliquis, quod difficile sit crimen prodere vultu, vel gestu. Et iam vulgo rem ventilante, solus nesciebat Imperator: & sororem suam pudicam credere audebat. Sed cum quadam nocte cupitis fruerentur amplexibus, & diutius se voluptas protraheret: illuxit mane. Et ecce omnem terram nix operuerat. Tunc clericus qui se deprehendendum per vestigia in niue timeret, persuadet amicæ, vt dorso eius impositus, angustias illas euaderet. Illa non refutans impudentiam, dum modo vitaret verecundiam: amasium tergo leuat, & extra curiam effert. Et forte cum Imperator iam tum surrexerat, & per fenestram cænaculi respiciens, vidit clericum equitantem. Primo quidem visu hebetatus: sed re diligentius explorata, pudore & indignatione obmutuit. Interea hæsitanti, vtrum peccatum impunitum dimitteret, vel peccantes honeste redargueret: obuenit occasio, vt episcopatum vacantem daret clerico, hæc verba auribus insusurrans: Accipe (inquit) episcopatum: & vide ne vlterius inequites mulierem. Item dans abbatiam sanctimonialiũ germanæ: esto (inquit) abbatissa: nec vltra patiaris clericum equitantem. Confusi illi qui tam graui dicto se sentirent lapidatos; desciuerunt a flagitio: quod diuinitus putabant inspiratum Domino. Item habebat clericum in curia, qui & litterarum peritiam, & vocis elegantiam corporis vitio deformabat, quod meretriculam villæ dementer ardebat. Cum qua nocte quadam solemni volutatus, mane ad missam Imperatoris aperta fronte astabat. Dissimulata scientia, mandat ei Cæsar, vt paret se ad Euangelium, quod eius melodia delectaretur (erat enim Diaconus.) Ille pro peccati conscientia multis præstigiis subterfugere. Imperator nuntiis vrgere, vt probaret constantiam. Ad extremum prorsus abnuenti: Quia (inquit) non vis mihi parere in tam facili obsequio: ego te extorrem totius terrę meæ esse præcipio. Clericus amplexus sententiam, abscessit continuo. Missi pedissequi, qui eum persequerentur; vt si perseuerandum putaret, iam vrbem egressum reuocarent. Ita incunctanter compilatis omnibus suis, & in sarcinulas compositis, iam profectum, magnaque violentia retractum, in Henrici præsentia sistunt. Qui lætum subridens: probe, ait, fecisti: & gratulor probitati tuæ, quod pluripendis Dei timorem, quam patriam: respectum cœlestis iræ, quam meas minas. Quapropter habeto episcopatum qui primus in imperio meo vacauerit: tantum indecenti amori renunties.

CAPVT XXII.

Et quia nihil constans est in humanis gaudiis: quoddam triste portentum tempore eius accidit: quod non tacebo. Fuldense cœnobium est in Bochouia, sancti Bonifacij Archiepiscopi & martyris corpore insignitum, prædiis ditatum permagnificis. Eius loci abbas sexaginta milia bellatorum Imperatori præbet in hostem: habetque ex antiquo priuilegiũ, vt in præcellentibus festiuitatibus ad dexterã eius consideat. Hic ergo Hẽricus Pentecosten Magontiæ celebrabat. Paulo ante missam, cum sedilia pararẽtur in ecclesia: inter cubucularios Archiepiscopi & Abbatis iurgium agitatum, vtrorum Dominus iuxta Cæsarem sederet: illis prærogatiuam antistitis, istis priscum morem referentibus. Vbi verbis parum ad concordiam proceditur (vt habent Germani, iidemque Teutones, indomitum animum) ad pugnam ventum est. Itaque pars sudes arripere, pars saxa iacere, pars enses euaginare. Postremo quicquid primum ira inuenisset, eo pro armis vti. Ita furore per ecclesiam grassante, pauimentum sanguine inundauit. Sed statim Episcopis conuolantibus, pace inter reliquias dissidentium statuta, templum purgatum: missa festiuis clamoribus acta. Cum vero (mira subiiciam) sequentia cantata, & versu: Hunc diem gloriosum fecisti.

cisti; chori conticuissent: vox ab aëre lapsa late insonuit: Hunc diem bellicosum ego feci. Rigentibus ceteris, Imperator diligentius intendens muneri, lætitiamque intelligens inimici, Tu (inquit) omnis malitiæ inuentor simul & incentor, diem bellicosum, & arrogantibus luctuosum fecisti. sed nos per Dei misericordiam, qui illum gloriosum fecit, pauperibus gratiosum reddemus. Et mox re incepta sequentia, solemni ploratu Spiritus sancti gratiam inuitabat: intelligens illum aduentasse, illis cantantibus, istis lacrimantibus, omnibus pectora tundentibus. Finita missa, egenis per præcones conclamatis, omnes dapes, quæ sibi & curialibus parabantur, in vsus eorum exhausit: ipse obsonia apponens, ipse iuxta disciplinam ministrorum de longe consistens, ipse superflua ciborum abstergens.

CAPVT XXIII.

TEMPORE Conradi patris, a quodam clerico fistulam tulerat argenteam, qua pueri ludo aquam iaculantur, pactus episcopatum, cum foret Imperator; adultus repetenti pollicitum impigre dederat. Nec multo post aspera valetudine correptus decubuit, morbo crescente exsensis & mutus iacuit, cum in solo pectore vitalis halitus palpitaret: Nec aliud vitæ indicium erat, quam quod manu ad nares apposita, quantulumcunque sentiebatur anhelitus. Episcopi præsentes triduano indicto ieiunio, lacrimis & votis pro vita regis superos pulsabant. Quibus (vt credi fas est) remediis conualescens, accitum episcopum, quem iniuste fecerat, sententia Concilij deposuit, professus se toto triduo dæmones infestos vidisse, flammam in se per fistulam iaculantes, flammam adeo pertinacem, vt noster ignis in comparatione illius iocus putetur, & nihil calere. Iuuenem inter hæc semiustulatum aduentasse, ferentem immensæ magnitudinis calicem aureum aqua plenum: cuius visione & laticis aspersione delinitum, extinctis ardoribus in sanitatem euasisse. Ephebum illum beatum fuisse Laurentium, cuius Ecclesiæ tectum, longa carie dissolutum, compaginarit: & præter alia xenia calice aureo honorificarit.

Occurrunt hoc loco, quæ de illo viro feruntur magna miracula: vt de ceruа quæ illum fugitantem vltra inuadabilem fluuium dorso euexerit, & quibusdam aliis, quibus ideo supersedeo, quia æstimationem lectoris supergredi nolo. Obiit octauodecimo anno imperij emenso, & apud Spiram conditus est. Epitaphium eius hoc est:

Cæsar tantus eras, quantus & orbis:
At nunc in modico clauderis antro.
Post hæc quisque sciat se ruiturum:
Et quod nulla mori gloria tollat.
Florens imperij gloria quondam
Desolata suo Cæsare marcet.
Hanc vltra speciem non habitura:
Quam tecum moriens occuluisti,
Leges a senibus patribus auctas,
Quas lassata diu læserat ætas,
Omnes vt fuerant ipse reformans:
Romanis studuit reddere causis.
Tu longinqua satis regna, locosque,
Quos nullus potuit flectere Cæsar,
Romanis onerans viribus arcus:
Ac ciuile decus excoluisti.
O quanto premitur Roma dolore,
Desolata prius morte Leonis.
Nunc Auguste tuo funere languens,
Bino se viduam lumine plangit.
Quæ te non timuit patria viuum?
Vel quis non doluit Cæsar obisse?

Nam sic lætus eras iam superatis,
Et sic indomitis gentibus asper:
Vt quæ non timuit iure doleret,
Et quæ non doluit, iure timeret.
Luge Roma tuum nomen in vmbris,
Et defecta duo numina luge.

SANE iste Leo, de quo epitaphium loquitur, fuerat Romæ Apostolicus: ex Brunone Spirensi episcopo, ita vocatus, & prouectus: magnæ & mirabilis sanctitatis cuius Romani multa miracula per orbem ferunt. Obierat ante Henricum, post quinque annos Apostolatus.

CAPVT XXIIII.

ANNO Dominicæ incarnationis D.CCCC.LXXIX. Edelredus filius Edgari, & Elfridæ, regnum adeptus, obsedit potius quam rexit annis XXXVI. Eius vitæ cursus sæuus in principio, miser in medio, turpis in exitu asseritur. In parricidio, cui conniuentiam adhibuerat, immanis. ita fuga & mollitie infamis, ita morte miserabilis fuit. Ignauiam eius prædixerat Dunstannus: fœdo exemplo admonitus. Nam cum pusiolus in fontem baptismi mergeretur, circumstantibus Episcopis alui profluuio sacramenta interpolauit. Qua re ille turbatus: Per Deum (inquit) & matrem eius, ignauus homo erit. Vidi scriptum, quod cum decennis puer fratrem necatum conclamari audiret, fletu suo furentem genitricem adeo irritauit, vt quia flagellum ad manum non habebat, arreptis candelis innocentem cæderet: nec prius desisteret, quam pene exanimem & ipsa lacrimis perfunderet. Quapropter tota vita ita candelas exhorruit in posterum, vt nunquam ante se pateretur inferri lumen earum.

EODEM tempore Occidentalis prouincia, quæ Deuenescira vocatur, pessundata euersis monasteriis, & Exonia vrbe incensa: Cantia deprædationi data: vrbs metropolis & patriarcharum sedes conflagrata. Ipse patriarcha sanctus, reuerendissimus vir Elfegus, abductus & in vinculis tentus. Ad vltimum, cum rusticos suos expilare ad se cogeretur redimendum, & abnueret, lapidatus & securi percussus, anima cælum glorificauit, occisum Deus sublimat: adeo vt Dani, qui in nece eius grassati fuerant, viso miraculo, quod lignum aridum sanguine ipsius litum, sub nocte vna reuiruerat, certatim in oscula defuncti ruerent: certatim colla subiicerent. Ita naturali ceruicositate substrata, sacrum corpus Lundoniam euehi patiuntur: Ibi glorifice sepultum, & post decem annos ab omni corruptionis labe immunem leuatum Archiepiscopum suum nobilitauit. Durat ad hoc tempus & recens sanguis, & illibata integritas; miraculoque ducitur posse cadauer exanimari, & non posse tabefieri.

AT vero Edelredus mense Ianuario in Normanniam veniens, miserias suas sedulitate hospitis consolatus est. Erat ibi tunc temporis Richardus filius Richardi primi: qui felicitate & probitate patrem æquauit. Certe in Dei rebus maior: cœnobium Fiscannense, quod pater inchoauerat, ad summam manum euexit. Orationi & frugalitati adeo intentus, vt nullum monachum, nullum eremitam desiderares. Humilitate tam cernuus, vt lacessentium ceruicositates patientia sibi substerneret. Denique fertur, quod noctibus custodias famulorum fallens, incomitatus ad matutinas monachorum venire solitus fuerit, genuflexionibus vsque ad lucem incumbens. Id præsertim apud Fiscannum exercens: quadam nocte maturius se agebat. cumque inuenisset ostium obseratum: excusso violentius pessulo, soporem sacristæ turbauit. Ille miratus in tali noctis horrore pulsantis strepitum: surrexit vt videret tam audacis facti conscium. Reperiensque, vt videbatur, rusticum plebeio tectum amictu, non potuit animo suo imperare, vt manibus temperaret: sed vehementi felle commotus, crinem inuadit, multos illustri viro collaphos infringens. durat ille incredibili patientia: nec mutire dignatus. Postero die in capitulo querelam deponit: simulataque ira monachum ad vicum Argentias sibi præcepit occurrere: minitans se vlturum in eius peruicaciam, quod tota loqueretur Gallia. Die dicta monacho astante, & præ metu pene exanimato, rem proceribus exponit: atrocitatem

citatem facti per amplificationem exaggerans, Conantem eum respondere, callidis obiectationibus suspendit. Postremo vt iocundior esset miserationis materia, ab optimatibus iudicatum clementer absoluit: totumque vicum illum, qui optimi vini ferax esse dicitur, cum appendiciis suis officio eius addidit: pronuncians monachum esse optimum, qui bene custodiens munus iniunctum, nec percitus ira laxauerit silentium.

CAPVT XXV.

Anno ab incarnatione Domini M. XLII. Eduardus filius Edelredi suscepit regnum: mansitque in eo annis XXIIII. non plenis: Vir propter morum simplicitatem parum imperio idoneus: sed Deo deuotus, ideoque ab eo directus. Denique eo regnante, nullus tumultus domesticus, qui non cito comprimeretur: nullum bellum forinsecus: Omnia domi, forisque quieta, omnia tranquilla. Quod eo magis stupendum, quia ita se mansuete ageret, vt nec viles homunculos verbo lædere nosset. Nam dum quadam vice venatum isset, & agrestis quidam stabulata illa quibus in casses cerui vrgentur confudisset: ille sua nobili percitus ira: Per Deum (inquit) & matrem eius tantumdem tibi nocebo, si potero. Egregius animus, qui se Regem in talibus non meminisset: nec abiectæ conditionis homini se posse nocere putaret. Erat interea eius reuerentia apud domesticos vehemens; apud exteros metus ingens: fouebat profecto eius simplicitatem Deus, vt posset timeri, qui nesciret irasci.

CAPVT XXVI.

Erat eodem tempore papa Gregorius VI. ante dictus Gratianus: magnæ religionis & seueritatis. Is ita Romani Apostolatus statum per incuriam antecessorum diminutum inuenit: vt præter pauca opida vrbi vicina, & oblationes fidelium, pene nihil haberet quo se sustentaret. Ciuitates & possessiones in longinquo positæ, quæ ad ius Ecclesiæ pertinebant, a prædonibus ablatæ. Tramites publici & strata viarum per totam Italiam a latronibus stipabantur, vt nullus peregrinus, nisi cum maiori manu, impune transiret. Feruebant totis semitis insidiatorum examina: nec inueniebat viator quo colludio euaderet. Ita in vacuum, sicut in pecuniosum furebant: nec simplex habere gratiam, nec resistens pati poterat violentiam. Cessatum est ab omni prouintia Romam iter aggredi, quod mallet quilibet per domesticas Ecclesias nummos suos diuidere, quam latrunculos propriis laboribus pascere. Quid in vrbe, vnico olim habitaculo sanctitatis? Ibi in medio foro bacchabantur sicarij: genus hominum infidum & versutum, vt si quis semitarum obseruatores, aliquo transisset artificio, capitis scilicet periculo Apostoli Ecclesiam videre cupiens, in sicarios incidens, nullo modo sine substantiæ vel salutis damno domum reuerteretur. Super ipsa sanctorum Apostolorum & Martyrum corpora, super sacra altaria gladij nudabantur: oblationes accedentium vix dum appositæ de manibus arripiebantur, arreptæ in comessationes & scortorum abusiones consumebantur. Tantorum malorum turbo Gregorij Papatum offendit. Ille primo leniter, & vt pontificem decet, magis amore quam terrore cum subiectis agere: delinquentes plus verbis quam verberibus premere, vt vrbani a peregrinorum infestatione, a rapina sacrorum cessarent. Alterum esse contra naturam: vt ille qui communi vesceretur aëre, non communi frueretur pace. Christiano inter Christianos libere, quo liberet progrediendum, dum omnes sint ex vno famulitio, omnes vno coniuncti coagulo, & redemti precio. Alterum contra Dei mandata, qui præcepit, vt qui altario deseruiunt, de altario viuant. Præterea, domum Dei decere esse domum orationis: non speluncam latronum, non gladiatorum conuenticulum. Permitterent oblationes in vsus transire sacerdotum, vel in expensas pauperum. Prouisurum se illis quos egestas ad rapinas compelleret, vt aliquo honesto officio stipem haberent. Quos cupiditas exagitabat: ipsi sibi pro Dei timore, & seculi honestate modum ponerent. Inuasores ecclesiastici patrimonij, mandatis & epistolis mandauit, vt aut

indebita redderent, aut se iure illa tenere in Senatu Romano probarent. Si neutrum facerent, Ecclesiæ membra se non esse cognoscerent; qui capiti Ecclesiæ beato Petro, & eius vicario, resultarent. Talia frequenter concionatus, & parum aut nihil proficiens, seuerioribus remediis inueterato morbo tentauit occurrere. Cauterio itaque excommunicationis omnes ab Ecclesiæ corpore remouit, vel qui talia facerent, vel qui agentibus conuiuio, vel etiam colloquio participarent. Hæc ille pro suo officio satis agebat, sed pene in pernitiem versa sedulitas. Nam (vt ille dicit) qui arguit derisorem, ipse sibi iniuriam facit. Maligni illi leui admonitione perstricti, contra furere, minis auras territare, muros vrbis armis circumsonare; adeo vt pene Papam interimerent. Itaque ferro abscisionis vtendum iudicans, arma vndecunque & equos conquisiuit, milites & equites adornauit. Ac primo basilicam beati Petri præoccupans, raptores oblationum vel extinxit vel effugauit. Inde fortunam sibi aspirare videns, longius progreditur: & si qui resisterent, occisi, prædia & opida multis temporibus amissa, in antiquum ius reformauit. Ita pax per multorum segnitiem exulans, per vnum hominem in patriam rediit. Securi peregrini insuetas viarum terebant orbitas, læti per vrbem antiquis oculos pascebant miraculis, cantantes donis factis repatriabant. Quirites interea rapto viuere assueti, sanguinarium illum vocabant, indignum esse qui Deo offerret sacrificium, tot cædibus conscius. Et vt fieri solet, quod morbus obloquij ab vno serpat in omnes, ipsi etiam Cardinales argumēta populi probabant, adeo vt cum beatus ille valitudine, qua defunctus est, decumberet, consilio inter se habito, ausu temerario admonerent, ne se in Ecclesia sancti Petri cum ceteris Apostolicis tumulari preciperet, qui tot hominum mortibus officium fœdasset: Tum ille recollecto spiritu, toruisque luminibus minax, hanc orationem habuit:

Si in vobis vel scintilla humanæ rationis, vel scientia diuinæ auctoritatis esset: tam præcipiti suasione non conueniretis pontificem vestrum: qui quantum vixi, & patrimonium meum in vestra commoda effudi, & postremo famam mundi pro vestra liberatione neglexi. Et si alij hæc quæ proscinditis attexerent, par erat vos obsistere, opiniones stultorum melioribus interpretationibus lenientes. Cui quæso thesaurizaui? Forsitan mihi. At thesauros antecessorum meorum habebam, qui cuiuslibet auaritiæ sufficerent. Quibus salutem, quibus libertatem restitui? Rescritis quod mihi. At adorabar a populo, & libere quæ volebam actitabam: applaudebatur mihi totis orationibus: acclamabatur in laudes meas totis diebus. Has laudes, hos plausus, abstulit mihi tenuitatis nostræ contuitus. Ad vos flexi animum, & seuerius agendum æstimaui: fortunarum vestrarum titulos prædo impius abliguriebat: vos inopem vitam diurno pane agebatis. Ille de oblationibus vestris pretiosa sibi serica mercabatur: vos populari & diffuso amictu oculos mouebatis meos. Itaque cum hæc nequirem pati, bellum aliis indixi, vt damno ciuium emerem gratiam clericorum. Sed vt modo experior, in ingratos beneficia collata perdidi. Quod alij per angulos mussitant, vos euomitis in publico. Et libertatem quidem probo, sed pietatem requiro. Morientem patrem, filij de sepultura sua eiiciunt. Communem mortalium domum mihi negabitis? Non arcetur ab introitu Ecclesiæ meretricula; non vsurarius, non latro: & vos Papam ingredi prohibetis? Quid refert, an mortuus an viuus sacrarium introeat, nisi quod viuus multis tentatur illecebris, vt nec in Ecclesia macularum subsistat immunis, ibi sæpe peccandi reperiens materiam, vbi venerat diluere culpam? mortuus peccare nesciat; immo peccare non possit, supremo carens viatico. Quam immanis igitur barbaries, vt hunc a domo Dei excludas, cui peccandi desit & voluntas & facultas? Quapropter filij tam præreptæ audaciæ, pœnitentiam agite: si forte remittat vobis Deus hanc noxam. Stulte enim & amare locuti estis ad hanc horam. Sed putetis me sola vti auctoritate, rationem accipite. Omnis actus hominis secundum cordis intentionem debet examinari, vt eo vergat facti iudicium, vnde processit facti consilium. Fallor, si non idem veritas dicit. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si vero nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Crebro me miserabilis conuenit egens, vt eius leuarem inopiam:

» Ego futurorum inscius, non abnui, sed diuersis monetis onustatum dimisi. Disce-
» dens ille, in publico aggere latronem offendit: incautus cum eo sermonem con-
» seruit; prædicans sedis Apostolicæ indulgentiam. Et vt fidem dictorum probaret,
» marsupium protulit. Interim dum itur, multaque confabulatione via fallitur: do-
» losus ille paulisper remoratus, caputque peregrini claua quam ferebat affligens,
» nec mora: extinxit. Surreptisque denariis, gloriatus est de homicidio, quod per-
» suaserat pecuniæ cupido. Numquid ergo recte inde me iudicabitis, qui peregrino
» dederam, vnde causam mortis incurreret? Neque enim ille, quamuis crudelissimus,
» hominem pessundaret, nisi auidis sinibus nummos infarcire speraret. Quid dicam
de legibus forensibus & ecclesiasticis? Nonne in eis vnum idemque factum diuerso
» respectu & punitur & laudatur? Animaduertitur in latronem, quod occiderit in
» occulto hominem: Probatur in milite, si fuderit hostem in bello. Ita homicidium
» & in illo vituperabile, & in isto laudabile censetur: quia iste pro salute patriæ, ille
» occiderit pro auiditatis ingluuie. Laudatus est olim prædicandæ memoriæ præde-
» cessor noster Adrianus primus, quod inuestituras Ecclesiarum Carolo Magno con-
» cesserit: ita vt nullus consecraretur ab Episcopo: nisi prius a rege insigniretur &
» anulo & baculo. Contra laudatur in nostri seculi pontificibus, quod has donationes
» tulerunt a principibus. Poterat tunc rationabiliter concedi, quod nunc laudabili-
» ter debet auferri. Cur ita? Quia erat animus Caroli Magni aduersus auaritiam in-
victus, nec facile venisset aliquis, nisi intraret per ostium. Præterea per tot terra-
» rum interstitia nequibat requiri sedes Apostolica, vt vnicuique electo assensum ac-
» commodaret suum: dum esset prope Rex qui nihil per auaritiam disponeret; sed
» iuxta sacra canonum scita, religiosas personas Ecclesiis introduceret. Nunc om-
» nia palatia regum, luxus & ambitus occupauit. Quare merito libertatem suam
» sponsa Christi asseuerat: ne illam tyrannus ambitioso vsurpatori prostituat. Ita in
» vtramuis partem potest causa mea infirmari, vel allegari. Non est Episcopi offi-
» cium, vt ipse committat, vel committi iubeat prælium. Ceterum spectat ad mu-
» nus Episcopi, vt si videat naufragari innocentiam, & manu & lingua occurrat. Sacer-
» dotes Ezechiel accusat, quod non steterint ex aduerso, nec opposuerint clypeum
pro domo Israel in die Domini. Duæ sunt scilicet personæ in ecclesia Dei, ad re-
» secanda vicia constitutæ; vna quæ exacuat eloquium: altera quæ portat gladium.
» Ego, vt vos mihi testes esse potestis, non neglexi meas partes. Quo ad speraui pro-
» ficere, armaui linguam. Illum, cuius interest rem agere gladio, certiorem feci nun-
» tio. Occupatum se rescripsit bello Windelicorum, rogans vt meis laboribus,
» suis expensis, non grauarer deturbare latronum conciliabula. Si renuissem, quam
» excusationem Deo afferrem, cum Imperator suas in me partes refudisset? Vide-
» rem cædem ciuium, damna peregrinorum, & dormitarem? At qui parcit latroni
» occidit innocentem. Sed obiicietur, non esse sacerdotis, vt se cæde cuiuslibet im-
» maculet; Et ego concedo, si ille se inquinat, qui sontem premens insontem libe-
rat. Immo vero, immo beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in om-
» ni tempore. Sacerdotes fuerunt amplissima laude famosi, Phinees & Mattathias
» ambo sacra tiara frontem insigniti; ambo sacerdotalibus stolis amicti; ambo ta-
» men in delinquentes manu vsi sunt. Alter venereos amplexus pugione confodit;
» alter immolantem immolaticio cruori commiscuit. Si ipsi quasi spissas legis te-
» nebras palpantes, pro ipsis vmbraticis mysteriis zelo diuino efferati sunt, nos aper-
» ta fronte veritatem contuentes, patiemur sacra nostra prophanari? Azarias sacer-
» dos, regem Oziam thurificantem expulit, & proculdubio non dubitasset occide-
» re, nisi ille accelerasset cedere. Præuenit Episcopalem manum plaga diuina, vt lepra
» depasceretur illius cadauer, cuius animus deprædasset illicita. Deturbata fuit Re-
gis deuotio, & non deturbabitur latronis ambitio. Parum est quod excuso, si non
» & laudem factum meum. Contuli enim illis beneficium, quibus videor contu-
» lisse exitium. Pœnam minui, qui mortem acceleraui. Sceleratus enim quanto
» plus vixerit, tanto plus peccabit: nisi forte aliquis, quem Deus singulari exem-
» plo respexerit. Mors in commune bona est omnibus. Per eam iustus reponitur

in cælestibus: iniustus ponit ferias sceleribus. Malus dat flagitiis terminum, bonus pertendit ad brauium. Sanctus propinquat ad palmam: peccator spectat ad veniam, quod figit flagitiis metam. Gratiæ igitur mihi habendæ sunt illorum vice, quitantis miseriis exemti sunt meo munere. Hæc habui quæ pro me dicerem, vt vestras assertiones euacuarem. Sed quoniam & meæ & vestræ ratiocinationes falli possunt, committamus omnia diuino examini. Corpus meum antecessorum more compositum, ante ianuas Ecclesiæ sistite. Ianuæ seris & repagulis damnentur. Si Deus voluerit vt ingrediar, applaudatis miraculo. Sin minus, de cadauere meo facite quod potius vestris insederit animis.

Hac permoti oratione, cum ille extremum Spiritum efflasset, ante portas seris occlusas, exanimis præsulis exuuias deportant: sed mox diuinitus turbo emissus, omnia repagulorum obstacula dirumpens, valuas etiam ipsas vehementi impulsu patefactas ad parietem impulit. Populus clamans acclamat in gaudium: Pontificis corpus cum patribus celebri veneratione locatum.

CAPVT XXVII.

Hisdem diebus simile huic in Anglia contigit, non superno miraculo, sed inferno præstigio. Quod cum retulero non vacillabit fides historiæ, etsi mentes auditorum sint incredulæ. Ego illud a tali viro audiui, qui se vidisse iuraret, cui erubescerem non credere.

Mulier in Berchilia mansitabat, maleficiis, vt post patuit, insueta, auguriorum veterum non inscia, gulæ patrona, petulantiæ arbitra, flagitiis non ponens modum, quod esset adhuc citra senium, vicino licet pede pulsans senectutis aditum. Hæc cum quadam die conuiuaretur, cornicula quam in delitiis habebat, vocalius solito, nescio quid, cornicata est. Quo audito, dominæ cultellus de manu cecidit: simul & vultus expalluit: & producto gemitu: Hodie, ait, ad vltimum sulcum meum peruenit aratrum: hodie audiam, & accipiam grande incommodum. Cum dicto nuncius miseriarum intrauit. Percunctatus, quid ita vultuosus aduentaret? affero tibi, inquit, ex villa illa (& nominauit locum) filij obitum, & totius familiæ ex subita morte interitum. Hoc dolore fœmina pectus saucia, continuo decubuit, sentiensque morbum prærepere ad vitalia, superstites liberos monachum & monacham pernicibus inuitauit epistolis. Aduenientes, voce singultiente alloquitur: Ego filij quodam meo miserabili fato dæmonicis artibus inseruiui; ego vitiorum omnium sentina, ego illecebrarum magistra fui: Erat tamen inter hæc mala spes vestræ religionis, quæ miseram palparet animam. De me desperata, in vobis reclinabar: Vos proponebam propugnatores aduersus dæmones, tutores contra sæuissimos hostes. Nunc igitur quia ad finem vitæ accessi, & illos habeo exactores in pœna, quos habui persuasores in culpa: rogo vos per materna vbera, si qua fides, si qua pietas, vt mea saltem temtetis alleuiare tormenta. Et de anima quidem sententiam prolatam non reuocabitis, corpus vero hoc modo forsitan seruabitis. Insuite me corio ceruico, deinde in sarcophago lapideo supinate. Operculum plumbo & ferro constringite. Super hæc, lapidem tribus catenis ferreis, magni scilicet ponderis, circumdate. Psalmicines quinquaginta noctibus sint, eiusdem numeri missæ diebus, qui aduersariorum excursus feroces læuigent. Ita si tribus diebus secure iacuero, quarto die infodite matrem vestram humo. Quãquam verear, ne fugiat terra finibus me recipere & fouere suis, quæ totiens grauata est malitiis meis. Factum est vt præceperat, illis magno studio incumbentibus. Sed (proh nefas) nil lacrimæ valuere piæ, nil vota, nil preces: Tanta erat mulierculæ malitia, tanta diaboli sæuitia. Primis enim duabus noctibus, cum chori clericorum psalmos circa corpus concreparent: singuli dæmones ostium Ecclesiæ immani obice clausum leui negotio defringentes, extremas catenas diruperunt. Media quæ operosius elaborata erat, illibata durauit. Tertia nocte circa gallicinium, strepitu aduenientium hostium, omne monasterium a fundamentis moueri visum est; vnus ceteris & vultu terribilior & statura eminentior, ianuas maiore vi concussas, in fragmenta deiecit. Diriguere clerici metu: steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit. Ille arroganti, vt

videbatur, geſtu ad ſarcophagum acceſſit; inclamatoque nomine, vt ſurgeret imperauit: Qua reſpondente, quod nequiret pro vinculis: ſolueris, inquit, a malo tuo, ſtatimque catenam, quæ ceterorum ferociam eluſerat, nullo conamine vt ſtupeum vinculum dirupit. Operculum etiam tumbæ pede depulit. Apprehenſaque manu palam omnibus ab Eccleſia extraxit: vbi pro foribus equus niger, & ſuperbum hinniens videbatur, vncis ferreis per totum tergum protuberantibus, ſuper quos miſera impoſita mox ab oculis intuentium cum toto ſodalicio diſparuit. Audiebantur tamen clamores per quatuor fere miliaria miſerabiles, ſub ſpecie orantis. Iſta incredibilia non iudicabit, qui legerit beati Gregorij dialogum, qui refert, in quarto libro, nequam hominem in eccleſia ſepultum, a dæmonibus foras eiectum.

APVD Francos quoque non ſemel auditum eſt, quod dicam, Carolum Martellum inſignis fortitudinis virum, qui Saracenos Gallias ingreſſos, in Hiſpaniam redire compulit, exactis diebus ſuis in Eccleſia ſancti Dionyſij ſepultum. Sed quia patrimonia omnium pene monaſteriorum Galliæ pro mercede commilitonum mutilauerat, viſibiliter a malignis ſpiritibus e ſepulchro abreptum, vſq; ad hanc diem nuſquam viſum. Denique illud reuelatum Aurelianenſi Epiſcopo, & per eum in vulgus ſeminatum.

CAPVT XXVIII.

VERVM vt Romam reuertar, eiuſdem vrbis ephebus ætate, locuples opibus, genere ſenatorio ſublimis vxorem duxerat; ſodalibus ſuis accitis conuiuiū frequēs parauerat. Poſt cibum, cum minutioribus poculis hilaritatem inuitaſſent, in campum prodeunt, vt oneratos dapibus ſtomachos vel iactu vel aliquo exercitio attenuarent: Ipſe rex conuiuij, ludi ſignifer, pilam popoſcit. Interim anulum ſponſalitium digito extento ſtatuæ æreæ, quę proxime aſtabat, compoſuit. Sed cum pene omnes ſolū impeterent, ſuſpirioſis extis incaleſcentibus, primus ſe a luſu remouit. Anulū repetens, inuenit ſtatuæ digitum vſq; ad volam curuatum. Diu ibi luctatus, quod nec annulum eiicere, nec digitum valeret frangere, tacite diſceſſit, re ſodalibus celata; ne vel præſentem riderēt, vel abſentem anulo priuarent. Ita nocte intempeſta cum famulis rediens, digitum extentum & anulum ſubreptum miratus eſt. Diſſimulato damno nouæ nuptæ deliciis delinitus eſt. Cumque hora cubandi veniſſet, ſeque iuxta vxorem collocaſſet, ſenſit quiddam nebuloſum & denſum inter ſe & illam voluntari, quod poſſet ſentiri, nec videri poſſet. Hoc obſtaculo ab amplexu prohibitus, vocem etiam audiuit: Mecum cōcumbe, quia hodie me deſponſaſti. Ego ſum Venus, cuius digito appoſuiſti annulum, habeo illum, nec reddam. Territus ille tanto prodigio, nihil referre auſus eſt, nec valuit. Inſomnem illam noctem duxit, tacito iudicio rem examinans. Elapſum eſt in hoc multum tempus: vt quacunque ille hora gremio coniugis vellet incumbere, illud idem ſentiret & audiret; alias ſane valens & domi & militiæ. Tandem querelis vxoris commonitus, rem parentibus detulit: Illi habito conſilio, Palumbo cuidam ſuburbano preſbytero negotium pandunt. Erat is necromanticis artibus inſtitutus, magicas excitare figuras, dæmones territare, & ad quodlibet officium impellere. Pactus ergo grande mercimonium, vt ſi amantes coniungeret, multo ære fulciret marſupium, in omne ſe ingenium notis artibus excitauit, compoſitamque epiſtolam iuueni dedit. Vade, inquiens, in illa hora noctis ad compitum, vbi ſe findit in quadruuium, & ſtans tacite conſidera. Tranſient ibi figuræ hominum vtriuſque ſexus omnis ætatis, omnis gradus, omnis poſtremo conditionis: Nullum eorum compellabis, etſi loquatur tecum. Sequetur illam turbam quidam reliquis ſtatura procerior, forma corpulentior, curru ſedens. Huic tacitus epiſtolam trades legendam. Fiet e veſtigio quod voles, fac tantum perſtanti animo ſis. Quidam equites, quidam pedites, alij vultum in terram deiecti: alij tumido ſupercilio elati. Et prorſus quicquid ad lętitiam vel triſtitiam pertinet, in illorum videbis & vultibus & geſtibus. Aggreditur ille iter præceptum, & nocte ſub diuo aſtans fidē dictorum preſbyteri viſu explorat. Nihil enim fuit quod minus promiſſis deſideraret. Inter ceteros quoque tranſeuntes, vidit mulierem ornatu meretricio, mulam inequitantem; Crinis ſolutus humeris inuolitabat, quem vitta aurea ſuperne conſtrinxerat;

In manibus aurea virga, qua equitaturam regebat. Ipsa præ tenuitate vestium pene nuda, gestus impudicos exequebatur. Quid plura? Vltimus, qui dominus videbatur, oculos terribiles in iuuenem exacuens, ab axe superbo, smaragdis & vnionibus composito, causas aduẽtus exquirit: Nihil ille contra, sed protenta manu porrigit epistolam: Dæmon notum non ausus contemnere; legit scriptum. Moxque brachiis in cælum elatis: Deus, inquit, omnipotens, quam diu patieris nequitias Palumbi presbyteri? Nec mora, satellites a suo latere misit, qui anulum extorquerent a Venere. Illa multum tergiuersata, vix tandem reddidit. Ita iuuenis voti compos sine obstaculo potitus est diu suspiratis amoribus. Sed Palumbus presbyter, vbi dæmonis clamorem ad Deum de se audiuit, finem dierum sibi præsignari intellexit: quo circa omnibus membris vltro truncatis, miserabili defunctus est pœnitentia, confessus Papæ coram populo Romano inaudita flagitia.

CAPVT XXIX.

TVNC corpus Pallantis filij Euandri, de quo Virgilius scribit, Romæ repertum est illibatum, ingenti stupore omnium, quod tot sæcula incorruptione sui superauerit: Quod ea sit natura conditorum corporum in carne tabescente, cutis exterior neruos, nerui ossa cõtineant. Hiatus vulneris, quod in medio pectore Turnus fecerat, quatuor pedibus & semis mensuratus est. Epitaphium huiusmodi repertum:

Filius Euandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, more suo iacet hic.

Quod non tunc crediderim factum, licet dicatur Carmentis mater Euandri latinas litteras inuenisse, sed ab alio aliquo poëta compositum. Ardens lucerna ad caput inuenta, arte mechanica, vt nullius flatus violentia, nullius liquoris aspergine valeret exstingui. Quod cum multi mirarentur, vnus, vt semper aliqui solertius ingenium in malis habent, stylo subtus flammam foramen fecit. Ita introducto aëre, ignis euanuit. Corpus muro applicitum, vastitate sui mœnium altitudinem vicit. Sed procedentibus diebus, stillicidiis rorulentis infusum, communem mortalium corruptionem agnouit, cute soluta, & neruis fluentibus.

CAPVT XXX.

TVNC quoque in confinio Britanniæ & Normanniæ visum est portentum in vna vel potius in duabus mulieribus. Duo erant capita, quatuor brachia, & cetera gemina omnia, vsque ad vmbilicum. Inferius duo crura, duo pedes, & cetera omnia singula: Ridebat, comedebat, loquebatur vna: flebat, esuriebat, tacebat altera: ore gemino mãducabatur, sed vno meatu digerebatur. Postremo vna defencta, superuixit altera: portauit pene triennio viua mortuam, donec & mole ponderis & nitore cadaueris ipsa quoque defecit. Putatum est a quibusdam & litteris traditum, quod hæ mulieres Angliam & Normanniam significauerint; quæ, licet spaciis terrarum sint diuisæ, sunt tamen sub vno dominio vnitæ. Hæ quicquid pecuniarum auidis faucibus insorbuerint, in vnam lacunam defluit, quæ fit vel principum auaritia, vel circumpositarum gẽtium ferocia. Mortuam & pene exhaustam Normanniam ingens pecuniis sustentat Anglia, donec & ipsa fortassis succumbat exactorum violentia. Felix si vnquam in libertatem respirare poterit, cuius inanem iamdudum persequitur vmbram; nunc gemit calamitatibus afflicta, pensionibus addicta, & omni nobilitate antiquorum extincta: causam huiusce calamitatis describam, si prius quædam dixero ad rem pertinentia: quia enim forensia gesta, & negocia bellica regum Anglorũ huc vsque contexui, libet aliquã tisper in sanctitate quorũdam spaciari: simulq; considerandum, quantus diuinæ pietatis fulgor ab initio fidei populum illum circũfulserit, quod nusquã gentium, vt opinor, reperies tot sanctorum illibata post mortem corpora, incorruptionis illius extremæ simulachrum præferentia: quod ideo fieri credo cœlitus, vt natio pene extra orbem posita, ex consideratione incorruptelæ sanctorũ, fidentius ad spem resurrectionis animaretur. Et sunt sane quinque omnino quos nouerim, ceterum plures accolæ prædicant sui:

Sancta

Sancta Etheldrida & Wiburga, virgines: Rex Emundus, Archiepiscopus Elfegus, Cuthbertus antiquus pater: Omnes inuiolati cute & carne, flexibilibus articulis, vitali quodam tēpore speciem dormitantium meditantes. Quis enumeret ceteros omnifariæ conditionis & professionis sanctos? Quorum nuncupatum nomina & vitas prosequi, nec propositum est, nec ocium, quanquam o si tempus fuerit super: sed tacebo, ne maiora viribus videar polliceri. Atque adeo nullum de plebe est necesse nominare, sed tantum regiæ stirpis pueros puellasue, vt cœptæ materiæ orbitas ducam, plerosque innocenter cæsos, quos non humana coniectura, sed diuina ratio martyres consecrauit: vnde datur cognosci, quantam fecerint licentiæ voluptatum parsimoniam, qui tam facilis necis compendio cælestem occuparunt gloriam.

CAPVT XXXI.

Egbertvs rex Cantuariorum, filius Ercomberti, de quibus supra dixi, habuit cognatos iuuenes, vicino consanguinitatis gradu lineam regum contigentes, Ethelredum & Egelbirtum, filios scilicet Ermenredi patrui sui. Hos ille in spem regni adolescere metuens, salutique suæ timens, ægro & miserabili victu circa se habitos aliquamdiu, tandem, contuitum suum eis inuidens, ab aulæ frequentia remouit. Moxque per ministrum suum nomine Thunre, quod tonitruum sonat, occulte interemtos, scrobi profundæ inmersit, arbitratus posse latere homicidium, quod commisisset clam visibus hominum. Sed diuinus ille oculus, quem arcana cordium non fallunt, tulit in lucem insontes, multas ibi largitus sanitatum gratias: quoad vicini commoti rudera illa tumultuario cespite corporibus iniecta effodientes, fossam sepulchri ad speciem dirigunt, Ecclesiola superædificata: Iacuere ibi vsque ad tempus regis Edgari: Tunc enim a beato Osvvaldo Archiepiscopo Wigornensi leuata, & ad cœnobium Ramesiæ deportata sunt: ex qua die multis se miraculis manifestarunt, supplicum votis exorabiles.

Offa Rex Merciorum pro confirmatione, vt putabat, regni, sine vllo delectu amici vel inimici, multos potentes trucidauit; inter quos Egelbirtum regem; nefariam rem in procum filiæ operatus. Verum illius mors innocua, breui regno filij Offæ, creditur, vt supradixi, vindicata. Quin & Deus adeo euidentibus signis sanctitatem eius prodidit, vt hodieque sedes Episcopalis Herefordi sub ipsius nomine consecretur: nec ineptum debet videri aut incongruum, quod antecessores nostri, probi & religiosi viri, vel taciturnitate tolerauerunt, vel auctoritate roborauerunt.

Qvid de sancto Renelmo teneræ ætatulæ puero, stylus hic cōminiscetur dignum? Hunc pater Renelfus, Rex Merciorum, septennem Quendridæ sororis fidei educandum reliquit. Sed illa falso sibi regnum præsagiens, fraterculum tollendum e medio, satelliti, qui alumnus erat, commendauit. Is insontem, causa remittēdi animum quasi venatum ducens, inter frutecta obtrūcatum occuluit: & mirum dictu, quod fraus tam celate in Anglia commissa, Romæ diuinitus innotuit: Siquidem membrana super altare sancti Petri superne columba ferente delapsa, necis & sepulchralis loci per ordinem index: Quæ quia elementis Anglicis erat conscripta, a Romanis & aliarum gentium hominibus qui aderant frustra temtata: sed salubriter & in tēpore astitit Anglus, & linguæ inuolucrum latialiter quærentibus euoluens, effecit vt Apostolici Epistola regibus Anglis compatriotam martyrem indicaret. Quapropter frequenti cætu innocentis corpus leuatum, Wincelcumbam vehebatur: ita clericorum vocali cantu, & laicorum alacri plausu, parricidalis femina commota, e fenestra cœnaculi, in quo stabat, caput extulit. Et forte psalterium præ manibus habens, continuatione lectionis ad psalmum peruenerat: Deus laudem meam ne tacueris: quem a fine, nescio quo præstigio, retrograde dicens, nitebatur lætitiam cantantium infirmare: tum vero indiuina lumina veneficæ cauis orbibus euulsa, cruore versum polluerunt. Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud dominum, & qui loquuntur mala aduersus animam meam. Cruoris signa extant hodie, immanitatem mulierculæ & Dei vltionem spirantia. Corpusculum sancti celebriter colitur, nec vllus fere locus in Anglia, maiori ad festum aduentantium veneratur frequentia. Exigit hoc & antiqua sanctitatis persuasio, & miraculorum crebra exhibitio.

Nec vacabunt laude tua paginæ nostræ felix puer Wistane, fili Wimundi, filij Withasij Regis Mertiorum & Ethelfredæ filiæ Celvvlfi, qui fuit patruus Renelmi: te, inquam, non tacebo, quem Berfertus cognatus nefarie interemit. Scient posteri, siqui has litteras cognitione dignas duxerint, nihil indolis tuæ nobilitate in seculo generosius, qua irritatus infestus lanio te mortificauerit; nihil in Deo puritate tua innocentius, qua inuitatus internus arbiter te honorificauerit. Nam cælo demissa columna lucifera, denseque noctis disrumpens pallia, profundæ caueæ scelus detexit, carnificis nequitiam arguit. Quapropter venerandæ reliquiæ leuatæ parentum officio Rependunæ locatæ sunt, tunc temporis famoso monasterio: nunc est villa comitis Cestrensis: Cuius gloria pro situ vetustatis exsoleta: nunc Euesamum inhabitas, dignus qui fauentum votis indulgeas.

CAPVT XXXII.

De sanctitate regum Australium Saxonum & orientalium Anglorum, Beda multa retulit. Quorum regnorum genealogiam huius operis primo libro breuiter intexui, quia plena gesta regum nusquam potui reperire. Verumtamen de sancto Emundo, quem seculum Bedæ non attigit, amplior producetur oratio, qui in Orientali Anglia principatum tenuit. Prouincia illa ab Austro & Oriente cingitur Oceano, ab Aquilone paludum vligine, & stagnorum rapaci voragine, quæ trium vel duum milium spacio latitudine, infinitaque longitudine protensa, incolarum vsui piscosam præbent exuberantiam. Ab Occidente reliquæ insulæ, continua, sed defossa humo, instar muri aggere promunita. Pecorum pabulis, ferarum capturis, humus egregia, Cœnobiis referta, congregationibus monachorum innumerosissimis inter ipsas stagnorum insulas institutis: gens læta & lepida, facetaque festiuitate iocorum ad petulantiam pronior. Hic regnauit Emundus vir Deo deuotus, auita prosapia regum excellens. Qui cum aliquot annis pacifice prouinciæ præfuisset, nulla temporum mollitie virtutem eiurare impulsus, Danorum duces Hinguar & Hubla Nortanhimbrorum & orientalium Anglorum depopulaturi prouincias venere. Quorum primus Regem non resistenrem sed armis proiectis solo pronum, & orantem cepit: & post nonnulla tormenta decapitauit. Emicuit post necem beati viri transactæ vitæ puritas, miraculis inauditis. Caput a corpore lictoris sæuitia diuisum, dumeta proiicientibus Danis occuluerant. Quod dum ciues quærerent, hostem abeuntem vestigiis insecuti, funeri regio iustas soluturi inferias, iocunda Dei munera hausere; exanimati capitis vocem expressam, omnes ad se lustratores inuitantis, lupum feram cadaueri assuetam: lactis illud circumplexum innoxiam prætendere custodiam. Eundem more domestici animalis baiulos post tergum modeste ad tumbam secutum, nullum læsisse, a nullo læsum esse. Tunc pro tempore humi traditum corpus venerabile, terrea gleba superiecta, & exilis precij lignea capella superstructa. Sed aderat oscitantibus prouincialibus virtus martyris, semisopitas mentes eorum ad sui reuerentiam signis excitans. Et leue quidem ac frigidum sit, sed primum virtutum eius experimentum, quod subiiciã. Latrunculos noctu sacram ædem expilare aggressos, inuisis loris in ipsis conatibus irretiuit, formoso admodum spectaculo, quod præda prædones tenuit, vt nec cepto desistere, nec inchoata valerent perficere. Quapropter Theodoredus Lundoniæ præsul, qui apud sanctum Paulum iacet, plebeiæ machinæ diutinam sustulit inuidiam, augustius ædificium super veneranda membra molitus, quæ & miranda incorruptione & lacteo quodam candore gloriam sanctæ animæ prædicabant. Caput olim a ceruice reuulsum, nunc reliquo corpori compaginatum, signum tamen martyrij coccinea cicatrice prætendens. Porro illud humana miracula excedit, hominis mortui crines & vngues sensim pullulare, quos Osuuen quædam sancta mulier quotannis, hos tunderet, illos desecaret, sacra veneratione posteris futuros: Sanctæ temeritatis femina, quæ coram cerneret & contrectaret artus, quibus omnis inferior hic est mundus. At non ita Lefstanus, principis & effrenatæ audaciæ adolescens, qui sibi corpus martyris minis inflatioribus ostendi exegerat, famæ, vt dicebat, incertum fide oculorum ponderare deliberans. Ideoq; prærupti ausus

pœnam tulit amens effectus, & postmodum scaturiens vermibus, & mortuus. Nouit profectò quod olim consueuerat, nouit facere modo Emundus, parcere subiectis, & debellare superbos. Quibus artibus ita sibi omnis Britanniæ colas, *vt beatum se in primis astruat, qui cœnobium illius vel nummo vel valenti illustrat. Ipsi quoque Reges aliorum domini, seruos se illius gloriantur, & coronam ei regiam missitant, magno, si vti volunt, redimentes commertio. Exactores vectigalium, qui alias debacchantur, fas nefasque iuxta mentientes, ibi supplices citra fossarum sancti Emundi litigationes sistunt, experti multorum pœnam qui perseuerandum putarunt.

CAPVT XXXIII.

NOMINA quoque puellarum regij generis aliquarum oris mei perstringet præconium, præfata breuitatis venia, quam non fastidij nausea, sed miraculorum facit inscitia. Anna Rex orientalium Anglorum habuit filias tres, Etheldridam, Ethelburgam, Sexburgam: Etheldrida duobus viris nupta, felici, vt Beda auctor est, continentia, sine vlla pudoris iactura, sine vlla libidinis vrtica, perpetuæ virginitatis lauream cælo victrix exhibuit: Ethelburga in monasterio Galliæ, quod dicitur Brigis, sanctimonialis primum, dehinc abbatissa, illibatæ virginitatis signaculo floruit. Et speciosum certe quod ambæ sorores, sicut concupiscentiam carnis in se viuæ domuerant, ita defunctæ incorruptam eandem præferunt; illa in Anglia, ista in Gallia; vt earum sanctitas, quæ abunde fulserat, sufficiat geminos irradiare polos. Sexburga Ercumberto Regi Cantuariorum in matrimonium data, & post eius mortem velata, in eodem monasterio, quo soror Etheldrida prędicatur sancta, habuit ex illo filias Ercūgotam, & Ermenchildam. De Ercongota scire volentes lectio Bedæ informabit: Ermenchilda Walferio Regi Merciorum locata, habuit filiam Werburgam, virginem sanctissimam. Vtræque, mater & filia, apud ciuitatem Legionum pausant, in monasterio eiusdem vrbis, quod construxit nouiter Hugo comes Cestrensis, eiectis inde pauculis clericis, qui ibidem fœdo & paupere victu vitam transigebant. Earum, & pręcipue iunioris, ibi laudantur merita, extolluntur miracula. Cumque omnium petitionibus sint incunctanter fauorabiles, tum maxime orationes feminarum & puerorum vicino & continuò auxilij pede attingunt.

FRATER Wlferij Mereualdus ex Ermenberga, filia Ermenredi fratris Ercomberti, tulit filias Milthridam & Milburgam: Milthrida in Thauato insula Cantiæ cælibatui dans operam, ibidem vitæ metam incurrit. Sequenti tempore ad cœnobium sancti Augustini Cantuariam translata, eximia monachorum sedulitate honoratur, pietatis fama & dulcedinis, iuxta vocabulum suum, in cūctos æque prædicabilis. Et quamuis ibi pene omnes monasterij anfractus pleni sint sanctorum corporibus, nec eorum parui nominis aut meriti, sed quorum vnus posset per se illustrare Angliam, in nullo tamen colitur illa inferius, quin imo amatur & commemoratur dulcius. Adest illa se diligentibus, nullos surda transiens aure, saluti consulentes animæ.

MILBVRGA apud Feneloch requiescit: olim ab incolis nota, sed post aduentum Normannorum, dum nescitur locus sepulchri, aliquamdiu obliuioni data. Nuper vero adunato ibi conuentu monachorum Cluniacensium, dum inchoata noui templi machina, quidam puer per pauimentum concitatus cursitaret, effracta Mausodei fouea, propalari corpus virginis fecit. Tum balsamiti odoris aura per Ecclesiam spirante, altius leuatum tot miracula præbuit, vt cateruatim eo populorum turbæ confluerent. Vix patuli campi capiebant populorum agmina, dum æquis vmbonibus diues & mendicus se agerent, cunctos in commune præcipitante fide. Nec cassum euentum ręs habuit: adeo vt nullus inde nisi extincta vel mitigata valitudine discederet, nonnullosque regius morbus, medicis sane incurabilis, per merita virginis relinqueret.

EDVARDVS senior, de quo superius multa retuli, suscepit ex vxore Elfgiua filias multas, inter quas & Edburgam: Quæ dum vix trima esset, spectabile futuræ sanctitatis dedit perpulchrum. Explorare volebat pater, vtrum ad Deum an ad seculum esset declinatura pusiola: posueratque in triclinio diuersarum professionum ornamenta, hinc calicem & euangelia, inde armillas & monilia. Illuc virguncula

vlnis nutricis blandientis allata, genibus parentis assedit: Iussaque vtrum vellet eligere, toruo aspectu secularia despiciens, promteque manibus reptans, euangelia & calicem puellari adorauit innocentia. Exclamat cætus assidentium, auspicium futuræ sanctitatis in puella exosculatus. Pater ipse, arctioribus basiis dignatus sobolem, Vade, inquit, quo te vocat diuinitas: sequere fausto pede, quem elegisti sponsum. Et profecto & ego & coniunx felices erimus, si a filia victi religione fuerimus. Ita sanctimonialium habitum induta, cunctas sodales ad amorem sui in vrbe Wintoniæ sedulitate obsequij inuitabat. Nec resupinabat eam alta prosapiæ magnitudo, quod generosum putabat in Christi inclinari seruitio. Crescebat cum ætate sanctitas, cum adulta humilitas, in tantum, vt singularum soccos furtim noctu subriperet, & diligenter lotos & vnctos lectis rursus apponeret. Quapropter licet multis miraculis Deus viuentem insignierit, istud exemplum magis in ea prædico, quod omnia opera eius inchoabat caritas, & consummabat humilitas. Denique deuotionem pectoris & integritatem corporis, eius miracula in vita & post mortem commendant plurima, quæ temporum eius æditui Wintoniæ & Perscoræ nescientibus viua voce pronuntiant.

Adgari Regis filia beata Editha Wiltimense cœnobium sedem ossium suorum dulcibus exuuiis ornat, amore fouet. Vbi ab infantia sua scholæ dominicæ tradita, incorrupta semper virginitate, & frequentibus excubiis Dei gratiam demerebatur, natalium tumorem mentis ingenuitate premens. Vnum a maioribus accepi, quo non mediocriter iudicium offendebat hominum, fallens videlicet oculos eorum auratarum apparatu vestium, siquidem cultioribus indumentis iugiter ornata procederet, quam illius professionis sanctitudo exposceret. Vnde a sancto Adelvvoldo palam increpita, respondisse fertur nec inepte nec infacete, verax & irrefragabile iudicium Dei sola mortalium operitur conscientia: nam & in sordibus lutosis potest esse iactantia. Quapropter puta, quod tam incorrupta mens potest esse sub istis vestibus, quam sub tuis discissis pellibus. Hoc dicto repercussus Pontifex, & veritatem dicti approbans taciturnitate sua, lætumque erubescens, quod scintillante puellæ sententia fuit inustus, siluit. Viderat illam sanctus Dunstannus in consecratione basilicæ beati Dionysij, quam illa in amorem matris ædificauerat, pollicem dextrum frequenter prætendere, & signum crucis fronti e regione pingere, delectatusque admodum, numquam, inquit, putrescat hic digitus: Continuoque intra missarum agenda prorupit in lacrimas, adeo profluas, vt singultiente voce discipulum propter astantem concuteret. Reique causam quæsitus, Cito, ait, hæc florida rosa marcesset: cito auis Deo dilecta auolabit, post VI. ab hoc die septimanas. Consecuta est e vestigio rerum veritas pontificale vaticinium. Namque illa propositi nobilis tenax, prædicta die citra iuuentæ terminum efflauit spiritum, cum esset annorum viginti trium. Nec multo post idem beatus vidit somnij visione sanctum Dionysium virginem amicabiliter manu tenentem, & ex oraculo diuino constanter iubentem, vt a famulis honorificaretur in terris, sicut a sponso & domino venerabatur in cælis. Ita crebrescentibus ad tumbam miraculis, edictum vt corpus virgineum leuaretur, & altius efferretur, inuentumque totum in cineres solutum, præter digitum & aluum & aluo subiecta. Vnde disputantibus nonnullis, vni ex his qui viderant, dormienti virgo ipsa apparuit, dicens: Non mirum esse, si partes illæ corporis putruerint: quod vsus habeat, exanimata corpora in quosdam arcanos naturæ sinus defluere, & ipsa vtpote puella membris illis peccauerit. Ceterum iuste ventrem nulla corrumpi putredine, qui nulla sit vnquam aculeatus libidine: immunem se fuisse crapulæ & carnalis copulæ.

Sane ambæ istæ virgines meritis suis singula fulciunt cœnobia adunatis in vtroque sanctimonialium multarum cœtibus, quæ dominabus & magistris suis vocantibus ad gratiam, respondent per obedientiam. Fortunatus qui virginalium orationum particeps fuerit, quarum deuotioni se dominus Iesus placido indulget assensu. Nam, vt de Seestoniensibus dixi, omnes iam dudum virtutes terris relictis cælum petiere, in solis fere sanctimonialium mentibus, si vspiam sunt terrarum, reperies. Quod mihi pace sanctorum virorum dixisse licuerit, quia multum laudandæ sunt feminæ,

quæ dissimulata sexus infirmitate, certantibus studiis seruantes continentiam, opimam ad superos euehunt victoriam.

CAPVT XXXIIII.

PLVRES e familia regia vtriusque sexus cognouisse, ad rem referre arbitror, vt sciatur quod a virtutibus maiorum Rex Eduardus, de quo superius digressionem dicebam, minime degenerauerit. Denique miraculis & prophetiæ spiritu, sicut deinceps dicam, claruit. In exactionibus vectigalium parcus, quippe qui & exactores execraret. In cibis & potibus, regalis luxus immunis. In præcipuis festiuitatibus, quamuis amiciretur vestibus auro textis, quas regina sumptuosissime elaborauerat, ita temperans erat, vt nec maiestati suæ deesset, nec tamen supercilium attolleret, magis Dei de his munificentiam, quam mundialem gloriam mente versans. Vnum erat quo in seculo animum oblectaret suum, cursus canum velocium, quorum circa saltus latratibus solebat lætus applaudere: volatus volucrum, quibus natura est de cognatis auibus prædas agere. Ad hæc exercitia continuis diebus, post audita mane diuina officia, intendebat. Cetera vir Deo voluntarie deditus, inter regni negotia viuebat angelicum, pauperibus hospitibusque, maxime transmarinis & religiosis, benignus apparendo, munificus dando, & ad illorum sanctitatem monachos suæ patriæ inuitando. Erat discretę proceritatis, barba & capillis cigneus, facie roseus, toto corpore lacteus, membrorum habitudine commoda peridoneus.

VIDERAT quondam somnij reuelatione seculi illius felicitatem Brituoldus Wiltinensis episcopus, viderat & annunciauerat. Nam dum tempore regis Cnutonis cælestibus apud Glestoniam lucubraret excubiis, subissetque illum cogitatio, quæ frequenter angebat, de regia stirpe Anglorum pene deleta, hæc meditanti sopor irrepsit. Et ecce in superna raptus, videt Apostolorum principem Petrum, Eduardum, qui tūc in Normannia exulabat, in Regem consecrare, cœlibe designata vita certo, viginti quatuor annorum, numero computato, eidemque conquerenti de posteritate, respondere: Regnum Anglorum est Dei, post te prouidet Regem ad placitum sui. Porro, vt iam de miraculis dicam, adolescentula iuxta parilitatem natalium virum habens, sed fructu coniugij carens, luxuriantibus circa collum humoribus, turpem inualitudinem contraxerat, glandulis protuberantibus horrenda. Iussa somnio lauaturam manum Regis exquirere, curiam ingreditur. Rex ipse per se opus pietatis adimplens, digitis aqua perunctis collum pertractat mulieris. Medicam dextram sanitas festina prosequitur, lethalis crusta dissoluitur, ita vt vermibus cum sanie profluentibus omnis ille noxius tumor resideret. Sed quia hiatus vlcerum fædus & patulus erat, præcepit eam vsque ad integram sanitatem curialibus stipendiis sustentari. Verum ante septimanam exactam, ita obductis cicatricibus venusta cutis rediit, vt nihil præteriti morbi discerneres. Post annum quoque geminam prolem enixa, sanctitatis Eduardi miraculum auxit. Multotiens eum hanc pestem in Normannia sedasse ferunt, qui interius eius vitam nouerunt. Vnde nostro tempore quidam falsam insumunt operam, qui asseuerant istius modi curationem non ex sanctitate, sed ex regalis prosapiæ hereditate fluxisse. Cæcatus quidam, quo incommodo incertum, rumorem frequentem in curia seuerat, salutem se recepturum, si aqua ex ablutione manuum Regis oculos tangeret. Id ad se delatum non paucis nunciis ille riserat, referentes rugato aspectu insectatus. Peccatorem se esse: opera sanctorum virorum sibi non conuenire. Verum ministri non negligendum arbitrati, eo nesciente, sed in ecclesia orante, somnio credulitatem faciūt. Namque confestim vt lotus est aqua, diuturnis tenebris exulantibus, lux tempestiua orbes impleuit. Læto fragore plaudētium suscitato, rex causam percunctatus edidicit. Moxque certitudine visus eius comperta, quod scilicet digitos suos in oculos sanati intentans, illum reducto capite cauere cerneret, gratias Deo porrectis in cœlum manibus egit. Eodem modo sanauit cæcum quendam Linconiæ, qui multis annis superuixit, regalis index miraculi.

ET vt perfectam viri in hoc præsertim potentiam cognoscas, subiiciam quod mireris. Vlvvinus quidam cognomento Spillicorn, filius Vlmari de Nutegaresbele, qua-

dam die in silua Bruhelde ligna cędens, dum diutino post laborem sopori indulsisset, sanguine, vt credo, circa oculos coagulato, visum .XVII. annis amiserat: Quibus euolutis, somnio edoctus LXXXVII. Ecclesias circuiuit, remedium sanitatis efflagitans: Postremo ad regis curiam veniens, vestibulum cameræ, aduersantibus cubiculariis, frustra diu triuit, sed perstitit improbus pulsator, donec ægre admodum, rege ipso iubente, admissus est. Audiens quippe somnium, innocue responderat; per dominam meam sanctam Mariam, multum graue feram, si Deus noluerit per me misero misereri. Itaque quamquam nihil de miraculis auderet, coactus a ministris cum aqua cæco manum imposuit, confestimque sanguine ex oculis vbertim fluente, clamorem alacrem sanatus produxit: Video te Rex, video te Rex: Ita videns regali palatio multis temporibus apud Windelsoras, nam ibi curatus fuerat, præfuit, sanatoris annos longęuitate vitæ transcendens.

IPSO die ex eadem aqua tres cæci, & vnus monoculus, qui regali eleemosyna pascebantur, sanati sunt, ministris plena fide liquorem salutiferum largientibus.

DIE sancti paschæ ad mensam apud Westmonasterium assederat, diademate fastigatus, & optimatum turma circumuallatus, cumque alij, longam quadragesimæ mediam recentibus cibis compensantes, acriter comederent, ille a terrenis euocato animo, diuinum quiddam speculatus, mentes conuiuantium permouit ampliorem effusus in risum; nulloque causam lætitiæ perquirere præsumente, tunc quidem ita tacitum, donec edendi satietas obsoniis finem imposuit: sed remotis mensis, cum in triclinio regalibus exueretur, tres optimates eum prosecuti, quorum vnus erat Haroldus, secundus Abbas, tertius Episcopus, familiaritatis ausu interrogant quare riserit; Mirum omnibus, nec immerito, videri, quare in tanta seri ætate diei, & negotij, tacentibus ceteris, scurrilem cachinnum eiecerit: Stupenda, inquit, vidi, nec ideo sine causa risi. Tum illi, vt moris est humani ingenij, sciscitari & quærere causam ardentius, vt supplicibus dignanter rem impertiatur. Ille multum cunctatus, tandem instantibus mira respondit: septem dormientes in Cœlio monte requiescere, iam ducentis annis in dextro iacentes latere, sed tunc ipsa hora risus sui latus inuertisse sinistrum: Futurum vt septuaginta quatuor annis ita iaceant, dirum nimirum mortalibus omen. Nam omnia ventura in his septuaginta quatuor annis, quæ dominus circa finem mundi prędixit discipulis suis: gentem cōtra gentem surrecturam, & regnum aduersus regnum, terræmotus per loca, pestilentiam, & famem, terrores de cælo, & signa magna, regnorum mutationes, gentilium in Christianos bella, item Christicolarum in paganos victorias. Talia mirantibus inculcans, passionem VII. dormientium, & habitudines corporum singulorum, quas nulla docet littera, ita promte disseruit, ac si cum eis cotidiano victitaret contubernio. His auditis, comes militem, Episcopus clericum, Abbas monachum, ad veritatem verborum exsculpendam Manicheti Constantinopolitano misere, adiectis Regis sui litteris & muneribus. Eos ille benigne secum habitos Episcopo Ephesi destinauit, epistola pariter, quam sacram vocant, comitante, vt ostenderentur legatis Angliæ, VII. dormientium materiales exuuiæ: Factumque est; & vaticinium Regis Eduardi Græcis omnibus comprobatum, qui se a patribus accepisse iurarent super dextrum illos latus quiescere, sed post introitum Anglorum in speluncam, veritatem peregrinæ prophetiæ contubernalibus suis prædicarent. Nec mora, festinatio malorum fecit, quin Agareni, & Arabes, & Turci, alienæ scilicet a Christo gentes, Siriam & Lyciam, & minorem Asiam omnino, & maiores multas vrbes, inter quas & Ephesum, ipsam etiam Hierosolymam depopulati, super Christianos inuaderent. Tunc etiam mortuo Manichete, Constantinopolitano Imperatore, Diogenes & Michaelius, Bucinatius & Alexius vicissim se de imperio præcipitauerunt. Quorum vltimus ad nostra tempora vsque durans, Iohannem filium reliquit heredem, astutia & fraudibus quam probitate notior, multa noxia in peregrinos sacræ fidei machinatus: Anglorum tamen fidem suspiciens, præcipuis familiaritatibus suis eos applicabat, amorem eorum filio transcribens. His VII. annis proximis, tres Papæ, Victor, Stephanus, Nicolaus, Apostolatus vigorem continuis mortibus labefactarunt.

E vestigio quoque Henricus Pius Romanorum Imperator defunctus successorem Henricum filium habuit, qui multas oppressiones orbi Romano fatuitate nequitiaq; sua intulit. Eodem anno Henricus Rex Francorum miles strenuus & bonus, potionis haustu interiit. Non multo post cometes, stella, vt ferunt, mutationem regni portendens, longos & flammeos crines per mane ducens apparuit. Vnde pulchre quidam monasterij nostri monachus, Egelmerus nomine, viso coruscantis astri terrore, congemiscens, venisti, inquit, venisti, multis matribus lugende. Dudum est quod te vidi vibrantem. Is erat litteris, quantum ad id tempus, bene imbutus, æuo maturus, immanem audaciam prima iuuentute conatus. Nam pennas manibus & pedibus, haud scio qua innexuerat arte, vt Dædali more volaret, fabulam pro vero amplexus, collectaque e summo turris aura, spatio stadij & plus volauit: sed venti & turbinis violentia, simul & temerarij facti conscientia cecidit, perpetuo post hæc debilis, & crura effractus. Ipse ferebat causam ruinæ, quod caudam in posteriore parte oblitus sit.

SIMILEM huic prophetiam Eduardus moriens exhibuit, quam per anticipationem hic dicam. Cum enim biduo elinguis iacuisset, die tertio per soporem grauiter & profunde suspirans; Deus, inquit, omnipotens, si non est phantastica illusio, sed verax visio quam vidi, da mihi facultatem eam astantibus exponendi, aut e conuerso. Ita mox expedita loquela, Duos, inquit, modo vidi monachos mihi assistere, quos adolescens olim in Normannia videram religiosissime vixisse, & Christianissime obisse. Hi se Dei nuncios præfati, talia ingessere: quoniam primores Angliæ duces, Episcopi, & Abbates, non sunt ministri Dei, sed diaboli, tradidit Deus hoc regnum post obitum tuum anno vno, & die vno in manu inimici, peruagabunturque dæmones hanc totam terram. Cumque ego hæc me ostensurum populo dicerem; illum pœnitentia facta liberandum, præmisso exemplo Niniuitarum, promitterem: Neutrum, aiunt, erit, quia nec ipsi pœnitebunt, nec Deus eis miserebitur. Et quando inquam tantarum calamitatum remissio sperari poterit? Tunc, inquiunt, quasi si arbor viridis succidatur in medio, & pars abscissa deportetur a stipite trium iugerum spacio, cum sine quolibet adminiculo, suo iterum connexa trunco, ceperit & floribus pubescere, & fructus ex coalescentis succi amore pristino, tunc demum poterit sperari taliũ malorum remissio.

DE Wilhelmo Rege scripserunt diuersis incitati causis, & Normanni & Angli: Illi ad nimias efferati sunt laudes, bona malaque iuxta in cælum prædicantes: Isti pro gentilibus inimicitiis, fædis Dominum suum proscidere conuitiis: Ego autem, quia vtriusque gentis sanguinem traho, dicendi tale temperamentum seruabo, bene gesta quantum cognoscere potui, sine fuco palam efferam, perperam acta quantum sciri necessarium erit, leuiter & quasi transeunter attingam, vt nec mendax culpetur historia, nec illum nota inuram censoria, cuius cuncta pene etsi non laudari, excusari certe possunt opera. Itaque de illo talia libenter narrabo, quæ sint inertibus incitamento, promptis exemplo, vsui præsentibus, iocunditati sequentibus. Verum in his protrahendis non multum temporis expendam impendium, quæ nulli emolumentum, immo legenti fastidium, scribenti pariant odium. Satis superque sufficiunt, qui gemino molari facta bonorum lacerent. Mihi hæc placet prouidentia, vt mala quantum queo sine veritatis dispendio extenuem, bona non nimis ventose collaudem. De qua moderatione, vt æstimo, veri qui erunt arbitri, me nec timidum, nec inelegantem pronuntiabunt. Hoc itaque non solum de Wilhelmo, sed & de duobus filiis eius stylus obseruabit, vt nihil nimie, nihil nisi vere dicatur. Quorum primus parum quod laudetur egit, præter primos regni dies, tota vita damno prouincialium comparans militem. Secundus patri quam fratri morigeratior, inuictum animum inter aduersa & prospera rexit. Cuius si expeditiones attendas, ignores cautior an audacior fuerit: Si fortunas aspicias, hæsites beatior, an boni euentus indigentior fuerit, sed de talibus tempus erit, cum lector arbitretur. Nunc tertium volumen incepturus, satis egisse reor, vt attentum & docilem facerem: Ipse sibi benigne persuadebit, vt beniuolus sit.

LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

ROBERTVS alter filius Richardi secundi, postquam VII. annis gloriose ducatum Normāniæ tenuit, Hierosolymam peregre mentem appulit. Habebat tunc filium septennem ex concubina susceptum: Cuius speciem in choreis saltantis forte conspicatus, non abstinuit quin sibi nocte coniungeret; deinceps vnice dilexit, & aliquandiu iustæ vxoris loco habuit: puer ex ea editus, Wilhelmus a nomine abaui dictus; cuius magnitudinem futuram matris somnium portendebat, quo intestina sua per totam Normanniam & Angliam extendi, & dilatari viderat: ipso quoque momento, quo partu laxato in vitam effusus pusio humum attigit, ambas manus iunco, quo pauimenti puluis cauebatur, impleuit, stricte quod corripuerat compugnans. Ostensum visum est mulierculis, læto plausu gannientibus. Obstetrix quoque fausto omine acclamat puerum Regem futurum.

CAPVT II.

PARATIS ergo omnibus, quæ Hierosolymitani itineris viaticum informaret, apud Fiscannum concilium proceribus indicitur. Ibi, iubente patre, in nomen & fidem Wilhelmi ab omnibus iuratur. Gillebertus comes tutor pupilli cōstituitur, tutela tutoris Regi Francorum Henrico assignatur. Roberto ceptam viam expediente, Normanni omnes communi vmbone patriam per sua quisque munimenta tutari, paruum herum ex amore venerari: stetit hæc fides vsque ad famam obitus eius. Qua vbique gentium disseminata, cum fato mutatus amor: Mox quisque munire sua oppida, turres agere, frumenta comportare, causas aucupari, quibus quam primum a puero dissidium meditarentur: inter hæc ille (haud equidem reor sine Dei auxilio, qui eum tanto principaturum præuiderat imperio) tutus adolescebat, cum solus pene Gillebertus æquum & bonum armis defensitaret suis: Ceteri studiis partium agebantur. Iam vero interfecto Gilleberto a Radulfo patruele suo, vbique cædes, vbique ignes versabantur. Clarissima olim patria intestinis dissensionibus exulcerata, pro latronum libito diuidebatur, vt merito posset querimoniam facere: væ terræ, cuius Rex est puer. At vbi primum per ætatem potuit, militiæ insignia a Rege Francorum accipiens, prouinciales in spem quietis erexit.

CAPVT III.

Eo tempore erat comes Andegauorum Gaufredus, cognomento Martellus, quod ipse sibi vsurpauerat, quia videbatur sibi felicitate quadam omnes obsistentes contundere. Denique dominum suum comitem Pictauiensem aperto Marte cepit, ferreisque vinculis innodatum ad ignobilis pacis conditiones adduxit; vt Burdegala & confinibus eius cederet, de ceteris annuum vectigal pensitaret: sed ille, vt creditur, pro ferri iniuria, & ciborum inedia, beneficio opportunæ mortis, post triduum perpetuæ ignominiæ exemptus est. Tum Martellus, nequid deesset impudentiæ, nouercam defuncti matrimonio sibi copulauit, fratres in tutelam recipiens, quoad possent principatui regendo sufficere: mox Theobaldi Blesiensis comitis ingressus limites, vrbem Turonicam obsedit: Ipsum ciuibus suis auxilium ferre volentem, consortio ærumnæ implicuit: siquidem captus, & in ergastulo reclusus, vrbem sibi omnibusque suis heredibus in posterum abiurauit: pudendam miseriam hominis, qui dixerit, vt pro ambitione quantulumcunque vitę tantæ vrbis dominio successores suos perpetuo fraudaret: licet seueriores aliorum plerumque arbitri simus, quam ipsi nobis consulere nouerimus, si forte in talibus deprehensi fuerimus. Ita tantorum Martellus iurium augmento turgidus, etiam Normannum comitem Alentij castelli possessione vellicauit, pronis in

perfidiam

perfidiam habitatoribus: qua is irritatus iniuria, par pari retulit, & Danfrontum, quod erat tunc comitis Andegauorum, obsidione coronauit: Nec obsessorum querelis commonitus Gaufredus non segnis aduolat, innumero stipatus milite: Nuncio aduenientis accepto, Willelmus Rogerium de monte gometico & Wilhelmum filium Osberni exploratum mittit: illi pro alacritate viuente breui multa miliaria progressi, equitantemque Martellum conspicati, certiorem de domini sui audacia faciunt; ille contra fremere, immania minari, post triduum se illuc venturum, ostensurum mundo quam præstet in armis Andegauensis Normanno, simul eximia arrogantia colorem equi sui & armorum insignia, quæ habiturus sit, insinuat. At exploratores non minori fastu eadem de Wilhelmo denuntiantes regrediuntur, & suos in certamen accenderunt: Hæc ideo seriatim retuli, vt Martelli tumor legentibus elucesceret, ceterum tunc nihil de solita magnanimitate ausus: antequam in manus veniretur, terga ostendit; quo audito, Alentini se dedidere, pacti membrorum salutem: post etiam Danfrontini feliciora signa secuti sunt.

CAPVT IIII.

POSTERIORIBVS annis rebellauit Wilhelmus comes de Archis patruus eius, sed nothus, a primis auspiciis ducatus & infidus, & versipellis: nam & in obsidione Danfronti clam profugerat, & multis sæpe animi sui latebras aperuerat; quapropter Wilhelmus quibusdam, quos fideles arbitrabatur, firmitatem castelli commiserat. Verum ille astu, quo callebat, multa largiendo, plura pollicendo, in suas partes eosdem traduxit: Munitione igitur potitus, bellum domino suo denunciauit, ille solito more Archas alacerrime possedit, dissuadentibus amicis palam professus, nihil latrones ausuros, si in conspectũ eius venissent; nec promissio fide caruit: namque plusquam trecenti milites, qui pabulatum & populatum processerant, eo pene solo conspecto intra munitiones refugere: Dux sine sanguine rem peragere volens, offirmato contra Archas castello, ad alia, quæ magis vrgebant, bella conuersus est; simul quia sciebat regem Francorum, iam pridem, nescio qua simultate, sibi infensum, ad opem obsessis ferẽdam aduentare: Namque prædicandi moderaminis consilio, quamuis iustiorem causam habere videretur, cum eo decernere ferro cauebat, cui & pro sacramento, & pro suffragio obnoxius erat. Reliquit tamen primates aliquos, qui impetum regum tardarent; Quorum astutia insidiis exceptus, Isembardum Pontini comitem coram se obtruncari, Hugo Pardulfum capi merito ingemuit. Nec multo post; eo dulcem Franciam, quia res male cesserat, repetente; comes Archensis fame tabidus, & vix ossibus hærẽs, deditioni consensit, ad exemplum clemẽtiæ, ad indicium industriæ, vitæ & membris reseruatus. Huiusce obsidionis interuallis populus castri, quod Molẽdinis dicitur, exolescens, ad partes regis, incentore quodam Galterio, transiit: imponitur ibi non segnis militum manus, præfecto Vuidone fratre comitis Pictauensis: is aliquantis diebus sedulo militiæ munia exequutus est; verum, crebrescente fama Archensis victoriæ, Franciam elapsus, non leue incrementum accessit ducalis gloriæ.

CAPVT V.

NEC Rex Henricus otio indulsit, quin grunniret exercitus suos ludibrio fuisse Wilhelmo: coactis itaque omnibus viribus, & copiis bipertitis, totam inundauit Normanniam; ipse de parte Galliç Celtica, quç inter Garumnam & Sequanã fluuios iacet, quicquid militũ erat suo ductu trahens; Odonem fratrem populo Galliæ Belgicæ, quæ est inter Rhenum & Sequanam, præficiens. Eodẽ modo Wilhelmus suos, qua poterat animositate, diuisit, iuxta Regis castra sensim obambulans, quæ iam in Ebroicensi pago metabantur, vt nec cominus pugnandi copiam faceret, nec prouinciã coram se vastari sineret. Duces eius Robertus comes Aucensis, Hugo Gornacensis, Hugo Montisfortis, Wilhelmus Crispinus, ad castellum, quod Mortuum mare vocatur, infestis signis contra Odonem consistere: Nec ille pro numero militum, quo tumebat, moram pugnæ fecit; sed parumper resistere ausus, mox impetum Normannorũ non ferens, terga nudauit; omen fugæ primus auspicatus: Ibi Guido Põtini comes, studiosius vltioni fratris

intēdit; captus fatalē familiæ suæ manū exhorruit, Præterea plures alij præcellētes opibus, turgentes maiorū natalibus: Hūc successum ex aduentantibus cognitum, Wilhelmus circū regis tentoria nocte intempesta præconari curauit: quo audito, post aliquos dies, quos in Normannia egit, refugit in Franciam; nec multo post tempore, discurrentibus vtrobique nunciis, pacifice conuentum, vt Regij captiui absoluerentur; comes erepta vel eripienda Martello iure vendicaret legitimo.

CAPVT VI.

LONGVM est & non necessarium referre quantæ inter eos contentiones versatæ sunt; quomodo Wilhelmus semper superiorem manum retulerit: quid quod inæstimabili præsumtione fortitudinis, numquam subito, nec nisi pronuntiata die illum aggredi dignatus, nostri temporis morem animi magnitudine contemserit? Illud quoque prætereo, quod iterum ruptis amicitiis Rex Henricus Normanniam ingressus, per pagum Oximensem vsque ad fluuium Diuæ peruenerit; iactans solum Oceanum progressioni suæ esse obstaculum: Verum Wilhelmus, qui se viderat propter dissimulationem immoderate premi, tunc tandem consciæ virtutis arma concutiens, Regias copias quæ citra flumen (nam pars paulo ante, eius aduentu audito, transuadauerat) tanta interneccione cæcidit, vt nihil postea Francia plus timeret, quam Normannorum ferociam irritare: Terminum discordiarum fecit properata mors Henrici; nec multo post Martelli: Rex moriens Balduino, comiti Flandriæ, tutelam admodum paruuli Philippi filij delegauit: Is erat fide & sapientia æque mirandus, membris præuiridantibus incanus; præterea regiæ sororis conubio sublimis. Filia eius Mathildis Wilhelmo iamdudum nupserat; femina nostro tempore singulare prudentiæ specimen, pudoris culmen: Hinc factum est, vt pupilli & generi mediator, tumores ducum & prouincialium salubri proposito compesceret.

CAPVT VII.

SED quia totiens Martelli se occasio ingessit, genealogiam comitum Andegauensium, quantū relatoris nostri memoria attigit, transcurram; præfata diuerticuli venia. Fulco antiquior, pluribus annis vsq; ad senium illū moderatus comitatum, multa fecit industrie, multa egregie: Vnū omnino est, quo eum notari audierim, quod Herbertum comitem Cenomannensem, Sanctonas sponsione vrbis illectum, in medio colloquio ab apparitoribus artari, & quibus placuit conditionibus irretiri fecit; Cetera sanctus & integer: extremis fere annis filio, sæpedicto, Gaufredo principatu viuens cessit. Ille in prouinciales immane, quam dure in ipsum collatorem honoris, quam superbe actitās, iussusque magistratus & fasces deponere, adeo sibi arrogauit, vt contra patrem arma sumeret. Tunc senis frigidus iam & effætus sanguis ira incaluit, filiumque iuueniliter insultantē paucis diebus maturiori consilio adeo infregit; vt per aliquot miliaria sellam dorso euehens, pronum se cum sarcina ante pedes patris exponeret. Ille, cui vetus animositas adhuc palpitaret, assurgens, & pede iacentem pulsans: Victus es tandem, victus, ter quaterque ingeminat. Superfuit victo spiritus, & quidē egregius, vt responderet: Tibi pater soli, quia pater es, victus; ceteris omnibus inuictus sum. Hoc relatu tumentis animus emollitus, patriaque pietate verecundiam prolis consolatus, principatui restituit, monitum vt maturius se ageret: Prouincialium fortunas, & pacem, suum esse decus ad extraneos, commodum ad domesticos. Eodem anno veteranus, & secularibus stipendiis emeritus, iam de animæ viatico cogitans, Hierosolymam adiit: Ibi a duobus seruis sacramēto adactis, vt quod iuberet facerēt, per publicum ad sepulchrum Domini nudus, inspectantibus Turcis, tractus est: Alter restem lineam collo eius intorserat; alter flagris terga exspoliati vrgebat. Inter hæc ille clamabat: Acci Domine miserum Fulconem periurum tuum, fugitiuum tuum; confessam dignare animam Domine Iesu Christe: Nec tamen quod desiderabat tunc impetrauit; sed domum placide regressus post aliquot annos obiit. Filij eius Gaufredi præruptam audaciam superior narratio patefecit: Is moriens Gaufredo, sororis filio, hereditatem suam contradidit; sed industriam seculi transfundere non potuit. Nam ille simplicium morum iuuenis,

magis

magis in Eccleſiis orare, quam arma tractare conſuetus, homines regionis illius, qui quiete victitare neſcirent, in contemptum ſui excitauit: Quare tota terra prædonibus expoſita, Fulco frater illius vltro Ducatum corripuit. Fulco, Rechin dictus, quod germani ſimplicitati crebro infrendens, ad vltimum honore ſpoliatum, perpetua custodia coercuerit. Habuit vxorem, quæ pruritu altioris nominis allecta, illo relicto, Philippo Regi Francorum nupſit; quam is, immemor dicti: Non bene conueniunt, nec in vna ſede morantur Maieſtas & amor: tanta Venere ardebat, vt cum imperare omnibus aliis cuperet; ab ea ſibi imperari æquanimiter ferret. Denique omnium digitis quaſi fatuus notari, ab omni orbe Chriſtiano excommunicari, propter eius libidinem, aliquantis annis ſuſtinuit. Filij Fulconis fuerunt Geffridus & Fulco. Geffridus cognomen Martelli hereditarium ſortitus, ſuis ſudoribus ampliauit; tanta pace & quiete per terras illas parta, quantam nemo viderit, nemo viſurus ſit. Quapropter ſuorum inſidiis necatus, egregiæ probitatis decus luit. Fulco, vi ſuccedens, regimine adhuc in rebus humanis verſatur. De quo forſitan tempore regis Henrici dicturus; nunc de Wilhelmo explanabo quod reſtat.

CAPVT VIII.

Ille, vbi ciuile diſſidium multo exercitio compoſuit, rem maioris gloriæ animo ſequens, terras olim Normanniæ appendices, quæ longo vſu inſoluerant, reſtituere intendit; Cemomannicum, dico, comitatum, & Britanniam. Quorum Cenomannis dudum a Martello ſuccenſa, & domino ſuo Hugone priuata, tunc nuper aliquantum ſub Herberto Hugonis filio reſpirauerat: Qui vt tutior contra Andegauenſem eſſet, Wilhelmo ſe manibus dediderat; in eius fidelitatem ſacramento iuratus. Præterea filiam ipſius petierat & deſponderat, quæ priuſquam nubilibus annis matura fieret, ille morbo deceſſit; heredem ſibi Wilhelmum pronuntians, adiuratis ciuibus ne alium ſuſciperent; habituri, ſi vellent, lenem & probum dominum; ſi nollent, recti ſui exactorem immodicum. Quo defuncto, Cenomannenſes magis ad Galterum Medantinum declinantes, cui ſoror Hugonis nupſerat, ſero tandem, vt Wilhelmum ſuſciperent, reſpuere, grauibus ſæpe damnis admoniti. Illud fuit tempus, quo Heroldus inuitus Normanniam importuna ſibi aura euectus eſt; quem, ſicut ſupradictum eſt, Wilhelmus in Britannicam expeditionem duxit, volens manum eius explorare; ſimul & ſtrictiori conſilio apparatum oſtentans ſuum, conſpicaturo quantum præſtaret Anglicis bipennibus, enſis Normannicus. Alanus tunc ibi comes viridis iuuenta, & præcellens robore, Eudonem patruum vinxerat, multa egregie fecerat; Wilhelmum non ſolum non timebat, ſed & irritabat. At ille Britanniam vt hereditarium ſolum calumnians, quod eam Carolus Rolloni cum filia Giſla dederat; breui effecit, vt vltro Alanus adueniens, ſuppliciter ſe ſuaque dederet: ſed, quia de Britannia parum alias dicturus ſum, hic quoddam miraculum, quod illis ferme diebus in Nannetis contigit, paucis referam.

CAPVT IX.

Erant in vrbe duo clerici, nondum patientibus annis preſbyteri: Id officium magis precario, quam bonæ vitæ merito, ab Epiſcopo loci exegerant. Denique alterius miſerandus exitus ſuperſtitem inſtruxit, quam fuerint antea in inferni lapſum ambo præcipites: Ceterum, quod ad ſcientiam litterarum intendit, ita edocti; vt aut parum aut nihil deberent ipſis artibus. A reptantibus infantiæ rudimentis adeo iocundis amicitiæ officiis æmuli, vt, iuxta comici dictum, manibus pedibuſque conando, periculum etiam, ſi neceſſe eſſet, capitis pro inuicem facerent: Quare die quadam liberiorem animum a curis forenſibus nacti, in ſecreto conclaui huiuſcemodi ſententias fudere: Pluribus annis ſe nunc litteris, nunc ſeculi lucris, mentes exercuiſſe, nec ſatiaſſe, magis ad diſtortum quam ad rectum intentas; inter hæc illum acerbum diem ſenſim appropinquare, qui ſocietatis ſuæ inextricabile in vita vinculum diſrumperet; vnde præueniendum mature, vt fides quæ conglutinauerat

viuentes, primo mortuum comitaretur ad manes. Paciscuntur ergo vt quisquis eorum ante obiret, superstiti, vel dormienti vel vigilanti, appareret intra triginta, procul dubio, dies: Si fiat: edocturus, quod, secundum Platonicos, mors spiritum non extinguat, sed ad principium sui Domini tanquam e carcere emittat: sin minus; Epicureorum sectæ concedendum, qui opinantur animam corpore solutam, in aerem euanescere, in auras effluere: Ita data acceptaque fide cotidianis colloquiis, sacramentum frequentabant: Nec multum in medio; & ecce mors repentina imminens, indignantem halitum vni eorum violenter extraxit: Remansit alter; & serio de socij sponsione cogitans, & iamiamque affuturum præstolans, cassa opinione triginta diebus ventos pauit: quibus elapsis; cum desperans aliis negotiis aduocasset animum; astitit subito vigilanti, & quiddam operis molienti, vultu qualis solet esse morientium, anima fugiente exanguis: Tum tacentem viuum prior mortuus compellans; Agnoscis me, inquit? Agnosco, respondit; & non tantum de insolita tua turbor præsentia, quantum de diuturna miror absentia: At ille vbi tarditatem aduentus excusauit, tandē ait; Tandem expeditis nexibus venio, sed aduentus iste tibi, si voles, amice, erit commodus; mihi omnino infructuosus: quippe qui pronunciata & acclamata sententia sempiternis sum deputatus suppliciis: Cumque viuus, ad ereptionem mortui, omnia sua monasteriis & egenis expensurum, seque dies & noctes ieiuniis & orationibus cōtinuaturum promitteret: fixum est, inquit, quod dixi; quia sine pænitentia sunt iudicia Dei, quibus in sulphuream voraginem inferni demersus sum; ibi, dum rotat astra polus, dum pulsat littora pontus, pro criminibus meis voluar: Inflexibilis sententiæ manet rigor. Tum æterna & innumera pœnarum genera comminiscens; totus, ait, modo mundus valitura remedia exquirat. Et vt aliquam experiaris ex meis innumerabilibus pœnis, protendit manum anioso vlcere stillantem, & en, ait, vnam ex minimis; videturne tibi leuis? Cum leuem sibi videri referret; ille curuatis in volam digitis tres guttas defluentis tabi super eum iaculatus est; quarum duæ tempora, vna frontem, contingentes, cutem & carnem, sicut ignito cauterio, penetrarunt, foramen nucis capax efficientes: Illo magnitudinem doloris clamore testante; Hoc, inquit mortuus, erit tibi quantum vixeris, & pœnarum mearum graue documentum; &, nisi neglexeris, salutis tuæ singulare monimentum. Quapropter dum licet, dum nutat ira, dum pendula Deus te operitur clementia; muta habitum, muta animum, Redonis monachus effectus apud sanctum Melanum. Ad hæc verba viuo respondere volente, alter eum oculi vigore perstringens; si dubitas, inquit, miser conuerti, lege litteras istas; & simul cum dicto manum expandit tetricis notis inscriptam, in quibus Satanas & omne inferorum satellitium gratias omni Ecclesiastico cætui de tartaro emittebant, quod cum ipsi in nullo suis voluptatibus deessent, tum tantum numerum subditarum animarum paterentur ad inferna descendere prædicationis incuria, quantum nunquam retroacta viderunt secula. His dictis loquentis aspectus disparuit; & audiens, omnibus suis per Ecclesias & egenos distributis, sanctum Melanum adiit, omnes audientes & videntes de subita conuersione & illustri conuersatione admonens; vt dicerent, Hæc mutatio dexteræ Excelsi.

CAPVT X.

Ista pro vtilitate legentium me inseruisse non piguit: nunc de Wilhelmo loquar. Nam quia breuiter, nec vt puto inutiliter, res quas dumtaxat comes in Normannia annis xxx. actitarit, percurri: modo aliud narrandi exordium ordo temporum flagitat, vt de regno eius, quantū nostra sciscitatio penetrare potuit, mendacium arguam; veritatem pronuntiem. Rex Eduardus fato functus erat; Anglia dubio fauore nutabat, cui se rectori committeret incerta, an Heroldo, an Wilhelmo, an Edgario: Nam & illum, pro genere proximum regno, proceribus Rex commendauerat, tacito scilicet mentis iudicio, sed prono in clementiam animo: Quare, vt prædixi, Angli diuersis votis ferebantur, quamuis palam cuncti bona Heroldo imprecarentur. Et ille quidem diademate fastigatus, nihil de pace inter se & Wilhelmum cogitabat, liberatum se sacramento asserens, quod filia eius quam desponderat, citra nubiles annos obierat. Fertur enim vir ille

ille non paucis virtutibus præditus, parum aduersus perfidiam sibi consuluisse, dummodo posset quibuscunque præstigiis hominum ratiocinationes suspendere: Præterea qui putaret minas Wilhelmi nūquam ad factum erupturas, quod ille conterminorum ducum bellis implicaretur, totum animum otio cum subiectis indulserat. Nam profecto, nisi quod Regem Noricorum aduentare didicit, nec militem conuocare, nec aciem dirigere dignatus fuisset. Alter interea illum per nuncios leuiter conuenire, de rupto fœdere expostulare, precibus minas insuere: sciret se ante annum emensum ferro debitum vindicaturū: illum iturū, vbi Heroldus tutiores se pedes habere putaret. Cōtra ille, quę dixi de puellę nuptiis, referēs, de regno, addebat prēsumtuosum fuisse, quod absq; generali senatus & populi conuentu & edicto alienam sibi hereditatē iurauerit: proinde stultū sacramentū frangendū: Nam si iusiurandum & votū, quod puella in domo patris, nesciis parentibus, de suo corpore volens fecerit, iudicatur irritum; quanto magis quod ille sub Regis virga constitutus, nesciente omni Anglia, de toto regno necessitate temporis coactus impegerit, videatur non esse ratum. Præterea iniquum postulatu, vt imperio cedat, quod tanto fauore ciuium regendum susceperit. hoc vero prouincialibus gratum, nec militibus tutum. Ita reuertebantur inanes nuncij, vel veris, vel veri similibus argumentis præstricti. Sed comes toto illo anno bello necessaria expediebat; largis sumtibus milites suos continebat, alienos inuitabat; ordines aciesq; ita instituebat, vt milites proceri corpore, præcellentes robore essent; Duces & ante signani præter scientiam rei militaris, etiam consilij & ætatis maturitate pollerent, vt si singulos vel in acie vel alibi cerneres, non proceres, sed Reges putares. Ita Episcopi & abbates, illius tēporis, religione; ita optimates magnanima liberalitate certabant: vt mirum sit quod nondum sexaginta annis euolutis, vtraque turba abortiuum bonitatis effecti, iurata bella contra iusticiā susceperunt: Illi pro ambitione sacrorum magis distortū, quam æquum & bonū amplectētes: isti reiecto pudore, vndecumq; captatis occasionibus, compendia pecuniarū, velut cotidianam stipem, emendicantes. Verū tunc Dei prouidentia cū Wilhelmi industria cōsentiens: iam spe Angliam inuadebat. Et ne iustam causam decoloraret, ad Apostolicum, qui ex Anselmo Lucensi Episcopo Alexander dicebatur, misit; iusticiam belli quantis poterat facundiæ neruis allegans. Heroldus id facere supersedit; vel quod turgidus natura esset, vel quod causæ diffideret, vel quod nuntios suos a Wilhelmo & eius complicibus, qui omnes portus obsidebant, impediri timeret. Quare, perpensis vtrimque partibus, Papa vexillum in omen regni Wilhelmo contradidit: Quo ille accepto, conuentū magnatū apud Lillebonam fecit; super negotio singulorum sententias sciscitatus. Cumque omnes eius voluntatē plausibus excipiētes, magnificis promissis animassent, cōmeatum nauiū omnibus pro quātitate possessionū indixit. Ita tunc discessum, & mense Augusto ad sanctū Walericum in cōmune ventum: Portus ita dicitur. Congregatis vndecumque nauibus, fœlix expectabatur aura, quæ illas ad destinatum eueheret: Qua multis diebus remorante, vulgus militum, vt fieri solet, per tabernacula mussitabat; Insanire hominem, qui vellet alienum solum in ius suum transfundere; Deum contra tēdere, qui ventū arceret. Idem patrem voluisse, eodemque modo inhibitum. Fatale illi familiæ esse, vt altiora viribus spirans Deum aduersantem experiatur. Ista per publicum ferebantur, quæ possent fortium robur eneruare. Dux itaque, facto cum senioribus cōsilio, corpus sancti Walerici foras efferri, & pro vēto deprecando subdiuo exponi iussit: Nec mora intercessit, quin prosper flatus carbasa impleret: Tūc lætus clamor exortus, omnes ad naues inuitauit: comes ipse a continenti primus in altū prouectus, ceteros, in medio fere mari, ancoris iactis, sustinuit. Omnibus itaque ad prætoriæ puppis vermiculatum velum conuolantibus, post cibū sumtū placido cursu Hastingas appulerūt: In egressu nauis pede lapsus, euentū in melius cōmutauit, acclamāte sibi proximo milite: Tenes, inquit, Angliam comes, Rex futurus. Omnem exercitum a præda continuit, parcendum rebus, quæ suæ forent, prælocutus, continuisque XV. diebus adeo se quiete agens, vt nihil minus quam bellum cogitare videretur.

CAPVT XI.

INTEREA Heroldus de pugna Noricorū reuertebatur, sua æstimatione felix quod

vicerat: meo iudicio contra; quod parricidio victoriam compararat: allatoque ad se nuntio aduentus Normannici, sicut erat cruentus in armis, paucissimo stipatus milite, Hastingas pertendit. Præcipitabant eum nimirum fata: vt nec auxilium conuocare vellet, nec si vellet, multos parituros inueniret. Ita vt ante dixi omnes illi erant infensi, quod solus manubiis Borealibus incubuerat. Præmisit tamen, qui numerum hostium & vires specularentur. Quos intra castra deprehensos, Wilhelmus circa tentoria duci: moxque largis eduliis pastos, domino incolumes remitti iubet. Redeuntes percunctatur Heroldus, quid rerum apportent. Illi verbis amplissimis ductoris magnificam confidentiam prosecuti: serio addiderunt pene omnes in exercitu illo presbyteros videri, quod totam faciem cum vtroque labio rasam haberent. Angli enim superius labrum pilis incessanter fruticantibus intonsum dimittunt: quod etiam gentilitium antiquis Britonibus fuisse, Iulius Cæsar asseuerat in libro belli Gallici. Subrisit Rex fatuitatem referentium, lepido insecutus cachinno, quia non essent presbyteri, sed milites armis validi, animis inuicti. Rapuit ergo ex ore ipsius sermonem Gurtha frater plus puero adultus, & magnæ vltra ætatem virtutis & scientiæ: cum, inquit, tantam fortitudinem prædices, indeliberatum existimo cum illo confligere, quo inferior robore & merito habearis. Nec enim ibis inficias, quin illi sacramentum vel inuitus, vel voluntarius feceris. Proinde consultius ages, si instanti necessitati te subtrahens, nostro periculo colludium pugnæ temtaueris: Nos omni iuramento expediti ferrum pro patria sumemus: Timendum ne si ipse decertes, vel fugam, vel mortem ineas: Sed nobis solis præliantibus causa tua vtrobique in portu nauigabit, quia & fugientes restituere, & mortuos vlcisci poteris.

NOLVIT effrenata temeritas aurem placidam monenti accommodare, existimãs inglorium & anteactæ vitæ opprobrium, cuicumque discrimini terga nudare: Eademque impudentia, vel, vt indulgentius dicam, imprudentia, monachum Wilhelmi legatum, nec bono vultu dignatus, turbide abegit: Asserebat ille tria; vt vel regno secundũ conditiones descenderet, vel sub eo regnaturus teneret, vel certe spectante vtroque exercitu gladio rem vẽtilarent. Calũniabatur enim Wilhelmus regnum, quod Rex illi Eduardus concesserat, consilio Stigandi Archiepiscopi, & Goduini & Siuardi comitum, eiusque domi obsides filium & nepotem Goduini in Normanniam miserat: si id negare velit Heroldus, iudicio sedis Apostolicæ, vel prælio acturum: Quibus omnibus solo, quod dixi, nuncius frustratus respõso discessit, suisque ad dimicandum promptiores animos dedit. Ita vtrimque animosi duces disponunt acies, patrio quisque ritu: Angli, vt accepimus, totam noctem insomnem cantibus, potibus ducentes, mane incunctanter in hostem procedunt, pedites omnes, cum bipennibus, conserta ante se scutorum testudine, impenetrabilem cuneum faciunt: Quod profecto illis ea die saluti fuisset: nisi Normanni simulata fuga more suo consertos manipulos laxassent: Rex ipse pedes iuxta vexillum stabat cum fratribus: vt in commune periculo æquato nemo de fuga cogitaret: Vexillum illud post victoriam Papæ misit Wilhelmus, quod erat in hominis pugnantis figura, auro & lapidibus arte sumtuosa contextum.

E contra Normanni, tota nocte confessione peccatorum vacantes, mane dominico corpori communicarunt: Pedites cum arcubus & sagittis primam frontem muniunt, equites aliis retro diuisis consistunt. Comes vultu serenus & clara voce suę parti, vtpote iustiori, Deum affuturum pronuntians, arma poposcit. Moxq; ministrorum tumultu loricam inuersam indutus, casum risu correxit: vertetur, inquiens, fortitudo comitatus mei in regnum: Tunc cantilena Rolandi inchoata, vt Martium viri exemplum pugnaturos accenderet, inclamatoque Dei auxilio prælium consertum; Bellatumque acriter neutris in multam diei horam cedentibus: Quo comperto Wilhelmus innuit suis, vt ficta fuga campo se subtraherent. Hoc commento Anglorum cuneus solutus, quasi palantes hostes a tergo cæsurus, exitium sibi maturauit. Normanni enim conuersis ordinibus reuersi dispersos adoriuntur, & in fugam cogunt. Ita ingenio circumuenti, pulchram mortem pro patriæ vltione meruere: Nec tamen vltioni suæ defuere, quin crebro cõsistentes de insequentibus insignes cladis aceruos facerẽt: Nam occupato tumulo, Normannos calore succensos acriter ad superiora nitentes, in

vallem

vallem deiiciunt, leuique negotio in subiectos tela torquentes, lapides rotantes, omnes ad vnum fundunt. Item fossatum quoddam præruptum compendiario & noto sibi transitu euadentes, tot ibi inimicorum conculcauere, vt cumulo cadauerum planiciem campi æquarent. Valuit hęc vicissitudo modo illis modo istis vincentibus, quantum Haroldi vita moram fecit. At vbi iactu sagittæ violato cerebro procubuit, fuga Anglorum perennis in noctem fuit: emicuit ibi virtus amborum ducum. Haroldus non contentus munere Imperatorio, vt hortaretur alios, militis obsequium sedulo exequebatur: sæpe hostem cominus venientem ferire, vt nullus impune accederet, quin statim vno ictu equus & eques prociderent. Quapropter, vt dixi, eminus letali arundine ictus, mortem impleuit; iacentis femur vnus militum gladio proscidit, vnde a Vilhelmo ignominiæ notatus, quod rem ignauam & pudendam fecisset, militia pulsus est. Item Wilhelmus suos clamore & præsentia hortari: ipse primus procurrere: hostes inuadere: ideo dum vbique sæuit, vbique infrendet, tres equos lectissimos sub se confossos ea die amisit. Perstitit tamen magnanimi ducis & corpus & animus, quamuis familiari susurro a custodibus corporis reuocaretur, perstitit, inquam, donec victoriam plenam superueniens nox infunderet. Et proculdubio diuina illum manus protexit, vt nihil sanguinis ex eius corpore hostis hauriret, quamquam illum tot iaculis impeteret.

CAPVT XII.

Ille fuit dies fatalis Angliæ, funestum excidium dulcis patriæ, pro nouorum dominorum commutatione. Iam enim pridem moribus Anglorum insueuerat, qui varij admodum pro temporibus fuere. Nam primis aduentus sui annis vultu & gestu barbarico, vsu bellico, ritu fanatico viuebant, sed postmodum Christi fide suscepta, paulatim & per incrementa temporis, pro otio quod actitabant, exercitium armorum in secundis ponentes, omnem in religione operam insumpsere. Taceo de pauperibus, quos fortunarum tenuitas plerumque continet, ne cancellos iusticiæ transgrediantur: Prætermitto graduum Ecclesiasticorum viros: quos nōnunquam professionis contuitus, sed & infamæ metus, a vero deuiare non sinit: De regibus dico; qui pro amplitudine potestatis licenter indulgere voluptatibus possent, quorum quidam in patria, quidam Romæ mutato habitu cęleste lucrati sunt regnum, beatum nacti commercium: Multi specietenus tota vita mundum amplexi, vt thesauros egenis effunderent, monasteriis diuiderent. Quid dicam de tot Episcopis, heremitis, abbatibus? Nonne tota insula sanctis reliquiis indigenarum fulgurat, vt vix aliquem vicum insignem prætereas, vbi noui sancti nomen non audias? Quam multorum etiam periit memoria pro scriptorum inopia? Verumtamen litterarum & religionis studia ætate procedente obsoleuerunt, non paucis ante aduentum Normannorū annis. Clerici litteratura tumultuaria contenti, vix sacramentorum verba balbutiebant: Stupori erat & miraculo ceteris qui Grammaticam nosset; Monachi subtilibus indumentis & indifferenti genere ciborum regulam ludificabant: Optimates gulæ & Veneri dediti Ecclesiam more solito mane non adibant, sed in cubiculo & inter vxorios amplexus matutinorū solemnia & missarum a festinante presbytero auribus tantum libabant; Vulgus in medio expositum præda erat potentioribus, vt vel eorū substantiis exhaustis, vel etiam corporibus in longinqua distractis, aceruos thesaurorum congererent, quamuis ingenitum sit illi genti commessationibus quam opibus inhiare. Illud erat a natura abhorrēs, quod multi ancillas suas ex se grauidas, vbi libidini satisfecissent, aut ad publicum prostibulum, aut ad externum obsequium venditabāt: Potabatur in commune ab omnibus, in hoc studio noctes perinde vt dies perpetuantibus: Paruis & abiectis domibus totos abliguriebāt sumtus, Francis & Normannis absimiles; qui amplis & superbis ædificiis, modicas expensas agunt: Sequebantur vicia ebrietatis socia, quæ virorum animos effeminant: Hinc factum est vt magis temeritate & furore præcipiti, quam scientia militari, cum Wilhelmo congressi, vno prælio, & ipso perfacili, seruituti se patriamque pessundederint; Nihil enim temeritate leuius, sed quicquid cum impetu inchoatur, cito desinit, vel consumitur: Ad summam, tunc erant Angli vestibus ad medium genu expediti, crines tonsi, barbas rasi, armillis aureis brachia onerati, picturatis stigmatibus

cutem insigniti: In cibis vrgentes crapulam: in potibus irritantes vomicam. Et hæc quidem extrema iam victoribus suis participarunt: de ceteris in eorum mores transeuntes. Sed hæc mala de omnibus Anglis generaliter dicta intelligi nolim. Scio clericos multos tunc temporis simplici via sanctitatis semitam triuisse: scio multos laicos omnis generis & conditionis Deo in eadem gente placuisse. Facessat ab hac relatione inuidia: non cunctos pariter hæc inuoluit calumnia. Verum sicut in tranquillitate malos cum bonis fouet plerumque Dei serenitas, ita in captiuitate bonos cum malis eiusdem constringit seueritas.

CAPVT XIII.

PORRO Normanni, vt de eis quoque dicamus, erant tunc & sunt adhuc vestibus ad inuidiam cultis: cibis citra vllam nimietatem delicatis. Gens militiæ assueta: & sine bello pene viuere nescia: In hostem impigre procurrere, & vbi vires non successissent, non minus dolo & pecunia corrumpere: Domi, vt dixi, ingentia ædificia, moderatos sumptus moliri: Paribus inuidere: superiores prætergredi velle: Subiectos ipsi vellicātes ab alienis tutari. Omnes fideles, moxque leui offensa infideles: Cum fato ponderare perfidiam, cum nummo mutare sententiam. Ceterum omnium gentium benignissimi, aduenas secum æquali honore colunt: matrimonia quoque cum subditis iungūt. Religionis normam, vsque quaque in Anglia emortuam, aduentu suo suscitarunt. Videas vbique in villis Ecclesias, in vicis & vrbibus monasteria, nouo ædificandi genere consurgere, recenti ritu patriam florere: Ita vt sibi perisse diem quisque opulentus existimet, quem non aliqua præclara magnificentia illustret. Sed quia de his satis dictum, Wilhelmi gesta prosequamur.

CAPVT XIIII.

ILLE, vbi perfecta victoria potitus est, suos sepeliendos mirifice curauit; Hostibus quoque, si qui vellent, idem exequendi licentiam præbuit; Corpus Heroldi matri repetenti sine pretio misit: licet illa per legatos multum obtulisset. Acceptum itaque apud Watham sepeliuit: quam ipse Ecclesiam, ex proprio cōstructam, in honore sanctæ crucis canonicis impleuerat. Sensim ergo Wilhelmus, vt triumphatorem decebat, cum exercitu non hostili, sed regali modo progrediens, vrbem regni maximā Lundoniam petit. Moxque cum gratulatione ciues effusi obuiam vadunt: Prorupit omnibus portis turba salutantium auctoribus magnatibus; præcipue Stigādo Archiepiscopo Cantuariensi, & Aldredo Eboracensi. Nam præcedentibus diebus Eduinus & Morcharius, amplæ spei fratres, apud Lundoniam audito interitus Heroldi nuncio, vrbanos sollicitauerant, vt alterutrum in regnum subleuarent. Quod frustra conati, in Northanimbriam discesserant, ex suo coniectantes ingenio, nunquam illuc Wilhelmum esse venturum. Ceteri proceres Edgarum eligerent, si episcopos assertores haberent. Sed proximo vrgente periculo, & domesticæ litis dissidio, nec illud quidem effectum. Ita Angli, qui in vnam coeuntes sententiam potuissent patriæ reformare ruinam, dum nullum ex suis volunt, alienum induxerunt. Tunc ille haud dubie Rex conclamatus, die natalis domini coronatus est, ab Aldredo Archiepiscopo: Cauebat enim id munus a Stigando suscipere; quod esset is Archiepiscopus non legitime.

CAPVT XV.

OMNIVM denique bellorū, quæ gessit, hæc summa est: vrbem Exoniam rebellantē leuiter subegit, diuino iutus auxilio, scilicet, quod pars muralis decidēs, vltro ingressum illi patefecerit: Nam & ipse audacius eam assilierat, protestās homines irreuerētes Dei destruendos suffragio: quia vnus eorum supra murum stans nudato inguine, auras sonitu inferioris partis turbauerat, pro contemtu videlicet Normannorum. Eboracum ciuitatem, vnicum rebellionum suffugium, pene deleuit, ciuibus fame & ferro necatis: Ibi enim Rex Scotorū Malcolmus cum suis, ibi Edgarus, & Marcherius, & Weldeofus cum Anglis & Danis, nidum tyrannidis sepe fouebant: Quorum singillatim exitus si commemorauero, fortasse superfluus non ero, licet fastidii discrimen immineat, dum relatori, si forte secundum dictores suos mentiatur, difficilis sit regressus ad veniam. Malcolmus comes Anglorum perfugas libenter recipiebat; tutamentum singulis, quantum

quantum poterat impendens; Edgarum præcipue, cuius sororem pro antiqua memoria nobilitatis iugalem sibi fecerat. Eius causa conterminas Angliæ prouincias rapinis & incendiis infestabat, non quod illi aliquid ad regnum profuturum arbitraretur, sed vt Wilhelmi animum contristaret, qui Scotticis prædis terras suas obnoxias indignaretur. Quapropter, coacta militum & peditum manu, Aquilonares insulæ partes petiit, & primo vrbem Metropolim, quam Angli cum Danis & Scottis obstinate tenebant, in deditionem accepit, ciuibus longa inedia consumtis. Maximum quod hostium numerum, qui obsessis in auxilium conuenerant, ingenti & graui prælio fudit: non incruenta sui victoria multos suorum amittens. Tunc totius regionis vicos & agros corrumpi: fructus vel fruges igne vel aqua labefactari iubet; maritima maxime; tum propter recentem iram; tum quia Cnutonem Danorum Regem filium suum aduentare rumor sparserat. Ea præcepti ratio, vt nihil citra oram marinam prædo piraticus secum asportaturus, si citius remeandum; vel fami consulturus, si diutius manendum putaret. Itaque prouinciæ quondam fertilis, & tyrannorum nutriculæ, incendio, præda, sanguine, nerui succisi. Huius per sexaginta & eo amplius miliaria, omnifariam inculta, nudum omnium solum, vsque ad hoc etiam tempus. Vrbes olim præclaras, turres proceritate sua in cælum minantes, agros lætos pascuis, irriguos fluuiis, si quis videt peregrinus, ingemit, si quis superest vetus incola, non agnoscit.

MALCOLMVS antequam ad manus veniretur se dedidit, totoque Wilelmi tempore incertis & sæpefractis fæderibus æuum egit: Sed filio Wilhelmi Wilhelmo regnante simili modo impetitus, falso sacramento insequentem abegit. Nec multo post, dum fidei immemor, superbius prouinciam inquietaret, a Roberto de Morbreia, comite Northanimbriæ, cum filio cæsus est; humatusque multis annis apud Thinemuthe, nuper ab Alexandro filio in Scottiam ad Dunfermelim portatus est.

EDGARVS cum Stigando & Aldredo Archiepiscopis dedititius, sequenti anno facto ad Scottum transfugio, iusiurandum maculauit. Sed cum ibi aliquot annos degens, nihil ad præsens commodi, nihil ad futurum spei, præter cotidianam stipem nactus esset, Normanni liberalitatem experiri pergēs, ad eum tunc vltra mare degentem nauigauit. Quod Regi gratissimum ferunt, vt incentore bellorum Anglia vacaret. Nam & vltro solitus erat, quoscunque Anglos suspectos habebat, quasi honoris causa in Normanniam ducere, ne quicquam se absente in regno turbarent.

RECEPTVS ergo Edgarus, & magno donatiuo donatus est, pluribusque annis in curia manens pedetentim pro ignauia, &, vt mitius dictum sit, pro simplicitate contemtui haberi cœpit. Quantula enim simplicitas, vt libram argenti, quam cotidie in stipendium accipiebat, Regi pro vno equo perdonaret? Subsequenti tempore, cum Roberto filio Eduini audacissimo milite Hierosolymam pertendit. Illud fuit tempus, quo Turci Balduinum Regem apud Ramas obsederunt. Qui cum obsidionis iniuriam ferre nequiret, per medias hostium acies effugit, solius Roberti opera liberatus prȩeuntis, & euaginato gladio dextra læuaque Turcos cædentis. Sed cum successu ipso truculentior alacritate nimia procurreret, ensis manu excidit, ad quem recolligendum cum se inclinasset, hostium occursu oppressus, vinculis palmas dedit. Inde Babylonem, vt aiunt, ductus, cum Christum abnegare nollet, in medio foro ad signum positus & sagittis terebratus, martyrium sacrauit. Edgarus amisso milite regressus, multaque beneficia ab Imperatotibus Græcorum & Alemannorum adeptus; quippe qui etiam eum retinere pro generis amplitudine temtassent; omnia pro natalis soli desiderio spreuit. Quosdam enim profecto fallit amor patriæ, vt nihil eis videatur iocundum, nisi consuetum hauserint cælum. Vnde Edgarus, fatua cupidine illusus, in Angliam rediit: vbi, vt superius dixi, diuerso fortunæ ludicro rotatus, nunc remotus & tacitus, canos suos in agro consumit.

EDVINVS & Morchardus erant fratres filij Elfgarij, filij Lefrici. Hi Comitatum Nortanhimbrorum susceperant, & communi vmbone pacifice tuebantur. Nam, vt prædixi, paucis diebus ante mortem Regis Eduardi prouinciales Aquilonis in rebellionem surrexerant, & Tostinum comitem suum expulerant; Petierantque & acceperant vnum e fratribus dominum, annitente Haroldo. Fiebant ista, vt a consciis

accepimus, infenso Rege, quia Tostinum diligeret. Sed morbo inualidus, senio grauis, pene iam despectui haberi ceperat, vt dilecto auxiliari nō posset. Qua re ex animi ægritudine maiorem valitudinem corporis cōtrahens, non multo post decessit. Perstitit in incepto Heroldus, vt fratrem exlegaret: Quocirca ille prius piraticis excursibus auitos triumphos polluens, mox cum rege Noricorum cæsus est. Cadauer eius indicio verrucæ inter scapulas agnitum, sepulturam Eboraci meruit. Tunc Eduinus & Morchardus, Haroldo iubente, manubiales prædas Lundoniam tulere. Nam ipse ad Hastingensem pugnam festinabat: vnde iam partam victoriam falso præsagiis somniabat. At eo interempto Germani ad terras suæ potestatis profugientes, aliquot annis pacem Wilhelmi turbauerunt, clandestinis latrociniis siluas infestantes, nec vmquam cominus & aperte Martem agentes. Sæpe etiam capti se dedidere, sed miseratione iuuenilis decoris, & gratia nobilitatis, impune dimissi. Postremo nec vi nec dolo hostium, sed suorum perfidia trucidati, Regem ad lacrimas flexere, quibus ipse & coniugia cognatarum, & amicitiæ dignationem iampridem indulsisset, si quieti acquiescere vellent.

WELDEOFVS amplæ prosapiæ comes multam familiaritatem noui Regis nactus fuerat, quod ille præteritarum offensarum immemor, magis illas virtuti quam perfidiæ attribuebat. Siquidem & Weldeofus in Eboracensi pugna plures Normannorum solus obtruncauerat: vnos & vnos per portam egredientes decapitans; neruosus lacertis, thorosus pectore, robustus & procerus toto corpore, filius Suuardi magnificentissimi comitis, quem Digera Danico vocabulo, id est, fortem cognominabant. Postmodum vero victis partibus sese sponte dedens, & Iudithæ Regis connubio, priuataque amicitia donatus, non permansit in fide: primum ingenium cohibere impotens: compatriotis enim omnibus, qui existimauerant resistendum, cæsis vel subiectis, etiam in Radulphi de Waber perfidia se immiscuit. Sed coniuratione detecta comprehensus, diuque in vinculis, vltimo spoliatus capite, Crolandi sepultus est: quamuis quidam dicant necessitate interemtum, non voluntate addictum infidelitatis sacramentum agitasse. Anglorum ista excusatio, nam cetera Normanni asserunt. Anglorum, qui plurimum veritate præstant, astipulationi, diuinitas suffragari videtur, miracula multa & ea permaxima ad tumbam illius ostendens. Aiunt enim in catenas coniectum, cotidianis singultibus perperam commissa diluisse.

VNDE propositum Regis fortassis merito excusatur, si aliquanto durior in Anglos fuit, quod pene nullum eorum fidelem inuenerit: quæ res ita ferocem animum exasperabat, vt potentiores primum pecuniis, mox terris, nonnullos etiam vita exueret: quin etiam Cæsarianum secutus ingenium, qui Germanos in Ardenna maxima silua abditos, & inde crebris eruptionibus exercitum suum affligentes, non per Romanos suos, sed per Gallos fœderatos expulit, vt dum alterutros transfoderent, ipse sine sanguine triumphum duceret. Idem, inquam, Wilhelmus in Anglos egit. Nam contra quosdam, qui post primam infelicis hominis pugnam, in Danemarchiam & Hyberniam profugerant, & valida congregata manu tertio anno redierant, Angligenum exercitum & ducem obiecit, Normannos feriari permittens. Ingens ibi leuamen prouidens: vtrilibet vincerent: nec eum cogitatio lusit: nam vtrique Angli aliquandiu digladiati inter se, palmam otioso regi retulere. Aduenæ in Hiberniam fugati: Regi maxime sua clade nomen inane victoriæ, amisso duce, mercati: vocabatur is Ednodus, domi belloque Anglorum temporibus vita insignis, pater Hardingi, qui adhuc superest, magis consuetus linguam in lites acuere, quam arma in bello concutere: Ita laicorum potentia subruta, stabili firmauit edicto, vt nullum eius gentis monachum vel clericum ad aliquam dignitatem conari pateretur: a Cnutonis Regis quondam facilitate immaniter abhorrens; qui victis honores integros exhibuit.

VNDE factum est, vt eo defuncto indigenæ aduenas leuiter expellerent, sibique antiquum ius vendicarent. At iste, certis de causis, viuentes quosdam canonice deposuit: & in locum illorum qui morerentur cuiuscumque gentis industrium hominem, præter Angligenam, imposuit. Exigebat hoc, nisi fallor, indurata in Regem peruicacia: cum sint Normanni, vt ante dixi, in conuiuentes aduenas naturali benignitate procliues.

CAPVT XVI.

At vero Wilhelmus in subiectos leniter, turbine in rebelles agens, feliciter omni Anglia potiebatur: Walenses omnes tributarios habens. Iam vero trans mare numquam otiosus, Cenomannico solo pene exterminium induxit, ducta illuc expeditione de Anglis. Qui sicut facile in solo suo potuerunt opprimi: ita in alieno semper apparuerant inuicti. Apud Dolum castellum transmarinæ Britanniæ, dum, nescio qua simultate irritatus, manum illuc militarem duxisset, innumeros ex suis desiderauit. Philippum Regem Francorum cuius amitæ filiam vxorem duxerat, semper infidum habuit: quod scilicet ille tantam gloriam viro inuideret: quem & patris sui, & suum hominem esse constaret. Sed Wilhelmus nihilo segnius eius conatibus obuiabat improbe: quamuis primogenitus filius eius Robertus fatuo consilio conatibus eius obsisteret. Vnde contigit, vt in quodam assultu apud Gibboracum filius patri resultans, eo vulnerato, equum eius confoderet: Wilhelmus medius filiorum saucius abiret, multi ex Regiis caderent. Ceterum tota vita ita fortunatus fuit, vt exteræ & remotæ gentes nihil magis quam nomen eius timerent. Prouinciales adeo nutui suo substrauerat, vt sine vlla contradictione primus censum omnium capitum ageret; omnium prædiorum reditus in tota Anglia noticiæ suæ per scriptum adiiceret: omnes liberos homines suæ fidelitati sacramento addiceret. Solus eius maiestatem concutiebat Cnuto Rex Danorum, qui & affinitate Roberti Frisonis, & suapte potentia, in immensum extollebatur, rumore in populos sato, quod Angliam inuaderet, debitum sibi pro affinitate antiqui Cnutonis solum. Et profecto fecisset; nisi Deus eius audaciam vento contrario infirmasset.

CAPVT XVII.

Rex igitur Danorum, vt dixi, solus erat obstaculum, ne Wilhelmus continua feriaretur lætitia. Cuius respectu tantam multitudinem stipendiariorum conducebat militum ex omni, quæ citra montes est, prouincia, vt eorum copia regnum grauaret. Sed ipse magnanimitate sua dispendium expensarum non sentiens, etiam Hugonem Magnum Regis Francorum fratrem cum illius commilitio inter militares numeros sibi seruiturum redegerat. Animabat & excitabat ipse virtutem suam propter Roberti Guiscardi memoriam: pronuntians pudendum, si illi fortitudine cederet, quem nobilitate præiret. Siquidem mediocri parentela in Normannia ortus, quæ nec humi reperet, nec altum quid tumeret, paucis ante aduentum Wilhelmi in Anglia annis cum xv. milibus adierat Appuliam, penuriam necessariorum gentis illius ignauię stipendiis correcturus. Nec multi fluxerunt anni quod stupendo Dei munere totam terram in potestatem accepit. Nam vbi viribus destituebatur, ingenio callebat; opida primo, mox ciuitates suæ ditioni associans. Ita ergo profecit: vt se ducem Appuliæ & Calabriæ; fratrem Ricardum Capuæ, alterum Rogerum comitem Siciliæ faceret. Postremo data Appulia filio Rogero, cum altero filio Boadmondo, Hadriaticum pelagus transiuit, statimque Dyrrachio capto, super Alexim Imperatorem Constantinopolim vlterius progrediebatur. Sæuientem retinuit nuntius Hildebrandi Apostolici. Imperator enim Alemannorum Henricus filius Henrici, de quo supra memorauimus, iratus contra Papam, quod excommunicationem in eum propter inuestituras Ecclesiarum promulgauerat, cum exercitu veniens Romam obsedit: Hildebrandum expulit: Guibertum Rauennatem introduxit. Quo per litteras expulsi Guiscardus audito, relicto filio Boadmundo cum militibus, vt inchoata paterna persequeretur, in Appuliam rediit; contractaque velociter Appulorum & Normannorum manu, Romam tendebat. Nec sustinuit nuntium aduenientis Henricus: quin cum falso Papa sola fama territus, terga donaret. Vacua ab obsessoribus Roma, legitimum præsulem accepit: sed non multo post eadem violentia, qua prius, amisit. Tunc quoque Alexius, audiens Robertum ad sua necessario reuocatum, summamque manum bello imponere sperans, supra Boadmundum, qui partes relictas tuebatur, irruit. Sed Normannus gentilitij roboris tenax adolescens, arietantes Græcos, & ceteras gentes quæ conuenerant vsu militari, quamuis multum numero inferior, fugæ tradidit. Eodem

quoque tempore Veneti gens mari assueta, Guiscardum, propter quæ venerat sedatis, transfretare volentem aggressi, superiorum calamitatem sensere: pars mersi & cæsi, pars fugati. Ille ceptam euaginans viam multas ciuitates Alexij suæ voluntati applicuit. Sustulit Imperator maleficio, quæ virtute nequibat: vxori ipsius augustale mentitus connubium. Cuius insidiis elleboratum virus hauriens interiit: meliorem exitum, si Deus voluisset, emeritus; inuincibilis hostili ferro, sed domestico obnoxius veneno. Sepultus est apud Venusiam Appuliæ: habens epitaphium,

Hic terror mundi Guiscardus, hic expulit orbe,
Quem Ligures Regem, Roma, Lemannus habent.
Partus, Arabs Macedumque phalanx non texit Alexim,
At fuga: sed Venetum nec fuga nec pelagus.

CAPVT XVIII.

HACTENVS circumuagari licuerit: dum occasione gestorum Wilhelmi quædam succurrebant, quæ prætermittenda non putabam: nunc familiarem eius vitam, & mores interiores, lector qui volet audiet. In primis Dei famulis humilis, subiectis facilis, in rebelles inexorabilis erat. Religionem Christianam quantum secularis poterat, ita frequentabat: vt cotidie Missæ assisteret, cotidie vespertinos & matutinos hymnos audiret. Monasteria vnum in Anglia, alterum in Normannia construxit. Primum Cadonus, quod sancto Stephano consecrauit, opportunis prædiis, & magnificentissimis donariis insignitum. Vbi & Lanfrancum Abbatem, post etiam Cantuariæ Archiepiscopum instituit, virum antiquis scientia & religione comparandum; de quo serio dici potest: Tertius e cælo cecidit Cato; adeo cælestis sapor pectus eius & palatum infecerat, adeo latinitas omnis in liberalium artium scientiam per doctrinam eius se incitabat: adeo ipsius exemplo vel metu professio monastica in religione sudabat. Non tunc Episcoporum ambitus, non tunc Abbatum vænalitas proficiebat: Ille maioris gloriæ, amplioris gratiæ apud Regem & Archiepiscopum erat, qui tenacioris sanctitudinis opinionem habebat. Alterum monasterium Hastingis sancto Martino, quod cognominatur De bello, quia in eo loco principalis Ecclesiæ cernitur, vbi inter confertos cadauerum aceruos Heroldus inuentus fuisse memoratur. Pene puer, & maturiori ætate sapiens: patruum suum Malgerium ab Archiepiscopatu Rotomagensi remouit. Is erat litteris quidem non mediocriter cultus; sed pro natalium conscientia professionis oblitus, venationibus, & auium certaminibus sæpius iusto intendebat: & gazas Ecclesiasticas conuiuiis profusioribus insumebat. Cuius rei fama crebescente, tota vita pallij vsu caruit: quod negaret sedes Apostolica honoris huiusce priuilegium homini qui sacratum negligebat officium; vnde crebro conuentus, expostulante nepote patruelis offensas, cum nihilo reuerentius se ageret, cogente vltima necessitate degradatus est. Ferunt quidam esse arcanam depositionis causam Mathildem, quam Wilhelmus acceperat, proximam sibi sanguine fuisse. Id Christianæ fidei zelo Malgerium non tulisse, vt consanguineo cubili fruerentut: sed in nepotem & comparem excommunicationis iaculum intentasse. Ita cum iras adolescentis vxoriæ querelæ accenderent, excogitat occasiones, quibus persecutor peccati sede pelleretur: sed postmodum prouectioribus annis, pro expiatione sceleris, illum sancto Stephano Cadonis monasterium ædificasse: illam beatæ Trinitati in eodem vico idem fecisse: vtroque pro sexu suo personas inhabitantes induxisse.

CAPVT XIX.

RELIGENTE Malgerio successit Maurilius Fiscannensis monachus, multis virtutibus, sed maxime abstinentia laudatus. Is post bene & sancte transactam vitam, cum ad extremum Deo vocante venisset, vitali priuatus halitu, ferme dimidia die

die iacuit defunctus. Verumtamen cum iam pararetur in Ecclesiam ferri, anima resumpta circumstantes lacrimabili gaudio perfudit. Stupentes hoc sermone corroborat: attenti animo estote, vltima pastoris vestri verba excipientes. Naturali morte resolutus fui: sed vt vobis intimarem quæ vidi reductus sum. Nec aliquanto diutius subsistam: quia in domino soporari delectat. Ductores spiritus mei, vultibus & vestibus ad omnem elegantiam erant compositi. Concordat verborum læuitas cum nitore vestium: vt nihil desiderarem præter talium virorum obsequium. Itaque blandis assentationibus gauisus ibam, vt vere mihi videbatur, versus Orientem. Promittebatur mihi sedes paradisiaca: non multo post intranda. In momento præterita Europa, ingressi Asiam, venimus Hierosolymam. Ibi sanctis adoratis, Iordanem pertendimus. Citerioris ripæ accolæ, ductorum meorum contubernio mixti, lætum cœtum fecere. Ego visendi vlteriora studio transitum maturabam. Tum comites Deum præcepisse referunt, vt ante dæmonum visione terrificarer: quatenus veniales culpæ, quas confessione non dilueram, pauore horrendarum formarum purgarentur. Cum dicto astitit alteri parti tanta dæmonum vis, hastilia acuta vibrantium, ignes iaculantium: vt ager ferreus, aër flammeus videretur. Eorum horrore ita sum affectus, vt si terra dehisceret, si cęlum patesceret, tuto mihi vtrobique refugiendum æstimarem. Ita meticulosus, dum quo euadam dubito, repente, vt hæc dicens vestræ saluti, nisi negligitis, consulerem, halitum recepi; confestim effusurus. Dixit, & cum verbo pene spiritum emisit. Corpus in Ecclesia sanctæ Mariæ tunc humi defossum, miraculo modo, vt aiunt, diuino, altius tribus pedibus super terram eleuatum est.

CAPVT XX.

Praeter ceteras virtutes, præcipue in prima adolescentia, castitatem suspexit, in tantum vt publice sereretur nihil illum in femina posse. Verumtamen ex sententia procerum matrimonio addictus, ita se egit vt pluribus annis nullius probri suspicione notaretur. Tulit ex Mathilde liberos multos: quæ & marito morigera & prole fæcunda, nobilis viri animum in sui amoris incitabat aculeum. Quamquam non desint, qui ganniant eum cælibatui antiquo renuntiasse, cum regia potestas accreuisset, volutatum cum cuiusdam presbyteri filia, quam per satellitem succiso poplite Mathildis sustulerit. Quapropter illum exheredatum: illam ad mortem freno equi cæsam. Sed hęc de tanto Rege credere, dementiæ ascribo: hoc constanter asseuerans, quod aliquantula simultas inter eos innata extremis annis fuerit, pro Roberto filio, cui mater militarem manum ex fisci redditibus sustentare dicebatur. Verum propter hoc nihil coniugalis gratiæ diminutum ipse ostendit, dum; quatuor annis ante defunctam, & magnificentissimis inferiis extulit, & lacrimis per multos dies vbertim prosecutus amissæ caritatem desiderauit. Quin & eo tempore, si credimus, ab omni voluptate desciuit. Sepulta est regina Cadomis in monasterio sanctæ Trinitatis. Eiusdem pietatis indicium in Ebidæ Reginæ funere curando non minus fuit. Quæ apud Westmonasterium studio eius prope coniugem locata, habet tumbam argenti & auri expensis operosam.

CAPVT XXI.

Filios habuit Robertum, Richardum, Wilhelmum, & Henricum: Posteriores duo post eum successione continua in Anglia regnauere: Robertus patre adhuc viuente Normanniam sibi negari ægre ferens, in Italiam obstinatus abiit, vt filia Bonifacij Marchionis sumta, patri partibus illis adiutus aduersaretur. Qua re & genitoris benedictione, & hereditate frustratus, Anglia post mortem eius caruit: comitatu Normanniæ vix retento: Ea quoque post IX. annos fratri Wilhelmo pro pecunia inuadiata, Asiaticam expeditionem cum ceteris Christianis aggressus est: inde transactis quatuor annis clarus militiæ gestis regressus, Normanniæ sine difficultate immersit: quod germano Wilhelmo nuper defuncto, Henricus Rex nouitate tener, Angliam in fide tenere satis habuit: sed quia de hoc alias dicendum, nunc ceptam de filiis Wilhelmi Magni orationem terminabo.

Richardvs magnanimo parenti ſpem laudis alebat, puer delicatus, & vt id ætatulæ puſio, altum quid ſpirans: ſed tantam primæui floris indolem, mors acerba cito depaſta corrupit. Tradunt ceruos in noua foreſta terebrantem, tabidi aëris nebula mortem incurriſſe. Locus eſt quem Wilhelmus pater deſertis villis, ſubrutis Eccleſiis, per triginta & eo amplius miliaria, in ſaltus & luſtra ferarum redegerat; Infando prorſus ſpectaculo, vt vbi ante vel humana conuerſatio, vel diuina veneratio feruebat, nunc ibi cerui, & capreoli, & ceteræ illud genus beſtiæ petulanter diſcurſitent: nec illæ quidem mortalium vſibus communiter expoſitæ: vnde pro vero diſſeritur, quod in eadem ſylua Wilhelmus filius eius, & nepos Richardus filius Roberti comitis Normanniæ mortem offenderunt ſeuero Dei iudicio. Ille ſagitta pectus, iſte arboris ramuſculo collum traiectus: vel vt quidam dicunt, equo pertranſeunte fauces appenſus.

Filiae ipſius fuere quinque, Cæcilia Cadomenſis Abbatiſſa, quæ adhuc viuit. Altera Conſtantia Comiti Britanniæ Alano fuit in coniugium data: auſteritate iuſticiæ prouinciales in mortiferam ſibi potionem exacuit. Tertia Adala vxor Stephani Bleſienſis comitis, laudatæ in ſeculo potentiæ virago, nouiter apud Materniacum cum ſanctimonialibus habitum ſumpſit: Duarum nomina exciderunt: vnius quæ vt diximus Haroldo promiſſa, infra maturos coniugio annos obiit: alterius quæ Adelfonſo Gallitiæ Regi per nuncios iurata, virgineam mortem impetrauit a domino. Repertus in defunctæ genibus callus, crebrarum eius orationum index fuit.

CAPVT XXII.

Patris memoriam quantis poterat occaſionibus extollens, oſſa olim Nicææ condita, ſub extremo vitæ tempore per legatum transferebat: ſed ille proſpere rediens audita morte Wilhelmi, apud Appuliam reſedit, ſepultus ibi illuſtris viri exuuiis.

Matrem quantum vixit, inſigni indulgentia dignatus eſt: quæ ante patris obitum cuidam Herluvvino de comitis villa mediocrium opum viro nupſerat. Ex eo fratres Wilhelmus habuit: Robertum, quem comitem Moretonij fecit, craſſi & hebetis ingenij hominem: Odonem quem ad Epiſcopatum Baiocenſem prouexit Comes, comitem Cantiæ Rex inſtituit. Callidioris pectoris ille totius Angliæ vicedominus ſub Rege fuit, poſt necem Wilhelmi filij Oſberni. Itaque in aggregandis theſauris mirus, tergiuerſari miræ aſtutiæ, pene Papatum Romanum abſens a ciuibus mercatus fuerat, peras peregrinorum epiſtolis & nummis infarciens: cuius futuri itineris opinione, cum certatim ex toto regno ad eum milites concurrerent, Rex indigne ferens compedibus irretiuit, præfatus non ſe habere Baiocarum Epiſcopum, ſed comitem Cantiæ prendere. Clientes eius, minis impulſi, tantam auri copiam prodidere, vt noſtri ſeculi æſtimationem ſuperaret fului congeries metalli: denique & cullei plures e fluuiis extracti, quos per certa loca ſublatis conſciis infoderat, plenos auro mollito. Poſt mortem fratris abſolutus, nepotique Wilhelmo aduerſatus, partem Roberti fouebat: ſed tunc quoque male cedente fortuna, extorris Anglia, Normannico nepoti & Epiſcopatui inſiſtebat. Deinde cum eodem Hieroſolymitanam viam ingreſſus Antiochiæ in obſidione Chriſtianorum finem habuit.

CAPVT XXIII.

Exterarvm nationum homines dignanter ad amicitiam admiſit: indifferenter honoribus extulit; Eleomoſynæ curam habuit, tranſmarinis Eccleſiis multas poſſeſſiones in Anglia largitus: nec vllum fere monaſterium, præſertim in Normannia, vel eius vel ducum munificentia pertranſiit, vt Anglica copia tenuitas illorum ſuſtentaretur. Ita eius tempore vltro citroque cœnobialis grex excreuit, monaſteria ſurgebant religione vetera, ædificiis recentia. Sed hic animaduerto muſſitationem dicentium: Melius fuiſſe vt antiqua in ſuo ſtatu conſeruarentur, quam, illis ſemimutilatis, de rapina noua conſtruerentur.

CAPVT XXIIII.

Ivstae fuit ſtaturæ, immenſæ corpulentiæ, facie fera, fronte capillis nuda,

Roboris

roboris ingentis in lacertis, vt magno sæpe spectaculo fuerit, quod nemo eius arcũ tenderet, quem ipse admisso equo pedibus neruo extento sinuaret. Magnæ dignitatis sedens & stans, quamquam obesitas ventris nimis protensa corpus Regium deformaret. Commodæ valitudinis, vt qui nunquam aliquo morbo periculoso præter in extremo decubuerit: exercitio nemorũ adeo deditus, vt, sicut prædixi, multa milia ciectis habitatoribus siluescere iuberet, in quibus a ceteris negociis auocatus animum intenderet. Conuiuia in præcipuis festiuitatibus sumptuosa & magnifica faciebat: Natale domini apud Glocestram, Pascha apud Wintonium, Pentecosten apud Westmonasterium agens, quot annis quibus in Anglia morari liceret, omnes eo cuiuscumque professionis magnates regium edictum accersiebat, vt exterarum gentium legati speciem multitudinis, apparatumque deliciarum mirarentur: Nec vllo tempore comior aut indulgẽdi facilior erat, vt qui aduenerant, largitatẽ eius cũ diuitiis conquadrare, vbiq; gentiũ iactitarent. Quem morẽ conuiuandi primus successor obstinate tenuit, secundus omisit.

CAPVT XXV.

Sola est de qua merito culpetur, pecuniæ cupiditas: quam vndecumque captatis occasionibus, nihil vnquam pensi habuit, quin corroderet, faceret, diceret nonnulla, & pene omnia tanta Maiestate indigniora, nisi spes nummi affluxisset: Non est aliquid excusationis quod afferam, nisi quod quidam dixit: necesse est vt multos timeat, quem multi timent: nam ille pro timore inimicorum prouincias suas pecunia emungebat, qua impetus eorũ vel tardaret, vel etiam propelleret, persæpe, vt fit in rebus humanis, viribus quassatis fidem hostilem præmio pignoratus: regnat adhuc & indies augetur huiusce dedecoris calamitas, vt & villæ & Ecclesiæ pensionibus supponantur, & ne hoc quidem perpetua exactorum fide, sed quicumque plus obtulerint, statim pactis irritis prioribus, palmam habeant.

CAPVT XXVI.

Extremo vitæ tempore in Normannia habitans, contractis inimicitiis cum Rege Francorum aliquantisper se continuit: cuius abutens patientia, Philippus fertur dixisse: Rex Angliæ iacet Rotomagi, more absolutarum partu feminarum cubile fouens: iocatus in eius ventrem, quem potione alleuiaret. Quo perstrictus conuitio respondit: cum ad missam post partum iero, centum millia candelarum ei libabo: Talia per resurrectionem & splendorem Dei pronuntians, quod solɛret ex industria talia sacramenta facere, quæ ipso hiatu oris terrificum quiddam auditorum mentibus insonarent.

Nec multo post, Augusto mense declinante, quãdo & segetes in agris, & botri in vineis, & poma in viridariis, copiam sui volentibus faciunt, exercitu coacto Franciã infestus ingreditur, omnia proterit, cuncta populatur: Nihil erat quod furentis animũ mitigaret, vt iniuriam insolenter acceptam multorum dispendio vlcisceretur. Postremo Medantum oppidum iniectis ignibus cremauit. Cõbusta illic Ecclesia S. Mariæ reclusa vna vstulata, quæ spelæum suum nec in tali necessitate deserendum putauit: Fortunæ omnes ciuium pessundatæ: Quo successu exhilaratus, dum suos audacius incitat, vt igni adiiciant pabula, propius flammas succendẽs, foci calore, & autumnali æstus inæqualitate, morbũ nactus est: Dicunt quidã, quod præruptam fossam sonipes trãsiliens interiora sessoris disruperit, quod in anteriori parte sellæ vẽter protuberabat: Hoc dolore affectus, receptui suis cecinit: Rotomagumq; reuersus, crescẽte indies incõmodo, lecto excipitur: Consulti medici, inspectione vrinæ certã mortẽ prædixere: Quo audito, querimonia domum repleuit, quod eũ præoccuparet mors, emendationẽ vitæ meditantẽ: Resumpto animo, quæ Christiani sunt, executus est, in confessione & viatico: Normanniam inuitus & coactus Roberto, Angliam Wilhelmo, possessiones maternas Henrico delegauit: vinctos suos omnes educi & solui, thesauros efferri, & Ecclesiis dispergi præcepit: Certum numerum pecuniæ ad reparationem Ecclesiæ nuper crematæ ipse indixit. Ordinatis ergo bene rebus, octauo Idus Septembris decessit, anno XXII. vitæ quinquagesimo nono, dominicæ incarnationis, M. LXXXVII. Ille fuit annus, quo Cnuto Rex Danorum, vt supradiximus, interẽptus est, quo Sarraceni Hispani in Christianos efferati, mox ab Aldefonso Rege Gallitiæ ad sua redire coacti, etiam vrbibus quas olim tenuerunt, inuiti cessere.

Corpus regio solemni curatum per Sequanam Cadomum delatum, Ibi magna frequentia ordinatorum, laicorum pauca, humi traditũ: varietatis humanæ tunc fuit videre miseriam, quod homo ille, totius olim Europæ honor antecessorum, suorum omniũ potentior, sedem æternæ requietionis sine calumnia impetrare nõ potuit. Namque miles quidam, ad cuius patrimonium locus ille pertinuerat, clara contestans voce rapinam, sepulturam inhibuit, dicẽs auito iure solum suũ esse, nec illum in loco, quem violenter rapuerat, pausare debere: quo circa volente Henrico filio, qui solus ex liberis aderat, centum libræ argenti litigatori persolutæ, audacem calumniam compescuere. Nam tunc Robertus primogenitus in Francia contra patriam bellabat: Wilhelmus antequam plane pater expiraret in Angliam enauigauerat, vtilius ducens suis in posterum commodis prospicere, quam obsequiis paterni corporis interesse. Porro in dispertienda pecunia non segnis, nec parcus, omnem thesaurum, Wintoniæ totis annis regni accumulatum, ab arcanis sacrariis eruit in lucem, monasteriis aurum, Ecclesiis agrestibus solidos quinque argenti, vnicuique pago centum libras viritim egenis diuidendas largitus. Patris etiam memoriam ingenti congerie argenti & auri cum gemmarum luce conspicue adornauit.

CAPVT XXVII.

Fvit hoc tempore Berengarius Turonensis hæresiarcha, qui panem & vinum in altari apposita, post consecrationem sacerdotis verum & substantiale corpus domini, sicut sancta Ecclesia prædicat, esse denegabat, iamque scatebat omnis Gallia eius doctrina, per egenos scholares, quos ipse cotidiana stipe sollicitabat, disseminata: vnde soliditati catholicæ timẽs sanctæ memoriæ Leo Papa, Vercellis contra eum instituto cõcilio, tenebras nebulosi erroris, Euangelicorum testimoniorum fulgure depulit. Sed cum post obitũ Leonis, virus hæreseos diu in finibus quorundã nebulonũ cõfotum iterum erumperet, Hildebrandus cum esset Archidiaconus Turonis, mox Papa, Romæ, adunatis conciliis conuictum, ad dogmatis sui anathema compulit, quæ scripta locis suis, qui desiderat, inueniet. Responderunt ei libris Lãfrancus Archiepiscopus, sed præcipue & fortiter Guimundus, prius monachus de sancto Leufredo Normanniæ, postea Episcopus Auersanus Appuliæ, nostri temporis eloquentissimus. Porro licet Berengarius primum calorem iuuentutis aliquãtarum hæresium defensione infamauerit, æuo austeriore ita resipuit, vt sine retractatione a quibusdã sanctus habeatur, innumeris bonis maximeque humilitate & eleemosynis approbatus. Largarum possessionũ dispertiendo dominus, nõ abscondendo & adorando famulus. Fæmineæ venustatis adeo parcus, vt nullam conspectui suo pateretur admitti, ne formam videretur delibasse oculo, quam non pruriebat animo: Non aspernari pauperem: non adulari diuitem: Secundum naturam viuere, habens victum & vestitum, iuxta apostolum, his contentus esse, vnde eum laudat Cenomanensis episcopus Hildebertus, in primis versificator eximius; cuius verba propterea inserui, vt prædicabilis Episcopi affectum in magistrũ ostẽdam: Simul & doctrina eius erit exemplum posteris, qua quomodo viui debeat instituit, etsi fortassis veræ laudis metas, amore incitatus, transilierit.

Quem modo miratur, semper mirabitur orbis,
Ille Berengarius non obiturus obit.
Quem sacræ fidei fastigia summa tenentem,
Iani quinta dies abstulit, ausa nefas,
Illa dies damnosa dies, & perfida mundo,
Qua dolor, & rerum summa ruina fuit.
Qua status ecclesiæ, qua spes & gloria cleri,
Qua cultor iuris, iure ruente, ruit.
Quicquid Philosophi, quicquid cecinere Poetæ,
Ingenio cessit, eloquioque suo.
Sanctior & maior sapientia, maius adorta,
Impleuit sacrum pectus & ora Deo.

Pectus eam voluit, vox protulit, actio promsit,
Singula factori sic studuere suo.
Vir sacer & sapiens, cui nomen crescit in horas,
Quo minor est, quisquis maximus est hominum,
Cui sensus peperit, partos seruauit, honores,
Cui pauper potior diuite, iusque lucro,
Cui nec desidiam, nec luxum res dedit ampla,
Nec tumidum fecit multus & altus honor.
Qui nec ad argentum, nec ad aurum lumina flexit,
Sed doluit quotiens cui daret, hoc aberat.
Qui non cessauit inopum fulcire ruinas,
Donec inops dando pauper & ipse fuit.
Cuius cura sequi naturam, legibus vti,
Et mentem vitiis, ora negare dolis.
Virtutes opibus, verum præponere falso.
Nil vacuum sensu dicere, nec facere.
Lædere nec quemquam, cunctis prodesse, fauorem
Et populare lucrum pellere mente, manu.
Cui vestis textura rudis; cui non fuit vnquam
Ante sitim potus: nec cibus ante famem.
Quem pudor hospitium statuit sibi, quamque libido
Incestos superat, tam superauit eam.
Quem natura parens cum mundo contulit, inquit,
Degenerant alij, nascitur iste mihi.
Quæque vagabatur, & pene reliquerat orbem,
Inclusit sacro pectore iusticiam.
Vir sacer a puero, qui quantum præminet orbi,
Fama, tam famæ præminet ipse suæ.
Fama minor meritis, cum totum peruolet orbem,
Cum semper crescat, non erit æqua tamen.
Vir pius atque grauis, vir sic in vtroque modestus,
Vt liuor neutro rodere posset eum.
Liuor eum deflet, quem carpserat antea, nec tam
Carpsit, & odit eum, quam modo laudat, amat,
Quam prius ex vita, tam nunc ex morte gemiscit,
Et queritur celeres huius abisse dies.
Vir vere sapiens, & parte beatus ab omni,
Qui cælos anima, corpore ditat humum.
Post obitum viuam secum, secum requiescam,
Nec fiat melior sors mea sorte sua.

Videas in his versibus, quod laudis excesserit modum Episcopus, sed sic se ostentat eloquentia, tali gestu procedit aureus lepos, eo modo purpureos flores fundit facundia diues. Berengarius plane, quamuis ipse sententiam correxerit, omnes quos ex totis terris deprauauerat, conuertere nequiuit. Adeo pessimum est alios exemplo vel verbo a bono infirmare, quia fortassis peccatum te grauabit alienum, cum deletum fuerit tuum; quod Episcopum Carnotensem Fulbertum, quem domini mater Maria olim ægrotum lacte mammillarũ suarũ visa fuerat sanare, prædixisse aiunt. Nam cũ in extremis positum multi visitarent, & ædiũ capacitas vix confluẽtibus sufficeret, ille inter oppositas cateruas oculo longe rimatus Berengarium, nisu quo valuit expellere censuit: protestans immanem dæmonẽ propter eũ consistere, multosq; ad eũ sequendũ blandiente manu, & illice anhelitu corrũpere. Quin & ipse die Epiphaniorũ moriẽs, gemituq; producto recordatus, quot miseros quondã adolescens primo erroris calore secta sua infecerit: Hodie, inquit, in die apparitionis suæ apparebit mihi Dominus meus Iesus Christus propter pœnitentiam, vt spero, ad gloriam, vel propter alios, vt timeo, ad pœnam.

Nos ſane credimus, poſt benedictionem Eccleſiaſticam, illa myſteria eſſe verum corpus & ſanguinem ſaluatoris: adducti & veteri Eccleſiæ auctoritate, & multis nouiter oſtenſis miraculis: Quale fuit quod beatus Gregorius exhibuit Romæ. Quale quod Paſcaſius narrat contigiſſe in Alemannia, Presbyterem Plegildum viſibiliter ſpeciem pueri in altari contrectaſſe, & poſt libata oſcula, in panis ſimilitudine, cōuerſum, Eccleſiaſtico more ſumpſiſſe, quod arroganti cauillatione ferunt Berengarium carpere ſolitum, & dicere, ſpecioſa certe pax nebulonis, vt cui oris præbuerat baſium, dentium inferret exitium: Quale de puſione Iudaico, qui in Eccleſiam cum æquæuo Chriſtiano forte & ludibunde ingreſſus, vidit puerum in ara membratim diſcerpi, & viritim populo diuidi, id cum innocentia puerili parentibus pro vero aſſereret, in rogum detruſum, vbi occluſo oſtio æſtuabat incendium, multis poſt horis ſine iactura corporis exuuiarumque & crinium a Chriſtianis extractum, interrogatuſq; quomodo voraces ignium globos euaſerit, reſpondit, Illa pulchra fœmina quam vidi ſedere in cathedra, cuius filius populo diuidebatur, ſemper mihi in camino ad dexteram aſtitit, flammeas minas, & fumea volumina peplo ſuo ſubmouens.

CAPVT XXVIII.

FREQVENTER *cogitans de factis hominum*
In iſto ſeculo male viuentium,
Affirmare queo quia deſipiunt,
Præcepta Domini quando deſpiciunt.
Eſt magna rabies quæ cor dilacerat,
Magna dementia quæ ſenſum ſuperat:
Cum fere tota gens facta tyrannica,
A lege retrahat ſeſe catholica.
A gradu quidem pontificum
Vſque ad clericos minorum ordinum:
A primo etiam vſque ad vltimum
Declinat, & perit hoc omne ſeculum.
Nam & ipſi præſules virtute tepidi,
Saluti gentium cuſtodes poſiti,
Cum docere debent fiunt diſcipuli,
Cum paſtores eſſent, ſunt mercenarij.
Si peccat populus, ipſi conſentiunt,
De nullo crimine quempiam arguunt.
Ipſi homicidas, ipſi adulteros,
Ipſi patiuntur & fornicarios.
Si quiſquam feminam ſuam dimiſerit,
Et ſi alterius nuptam acceperit,
Immo ſi ſecundam, ſi vero tertiam,
Cohiunctam alteri, duxerit coniugem,
Omnia tolerant hæc adulteria,
Omnia ſufferunt iſta nefaria,
Nullum corripiunt, caſtigant neminem,
Nullumque prouocant ad pœnitentiam.
Per vſurarios Deo odibiles,
Lucro pecuniæ inſaturabiles,
Fiunt in ſæculo maxima crimina,
Per illos plurimi pergunt ad tartara,
Ob deſiderium ſuæ pecuniæ,
Quam ſemper ſitiunt vſuris creſcere:
Exſpoliatæ ſunt plures Eccleſiæ,
Ad quaſcumque valent manus imponere.
Rapti ſunt calices & cruces optimæ,
Textique aurei, & bonæ tabulæ:
Simul ablatæ platenæ, pallia,
Albæ & tapeta, ſtolæ, dorſalia.
Illi maledicti tanquam hydropici,
Munus ſitientes conferre muneri,
Nullorum pauperum parcunt inopiis,
Qui parcunt minime ſanctis Eccleſiis:
Per illos orta ſunt frequenter odia,
Atque frequentius lites & prælia:
Per hos multotiens fit homicidium;
Et mentitur fides, fitque periurium:
Hi tales homines, ſerui pecuniæ,
Domini facti ſunt magnæ prouinciæ.
Hi pro velle ſuo poſſident ſeculum,
Egenumque ſibi ſubiugant populum.
His reges, principes, per omne ſæculum
Super pauperrimos præbent dominium:
Illos amplectuntur, illos magnificant,
Et venerantur quaſi pertineant.
Ecce miraculum quod facit Mammona,
Superba erigens, frangens humilia:
Ecce dominium quod Deus diruat.
Ecce inuerſio quam Deus deſtruat.
Ad ipſos redeo ſummos Pontifices,
Qui tacent cum vident hos execrabiles,
Licet intelligant, conſentientibus
Idem eſſe crimen quod eſt agentibus.
Sunt enim alia multa facinora
A mercatoribus iniquis edita,
Quæ ipſi pariter paſtores tollerant,
Et inde faciunt quaſi non ſapiant.
Quomodo diſſeram omnes iniurias,
Supplantationes, dolos, fallacias,
Quas ſibi inuicem vbique conferunt,
Et quando congregant, & quando diuidunt?
Nec patres filiis, nec fratres fratribus,
Sed neque nepotes ſuis nepotibus

Vllam

Vllam alterutrum habent fiduciam,
Propter pecuniæ concupiſcentiam.
Ergo mundus iſte peccatis obſitus,
Per auaritiam totus eſt perditus;
A primo homine venit cupiditas,
In qua plantata eſt omnis poſteritas:
Habent enim omnes concupiſcentiam,
Et ordo nullus eſt quem fere valeam
Ab auaritia mundum aſſerere,
Atque cupidinis expertem dicere.
Milites peßimi, propter ſuperbiam,
Vt equos habeant & veſtem nobilem,
Vt viuant largiter, & ſua diſsipent,
Et vt in actibus cunctis ſuperbiant;
Quoniam non habent tantæ ſuperbiæ
Quod ſit ſufficiens & tolerabile,
Eorum oculi quicquid aſpiciunt
(Si poſſunt) auferunt, captant, & rapiunt.
Superbi milites equi diaboli,
Huc illuc curſitant, feroces, rabidi,
Viros & beſtias, vbi reperiunt,
Nituntur rapere, vel interficiunt.
Ruſticos etiam quamuis ſint humiles,
Dico cupidinis eſſe culpabiles,
Quoniam inter ſe concupiſcentiam,
Et incredibilem habent iactantiam.
Nam ſi quis proprium canem habuerit,
Et alter alterum ſi forte læſerit:
Quid ipſi facerent in rebus maximis,
Qui vix ſe cohibent in rebus minimis?
Sæpe probatum eſt, quod homicidium
Pro vindicta canis extat compoſitum.
Sæpe pro hortulis orta ſunt odia:
Pro agris ſæpius facta ſunt prælia.
Quid vltra ſtudeo crimina dicere,
Maiora quam dixi, præſcripto ordine?
Quamdiu corrigi non poſſunt talia,
Nequaquam opus eſt, vt dicam alia.
O vos Epiſcopi, voſq; presbyteri,
Paſtores populi, quid meditamini?
Eſt omnis populus ſine cuſtodia:
Monitore caret omnis Eccleſia.
Propheta præcipit hoc vnicuique,
Vt clamet os veſtrum, nec ceſſet dicere:
Vt bene faciant vobis ſuppoſiti,
Et ſemper habeant timorem Domini.
Quod quia facere patres negligitis,
Vobiſcum filios ad mortem ducitis,
Hoc enim ſcriptum eſt: quod caſus populi
In iſta vita ſunt mali presbyteri.
Cum in nouiſſimo requiret Dominus
Commiſſas animas de veſtris manibus,
Et vos ante Deum præſentes eritis,
Quid dicetis ei? quid reſpondebitis?
Vos niſi iniquo annuntiabitis
Omnia crimina quæ intelligitis:
Et niſi viuentes hæc emendabitis:
Cum malis in ignem æternum ibitis,
Non eſt ſufficiens quicquid iam protuli,
Niſi adiunxero facto dictamini,
De falſis monachis quantum intelligo,
Secundum opera quæ de his audio.
Non enim aliud opto componere,
Nec nouum aliquid quæro confingere:
Præter hoc quod mihi de illis dicitur,
Atque per eoſdem foras extenditur.
Ipſi de nihilo inter ſe murmurant,
Et ſicut fœminæ quandoque litigant:
Habent ſub labiis venenum aſpidum,
Seque dilaniant more ſerpentium.
Vt canes conferunt inimicitias,
Atque latrabiles agunt inſidias:
Si debent ſilere in templo vel epulis,
Loquuntur & certant ſignis & oculis,
Lætantur dæmones cum hæc aſpiciunt,
Et peccare magis peccantes faciunt,
Qui tantum inuidis miniſtrant odium,
Quod ordo vertitur illis in tædium.
Suggerunt dæmones illis inuidiam,
Iramque ſeminant, plantant diſcordiam,
Bonos ſe fingere, negant hypocritas,
Iuſtos ſe dicere cogunt apoſtatas.
Nam victi plurimi dæmonum artibus,
Et malis illecti ſuaſionibus,
Tam Deum quam loca dimittunt leuiter,
In quibus vouerunt ſtare ſtabiliter.
Eſt virtus itaque magna diaboli,
Per quem victi ſunt etiam monachi,
Qui prius fuerant famuli Domini,
Et modo dæmonum facti ſunt ſocij:
In terris igitur pauci ſunt ordines,
Quorum non aliquos conuincant dæmones:
Vincuntur etenim, qui ad hoc ſeculum
Redeunt, veluti canes ad vomitum.
Abbates ſuper his cor habent impium,
Qui ſinunt filios abire perditum,
Qui nunquam reuocant illos a mortibus,
Quos ſuis deberent referre manibus.
Itaque dæmones culpas multiplicant,
Qui ſic de filiis ad patres conuolant,
Vt patres culpent de negligentia,
Et praui filij de apoſtaſia.
Accidit itidem de regularibus,
Qui prius ſuccenſi bonis in actibus,
Inſtinctu dæmonis deponunt regulam,
Vitamque repetunt iſtam mortiferam.
Idem eſt de malis eorum patribus,
Tam de præpoſitis quam de prioribus:

Qui curant minime quid agant subditi;
Siue sint rebelles siue obnoxij.
Olim non visa est tanta inuersitas,
Nec iam audita est tanta crudelitas,
Quanta nunc cernitur in his hominibus,
Qui se in ouium ostendunt vestibus.
Ista religio fallit & fallitur,
Quæ de operibus falsis inuoluitur.
Mentitur habitu religiositas,
Cum sit in cordibus lupina feritas.
Hi super oleum loquuntur molliter,
Omnes decipiunt admirabiliter.
Nam sicut latitat anguis in herba:
Sic latent in eis sermonum iacula,
Loquuntur etenim pacem cum proximo,
Malumque tegitur in corde perfido.
In Euangelio præcipit Dominus,
Omnes attendere ab his fallacibus,
Tales hypocritæ se cibis abstinent,
Macerant corpora, visus exterminant,
Qui tantum sub vitæ huius imagine,
Laudes & munera gaudent accipere.
A modo siquidem possum asserere,
Quia Antichristus creditur viuere:
Cum sic Ecclesiæ nunc, per circuitum,
Vadant ad dedecus & ad interitum.
Puto quod tempora venerunt vltima,
Cum tot ebulliant per mundum scandala,
Et cum iam pseudoprophetæ veniant,
Et iam quæ scripta sunt mala incipiant.
Nam venerabiles sanctæ ecclesiæ,
A sanctis Regibus olim compositæ,
Ita deficiunt in plenitudine,
Quasi redactæ sint in solitudine.
Nam quicquid in locis antiquis ponitur,
Ruit, & vilescit, perit, dilabitur,
Hoc autem accidit culpis communibus,
Qui Deo seruire nostro negligimus.
Conuersi nouiter per multas patrias
Noui constituunt nouas ecclesias,
Postponunt veteres plenas diuitiis,
Et loca repetunt nunc grata bestiis.

CAPVT XXIX.

POST mortem Regis Wilhelmi egregij & magnanimi viri, Anglorum domitoris, successit ei in regnum filius eius Wilhelmus, vsui militiæ aptus, laudis auarus, famęque petitor; Qui cum exheredato maiore natu Roberto fratre suo, patri Wilhelmo feliciter successisset, & post eiusdem fratris sui Hierosolymam profectionem, ducatum Normanniæ obtinuisset, sicut eiusdem Normanniæ ducatus se porrigit, quibuscunque poterat modis Regem Francorum Ludouicum filium Philippi nitebatur impugnare. Similiter, & dissimiliter inter eos certabatur; & similiter, cum neuter cederet; dissimiliter, cum ille maturus, iste iuuenculus; ille opulentus & Anglorum thesaurorum profusor, mirabilisque militum mercator, & solidator, iste peculij expers, patri, qui beneficiis regni vtebatur parcendo, sola bonæ indolis industria militiam cogebat, audacter resistebat: videres iuuenem celerrimum, modo Bituricēsium, modo Aluernorum, modo Burgundionum militari manu transuolare fines: nunc idcirco tardius si ei innotescat Vilcassinum regredi, & cum trecentis, aut quingentis milibus fortissime refragari: & vt dubius se habet belli euentus modo cedere, modo fugare. Talibus vtrobique multi intercipiebantur congressionibus, quorum famosus iuuenis & sui complures alios, tum comitem Simonem nobilem virum, Gillebertum de Aquila nobilem & Angliæ & Normanniæ æque illustrem baronem, Paganum de Gisortio, cui castrum idem primo minuit; Rex e contrario Angliæ, strenuum & nobilē comitem Matheum Bellunotensem, illustris & magni nominis Baronem, Simonem de monte forti, Dominum montis Gaij paganum, captos tenuerunt.

VERVM Angliæ captos ad redemtionem celerem militaris stipendij accelerauit anxietas; Francorum vero longa diuturni carceris macerauit prolixitas: nec vllo modo euinculari potuerunt, donec suscepta eiusdem regis Angliæ militia hominio obligati, regnum & regem impugnare & turbare iureiurando firmauerunt. Dicebatur equidem vulgo, regem illum superbum, & impetuosum, aspirare ad regnum Francorum, quia famosus iuuenis vnicus patri erat de nobilissima coniuge, Roberti comitis Flandrensis sorore; qui enim duo supererant, Philippus & Florus, de supradicta Andegauensi comitissa Bertrada geniti erant, nec illorum appretiabatur successionem, si vnicum primum decedere quocunque infortunio contigeret: verum quia nec fas, nec naturale est, Francos Anglis, immo Anglos Francis subiici, spem repulsiuam rei delusit

euentus,

euentus: nam cum per triennium, & eo amplius, hæc insania se & suos exagitasset, nec per Anglos nec per Francos hominio obligatos, proficiendo, voluntati suæ satisfacere valeret, subsedit; cumque in Angliam transfretasset, lasciuiæ & animæ desideriis deditus, cum quadam die in noua silua venationibus insisteret, subito inopinata sagitta percussus interiit. Diuinatum est, hunc virum diuina vltione percussum, assumpto veritatis argumento, eo quod pauperum extiterat intolerabilis oppressor, Ecclesiarum crudelis exactor; & si quando episcopi vel prælati decederent, irreuerendissimus retentor & dissipator. Imponebatur a quibusdam cuidam nobilissimo viro Galtero Tirello, quod eum sagitta perfoderat; quem cum nec timeret, nec speraret, iureiurando sæpius audiuimus, & quasi sacrosanctum asserere, quod ea die nec in eam partem siluæ, in qua Rex venabatur, venerit, nec eum in silua inuenerit; vnde constat tantam tam subito tanti viri diuina potentia in fauillam euanuisse insaniam, vt qui alios superuacanee inquietabat, grauius infinite inquietetur, & qui omnia appetebat, inglorius omnibus exuatur. Deo enim, qui balteum Regum discingit, regna & regnorum iura subiiciuntur. Successit eidem Wilhelmo quam celeriter in regno, frater minor natu (quoniam Robertus maior in illa magna expeditione sancti sepulchri agebat) vir prudentissimus Henricus, cuius tam admiranda, quam prædicanda animi & corporis strenuitas & scientia gratam afferunt materiam.

CAPVT XXX.

Contigit autem eundem Henricum ad partes venisse Normannorum, virum fortissimum & valde clarum, cuius admirabilem & pene per vniuersum orbem declaratam excellentiam ille etiam agrestis vates Anglorum, sempiterni euentus mirabilis spectator & relator Merlinus, tam eleganter quam veraciter summo præconio commendabat. Hic in eius laudem voce Prophetica erumpens, ex abrupto (vt vatum mos inoleuit) Succedet, inquit, Leo iustitiæ, ad cuius rugitum Gallicanæ turres & insulani dracones tremebunt. In diebus eius aurum ex lilio & vrtica extorquebitur, & argentum ex vngulis mugientium manabit, calamistrati varia vellera vestibunt, quia exterior habitus interiora signabit: pedes latrantium truncabuntur, pacem habebunt feræ, humanitas supplicium dolebit, fundetur forma commercij, dimidium rotundum erit, peribit miluorum rapacitas, & dentes luporum hebetabuntur; Catuli leonis in æquoreas pisces transformabuntur, & aquila eius super montem Arauium nidificabit. Quæ tota tanti & tam decrepiti vaticinij vsque adeo, & personæ eius strenuitati, & regni administrationi adaptatur, vt nec vnum iota, nec vnum verbum, ab eius conuenientia dissentire valeat: cum & hoc etiam quod in fine de catulis eius dicitur manifeste appareat, filios eius & filiam naufragatos, & a maritimis piscibus deuoratos, & conuersabiliter physice transformatos, illius vaticinium pro certo verificasse. Præfatus itaque Rex Henricus Wilhelmo fratri feliciter succedens, cum consilio peritorum & proborum virorum regno Angliæ lege antiquorum regnum gratanter disposuisset, ipsasque regni antiquas consuetudines ad captandam eorum beneuolentiam iureiurando firmasset, applicuit ad portum ducatus Normannici. Fretus Regis Francorum auxilio terram componit, leges recolit, pacem coactis imponit, nihil minus quam eruitionem oculorum & celsitudinem furcarum, si rapiant, promittens. His igitur & huiusmodi promissionibus & crebris promissionum redditionibus perculsis, quia pollicitis diues quilibet esse potest, silet terra in conspectu eius, pacem seruant inuiti, feroci damnorum propagatione pacis expertes Normanni, & in hoc ipso vatis aggrestis oracula verificantes. Perit enim miluorum rapacitas, & dentes luporum hebetantur, cum nec nobiles nec ignobiles deprædari aut rapere quacumque audacia præsumunt. Quod autem dicit; ad rugitum Leonis iustitiæ Gallicanæ turres & insulani dracones tremebunt; huc accedit, quod fere turres & quæque fortissima castra Normanniæ, quæ pars est Galliæ, aut euersum iri fecit, aut suos intrudens & de proprio ærario procurans, ac si diruptæ essent, propriæ voluntati subiugauit. Insulani dracones tremuerunt, cum

quicunque Angliæ proceres, nec in æuum mutire, tota eius administratione præsumserunt. In diebus eius aurum ex lilio, quod est, ex religiosis boni odoris, & ex vrtica, quod est, ex secularibus pungentibus, ab eo extorquebatur: hoc intendens, vt sicut omnibus proficiebat, ab omnibus ei seruiretur. Tutius est enim vnum vt omnes defendat, ab omnibus habere, quam non habendo per vnum omnes deperire. Argentum ex vngulis mugientium manabat: cum ruris securitas horreorum plenitudinem ministrabat: horreorum plenitudo, argenti copiam plenis scriniis ministrabat. Qua occasione & castrum Gisortium tam blanditiis quam minis a Pagano de Gisortio eum extorquere contigit, castrum munitissimum.

FINIS.

RERVM

RERVM

ANGLICARVM

LIBRI QVINQVE,

Auctore

GVLIELMO NEVBRIGENSI.

AMANTISSIMO patri domino E. Abbati Rieuallis, suus G. seruorum Christi minimus. Cum apparuerit Princeps pastorum, immarcessibilem percipere gloriæ coronam litteras sanctitatis vestræ suscepi, quibus mihi studium & operam rerum memorabilium, quæ nostris temporibus copiosius prouenerunt, ad notitiam cautelamque posterorum conscribendarum dignatur ingerere: cum ex illo venerabili filiorum vestrorum collegio plures vobis suppetãt, qui hoc opus commodius valeant atque elegantius adimplere. Sed vt video pia prudentia vestra propriis filiis circa obseruantiam militiæ regularis sudantibus in hac parte ducens parcendum: indultum misericorditer infirmitati meæ ocium non patitur esse ociosum. Et quidem vestræ circa me dignationi tanta sum deuotione astrictus: vt etiam si fortiora iubeatis non audeam continere. Nunc autem cum tanta discretio vestra non altis scrutandis, mysticisque rimandis insistere, sed in narrationibus historatis percipiat spatiari ad tempus, tanquam pro quadam (ex facilitate operis) recreatione ingenij; tanto magis excusandi mihi occasio tollitur. Itaque in adiutorio Dei & Domini nostri, in cuius manu sumus nos & sermones nostri, fretus orationibus vestris, & sanctorum filiorum vestrorum, qui præcepto sanctitatis vestræ non contemnendas preces dignati sunt sociare: opus iniunctum aggrediar, pauca sane, quæ ad rem pertinent, ante historiæ imgressum prælibans.

PROEMIVM SEQVENTIS HISTORIÆ.

HISTORIAM gentis nostræ, id est, Anglorum, venerabilis presbyter & monachus Beda conscripsit. Qui nimirum præsumpto altius exordio, vt ad id quod specialiter intendebat, competentius accederet: etiam Britonum, qui nostræ insulæ primi incolæ fuisse noscuntur, celebriora subtili grauitate gesta perstrinxit. Habuit gens Britonum ante nostrum Bedam proprium historiographum Gildam. quod & Beda testatur, quædam eius verba suis litteris inserens; sicut ipse probaui, cum ante annos aliquot in eiusdem Gildæ librum legendum incidissem. Cum enim sermone sit admodum impolitus atque insipidus, paucis eum vel transcribere vel habere curantibus, raro inuenitur. Integritatis tamen eius non leue documentum est: quia in veritate promenda propriæ genti non parcit, & cum admodum parce bona de suis loquatur, multa in eis mala deplorat, nec veretur, vt rerum non taceat, Brito de Britonibus scribere,

QVOD nec in bello fortes fuerint: nec in pace fideles. At contra quidā nostris temporibus pro expiandis his Britonum maculis scriptor emersit, ridicula de eisdem figmenta contexens, eosque longe supra virtutem Macedonum & Romanorum impudenti vanitate attollens. Gaufridus hic dictus est, agnomen habens Arturi: pro eo quod fabulas de Arturo ex Priscis Britonum figmentis sumtas, & ex proprio auctas per superdictum Latini sermonis colorem honesto historiæ nomine palliauit, qui etiam maiori ausu cuiusdam Merlini diuinationes fallacissimas, quibus vtique de proprio plurimum adiecit, dum eas in Latinum transfunderet, tāquam authenticas, & immobili veritate subnixas prophetias vulgauit. Et hunc quidem Merlinum patre incubo dæmone ex fœmina natum fabulatur, cui propterea tanquam patris sancti filio excellentissimam atque latissimam tribuit præscientiam futurorum: cum profecto & veris rationibus & sacris litteris doceamur, dæmones a luce Dei seclusos futura nequaquam contemplando præscire: sed quosdam euentus futuros ex signis sibi quam nobis notioribus, coniiciendo magis quam cognoscendo colligere. Denique in suis quamuis subtilioribus coniecturis sæpe falluntur & fallunt: cum tamen per diuinationem præstigia apud imperitos, quam vtique non habent, præscientiam sibi arrogent futurorum. Sane diuinationē Merlini pespicua fallacia est in his quæ in regno Anglorum contigisse noscūtur post mortem prænominati Gaufridi: qui diuinationum illarum nænias ex Britannico transtulit, quibus vt non frustra credatur, ex proprio figmento multū adiecit. Porro ad ea, quæ vel ante ipsum, vel in diebus eius euenerunt, taliter sua (quod vtique facile poterat) temperauit figmenta, vt congruam possent interpretationem recipere. Præterea in libro suo, quem Britonum historiam vocat, quam petulanter & impudenter fere per omnia mentiatur, nemo nisi veterum historiarum ignarus, cum in librum illum incidit, ambigere sinitur. Nam qui rerum veritatem non didicit, fabularum vanitatem indiscrete admittit. Omitto quanta de gestis Britonum ante Iulij Cæsaris imperium & aduentum homo ille confinxerit, vel ab aliis conficta, tanquam authentica scripserit. Omitto quæcunque in laudibus Britonum contra fidem historicæ veritatis delirauit, a tempore Iulij Cæsaris sub quo Britones ditionis Romanæ esse cœperunt: vsque ad tempus Honorij Imperatoris, sub quo Romani a Britannia propter vrgentiora Reipub. negotia sponte recesserunt. Certe Britones, Romanis recedentibus sui iuris effecti: immo ad suam perniciem sibi relicti, Pictisque & Scotis ad prædam expositi: Regem Wortegirnum habuisse leguntur, a quo ad tuitionem regni Saxones vel Angli Duce Hengisto in Britanniam venerunt, irruptiones barbaricas pro tempore depulerunt, postea vero explorata insulæ fertilitate, & indigenarum inertia: rupto fœdere in ipsos, a quibus fuerant inuitati, arma verterunt: quibus paulatim profligatis, miseras eorum reliquias, quæ nunc Walenses vocantur, in inuiis montibus & saltibus coarctarunt. Habueruntque per seriem successionis reges fortissimos, & late dominantes. e quibus fuere Echelbertus, Hengisti pronepos, qui protenso a Gallico mari

vsque

vsque ad Humbrum imperio, leue Christi iugum Augustino prædicante suscepit: Ailfridus, qui Northahumbranis præsidens Britones simul & Scotos vasta cæde per domuit: Edvvinus, qui Ailfrido succedens, Anglis simul & Britonibus præfuit: Osvvaldus eius successor, qui cunctis Britanniæ populis imperauit. Hæc cum iuxta historicam veritatem a venerabili Beda exposita constet esse rata: cuncta, quæ homo ille de Arturo & eius successoribus, vel post Wortegirnum, prædecessoribus scribere curauit, partim ab ipso, partim & ab aliis constat esse conficta: siue effrænata mentiendi libidine, siue etiam gratia placendi Britonibus, quorum plurimi tam bruti esse feruntur, vt adhuc Arturum tanquam venturum exspectare dicantur, eumque mortuum nec audire patiantur. Denique Wortegirno facit succedere Aurelium Ambrosium, deuictis expulsisque Saxonibus, quos Wortegirnus accersierat, in tota Britannia egregie imperantem. illique dat successorem Vtherpendragon fratrem eius, non impari potentia gloriaque regnantem, plura de Merlino suo profusa mentiendi libertate interserens. Defuncto quoque Vtherpendrago facit succedere Arturum filium suum in regno Britanniæ, a Wortegirno quartum, sicut noster Beda ponit Echelbertum, Augustini susceptorem in regno Anglorum, ab Hengisto quartum. Itaque regnum Arturi, & ingressus in Britanniam Augustini, concurrere debuerunt. Sed quantum mera historiæ veritas hoc loco compositæ præiudicet falsitati, vel lippienti mentis acie clare videri potest. Ipsum Arturum autem facit præclarum & spectabilem super omneis homines: tantumque illum in gestis vult esse, quantum sibi libuit fingere. Denique in primis facit eum de Anglis, Pictis, & Scotis, ad libitum triumphare: Denique Hiberniam, Noricam, Orcades, Gothiam, Daniam, partim bello, partim etiam solo terrore nominis, ditioni suæ subiugare: His quoque addit Islandiam, quæ vltima Thule secundum quosdam dicitur, vt ad Britonem illum in veritate spectare videatur: quod Augusto Romano a poeta nobili, adulatorie dicitur, Tibi seruiet vltima Thule. Deinde facit eum bello pulsare Gallias, & de ipsis in breui subactis felicissime triumphare, quas Iulius Cæsar cum summis periculis atque laboribus annis decem vix potuit subiugare: scilicet, vt minimus digitus huius Britonis, grossior videatur lumbis magni Cæsaris. Post hæc cum triumpho multiplici reducit eum in Britanniam, & facit eum cum subactis regibus, & principibus festum celebrare sanctissimum: præsentibus tribus Britonum Archiepiscopis, scilicet Lundoniarum, Vrbis legionum, Eboraci: cum ne vnum quidem Archiepiscopum vnquam habuerint Britones. Primus enim Augustinus, accepto a Romano Pontifice pallio, Archiepiscopus in Britannia factus est. Barbaræ vero nationes Europæ etiam olim ad fidem Christi conuersæ, contentæ Episcopis, de Pallij prærogatiua non curabant. Denique Hibernienses, Norici, Dani, Gothi cum olim Christiani fuisse & Episcopos habuisse noscantur, nostris temporibus Archiepiscopos habere cœperunt. Inde Fabulator ille, vt suum Arturum ad summum eueha t, facit eum Romanis bellum indicere, ante hoc bellum singulari certamine miræ magnitudinis Gigantem prosternere: cum post Dauidica tempora de nullo Gigante legatur. Consequenter profusiore mentiendi licentia facit aduersus eum conuenire cum Romanis Reges magnos orbis terrarum: scilicet, Græciæ, Africæ, Hispaniæ, Parthorum, Medorum, Itureorum, Libyę, Ægypti, Babylonis, Bithynię, Phrygię, Syrię, Bœotiæ, Cretæ, omneisque refert vno prælio ab illo deuictos: cum Alexander ille Magnus & omnibus seculis clarus, per annos duodecim, quibusdam tantorum regnorum principibus superandis sudauerit. Profecto minimum digitum sui Arturi, grossiorem facit dorso Alexandri Magni: præsertim cum ante hanc victoriam de tot magnis regibus, faciat eum commemorare suis in concione subactionem triginta regnorum, a se & illis iam factam. At non inueniet fabulator noster tot regna in orbe nostro: præter regna memorata, quæ vtique nondum ille subegerat. An alium orbem somniat infinita regna habentem in quo ea contigerint, quæ supra memorauit? Quippe in orbe nostro nunquam talia contigerunt. Quomodo enim historiographi, quibus ingenti curæ fuit nihil memorabile scribendo omittere, qui etiam mediocria memoriæ mandasse noscuntur, virum incomparabilem eiusque acta supra modum insignia silentio præterire potuerunt? Quomodo, inquam, vel nobiliorem Alexandro Magno Britonum monar-

cham Arturum eiusq; acta, vel parem nostro Esaiæ Brit[redacted], eiusque dicta silentio suppresserunt? Quid enim minus in præscientia dumtaxat futurorum tribuit suo Merlino, quam nos nostro Esaiæ: nisi quod eius vaticiniis non audet inserere, Hęc dicit Dominus, & erubuit inserere, hęc dicit diabolus? Quippe hoc debuit congruere vati, incubi dæmonis filio. Cum ergo nec tenuem de his veteres historici fecerunt mentionem; liquet a mendacibus esse conficta, quæcunque de Arturo atque Merlino ad pascendam minus prudentum curiositatem, homo ille scribendo vulgauit. Et notandum, quod eundem Arturum postea refert in bello letaliter vulneratum: regno disposito ad curanda vulnera sua abiisse in illam, quam Britannicæ fingunt fabulæ insulam Auallom: propter metum Britonum non audens eum dicere mortuum, quem adhuc vere bruti Britones exspectant venturum. De successoribus vero Arturi pari impudentia mentitur, tribuens eis vsque ad septimam fere generationem Britanniæ monarchiam: faciensque eorum subregulos & ministros: quos venerabilis Beda fortissimos dicit fuisse Reges Anglorum, vniuersæ Britanniæ nobiliter imperantes. Vt ego eidem Bedæ, de cuius sapientia & sinceritate dubitare fas non est, fides in omnibus habeatur; Fabulator ille cum suis fabulis incunctanter ab omnibus respuatur. Sane post Bedam non defuere, qui ab ipso seriem temporum atque euentuum nostræ insulæ, ad nostram vsque memoriam ducerent, illi quidem minime comparandi; pro religiosa tamen opera, & fideli, quanquam minus diserta narratione laudandi. Nostris autem temporibus tanta & tam memorabilia contigerunt, vt modernorum negligentia culpanda merito censeatur, si litterarum monumentis ad memoriam sempiternam mandata non fuerint. Et forte hoc opus ab aliquo siue aliquibus iam vel inchoatum est, vel patratum: sed tamen viri venerabiles, quibus mos gerendus est, hoc ipsum & meæ paruitati dignantur iniungere, vt & ego, quia cum diuitibus non possum, saltem cum paupercula vidua aliquid de tenuitate mea mittam in gazophylacium domini. Quoniam vero Anglicanæ ordinem historiæ a quibusdam vsque ad decessum Regis Henrici primi nouimus esse deductum, sumto ab aduentu Normannorum in Angliam exordio; media tempora succincte percurram, vt a successore eiusdem Henrici Stephano, cuius anno primo ego G. seruorum Christi minimus, & in Adam primo ad mortem sum natus, & in secundo ad vitam renatus: narrationem, Deo volente, incipiam producere pleniorem.

LIBER

CAPVT PRIMVM.

ANNO a plenitudine temporis quo verbum caro factum est, & habitauit in nobis M. LXVI. Guilelmus cognomento Nothus, Dux Normannorum, Haraldo Regi Anglorum, vel dominandi libidine, vel causa vlciscendi iniurias, bellum intulit: quo Haraldo bellica sorte absumto, Anglisque expugnatis atque subactis; Ducatui Normanniæ regnum Angliæ sociauit. Cumque peracta victoria, tyranni nomen exhorrescens & legitimi Principis personam induere gestiens, a Strigando tunc temporis Cantuariensi Episcopo in Regem solemniter consecrari deposceret, ille, viro (vt aiebat) cruento & alieni iuris inuasori; manus imponere nullatenus adquieuit. Altredus vero Eboracensis Archiepiscopus vir bonus & prudens, hoc munus impleuit: acutius intelligens, cedendum esse tempori, & diuinæ nequaquam resistendum ordinationi. Denique hoc modo hominem ferocissimum spirantem adhuc minarum & cædis in populum; mitem reddidit: & religiosis pro conseruanda republica, tuendaque ecclesiastica disciplina sacramentis astrinxit. A quo postea loco patris ita colebatur, vt cum ille ceteris imperaret, ab eo sibi imperari æquanimiter sineret. Contigit aliquando eundem Pontificem in quadam petitione a Rege repulsam passum, iratum auertere scapulam, recedentem & maledicentem pro benedictione comminari. Cuius motus ille non sustinens, ad pedes eius procidit, veniam petiit, satisfactionem spopondit. Cumque optimates qui aderant suaderent, vt regem prostratum erigeret, sinite, inquit, illum iacere ad pedes Petri. Plane in hoc & quanta fuerit ferocissimi Principis erga Præsulem reuerentia, & quanta eiusdem Pręsulis circa Principem auctoritas atque fiducia; satis declaratum est. Porro idem Rex a Stigando Cantuariensi, vt dictum est, irritatus, cum vitium ordinationis eius, & vitæ dedecora postea cognouisset, honestam de ipso voluit habere vltionem. accersitus enim Regiis litteris ad disponendam ecclesiam Anglicanam, concilium in Anglia Apostolicæ sedis legatus celebrauit: in quo Stigandi sceleribus patefactis, infructuosam arborem securis Canonicæ animaduersionis succidit. Locum vero succisæ suscepit Lanfrancus ex monacho Beccensi, Abbas Cadomensis, natione Longobardus vir præter religiosæ vitæ meritum, in vtraque litteratura seculari scilicet & diuina clarissimus. Aldredo quoque Eboracensi ad patres suos apposito Thomas successit. Guilelmus autẽ postquam regnum fortiter adquisitũ per annos XXI. nobiliter tenuit: cum iam sub extrema sorte decumberet, treis filios designauit hæredes. Et quidem Robertum primogenitũ suum quia paternę pietati inofficiosus & rebellis exstiterat, ducatu contentum esse voluit: sui vero nominis filio, in quo sibi melius complacebat, regnum Angliæ assignauit. Porro iuniorem Henricum cuius indolem propensius laudabat; multa summa donatum bene acturum prædixit. Dormiuit ergo cum patribus suis homo ab annis adolescẽtiæ armis acer, animo ingens, successu felix, singulare Nothorum decus: sepultusque est Cadomi in monasterio Protomartyris Stephani, quod ipse a fundamentis exstruxerat, egregieque ditauerat. In eius vero sepultura quiddã memorabile contigisse fideli narratione cognoui. Cum enim expleta exequiarum solemnitate corpus eius in loco ad hoc præparato esset condendum; quidam accedens omnipotentis Dei præcentor terribiliter nomine eum ibidẽ sepeliri prohibuit, terra, inquiens, ista auito mihi iure competit: quam idem Rex dum monasterium construeret, violenter mihi abstulit, nec vnquam postea mihi satisfecit. Obstupuere omnes qui aderant, iudicio Dei, ad declarandam transitoriæ dominationis vanitatem, actum considerantes: vt Princeps potentissimus qui tam late dominatus fuerat viuus locum corporis sui capacẽ sine querela non haberet mortuus. Denique querela illa adeo mouit omneis: vt prius illi cani viuo tanquam meliori, ad votum satisfacerẽt; ac deinde circa leonẽ mortuum iusta cõplerent.

Sane quod idem Christianos innoxios hostiliter Christianus impetiit,& tanto sibi sanguine Christiano regnum parauit:quātæ apud homines gloriæ;tantæ etiā apud Deum noxę fuit.Cuius rei argumētū est, quod a testibus fide dignis accepimus.in loco siquidem vbi victi Angli occubuerunt,constructum est a victoribus monasterium nobile beati Martini de bello nuncupatū;quod scilicet & ad homines æternus foret Normannicæ victoriæ titulus:& ad Dominū propiciatio pro effusione tanti sanguinis Christiani.Deniq; in eodem monasterio locus ille vbi Anglorum pro patria dimicātium maxima strages facta est,si forte modico imbre maduerit; verum sanguinem & quasi recentem exsudat: ac si aperte per ipsam rei euidentiam dicatur, quod adhuc vox tanti sanguinis Christiani,clamet ad Dominum de terra; quæ aperuit os suum & suscepit eundem sanguinem de manibus fratrum,id est Christianorum.

CAPVT II.

Anno a plenitudine tēporis quo veritas de terra orta est M. LXXXVII. Robertus primogenitus in Ducatu Normanniæ & Guilelmus qui agnominatus est Rufus in regno Angliæ patri defuncto successere,ordine quidem præpostero, scilicet per vltimam patris(vt dictum est)voluntatem commutato. Vnde factum est, vt quibusdam optimatum Roberto propensiorē,tanquam iusto hæredi & perperā exhæredato, fauorem præstantibus, statumq; regni turbantibus; Guilelmus in principio infirmius laboriosiusq; imperaret,& ad conciliandos sibi animos subditorū modestior mitiorque appareret: at postquam perdomitis hostibus & fratre mollius agente roboratū est regnum eius,exaltatum est illico cor eius, apparuitq; succedentibus prosperis; qualis latuisset dum premeretur aduersis,homo vecors & incōstans in omnibus viis suis, Deo indeuotus,ecclesiæ grauis,nuptiarum spernens, & passim lasciuiens, opes regni vanissima effusione exhauriens, & eisdem deficientibus subditorum fortunas in hoc ipsum corradens.Homo turgidus typo immanissimæ superbiæ, & vsque ad nauseam vel etiam derisionem doctrinæ euangelicæ,tēporalis gloriæ fœdissima voluptate absorptus.Frater vero eius senior Robertus,cui nimirū ordine naturali regni successio cōpetebat:minus quidem elati & ferocis animi fuit:sed in minori administratione scilicet Ducatus Normannici claruit,quod regno amplissimo administrādo nunquā idoneus fuerit.Qui tamen armis tātus fuit,vt in illa magna & famosa expeditione Ierosolymitana inter fortissimos totius orbis proceres clarissimæ militiæ titulis fulserit. Porro Henricus frater iunior laudabilem præferēs indolem duris & infidis fratribus militabat. De suo quippe nihil ei largientes:ea etiam quæ pater illi testamento reliquerat abstulerunt. Cumque fratri minimo paulatim ad prouectum tendenti inuiderent;eorum ille insidias in tuto se continens prudenter eludebat.Circa hoc tempus Lanfranco Cantuariensi Episcopo viam vniuersæ carnis ingresso: Anselmus Abbas Beccensis successit, natione & ipse Longobardus,Lanfranci olim discipulus, vir sanctus & excelsus in verbo gloriæ. Eboracensis, quoque Ecclesiæ Præsulatum Thoma defuncto Gerardus suscepit. Sane sub memorati Regis principatu; suscitauit Dominus Spiritus Christianorum contra Saracenos occulto Dei iudicio lōgo iam tēpore tanquā iure hæreditario possidentes sanctuarium Dei,id est,loca sacra, in quibus redemtio nostra celebrata est.Factus est ergo per Vrbani Pōtificis Romani,& aliorum seruorum Dei religiosam operā,magnus populi Christiani concursus.fortissimi duces charactere Domini insigniti,&numerosissima stipati militia,expeditione laboriosissima Orientis regna penetrantes: Niceam Bithymiæ,Antiochiā Syriæ vrbeis amplissimas,& ad vltimū sanctam ciuitatē, pio & felici sudore ceperūt.e quibus fuit Robertus Dux Normāniæ in primis clarus. Qui nimirum cum eidē expeditioni necessaria præpararet, & pecunia illi minus copiosa suppeteret,& accepta a fratre Guilelmo summa nō modica Normanniā illi apposuit, sicq; cum reliquis Principibus Christianis laudabile iter arripiēs:cunctis prospere gestis,post annos aliquot domū repedauit.Rex autē Guilelmus prolōgans iniquitatem sibi, & in exitiū proprium contra stimulū calcitrans; venerabilē Anselmum cum modestia eum corripientem,& enormia,quæ ab eo vel sub eo gerebantur,corrigere volentē non pertulit,sed spoliatū rebus fere omnibus tanquā regno cōtrariū ab Anglia expulit.Verum

dum

dum in oriente a nostris proceribus fortiter atque feliciter ageretur: idem Rex propellentibus eum ad interitum malis suis, condignum effrenatæ superbiæ finem incurrit. Quippe in venatione sagitta proprij militis homo ferocissimus pro fera confossus interiit, completumque in eo est illud: Vidi impium super exaltatum & eleuatum sicut cedros Libani, & transiui & ecce non erat, quæsiui eum, & non est iuuentus locus eius.

CAPVT III.

Anno a plenitudine temporis quo misit Deus filium suum in mundum M. C. regi Guilelmo infeliciter mortuo, frater suus Henricus successit, filiorũ quidem Guilelmi magni ordine natiuitatis nouissimus, sed prerogatiua primus. Quippe aliis in Ducatu patris natis, solus ipse ex eodẽ iam rege est ortus. Hac ratione inducti, & præterea laudabili eius indole illecti Pontifices & Proceres Angliæ fratrem Robertum in Oriente adhuc constitutũ, quẽ ex Ducatu non bene administrato cõstabat regno administrando minus idoneũ, exspectandum minime censuerunt; eumq; quem aptum esse regimini signis nõ fallacibus colligebãt, in Regem solemniter sublimarunt. Qui mox salubri vsus consilio venerabilẽ Anselmũ ab exsilio reuocauit, prauas consuetudines quæ sub fratre inoleuerant, abrogauit: pacis & æquitatis iura, quatenus regẽ adhuc nouitiũ decuit, firmauit. multa enim adhuc pro tempore prudẽter dissimulabat: ne rigore subito subditi terrerẽtur, caute præuidens post reditũ fratris tumultus scilicet publicos minime defuturos: quod & cõtigit. Cum enim ille ex Orientis partibus cũ vxore quam sibi in via desponderat, reuersus, Normanniã recepisset; instigãtibus eum quibusdã Angliæ proceribus, quibus iam Hẽricus formidabilis esse cœperat, fratri bellum, nisi regnũ sibi resignaret, indixit, armatã classem in Angliam duxit, cui & mox adiuncti sunt qui a fratre desciuerant. Sed prudẽtia fraterna homo leuis & incõstans delusus, infecto negotio regnãdi securitatẽ fratri cum regno reliquit, & in Normanniã rediit. Cumq; per annos aliquot Normãniæ incubãs eam sua mollitie perderet, & improbi nullo publicæ disciplinæ metu coërciti libere grassarentur, inuitatus a maioribus eiusdem prouinciæ Rex Henricus ciuili magis animo quã hostili affuit, plurima eius parte in deditionẽ recepta: tandem fratrẽ fusis eius copiis apud Tenerchebrai in bello cepit. Sic itaque vir magnus & magnorũ in remotis mundi partibus operũ, fortunæ inuidia præditus, in manus iunioris fratris, quem olim irritauerat, incidit. & post tantã militię claritatẽ in fratris quidem, sed tamen minus fraterna custodia inglorius reliquũ vitæ suæ tẽpus exegit. Henricus autẽ regno Angliæ socians Ducatum Normanniæ, sicut pater olim Ducatũ Normanniæ regnũ sociauerat Angliæ, nomẽ celebre & grãde adeptus est, iuxta nomẽ magnorũ qui sunt in terra. Porro venerabilis Anselmus Cãtuariensis ex Gallicano exsilio ad propriã sedem regressus, & post annos aliquot viam vniuersæ carnis ingressus: sortitus est nomen grãde iuxta nomen magnorũ qui sunt in cælo. Successit ei Radulphus Abbas Sagiensis vir religiosus & prudens. Gerardo vero Eboracensi defuncto Thomas secundus successit, ætate quidẽ iuuenis: sed grauitate & sinceritate morũ prædecessori suo valde dissimilis. Idẽ enim Gerardus homo quidẽ acutus & litteratus fuisse dinoscitur, sed vita lubricus. in emũgendis per indecoras etiã occasiones subditorũ marsupiis callidus, & vt plurimi asseuerãt, maleficiis etiã assuetus: Deo & hominibus inuisus inuentus est. quod eius mors horrẽda & post mortẽ corpori eius negata Pontificaliũ exequiarũ solemnitas declarauit. Quippe apud Suthvvellã cum pransus in horto iuxta cubiculũ clericis prope spatiãtibus super ceruical sub dio quiesceret: letali sopore diriguit: Corpus eius raro agmine Eboracũ delatum, neq; clericis, neq; ciuibus cum põpa exequiali ex more occurrentibus, sed pueris (vt dicitur) sandapilã lapidantibus extra ecclesiam sine honore sepulturæ est traditũ. Ille autem qui ei successit, exemplo eius territus, lauãsq; manus suas in sanguine peccatoris, laudabiliter in officio cõuersatus est: Prolixiores vero annos nõ vidit, raptus, vt credo, ne malitia mutaret intellectũ eius. De quo nimirum rem memorabilem viro veracissimo referente cognoui, quam non silebo: ægrotantia medicis dictum est, vt fœminæ pro remedio misceretur, pronuntiantibus hoc solo morbũ fore curabilem. Instabant amici vt fieret: protestantes Dominũ minime offensum iri, dũ hoc pure pro remedio, non pro voluptatis illecebra fieret. Visus est

assentiri ne contristaret amicos. Fœmina decentis formæ in secretũ eius intermittitur. Postea vero vrinam inspicientibus medicis: assensio illa pro placandis amicis simulatoria fuisse declaratur. Obiurgantibus ergo eum amicis, quod quasi semetipsum occideret, qui medicorum præcepto non pareret, silete, inquit, nullus vestrũ mihi vlterius verbi huius virus insilibet, nam propter salutem carnis tandem morituræ immortale decus pudicitię non amittam. Huic ergo ex eadẽ ægritudine, vt creditur, feliciter mortuo, pro qua curanda Dominũ offendere noluit: Trustinus vir bonus & prudens successit. Porro Radulpho Cantuarensi apposito ad patres suos, Guilelmus, qui regularium clericorũ apud Chiechiam prior exstiterat, cathedram eius suscepit. Has fuisse nouimus Metropolitanorũ successiones sub Rege Henrico. Idẽ autem Rex ex Matilde religiosa regina geminã in sexu dispari susceperat sobolẽ. Et filiam quidẽ materni nominis iam nubilem Henrico Imperatori Romano petenti despondit, filiũ vero auiti nominis qui successor sperabatur, iam puberem sinister casus abstulit, cũ turba nobilũ iuuenum marinis beluis escam datũ. Et quoniam Matildis regina iam obierat: procreandorum causa hæredum Rex filiã Ducis Lotharingię duxit vxorem, de qua liberos nõ suscepit. Vnde filiam, postquam Imperator non relictis ex ea hæredibus in fata concesserat, ex Alemannia reuocatam, illustri Comiti Andegauensi Gaufrido despondit, vt vel nepotes ex ea successuros haberet. Factoque concilio: eidem filiæ suæ & susceptis vel suscipiendis ex ea nepotibus, ad Episcopis, Comitibus, Baronibus, & omnibus qui alicuius videbantur esse momenti, regnum Angliæ cum Ducatu Normanniæ fecit adiurari. Regnauit autem in multa felicitate & gloria annis xxxv. & mensibus aliquot, quibus expletis: dormiuit cum patribus suis; homo multis quæ decerent Principem bonis ornatus: quæ tamen plurimum denigrabat in cõcupiscentia fœminarum imitando petulantiam Salomonis. Feras quoque propter venationis delicias plus iusto diligens, in publicis animaduersionibus ceruicidas ab homicidis parũ discernebat. Corpus eius cerebro & intestinis eiectis salitum coriisque insutum, a Normãnia in Angliam delatum & apud Radingum in monasterio, cuius ipse deuotus fundator largusque ditator exstiterat; sepultum est. Porro ille qui precio magno conductus, cerebrum eius extraxerat: intollerantia fætoris (vt dicitur) infectus atque extinctus est, sicque cum Helisæi mortui corpus viuificauerit mortuum, illius iam mortui corpus mortificauit viuum.

CAPVT. IIII.

Anno a partu virginis M.C.XXXV. defuncto sed nondum sepulto clarissimo Rege Anglorum, & Duce Normannorũ Henrico, Stephanus comes Bononiensis eius ex sorore nepos regnum Anglorũ inuasit. Si quidem Stephanus maior Comes Blesensis maioris Guilelmi filiã memorabilem fœminam vxorẽ duxerat, & ex ea quatuor susceperat filios. Quo nimirum in partibus Orientis defuncto: mater mirabilis primo genito, quod remissioris ingenij & tanquã degener videretur, prudenter amoto, Theobaldum filium in quo sibi bene complacebat, ad plenitudinẽ hæreditatis prouexit. Stephanum adhuc impuberẽ Regi auunculo nutriendũ promouendumq; direxit, quartũ vero Hẽricum ne soli seculo genuisse liberos videretur apud Cluniacũ tonsorauit. Processu tẽporis Rex Hẽricus vnicam Comitis Bononiensis filiam, ad quam tota spectabat hæreditas nepoti Stephano copulauit: in Anglia plurima eidem collargiens. Fratri autem eius Henrico Cluniacensi monacho dedit Abbatiam Glastoniensem, ac postmodum Episcopatum adiecit Wintoniensem. Cũ ergo vt prædictũ est, Rex Hẽricus obisset: idẽ Stephanus sacramenti, quod filiæ eius de conseruanda fidelitate præstiterat Preuaricator regnum arripuit, annitẽtibus Præsulibus atq; Principibus eodẽ sacramẽto astrictis. Deniq; Guilelmus Cantuariensis Archiepiscopus qui primus iurauerat, vnxit eum in Regẽ assistente & cooperãte Rogerio Salesberiensi Episcopo, qui secundus iurauerat, & iuraturis singulis iuramẽti formã expresserat. Et Archiepiscopus quidẽ eiusdem, vt creditur periurij merito, ipso præuaricationis suæ anno defecit. Episcopus vero post annos aliquot, ipso Rege diuinę in illũ vltionis ministro, miserabili exitu vitã finiuit, vt plenius suo loco dicetur. Forte tamen arbitrati sunt obsequium se præstare Deo, dum suo periurio tanquam dispensatorio Ecclesiæ regnique profectibus melius prouiderent:

rent:

runt: eo quod in defuncti Principis moribus & actibus plura ipsis merito displicuissent, quæ Princeps mero ab eis creatus beneficio, eorum (vt credebant) libenter emendaret consilio. Stephanus ergo, vt contra ius humanum pariter & diuinum; Humanum scilicet quia legitimus hæres non erat, & diuinum, id est violata iurisiurãdi religione sublimaretur in Regẽ: pactus est quæcunq; Præsules & Proceres exigere voluerũt, quæ postea per eius perfidiam in irritum cuncta cesserunt. Dei enim iudicio bona minime venire debuerunt: propter quæ sapientes potentesque illi malum tam enorme faciendum decreuerunt.

CAPVT V.

Dvos quidem priores regni sui annos Rex Stephanus faustos habere visus est, Rege Scottorum Dauid qui Norhthumbriam transfluuium Tinum irruperat, magnis viribus repulso, & domito: Baldenvvino de Redneriis, qui contra eum rebellare cœperat, expugnato atque in exsilium acto: rebus quoque in Normannia fortiter & fæliciter gestis. Anno vero tertio & quarto cœperunt contra periurum & pactorum etiam quæ in promotione sua fecerat, prçuaricatorem mala increscere, plurimi & fortissimi rebellare: ipse iã exhaustis auunculi thesauris minus posse & mollius agere. Initia malorum hæc. Cum ergo in Australibus Angliæ partibus contra eos qui a se defecerant, & hostiliter agebant, casso labore sudaret; Scottorum rediuiuus furor erumpens Norhthumbriam crudelissima depopulatione exinanitam obtinuit, & amne Tino transmisso neque sexui neque ætati parcens, vsque ad fluuium Tesam peruenit: non quidem ibi debacchandi sibi limitem statuens, sed totam Deirorum prouinciam cum Eboraca ciuitate spe iam non dubia possidens. Prouinciales vero cum nullũ vel a Rege vel à Transhumbranis prouinciis sperarent auxilium: bonæ memoriç Trustini Archiepiscopi monitis animati pro animabus suis, pro coniugibus & liberis pugnandum duxerunt, atque vnanimiter conglobati contra multitudinem immanitate terribilem non longe a flumine Tesa in campo steterunt, numero quidem longe impares: sed piæ iustæque causæ fiducia multum præstantes. Denique Scotti mane castris incensis flumen transeunt, & obiectam paucitatem derisui habentes: audacter in pugnam ruunt. At nõ diu prælium tractum est, vbi nihil aut parum gladiis actum. Leuis enim armaturæ homines, confodientibus eos eminus iaculis, mox terga dederunt, nostrisque cum victoria campum reliquerunt. Cæsa referuntur in illa vel pugna vel fuga Scottorum multa milia, & Rex Dauid raro quidem milite sed multo dedecore comitatus, refugit in propria. Hoc bellum Deo propicio aduersus Scottos feliciter gestum est anno Regis Stephani quarto, mense Augusto. Et post menses aliquot Albertus Hostiensis Episcopus Apostolicæ sedis legatus, concilium Lundoniis celebrauit; vbi Theobaldus Abbas Beccensis Rege conniuente cathedam Ecclesiæ Cantuariensis suscepit.

CAPVT VI.

Post hæc Rex Oxenefordiæ constitutus pessimis consiliis ita est deprauatus, vt Ecclesiasticorum virorum inhiando pecuniis impias eis manus iniiceret, & sacris non deferendo ordinibus, personæ regiæ inexpiabilem næuum inureret. Quippe Rogerium Salesberiensem & Alexandrum Lincolniensem nobilissimos & potentissimos tunc in Episcopis Anglorum, cum eos paulo ante ad se venienteis hilari facie suscepisset; repente tanquam personas vilissimas atrocium iniuriarum reas, captos inclusit, artauit, pecuniis & castellis nudauit. Sane de huius Rogerij primordiis atque progressibus quoniam se præbet occasio pauca dicenda sunt: vt in fine eius miserrimo altitudo diuini consideretur iudicij. Idem sub regno Guilelmi iunioris sacerdos admodum tenuis (vt dicitur) in quodam suburbano Cado mensi de officio viuebat. Eodem tempore Henricus iunior fratri Regi militans, casu ex itinere cum comitibus diuertit ad Ecclesiam in qua ille ministrabat; petiitque sibi celebrari sacra: Sacerdos vero petitione suscepta ad incipiendum promtus, & ad finiendum succinctus: in vtroque sic militibus placuit, vt dicerent tam aptum militibus reperiri non posse Sacellanum. Cumque regius ille iuuenis diceret, sequere me: non secus illi adhæsit quam Petrus olim Regi cælesti idem dicenti: Petrus enim relicta nauicula Regem Regum;

ille verò relicta Ecclesia secutus est iuuenem Regium: factusque illi & eius militibus Sacellanus ad libitum; cæcus præstabat cæcis ducem. Et cum esset fere illiteratus; innata tamen astutia ita callebat, vt Domino suo in breui carus existeret, & secretiora eius negotia procuraret. Postquam autem idem Dominus eius regnum sortitus est; eum tanquam ante regnum & in regno bene de se meritum ad Salesberiensem prouexit Episcopatum: quinetiam illi tanquam in multis probato, fideli & industrio, publicas administrationes commisit, vt esset non tantum in Ecclesia magnus, sed etiam in regno a Rege secundus. Denique amplas exercendæ auaritiæ occasiones nactus, ex vtroque officio, scilicet Ecclesiastico & Seculari; ingenteis coaceruauit diuitias, non dispergendas dandasque pauperibus, sed vanissimis vsibus applicandas. Duo enim nobilia sumptuosissimo opere castella, scilicet Diuisas & Scireburnam construxit, vanissime satagens ne reciperent comparationem in regno. Alexandro nepoti suo Rege sibi nihil negante Lincolniensis Ecclesiæ sedem obtinuit, qui cum esset cordis latissimi, auunculum æmulans duo & ipse non ignobilia expensis profusissimis castella extruxit. Et quoniam huiusmodi exstructio Episcopalem honestatem minus decere videbatur: ad tollendam illius exstructionis inuidiam & quasi expiandam maculam, totidem monasteria construens, collegis religiosis impleuit. Cum autem inclutus rex Henricus a singulis regni Præsulibus atque Proceribus de conseruanda filiæ suæ in successione regni fidelitate sacramentum exigeret; memoratus Salesberiensi idem sacramentum (vti superius dictum est) non solum in propria persona, verum etiam aliis præstituris, tanquam vir prudens & a Rege secundus, ad nutum regum caute destinxit. Sed Rege defuncto, qui ei tantæ in hoc seculo claritatis auctor exstiterat, circa legitimos eius hæredes infidus; vt Stephanum sacramento illo æque astrictum alliceret, non solum non est veritus incurrere periurium, verum etiam aliis insigne peierandi præstruxit exemplum. Eidem quoque sublimato in Regem se talem exhibuit; vt obsequiorum gratia præclaram apud illum habere fiduciam videretur. Tantis ille beneficiis ingratus, & in ipsum Episcopum, cuius opera nunquam episcopalia fuere, vltor diuinitus ordinatus: eundem, tanquam exigui hominem momenti, primo carcerali custodia, postmodum etiam cibi inopia, & nepoti eius qui Cancellarius fuerat regius intentato supplicio ita coartauit, vt duo illa præclara castella in quibus thesauri eius erãt repositi resignaret. Quo facto claruit, ex vi doloris; quantum eius cor infecerit mundani virus amoris. Nam (iuxta veracissimam beati Gregorij sententiam) quantum, cum habentur temporalia, hæret amor, tantum cum subtrahuntur vrit dolor. Deniq; grandæuus Episcopus ex eorum amissione, in quorum exstructione vel congestione Dominum vehementer offenderat, vi dolori absorptus, atque in amentiam versus, ita vt indecentia vel faceret vel diceret; perspicuo Dei iudicio vitam longo tempore splendidissimam infelicissimo fine conclusit. Alexãder vero Lincolniensis, qui cum eo captus fuerat; eisdem quibus ille modis ad resignandas munitiones, quas exstruxerat angariatus est: quibus resignatis ægre relaxatus est, diuinum circa se iudicium si sapuit venerãs & saniora meditans. Sed nec ipsi Regi, quem virgam furoris Domini fuisse constat, erga memoratos Episcopos in prosperum cedebat; quod instigante vel odio personarũ vel ambitu pecuniarum, sacris minime ordinibus deferebat, idque sequentia declarabant.

CAPVT VII.

Pavcis siquidem diebus elapsis Matildis olim Imperatrix filia Regis Henrici in Angliam venit, & contemplatione iuramenti olim de Regno sibi præstiti, multorum procerum corda commouit, cum se iam plurimi proprio instinctu contra regem Stephanum erigere minime formidarent. Itaque diuisum est regnum, quibusdam Stephano, quibusdam vero dictæ Imperatrici fauorem opemque præstantibus; & completum est illud Dominicum, Omne regnum in se diuisum desolabitur. Ita enim per discursus excursusque hinc inde hostileis, rapinis & incendiis paulatim dilaniata atque attenuata est Anglia; vt ex regno florentissimo infelicissimum videretur. Iam omnis Regij nominis terror, iam omnis disciplinæ publicæ vigor in ventum abierat, & sublato legum metu, libido & licentia passibus æquis currebant. Malis ergo quotidie crescentibus,

iam

iam versa erat in luctum Ecclesiæ Cithara, & populus sub multiplici gemebat iactura. Rebus in Anglia se ita habentibus, Andegauensis Comes Normanniam cum exercitu peragatur: totamque in breui vxoris & filij nomine in suam potestatem redegit, nemine se opponente qui eius valeret impetum sustinere. Cum Rege quippe Francorum qui Regi Stephano fœderatus videbatur, prudenter colluserat, ne quid ab eo impedimenti pateretur, quo minus prosperaretur in his quæ intendebat.

CAPVT VIII.

Sexto regni anno Rex Stephanus castrum Lincolniense obsedit: quod Rannulphus Comes Castrensis dolo intrauerat, & tenebat: protractaque est obsidio a diebus Natalis Dominici vsque ad Epiphaniam Domini. Idem autem Comes vt obsidionem solueret, Glaucestrensem Comitem Regis Henrici filium Nothum, suum vero socerum, aliosq; fortissimos Proceres cum ingentibus copiis secum adducens: Regi, ni cederet, bellum denuntiauit. Rex vero eorum aduentu præcognito, vireis vndecunque contraxerat: & turmis extra vrbem dispositis, vt reciperet venienteis, prælium cum multa fiducia instruebat. Nam & ipse bellator erat robustissimus, & militum numero ampliore subnixus. Huc accedebat quod hostilis exercitus longo & hiemali itinere fatigatus, otio quo recrearetur, quam prælio quo periclitaretur, magis idoneus videbatur. Qui tamen numero quidem & apparatu impar, sed solis animis præstans, eo quod sibi tam longe progresso a propriis nullum in hostium finibus videretur esse locum effugij, constanter in bellum prorupit. Rex ipse cum sua turma amotis equis in pedes consistens, equitum turmas ad dandos vel excipiendos primos belli ictus in fronte disposuerat, quibus primo hostilis equitatus impressu victis atque in fugam actis, totum pondus prælij in regiam turmam versum est. Ibi quidem acerrime pugnatum est, Rege ipso in primis fortiter agente, quo tandem capto & turma eius profligata, victor exercitus vrbem diripiendam ouans ingreditur, & captiuus insignis dictæ Imperatrici transmissus. apud Bristou custodiæ mancipatur.

IX.

Igitvr Regij casus infelicitate comperta, Imperatrix ad summum euehitur, & fere totius Regni fauoribus honoratur. Verum stulta apparuit, postquam eleuata est in sublim. Ita enim ex recenti felicitate successuum corde intumuit & verbis intonuit, vt intolerabili fastu fœmineo optimatum contra se pendulos adhuc animos inflammaret. Ciues quoque Lundonienses qui eam fauorabiliter prius susceperant, expulerunt eam, superbiam eius non ferentes. Vnde indignata Regem, qui iudicio Dei in manum eius inciderat, & adhuc indulgentius custodiebatur, compedibus onerauit, eo ipso diuini seueritatem iudicij circa eum molliens, & vt postea claruit liberationem eius accelerans. Euolutis enim diebus paucis cum auunculo suo Rege Scotorum & fratre suo Roberto turrim Wintoniensis Episcopi obsidens, fortunæ inconstantiam, & effrenatæ superbiæ merito prioris iacturam gloriæ experta est. Denique idem Episcopus Regis Germanus homo multæ in regno potẽtiæ callidus & pecuniosus supra modum, Apostolicæ quoque sedis legatus in Anglia; ad soluendam obsidionem, ex Cãtia (quam solam casus non flexerat regius) Guillelmum Yprensem cum Regina & ex aliis prouinciis plurimos dominationis fœmineæ fastu irritatos accersiuit. Cumq; iam immensas contraxisset copias, per dies aliquot vterque exercitus excubabat in castris, & præter eos qui ex castris egressi pro ostentatione virium exercebantur, vacare videbatur. Sed aduenientes magnæ ex Lundoniis copiæ, ita eorum qui dictæ Imperatrici aduersabantur auxerunt exercitum, vt ipsa iam impar ad pugnam, ciuitate Wintonia relicta & direptioni exposita, euadere curaret perfugam. Captus est in fuga illa Robertus frater eius Comes Gloucestrensis cum aliis plurimis. Porro Rex Scotorum ne incideret in manus hostium persequenteis arte elusit: & quibusdam eum caute deducentibus cum multo metu atque periculo ad propria rediit. Sane insignium captiuorum scilicet Regis & Comitis commutatio facta est. & perseuerantibus inimicitiis vterque pro altero sibi & suis est redditus.

CAP. X.

Cvm ergo Rex & Imperatrix iugi discordia disceptarent, quãdoque partes æquabantur, quandoque vero præstabat altera: fortunæ volubilitatem in breui expertura, quod ex suppositis clarebat. Sequẽte autem annò Rex Stephanus Wiltonã apud Munitionẽ construens, repentina hostium irruptione contritus, & plurimis suorum amissis in fugam actus est. Captus est ibidem Dapifer Regis Guilelmus, cognomẽto Marcellus: qui mox pro sui corporis liberatione nobile castellum Shireburnense resignauit. Eodem anno fortuna Retrograda Rex imperatricem in Oxenefordia per menseis aliquot obsidione conclusit. Illa vero diutinæ obsidionis impatiens occasionem fugæ ex temporis qualitate nacta, noctis & niuis beneficio in veste alba Tamesim fluuium crassa glacie superstratum transiit: & hoc modo euadens in tutiora se loca recepit. Rex autem opidum memoratum obtinuit. Hoc successu priorum euentuum dedecus quantulumcumque detergens, post tanta diuinæ vel districtionis vel miserationis experimenta viris ecclesiasticis de cætero mitior visus est: & concilio quod sequenti anno Lundoniis ab Henrico Wintoniensi Episcopo sedis Apostolicæ legato pro quiete & prærogatiua ordinis clericalis celebratum est, benigne interfuit, & fauoris Regij suffragium non negauit. Nam quia tunc in Anglia malis increscentibus parũ sacris deferebatur ordinibus, eratque fere in omnibus sicut populus sic sacerdos: in eodem concilio statutum est, vt quicunque in clericum vel in monachum violentas manus iniiceret, excommunicatus solenniter denuntiaretur. & ad Romanum Pontificem absoluendus mitteretur. Ipso anno nondum finito Cantuariẽsis Archiepiscopus super Wintoniensem Episcopum ordinariam potestatem habens, & Wintoniensis super Cantuariensem Romanæ legationis potestatem exercens, dum hæ duæ potestates se mutuo sibi colliderent; Ecclesiarum pace concussa Romanum Pontificem adierunt, & quæstionem tanto gratiorem quanto ponderosiorem Romanis auribus intulerunt. Et alter quidem in causa præstantior, neuter vero nisi exhausto sacculo reuersus est.

CAPVT. XI.

Eodem tempore Rex Stephanus cepit Gaufridũ de magna villa in curia sua apud sanctum Albanum: non quidem honeste & secundum ius pro merito eius: & metu scilicet, quod expediret, quàm quod deceret plus attendens. Erat enim idem Gaufridus homo audacissimus, & magnarum virium, simul & artium: præclaram illam arcem Lundoniensem cum duabus aliis munitionibus non ignobilibus possidens, & subtili astutia ingentia moliens. Cum ergo propter hæc ipsi esset Regi terribilis: acceptam ab eo iniuriam Rex caute dissimulabat: & tempus opportunum, quo se vlcisceretur, obseruabat. Iniuria vero quam Regi nequam ille intulerat; talis erat. Rex ante annos aliquot Episcopi, vt dictum est, Salisberiensis thesauros adeptus, summa non modica Regi Francorum Lodouico transmissa, sororem eius Constantiam Estachio filio suo desponderat, intendens affinitate tanti Principis contra Comitem Andegauensem eiusque filios successurum sibi filium roborare: erat hæc cum socru sua regina Lundoniis. Cumque regina ad alium forte vellet cum eadem nuru sua locum migrare; memoratus Gaufridus arci tunc præsidens restitit: nuruque de manibus socrus pro viribus obnitentis abstracta atque retenta; illam cum ignominia abire permisit. Postea vero reposcenti, & iustum metum pro tempore dissimulanti Regi socero insignem prædam ægre resignauit. Et videbatur hæc iniuria obliuioni iam tradita, cum ecce congregatis per edictum regium apud Sanctum Albanum proceribus, prædo ille inter cæteros affuit, quem Rex illico temporis opportunitatem nactus iustissimæ indignationis loris astrinxit, eique arcem Lundoniensem cum duobus reliquis quæ possidebat castellis extorsit. Munitionibus ergo nudatus, sed tamen relaxatus homo ille, quietis nescius, animo ingens, astu vix comparabiliter præditus, & supra modum sapiens, vt faceret malum: collecta improborum manu monasterium Rameseyense inuasit, nec veritus expulsis monachis locum tam celebrem & sanctum facere speluncam latronum, & Sanctuarium Dei conuertere in Domicilium Diaboli: crebris eruptionibus atque excursionibus vicinas infestauit prouincias. Deinde sumta ex successu fiducia lõgius progrediens

grediẽs Regem Stephanũ acerrimis fatigauit terruitque incursibus. Eo sic debacchante videbatur dormire diuinitas, & non curare res humanas vel etiam suas, id est, ecclesiasticas: dicebaturque a laborantibus piis, Exsurge, quare obdormis Domine. At postquam (vt ait Apostolus) sustinuit Dominus in multa patientia vasa iræ apta in interitũ; excitatus est (vt ait propheta) tanquam dormiens Dominus, & percussit inimicos suos in posteriora, i. in fine, quorũ anteriora felicia videbantur. Denique paulo ante impij illius interitum; sicut veraci multorum relatione cõpertum est, parietes Ecclesiæ quam inuaserat, & claustri adiacẽtis, verum sanguinem sudarunt: quo, vt postea claruit, significabatur & immanitas facinoris, & iam imminens iudicium eiusdem immanitatis. Verum cum improbi in reprobum sensum dati signo tam horribili minime terrerentur: nequam ille castellum hostile oppugnans inter consertas suorum cateruas vilissimi peditis sagitta in capite percussus est. Quo vulnusculo vir ferocissimus, quamuis illud primo derideret, post aliquot dies absumtus, ecclesiastici anathematis vinculum, nunquam ab eo absoluendus, secum portauit ad inferos. Duo etiam satellites eius crudelissimi, quorũ vnus equitibus, alter peditibus præerat; diuersis casibus interiisse ferũtur. Ille enim equo decidens; eliso ad terram capite excussoq; cerebro exspirauit: Alter vero Rainerus nomine præcipuus ecclesiarum effractor atque incensor, cum vxore sua transfretans, iniquitatum suarum pondere in medio mari nauim qua vehebatur fecit immobilem. Quod cum maximo nautis & aliis qui simul vehebantur esset stupori, antiquo exemplo iacta est sors, & cecidit sors super Rainerũ. Et ne forte hoc casu accidisse videretur: iterum & tertio sorte iacta & fideli inuenta, iudicium Dei declaratum est. Itaq; ne vniuersi cum ipso & propter ipsum perirent; expositus est in scapha cum vxore & pecunia male adquisita. Nauis ilico expedita est & cursu solito ferebatur. Scapha vero pondere peccatoris subsedit fluctibusque absorpta est.

CAPVT XII.

SANE memorato inuasori duo in Anglia cõsimiles fuisse noscũtur, Robertus scilicet cognomento Marmiun, qui expulsis monachis ecclesiã Couentrensem, & Guilelmus Albemarlensis: qui exclusis regularibus clericis ecclesiam inuasit & polluit Belingconiensem: quorum alter scilicet Robertus diuini pondere iudicij cõtritus est: Alter vero. i. Guilelmus clemẽtiæ diuinæ respectu compunctus: largis crebrisque eleemosynis in pauperes expensis: & non ignobilium cõstructione monasteriorũ expiauit excessum: Denique Robertus Marmiun homo bellicosus, ferocia, astutia, audacia fere nulli suo tẽpore impar, cũ iam multis late debacchãdo successibus clarus, præclaram illam Ecclesiam exclusis seruis Dei, intromissis satellitibus diaboli profanasset, Cestrẽsem quoq; Comitem cui specialiter aduersabatur, crebris & magnis excursionibus fatigaret: eidem Comiti cum ingẽtibus copiis aduẽtanti insultaturus egressus est. Cũq; in conspectu suorũ pariter & hostium equo spumeo cum fastu nimio veheretur: suæ artis immemor (nã crebras vt dicitur in cãpo fossas fecerat, quibus hostes vel arcerentur vel impedirentur.) iudicio inquã Dei suæ artis & operis immemor, incidit in foueã quã fecit, fractoque femore emergere non valens a quodam ignobili hostium partium satellite cunctis huic inuidentibus capite truncatus est, eisdem fere diebus, quibus super prædicto Gaufrido iudicium Dei celebratum est. quod & in huius interitu pro caussa consimili claruit. Horum quidem exitio & perspicuo circa illos Dei iudicio prænominatus Albemarlensis non est territus, quo minus post annos aliquot scelus consimile attentaret. Sed (vt dixi) misericordiam non iudicium de manu Omnipotentis Dei, pœnitentiæ & satisfactioni reseruatus suscepit.

CAPVT XIII.

ANNO Regis Stephani nono, qui illorum duorum nequam interitu fuit insignis; Idem Rex castrum Lincolniense quod Comes Cestrensis obtinebat, obsedit. vbi dum munitionem exstrueret, operariis subita hostiũ irruptione præfocatis. confusus abscessit. Verum anno sequenti huius iacturæ maculam expiauit. Cum enim Comes Gloucestrensis & ceteri partis aduersæ munitionẽ quantum sibi vtilem, tãtum etiam hostibus nocituram apud Ferendunum construxissent, Rex cum sua militia & Lundonien-

sibus copiis ocyus aduolās, eadem munitione per dies aliquot fortiter oppugnata, tandem cum ingenti & cruento labore potitus est. Sic ergo circa parteis alternabat fortuna, & quibus per secundos paulo ante successus arridebat, hos sinistris repente casibus eludebat. Verum hunc successum, quo videbatur anni præcedentis dedecus expiasse, anni sui vndecimi fœdauit infamia. Cum enim Rannulphus Comes Cestrensis pactis cū eo celebratis: fidelis iam illi & deuotus effectus, apud Walingefordam profusis eum iuuisset auxiliis, ille post modicum eundem Comitem ad se pacifice & secure venientem apud Norhamneriā in Curia sua regiæ Maiestatis & honestatis immemor hostiliter comprehendit, & castrū Lincolniense cum ceteris quæ vsurpasse videbatur, resignare coegit. Quo facto Comes relaxatus Regi perpes de cetero factus est inimicus.

CAPVT. XIIII.

Cvm in Regno Angliæ talia prouenirēt: sanctæ recordationis Trustinus Eboracensis Archiepiscopus post laudabilem annis plurimis administrationem officij, & præclara pietatis opera: cum iam fere expletum militiæ suæ tēpus esse sentiret, relicto honore & se excusans ab onere, cū monachis Cluniacensibus apud Pontem fractum vltimos vitæ suæ dies exegit, & appositus est ad patres suos in senectute bona. Cuius inter cetera bona quæ operatus est, pio studio & religiosæ industriæ potissimū attribuēda est fundatio atque prouectio celeberrimi monasterij Fontanensis, cuius memorādi operis talis fuisse occasio perhibetur. Quidam Eboracenses monachi numero duodecim vel tredecim feruentes spiritu, & scrupulosam habentes conscientiā, dum acutius inspicerent quod iuxta traditiones vel Cluniacenses vel alias consimileis religiosam quidē vitam ducerēt, sed beati Benedicti regulam, quam profitebantur minus ad litteram obseruarent, aliquid melius fortiusque acturi, (nam Cisterciensis ordinis, qui nuper esse cœperat, fama iam celebris erat) suum monasteriū reliquerunt. Quorum studium zelumque venerabilis Trustinus amplexus, egressos paterne suscepit, maternæ pietatis sinu fouit, & in suis penetralibus pro tempore occultatos, donec eis prout animo cōceperat prouideret, tandem in loco pascuæ collocauit. Et vocatur locus ille, Fontes: vbi ex tunc & deinceps tanquā de fontibus Saluatoris tam multi hauserunt aquas salienteis in vitam æternā. Sane paulo ante a nobili viro Walterio Espec inuitati & a felicis memoriæ Abbate Bernardo directi monachi Clareuallenses in Eboracensem prouinciam venerant, & in loco, qui nunc dicitur Rieuallis, tunc autē erat locus horroris, & vastæ solitudinis, mansionem acceperant, præfato viro tradente, & venerabili Trustino Episcopalem cum affectu paterno fauorem præbente. Horum exemplo monachi illi Eboracenses incitati, atq; ad arripiēda fortiora animati, memorati Abbatis (cuius memoria in benedictione est) magisterio se tradiderunt, & distincti locis non animis hi & illi arctā viā quæ ducit ad vitā paribus votis & studiis infatigabiliter currere cœperunt. Benedixitq; eis Dominus benedictionibus cæli desuper, benedictionibus abyssi iacētis deorsum, benedictionibus vberum vellerūque, vt non solum in Omnipotentis Dei seruitio copiosam multitudinē aggregarent, sed etiā largioribus eleemosynis in pauperes dispergēdis sufficerent. Quod autē Domino Christo tanquā apes argumentosæ seruirent, ex fructibus eorum cognoscitur: numerosis scilicet sanctorum collegiis, quæ ex se tanquam quædam rationalium apum examina emiserunt, & non solum per Anglicanas prouincias, verumetiam in barbaras nationes sparserunt.

CAPVT XV.

Qvia vero duorum insignium monasteriorum nostræ Eboracensis prouinciæ, scilicet Rieuallis & Fontium, feci (vt decuit) mentionem, Bellelandæ quoque originē debeo explicare, quæ & loci propinquitate mihi est notior: nam vno tantum miliario distat a Neuburgensi Ecclesia, quæ me in Christo a puero aluit. Vt autem paullo altius exordiar: in Transmarinis partibus, sicut a maioribus accepi, tres memorabiles viri vno tempore fuere, scilicet Robertus cognominatus de Arbusculo, Bernardus & Vitalis. Hi non ignobiliter eruditi & spiritu feruentes circuibant per castella & vicos, seminantesque secundum Esaiam super omneis aquas, de conuersione multorum fructus

vberes colligebant: pio inter se placito constituto: quod Robertus quidem fœminarum communi labore ad meliora conuersarum sollicitudinem gereret, Bernardus vero & Vitalis maribus propensius prouiderent. Robertus itaque famosissimũ illud monasterium fœminarũ de Fonte Ebraudi construxit: & regularibus disciplinis informauit: Bernardus vero apud Tyrocinum & Vitalis apud Sauiniacum monachis regulariter institutis: suos quisque ab aliis per quasdam præceptorum proprietates distinxit. Cumque ex his tribus quasi radicibus seruorũ atque ancillarum Dei per diuersas prouincias religiosa germina pullularent, quidam Sauiniacenses monachi Bellelandam nostram condiderunt. Qui cum essent numero pauci & pauperes, locumque aptum quærebant, vbi Deo propicio cum fructu aliquo habitarent: nobili viro Rogerio de Moubrai, qui & Neuburgensem fundauit Ecclesiam, donante, locum prius angustum acceperunt, deinde ad locum alium, de illo ad tertium, & de tertio ad quartum sub eodem patrocinio, diuersis ex caussis migrantes, ibidem fixis radicibus tandem resederunt, Benedixitque eis Dominus, & de rebus augustis ad magnam iam amplitudinem peruenerunt sub patre Rogerio mirandæ sinceritatis viro, qui adhuc superstes est, in senecta vberi, administrationis suæ annis circiter quinquaginta & septem expletis. Fuit autem monasterij huius initium post venerabilis Trustini decessum, memoratis duobus scilicet Rieuallis & Fontium in bono iam statu agentibus. Et quoniam ante annos iam plurimos Sauiniacenses per cuiusdam Abbatis religiosam instantiam in ritus Clareuallenses transierunt: hæc tria monasteria per vnitatem disciplinæ regularis, arctiori quoque animorum nexu cohærent, & tanquam tria nostræ prouinciæ lumina, sacræ religionis prærogatiua refulgẽt. Quid autẽ sentiendum est de his & aliis locis religiosis, qui in diebus Regis Stephani copiosius exstrui, & florere cœperũt, nisi quod castra Dei sunt hæc, in quibus contra spiritualia nequitiæ, Regis Christi excubant milites & exercentur tyrones: Eo quippe tempore, cum regiæ potentiæ omnis iam vigor deperisset: potentes regni, prout quisque poterat, vel vt suos tutarentur, vel vt alienos fines peruaderent, munitiones construebant. Malis ergo sic pullulantibus atque abundantibus per mollitiem Regis Stephani, vel potius per malitiam discordias semper nutrientis diaboli, superabundauit & gloriose eminuit sapiens & salubris prouisio Regis magni, qui nimirum tunc temporis solito propensius ad debellandum Regem superbiæ, quales Regem pacificum decent munitiones sibi noscitur extruxisse. Denique multo plura sub breuitate temporis, quo Stephanus regnauit, vel potius nomen Regis obtinuit, quam centum retro annis seruorum & ancillarum Dei monasteria initium in Anglia sumsisse noscuntur.

CAPVT XVI.

Nec silentio prætereũdus est venerabilis Gillebertus, vir plane mirabilis, & in custodia fœminarum gratiæ singularis, a quo etiã ordo Sempringhamensis sumsit exordium, & cum celeri prouectu celerem statũ. Hic ab annis vt dicitur adolescentiæ propria nequaquam salute contentus, sed lucrãdarum Christo animarum zelo ignitus, infirmiorem sexum propensius cœpit æmulari Dei æmulatione, pio ausu sumto ex propriæ castitatis consciẽtia, & gratiæ supernæ fiducia. Cumq; cœptis eius fauor videretur arridere diuinus, veritus ne forte in vacuum curreret, aut cucurisset, si erumpentẽ zelũ moderatrix scientia non condiret, præsertim minus adhuc a maioribus institutus tam arduam sollicitudinẽ arripuisset, virũ sapientiæ & sanctitatis titulis clarum venerabilem scilicet Abbatem Clareuallensem sanctum Bernardum adeundum putauit, cuius venerãdis cõsiliis informatus, atq; in suo proposito roboratus, tanto feruentius quanto confidẽtius piis cœptis insistere non cessauit. Prosperatusq; est in his quæ gerebat, & sicut de nobili patriarcha dicitur, ibat proficiens atque succrescens: donec magnus vehementer effectus est, tam in multitudine copiosa ad Omnipotentis Dei seruitium aggregata: quam in adiectione rerum temporaliũ ad necessaria subsidia corporũ iuxta illud Dominicum: Quærite primũ regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Denique seruorum Dei duo, & ancillarum Dei octo, non ignobilia construxit monasteria, quæ & numerosis repleuit collegiis, & iuxta datam sibi sapientiam re-

gularibus ornauit institutis. Et quidem circa seruos Dei instituendos abundauit indulta ei diuinitus gratia, in sollicitudine fœminarum. Quippe in hac parte meo iudicio palmam tenet inter omneis quos instituendis regendisque fœminis religiosam operam impendisse cognouimus, & quidem ante annos aliquot spiritualibus lucris onustus, iamque decrepitus cælestis sponsi paranymphus migrauit ad Dominum. Porro filiorũ & filiarum eius numerositas permanet, potensque est in terra nostra semen eius & generatio eius benedicetur in seculum.

CAPVT XVII.

VENERABILI Trustino defuncto Eboracensis Ecclesiæ pontificatum suscepit Guilelmus eiusdem Ecclesiæ thesaurarius, vir plane secundum carnem nobilis, & morum ingenua lenitate amabilis. Qui cum ad sedẽ Apostolicam respõsales idoneos propetendo solemniter pallio direxisset: emergentibus aduersariis & multa contra eum proponentibus negatum est. Iussusque ad eandem sedem in propria persona accedere, & pro semetipso tanquam ætatem habens allegare: caussis tamen ingrauescentibus atque inualescentibus aduersariis, piæ quoque memoriæ Papa Eugenio contra eum, siue per veritatem siue per surreptionem implacabiliter irritato depositus est. Reuersusque in Angliam secessit Wintoniam, ibique à consecratore suo Henrico honorifice susceptus, & splendide exhibitus est, fere per decennium vel excessus vel casus suos deplorãs, atque in silentio temporum mutationem exspectans. Eo sic amoto cathedram Eboracensem Henricus Fontanensis suscepit. annuente potissimum venerabili Eugenio: qui eius olim apud Clareuallem sub patre Bernardo sodalis & condiscipulus fuerat, eiusque vitam, mores & industriam optime nouerat. Denique electioni eius fauorẽ promtissimum præbuit, & solemniter consecratum pallij prærogatiua insigniuit. Quem reuersum in Angliam Rex Stephanus recipere noluit, nisi præstita sibi iuratoria cautione de fidelitate seruanda. Negato autem ei fauore regio: nec ciues Eboracenses eum recipere voluerunt, studia in depositum Præsulem propensiora habentes. Interdicta ergo propter hanc peruicaciam ciuitate, & suspensis Ecclesiæ organis, adueniens Eustachius Regis filius sacra officia celebrari præcepit, & prætentis erroribus non cedentes, ciuitate extrusit. Propinqui quoque depositi & proprio furore & Regio fauore feroces, cunctis qui depositioni eius consensisse videbantur, erant infesti atque terribiles, in tantum vt seniorem Archidiaconum, qui forte in manus eorum inciderat, abscindere minime vererentur. Verum post annos aliquot Rege placato ciues Eboracẽses proprium antistitem cum gaudio receperunt: sicque post diutinum discordiæ malum illuxit desideratæ pacis serenum.

CAPVT XVIII.

ANNO regni sui duodecimo, cum Rex Stephanus extorta (vt supra dictum est) de manibus Comitis Cestrensis ciuitate Lincolnia potiretur, ibidem in celebritate natalis Dominici solemniter voluit coronari: vetustam superstitionem, qua Reges Anglorum eandẽ ciuitatẽ ingredi verabantur, laudabiliter paruipendens. Deniq; incunctanter ingressus, nihil sinistri ominis (sicut illa vanitas cõminabatur) expertus est: sed regiæ coronationis solemnibus adimpletis, per dies aliquot cũ exsultatione & superstitiosæ vanitatis derisione egressus est. Eodem anno turba magna quam dinumerare nemo poterat ex omnibus populis & tribubus & linguis Christianis sub charactere crucifixi Domini Ierosolymitanum iter arripuit. Cuius celeberrimæ expeditionis talis caussa fuisse perhibetur. Est Mesopotamiæ trans flumen magnũ Eufraten ciuitas nobilis, quæ quidẽ vulgo Rohesia, sed rectius & antiquo nomine Edissa vocatur, a diebus Constantini Magni Christianæ religionis cultui dedita, & beatissimi Thomę Apostoli allatis ex India reliquiis inclita; Huius ciuitatis tantus in fide Catholica feruor sub Valẽte Imperatore Arriano fuisse memoratur, vt cum ab eodem missus aduenisset præfectus, omnes qui ad Apostoli basilicam orandi studio conuenirent gladio mactaturus, nullus domi resedisse referatur: sed omneis a minimo vsq; ad maximum, vt pro fidei veritate morerentur, illuc multo alacrius quam ad epulas concurrisse. in tantũ, vt quædã muliercula

parulum

paruulum secum filium trahens dum properat, se simul & sobolem pro Christo expositura ad victimam, irrumperet officium iudicis illuc cum terrore maximo properantis. Denique a multis retro annis cum Sarraceni occulto Dei iudicio supra modum in Christianos grassari permissi captis ciuitatibus clarissimis, scilicet Alexandria, Antiochia, Ierusalem, Damasco, Ægyptum, Syriam, aliasque Orientis prouincias, in quibus Christus colebatur occupassent, atque in his omnibus Christianum nomen exterminassent, sola hęc ciuitas propugnatrix non tantum murorum, sed etiam finiū suorum, in medio hostium innumerabilium, & ferocissimorum inuicta perseuerauit vsque ad tempus expeditionis Ierosolymitanæ prioris: qua Ierusalem & Antiochiam Christiani expugnatis obtinuere Sarracenis. Tunc enim Turcis incursantibus laborantes Edisseni, auxilium a nostro exercitu petierunt, & virum fortissimum Baldevvinum fratrem illustrissimi Ducis Godefridi, primum Gallici generis Ducem acceperunt. Quo in Regem Ierosolymitanum post fratrem Godefridum sublimato: Principatus Edissenus per alios strenue administratus est, vsque ad Iocelinum: cuius lubrici hominis petulantia atque libidine actum est, vt ciuitas Christianæ religionis titulo fere per nongentos insignis annos in manus Turcorum & sacræ fidei exterminium vnius ciuis perfidi proditione traderetur. Is erat genere Armenius, eiusdem ciuitatis ciuis indigena: & iure hæreditario habitabat in quadam turri muro coniuncta. Huius filiam prænominatus ciuitatis Princeps formæ captus illecebra vi abstraxit, & stupro polluit. Ille filiam dehonestatam dolens, & astute dissimulatam doloris magnitudinem vt de vno vlcisceretur ad multorum perniciem trahens: nocte sacratissimæ Dominicæ natiuitatis, cum sacræ in Ecclesiis more Christiano celebrarentur vigiliæ, inuitatos pactis clandestinis Turcos intromisit in ciuitatem. Qui nimirum Christianum sanguinem insatiabiliter sitientes: irruerunt in populum secure in Ecclesia excubantem. Et Archiepiscopum quidem (vt dicitur) altari assistentem mactarunt: Populum vero non resistentem, sed subiti casus stupore rigentem gladio trucidarunt. Sic capta & in potestatem spurcissimæ gentis redacta est Edissa tantis retro temporibus semper inuicta, & antiqua fidei Christianæ alumna. Latissimis quoque finibus eius pertinaci hostium furore peruasis, & in eorum immundissimam possessionem cedentibus: Christianæ religionis cultus trans Eufraten funditus deletus est. Tanti mali fama exciti Christiani nominis fortissimi principes, scilicet Cōradus Italiæ atque Germaniæ Imperator, & Lodouicus Rex Franciæ Dominicum characterem mente promptissima susceperunt, & cum eis multi nobiles populique innumerabiles ex cunctis prouinciis Christianis.

CAPVT XIX.

Circa idem tempus Eugenius Papa Romanus ad sedis Apostolicæ regimen ex vitæ Regularis districtione assumptus, Ecclesiasticæ studio disciplinę in Gallias veniens, generale concilium instituit Remis: in quo dum sederet cum omni frequentia Episcoporum atque nobilium, oblatus est ei quidam vir pestifer, qui spiritu plenus diabolico præstigiali astutia tam multos seduxerat: vt fretus sequentium numero, per diuersa loca formidabilis aberraret, Ecclesiis maxime monasteriisque infestus. Diu itaque multumque debacchatus: tandem a Remensi Archiepiscopo captus est, sapientia vincente malitiam: & sancto consilio exhibitus. Eudo is dicebatur, natione Brito, agnomen habens de Stella, homo illitteratus & idiota, ludificatione dæmonum ita dementatus, vt quum sermone Gallico (eun) diceretur, ad suam personam pertinere crederet, quod in ecclesiasticis exorcismis dicitur, scilicet per eum qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. Ita plane fatuus vt eun & eum nesciret distinguere, sed supra modum stupenda cæcitate crederet se esse dominatorem & iudicem viuorum & mortuorum. Eratque per diabolicas præstigias tam potens ad capiendas simplicium animas, vt tanquam ex muscis aranearum opere irretitis, seductam sibi multitudinem aggregaret: quæ tota illum tanquam dominum dominorum indiuidue sequeretur. Et interdum quidem mira velocitate per diuersas prouincias ferebatur: Interdum vero morabatur cum suis omnibus in locis desertis, & in viis, moxque instigante diabolo erumpebat improuisus: ecclesiarum maxime ac monasteriorum infestator:

Accedebant ad eum plerumque noti eius & propinqui: erat enim non infimi generis, siue vt eum familiari ausu corriperent, siue vt, quomodo se circa eum res haberet, cautius explorarent. Videbatur autem esse circa eum ingens gloria, apparatus fastusque regius, & qui cum eo erant sollicitudinis laborisq; expertes: pretiose indui, splendide epulari, & in summa lætitia agere videbantur, in tantū vt pleriq; qui ad corripiendum eum venerant, conspecta eius non vera, sed fantastica gloria corrumperentur. Fiebant enim, sed fantastice per dæmones: a quibus scilicet misera illa multitudo, non veris & solidis, sed aëriis potius cibis in locis desertis alebatur. Nam sicut post modū per quosdā audiuimus qui in eius fuerant comitatu, eoque sublato tanquam agentes pœnitentiam per orbem vagabantur, in promtu eius erant, quotiescunque volebat, panes, carnes, pisces, & quique cibi lautiores. Verum quod idem cibi non solidi, sed aërij fuerint, subministrantibus inuisibiliter spiritibus aëris huius, ad capiēdas magis quam pascendas animas, hinc elucet, quod quantamcunque ex cibis illis repletionem modico ructu exinanitam, tanta mox sequebatur esuries, vt eosdem cibos, illico repetere cogerentur. Quicunque forte ad eos accedens ex cibis eorum, vel modicum gustasset, ex participatione mensa dæmoniorum mente mutata spurcissimæ multitudini continuo adhærebat. Et quicunque ab eis aliquid in qualibet specie accepisset, periculi expers non erat. Denique fertur quondam militem propinquum illius pestiferi accessisse ad eum, & simpliciter monuisse: vt abiurata nefanda secta illa per communionem Christianæ gratiæ proprio generi redderetur. Ille hominem astute suspendens, ostendit ei in multiplici specie fantasticarum opum amplitudinem, vt blandiente visarum rerum illecebra caperetur. Propinquus, inquit, noster es, sume de nostro, quod & quantum vis. Verum homo prudens cum verba correptionis in ventum fudisset, exiuit vt abiret. Armiger vero eius conspectum miræ pulchritudinis accipitrem in propriam perniciem concupiuit. Quo petito & accepto dominum suum iam abeuntem cum lætitia sequebatur. Cui ille, abiice cito quod portas, nō enim est auis, vt videtur: sed dæmon sic trāsformatus: cuius verbi veritas post modicum claruit. Cum enim insipiens nollet audire monentem: primo conquestus quod accipiter ille vnguibus sibi pugnum fortius stringeret: mox ab eodem per manum in aërem subleuatus deinceps non comparuit: Sane cum pestifer ille ita debaccharetur (vt dictum est) sæpius a principibus ad vestigandum & persequendum eum exercitus frustra mittebatur: quæsitus enim non inueniebatur. Tandem vero fraudatus ope dæmonum cum non amplius per illum debacchari sinerentur (non enim nisi a superioribus potestatibus iusto Dei iudicio relaxantur) leui negotio a Remensi Archiepiscopo comprehensus est, & populus quidem stolidus qui eum sequebatur, dilapsus est. Porro discipuli, qui ei arctius adhærebant, eiusque cooperatores exstiterant, cum ipso capti sunt. Cum ergo staret in conspectu concilij, interrogatus a summo Pontifice quisnam esset, respondit, Ego sum ille qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem. Habebat autem in manu sua baculum inusitatæ formæ, in superiori scilicet bifurcum. Interrogatus quid sibi vellet baculus ille, res, inquit, grandis mysterij est. Quamdiu enim sicut nunc videtis duobus cælum capitibus suspicit: duas orbis parteis Deus possidet, tertiam mihi partem cedens. Porro si eadem duo superiora capita baculi summittam vsque ad terram, & inferiorem eius partem quæ simplex est, erigam, vt cælum suspiciat, duabus mundi partibus mihi retentis, tertiam tantummodo partem Deo relinquam. Ad hæc risit vniuersa synodus, derisitque hominem tam profunde datum in reprobum sensum. Iussus autem ex decreto concilij, ne pestis iterum serperet diligenter custodiri, tempore exiguo superuixit. Discipuli vero eius quos magnis insignierat nominibus, alium scilicet vocans sapientiam, alium scientiam, alium iudicium, & in hunc modum ceteros, cum sanam doctrinam nulla ratione reciperent; potius obstinatissime de falsis gloriarentur vocabulis: in tantum, vt ille qui iudicium dicebatur suis detentoribus vltricem infelici fiducia comminaretur sententiā: Curię prius & postea ignibus traditi, ardere potius quam ad vitam corrigi maluerunt. Audiui a quodam venerabili viro, qui interfuit dum hæc agerentur, quod audierit illum qui iudicium dicebatur, cum ad supplicium duceretur, crebro dicentem, Terra findere: tanquam ad oris eius

Impe-

Imperium, terra aperienda esset, & deuoratura sicut Datan & Abiron, hosteis eius. Tanta vis semel infixi cordibus erroris fuit.

CAPVT XX.

Anno a partu virginis M. C. XLVII. tantæ expeditionis explicito apparatu, vterque Princeps iter arripuit, & exercitu bipertito. Imperator enim præcedebat itinere dierum aliquot, cum Italorum & Germanorum aliarumque gentium amplissimis copiis. Rex vero sequebatur, Francorum, Flandrensium, Normannorum, Britonum, Anglorum, Burgundionum, Prouincialium, Aquitanorum equestri simul & pedestri agmine comitatus. Ingressi Pannonias, illarum gentium placato Rege, vt exercitui venalia non deessent, Danubium transierunt, & per Thracias suppetente venalium copia prospere vsque ad vrbem Constantinopolitanam venerunt. Ibi fixis extra vrbem tentoriis per dies aliquot exercitum recreantes: pactis tandem cum eiusdem vrbis Imperatore conuentis, angustum illud fretum, quod Brachium sancti Georgij dicitur, transmearunt. Ingressique Asiam minorem, cuius pars quædam Constantinopolitanæ ditionis est: partem vero reliquam Soldanus Iconij possidet, Græci Imperatoris perfidiam experti sunt, cuius tamen nostri quibusdam excessibus motum incurrerant, cum Omnipotentis Dei, superbe & indisciplinate agendo, contra se iracūdiam accendissent. Legimus olim numerosissimum Domini exercitum vnius hominis etiam occulte peccantis scelere ita inquinatum, & fauore diuino nudatum, vt eneruus & languidus appareret. Consultus Dominus, respondit populum anathemate pollutū esse, & adiecit; Anathema in medio tui Israel est: non poteris stare aduersus hostes tuos, donec deleatur ex te qui hoc contaminatus est scelere. Porro in nostro illo exercitu tanta tam contra Christianam quam contra Castrensem etiam disciplinam mala increuerant: vt mirum non sit, quod eis tanquam pollutis & immundis fauor nequaquam diuinus arriserit. Castra enim a castratione dicuntur luxuriæ. At castra illa nostra casta non erant: in quibus vtique infelici quadam licentia multorum spumabant libidines. Præsumentes quoque de multitudine & instructu copiarum, atque ita carnem brachium suum superbe ponentes, in Domini (pro quo æmulari videbantur) misericordia atque potentia minus confidebant, declaratumque in eis est, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Præterea in terra Christiani Imperatoris cum quo fœdus percusserunt, & quo iubente venalia vel afferebantur, vel abundabant, minus a rapinis temperabant. Immisit ergo eis infensus Imperator, hinc famem, inde hostem, tāti sanguinis Christiani periculum Christianus minime perhorrescens. Denique venalibus prohibitis, cum pro victualibus congerendis propter hostiam insidias nostri non valerent excurrere: Primo, exercitus fame contabuit: Deinde hostium exceptus insidiis, vel Turcorum gladios inebriauit, vel Christianæ statum libertatis ignominiosissimæ atque infelicissimæ seruitutis sorte mutauit. Nec superbis atque immundis castigandis iræ defuere cælestes, & plerunque (vt dicitur) effusa desuper intempestiuarum nubium inundatio de exercitu nostro plus minuit, quam hostilis gladius. Itaque duorum exercituum maximorum parte longe maiore diuersis casibus & cladibus profligata, cum parte residua duo illi magni Principes ægre exitium euadentes Ierosolymam venerunt, & nulla rememorabili facta, inglorie recesserunt.

XXI.

Illis ad propria cum ignominia reuersis, Sarraceni de cæsæ vel captæ multitudinis Christianæ ingentibus spoliis ditati, facti sunt incliti. Denique successu superbi, & confidentia virium plus solito efferati Christianis se finibus immerserunt: omne genus Christianum in Orientis partibus abradere meditātes, atque huius molitionis quasi fausta principia interfecto Raimundo Christianissimo Antiochiæ principe prælibantes. Quippe hic fuerat Christiani nominis in Oriente fortissimus propugnator, atque insignium gestorum titulis veteris in se Machabæi transfuderat gloriam. Memini me (cum essem adolescentulus) vidisse quendam venerabilem monachum ab Orientis partibus cum magnis suffragiis venientem, qui ex eiusdem clarissimi Principis olim

militia fuerat. Hic inter plura quæ de ipso memoranda referebat, eum ob insigne virtutis Turcis tam terribilem fuisse perhibebat: vt quotiens contra eum producturi essent exercitum contra eius gladium centum milites, & totidem contra eius lanceam scriberent. Cum ergo (vt dixi) iidem hostes recentibus Christianorum cladibus alacres fineis Antiochenos solito ferocius incursarent, ille conuentum non sustinens sufficientium copiarum, paullo inconsideratius ex virtutis conscientia cum paucis se dedit discrimini, oppressusque multitudine, post fortia gesta non secus quam antiquus illle Machabæus occubuit. Cum autem hostes erectis vsque in cælum animis Antiochiam irrumpere cogitarent, audito Christiani principis occasu, magnanimus Rex Ierosolymorum Baldevvinus cum Cruce dominica & militia templi ocior aduolat: & hostium molitiones præueniens, Antiochiam ciuitatem ingreditur. Hostes nihilominus irruunt, ciuitatem obsidione concludunt. Sed qui superbis paulo ante restiterat, humilibus illis dedit vberem gratiam. Deo enim propicio paulatim respirantes atque inualescentes, hosteis iam crebris successibus tumidos non solum obsidionem deserere, sed etiam finibus suis cum dedecore excedere compulerunt: viribusque paulatim crescentibus non multo post hostium fineis ingressi, eos qui paulo ante aliena inuaserant, propria cum summo periculo tueri coëgerunt. Denique post annos aliquot militia templi Gazam antiquissimam Palestinæ ciuitatem olim dirutam reparauit, & fertilissimos eius fineis obtinuit. Inclytus quoque Rex Baldevvinus Ascalonam eiusdem prouinciæ, & florentissimam atque munitissimam ciuitatem, quæ nunquam antea a Christianis expugnari poterat, cum multa gloria expugnauit & cepit. sicque tota Palestina in ius & potestatem Christianorum redacta est.

CAPVT XXII.

Interea dum circa nostros vel a nostris in Oriente talia gererentur, Anglia intestinis malis exanguis & saucia tabescebat. Et quidem de quodam tempore plebis antiquæ scriptum est. In diebus illis non erat Rex in Israel, sed vnusquisque quod rectum sibi videbatur faciebat. At in Anglia sub Rege Stephano peius fiebat. Nam quia tunc impotens erat Rex: & per Regis impotentiam languida lex, quibusdam quod rectum sibi videbatur agentibus, multi quod insita ratione malum esse sciebant, sublato Regis & legis metu procliuius faciebant. Et primo quidem videbatur regnum Anglię scissum esse in duo, quibusdam Regi, quibusdam vero Imperatrici fauentibus. Non quod vel Rex, vel Imperatrix suæ parti potenter imperaret, sed quod suorum bellicis quisque studiis pro tempore niteretur. Neuter enim in suos imperiose agere & disciplinæ vigorem exercere poterat, sed vterque suos, ne a se deficerent, nihil negãdo mulcebat. Sane inter parteis (vt superius dictum est) diu multumque certatum est, alternante fortuna. Processu vero temporis inter eos iam sæpius fortunæ infidelitatem expertos, remissiores motus esse cœpere: quod tum Angliæ non cessit in bonum. Illis quippe diutinæ concertationis pertæsis, & mollius agentibus, prouinciales discordantium Procerum motus efferbuere. Castella quippe per singulas prouincias studio partium crebra surrexerant, erantque in Anglia quodammodo tot Reges, vel potius tyranni, quot Domini castellorum, habentes singuli percussuram proprij numismatis, & potestatem subditis, regio more, dicendi iuris. Cumque ita singuli excellere quærerent, vt quidam superiorem, quidam vel parem sustinere non possent, feralibus inter se odiis disceptantes, rapinis atque incendiis regiones clarissimas corruperunt, & in fertilissima olim patria fere omne robur panis absumpserunt. Aquilonaris vero regio quæ potestatem Domini Regis Scottorum, vsque ad fluuium Tesam cesserat: per eiusdem Regis industriam in pace agebat: ad quem Henricus ex nepte eius Mantilde olim Imperatrice Andegauensis Comitis filius, & Angliæ Rex futurus a matre missus iam pubes accessit: at ab eo apud Lugubaliam (quæ vulgo Carleil dicitur) cingulum militare accepit: præstita prius (vt dicitur) cautione, quod nulla parte terrarum, quæ in eiusdem ex Anglia ditionem transissent, eius vllo tempore mutilaret hæredes.

CAPVT XXIII.

Iisdem temporibus iuuenis clarissimus, & quod in homine latas seculi vias ambulante inuenire difficile est, cum morum suauitate, eorundem etiam sinceritate conspicuus, Henricus scilicet memorati Domini Regis filius, Northumbriæ Comes, & regni successor speratus: cum ingenti Anglorum simul & Scottorum luctu morte immatura rebus excessit humanis, relictis ex coniuge, quæ Guarennensis fuerat Comitis filia, tribus filiis & totidem filiabus. Casus quidem acerbissimus viscera pij patris concussit, sed constantis animi pondus (erat enim vir bonus & sapiens) decentem doloris modum fecit, complexusque nepotes duos (nam tertium, ni fallor, grauida nondum mater ediderat) filium in eis viuere reputans, consolationem recepit. Denique post annos aliquot generale debitum soluturus, Malcolinum filij primogenitum adhuc impuberem regni successorem declarauit, fratri eius Guilelmo comitatum Northumbriæ assignauit. Et maior quidem natu, tam morum similitudine, quam corporis habitudine patrissare magis, minor vero matrissare, id est, maternigeneris imaginem in vultu & moribus prætendere videbatur. Dormiuit ergo Scottorum Dominus cum patribus suis vir magnus & gloriosus in seculo, nec minoris gloriæ in Christo. Nam sicut accipimus a fide dignis testibus, qui eius vitam actusq; nouerunt; vir fuit religiosus & pius. Vir multæ prudentiæ, summique moderaminis in administratione temporalium, & nihilominus magnæ deuotionis in Dominum. Vir post regni negotia ad diuina nequaquam officia segnior: vel propter diuina quibus insistebat officia, ad negotia regia obtunsior. Post honorabiles nuptias & thorum immaculatum, ex quo illi vnicus natus est filius, qui similimis moribus patrem exprimerent, annis plurimis in cælibatu permansit, in piis largitionibus tam profusus, vt præter copiosam dispersionem in pauperes, eleemosynas illius enarrent ab ipso fundatæ, dicatæ, & ornatæ multæ ecclesiæ Sanctorum. Sane cum illi, quem Dominus pronuntiauit se inuenisse virum secundum cor suum, cum titulo vocabuli in multis similimus fuerit: in quodam etiam non paruo inter multa & præclara bona excessu ab eius similitudine non recessit. Sicut enim ille post multa virtutum insignia in adulterium simul & homicidium, in altero eneruis, in altero nequam incidit: ita & iste alias quidem bonus & pius, Scottorum gentem ex effrænata barbarie sanguinis auidam, & neque ætati, neque sexui, licet eo nolente & frustra prohibente parcituram, Anglorum immisit prouinciæ, dum pro nepte sua olim Imperatrice (cuius iustam, vt credebat, partem fouebat) plus iusto æmularetur. At sicut ille per excubantem electoris sui gratiam vulnus illud vel potius vulnera pia humilitate sanauit; ita etiam iste tanti excessus reatum dignis (vt credimus) pœnitentiæ fructibus expiauit: Itaque non solum in executione piorum operum, verumetiam in actione fructuosæ pœnitentiæ; regiam antiqui Dauid formam nouus iste Dauid Rex, non barbarus barbaræ gentis impleuit. Notandum etiam quod sicut ille post pœnitentiam ob prioris peccati meritum diuinitus castigatus est, per nequissimum filium; ita iste quoque quamuis longe mitius per quendam pseudomonachum & Episcopum. Quem nimirum ego postmodum apud Bellelandam nostram sæpius vidi, actusque eius insolentissimos cum dignissimo didici. Quæ vtique silentio præteriri non debent: vt cognoscant & posteri quomodo in homine illo glorificatus sit, qui superbis resistit, & humilibus dat gratiam.

CAPVT XXIIII.

Idem obscurissimo in Anglia loco natus cum præceptis literarum rudimentis non haberet vnde in scholis subsisteret, artis scriptoriæ sciolus quibusdam religiosis antiquarij officium pro toleranda inopia impendebat. Deinde apud Furnesium tonsuratus, & regularem vitam professus, cum nactus esset scripturarum copiam, cum otio competenti, adiutus triplici bono, scilicet acri ingenio, illabili memoria, apto eloquio ita in breui profecit, vt magnæ spei esse videretur. Euolutis diebus in insulam cum fratribus missus: suauitate eloquij, & iocunditate faciei, cum esset etiam producto & robusto corpore, ita barbaris placuit: vt ab eis in Episcopum peteretur, & eorum quidem completum est desiderium. Mox ex successu intumuit, & grandia moliri cœpit. Nec

contentus episcopalis dignitate officij: animo iam ambulabat in magnis & mirabilibus super se, eratque ei corde vanissimo os loquens ingentia. Denique congregans viros inopes & audaces: iudicium veritatis non veritus, proposuit se filium Comitis Murauensis, hæreditate patrum suorum a Rege Scottorum spoliatum, cordi sibi esse non solum ius suum persequi, sed etiam vlcisci iniurias, illos se velle & habere periculi & fortunæ consortes, rem quidem esse aliquanti laboris & periculi, sed magnæ claritatis, & plurimi emolumenti. Accensis ergo omnibus, atque in verba eius iurantibus: per vicinas cœpit insulas ferociter debacchari, eratque iam quasi Nembroth robustus venator coram Domino: dedignatus iuxta Episcopalis officij debitum hominum esse piscator cum Petro. Augebatur indies satellitum copiis, inter quos nimirum ipse eminens fere ab humero & sursum, tanquam dux magnus omnium animos accendebat. Excurrebat in prouincias Scotiæ: rapinis & homicidiis cuncta exterminans. Cumque aduersus eum regius exercitus mitteretur in remotioreis se saltus recipiens, vel in Oceanum refugiens, omnem illum apparatum bellicum eludebat, & recedente exercitu, rursum ex locis abditis, ad infestandas prouincias erumpebat. Cum ergo in omnibus prosperaretur, essetque iam ipsi etiam Regi terribilis: quidam Episcopus vir simplicissimus mirabiliter eius impetum ad tempus repressit. Cui cum ille bellum denuntians exterminium minaretur, nisi vectigal penderet: voluntas, inquit, Dei fiat. nam meo exemplo nunquam aliquis Episcopus alterius Episcopi fiet tributarius. Cohortatus ergo populum suum, illi cum furore venienti sola fide maior, nam in ceteris longa impar occurrit, & pro suorum animatione primum ipse belli dans ictum; iactata securi modica, hostem in fronte gradientem Deo volente prostrauit. Quo casu confortatus populus: in prædones fortiter irruit, & eorum magna parte cæsa: ducem ferocissimum eneruiter fugere compulit. Solebat autem hoc ipse postea inter amicos cum iocunditate narrare tanquam glorians, quod solus eum Deus per simplicis Episcopi fidem vincere potuisset. Ego quoque hoc ipsum, quodam qui de nunero satellitum eius fuerat, & cum ceteris qui euasere, fugerat, referente cognoui. Resumtis autem viribus: per insulas atque prouincias Scotiæ debacchatus est vt prius. Quamobrem Rex compulsus est placare prædonem; saniori plane vsus consilio: vt cum hoste tumido callidoque cum quo fortiter agi non poterat, sapienter ageretur. Cedens ergo illi quandam prouinciam cum monasterio Furnesiensi, excursiones eius interim suspendit. Cum autem per subditam prouinciam tanquam Rex valente exercitu gloriose ferretur, ipsique monasterio, cuius monachus fuerat supra modum grauis existeret, de consensu nobilium insidiati sunt ei quidem prouinciales, qui eius vel potentiam vel insolentiam exosam habebant. Nactique tempus oportunum cum præmissam ad hospitium multitudinem lento pede & raro stipatus satellite sequeretur; comprehensum vinxerunt: vtrumque illi oculum, quia vterque nequam erat, eruerunt, causamque virulenti germinis amputantes, eum pro pace regni Scottorum non propter regnum cælorum castrauerunt. Qui postea Bellelandam nostram venit, ibique annis plurimis vsque ad obitum quietus permansit. Fertur tamen tunc dixisse quia si vel passeris oculum haberet, inimici eius de actis in eum minime exsultarent.

CAPVT XXV.

Memorato ergo Scottorum Regi Dauid, Malcolmius maior natu nepotum eius ex filio nondum pubes successit. Qui venerabilem auum in multis bonis exequās, in quibusdam etiam gloriosę superans in medio nationis barbaræ & peruersæ tanquam sydus cæleste refulsit. Præuentus enim a Deo in benedictionibus dulcedinis, vt a tenero superni amoris feruorem conciperet, in tota vita sua candore pudicitiæ, titulo humilitatis & innocentiæ, puritate conscientiæ, morum suauitate pariter & grauitate ita excelluit, vt inter seculares (quibus solo habitu congruebat) monachus, & inter homines, quibus imperabat, terrenus quidem Angelus videretur. Mira quidem hæc in Rege, & rege gentis tam barbaræ, quam vtique Deo cuncta opera eius dirigente ita regedat, vt propter illa virtutum insignia barbaris non esset despectui,

sed potius admirationi & amori: dum per regiam auctoritatem & seueritatem improbis & audacibus maximo esset terrori. Non enim defuere, qui nouis motibus intumescentes vel eum impetendum censerent, vel consueta illi denegarent. Quos nimirum Deo sibi manifeste cooperante ita vel contriuit vel domuit; vt omnes deinceps formidarent molesti esse viro, cum quo erat Deus. Sed nec defuere illi in ingressu pubertatis, quidam immissi a Sathana, qui cum in seipsis castitatis iacturam pro nihilo ducerent; eum quoque & ad carnalis experientiam voluptatis ausu improbo & virulentis suasionibus titillarent. Illo vero, qui iam sequi agnum cupiens quocunque iret, sanctæ integritatis zelum toto pectore hauserat, & thesaurum istum in carne fragili tanquam in vase fictili caute custodiendum, nullo quidem homine, sed Deo tantum intus docente sciebat: indecoras coæuorum vel etiam eorum quos loco magistrorum colebat suasiones primo contemsit: ac deinde cum nondum quiescerent; voce & vultu cum quadam auctoritate ita repressit, vt eorum nullus de cetero talia illi auderet ingerere. At in his repulsus hostis stimulante inuidia non quiescit, fortioreis contra puerum Dei insidias struit, Matrem adornat, quæ illi virus occultum tanquam consilium maternæ pietatis insibilet, & non solum blandiendo alliciat, sed etiam imperiis vrgeat, Regem, non monachum esse moneat, ætati & corpori eius amplexus puellares maxime congruere doceat. Matris importunitate victus magis quam victus: assentiri visus est, ne contristaret parentem. Læta illa cubantis iam filij lecto assistens: virginem speciosam & nobilem ad latus non obluctantis collocauit. Ille egredientibus conscijs secretum nactus, & charitatis magis quam carnis igne succensus, illico surrexit, & cubile regium toto noctis spatio virgini cedens, opertus pallio in pauimento dormiuit. Eo mane a cubiculariis sic inuento, & consulto virginis testimonio: vtriusque est declarata virginitas. Matrem postea vel obiurgare vel blandiri adiicientem, quadam constantis animi auctoritate compescuit, vt super hoc audendum vlterius non putaret. Dicant quod voluerint veneratores signorum, & ex miris merita metientes: & ex sola signorum claritate sanctitatis titulum tribuentes: Plane ego illud in Rege iuuenculo, sic impugnatæ sed inexpugnatæ integritatis miraculum, præferendum censeo non solum illuminationi cæcorum, sed etiam suscitationi mortuorum.

CAPVT XXVI.

Vt autem a Scottia paululum regrediar, defuncto Guilelmo de Sancta Barbara Dunelmensi Episcopo viro religioso Hugo Eboracensis Ecclesiæ thesaurarius, propter nobilitatem generis (erat enim propinquus Regis Stephani) ad Pontificatum Dunelmensis ecclesiæ electus est: venerabili Henrico Eboracensi Archiepiscopo, ad quem Dunelmensis Episcopi spectabat consecratio, plurimum obtinente, atque obtendente & minus canonicam electi ætatem, & minus probatam morum eius grauitatem. Ascenderunt ergo maiores ex electoribus cum ipso electo ad sedem Apostolicam, pro negotio tam electionis quam consecrationis, iam dicto Archiepiscopo pro se responsalem mittente: qui & electioni contrairet, & consecrationem impediret. Sed venerabili Eugenio, qui eiusdem Archiepiscopi apud Clareuallem condiscipulus fuerat, ex hac luce paulo ante subtracto: inuenerunt Anastasium sedi Apostolicæ præsidentem. Tres quippe viri memorabiles, & in vita sua amicissimi tempore illo decedentes, in morte quoque breuibus interuallis separati, scilicet Eugenius Papa Romanus, Bernardus Clareuallis Abbas, Henricus Eboracensis Archiepiscopus, e quibus Eugenio & Bernardo prius absumtis, Henricus e vestigio secutus est. Vulgato autem duorum transitu, tertio adhuc superstite, Guilelmus olim Eboracensis, qui Wintoniæ morabatur, spe recuperationis concepta (nam prior eum deposuerat, secundus vt deponeretur egerat, tertius deposito successerat) sedem Apostolicam celeriter adiit: iudicium non accusans, misericordiam humiliter postulauit. Et ecce certus de transitu ex Anglia Eboracensis Episcopi nuntius superueniens: verecundissimas eius preces multum adiuuit. Et quidem Dunelmensis electus, qui prior illuc venerat, a Domino Papa solemniter consecratus: illius qui posterior aduenerat pendente adhuc fortuna discessit. Sed tandem prioris iudicij rigore sublato, Apostolicæ mansuetudinis

clementiam expertus: miserante eius canos Papa cum Cardinalibus, & satagente circa eius negotium maxime quodam Gregorio magni nominis Cardinali, homine facundissimo & profundissimæ astutiæ atque animi vere Romani. Itaque in integrum restitutus, & pallio, quod nunquam eatenus impetrare poterat, insignitus: Sabbato sancto Wintoniam rediit, ibiq; celebrata solemnitate Paschali, post albas ad ciuitatem propriam properauit. Occurrerunt autem ei extra ciuitatem minus pacifice Robertus Eboracensis ecclesiæ Decanus, & Osbertus Archidiaconus, qui vt eum a desiderata sede arcerent, propositis capitulis aduersus eum fortiter appellarunt. Ille nihilominus progrediens, solemni occursu, & ingenti applausu a Clero & populo susceptus est. Prænominati vero eius aduersarij Theobaldum Cantuariensem Archiepiscopum, Apostolicas tunc in Anglia vices agentem, concite adeuntes, eiusdem fauore & suffragiis vtebantur. Porro ille receptam non multo post albas Paschales ecclesiam decenti moderamine regens, & ingenita lenitate nulli onerosus existens: paucis post Pentecostem euolutis diebus febre corripitur, & rapitur ex hac vita; ingenti tam clericis quam laicis ex mitissimi Pastoris occasu, luctu relicto. Sane propter inopinatum eius transitum a multis creditur veneno extinctus, asserentibus eum ex sacro calice per quędam ab aduersariis immissum vel pro eis æmulantem infecto, potum mortiferum (quod dictu horrendum est) & cum potu vitam hausisse. At hoc mera quorundam opinione, quam tamen petulanter velut perspicuam veritate sparserunt in vulgus. denique ego processu temporis cum fama ista crebresceret, quendam virum magnum & grandæuum, Rieuallis monasterij monachum iam valetudinarium & morti vicinum, qui eo tempore Eboracensis ecclesiæ Canonicus & memorato Archiepiscopo familiaris exstiterat, super hoc cum adiurationibus percunctandum putaui. Qui constanter respondit, hoc esse mendacissimum conceptæ a quibusdam opinionis commentum. se quippe cum scelus illud attentatum dicitur, præsentem atque Archiepiscopo assistentem fuisse, nullo modo malignum quenquam inter circumstanteis fidelissimos ad aliquid tale audendum irrepere potuisse. Illud quoque falsum est quod dicunt eum amicis suadentibus antidotum gustare voluisse: cum ab eis hostilis malicia in eum aliquid ausa putaretur. & ad hoc suum vel opinabile vel commentum firmandum fertur eum dixisse, quod cælesti antidoto non adiiceret humanum. Quod vtique quia vir sapiens fuit, & Dominum non esse tentandum diuina auctoritate edoctus: nec dixisse neque egisse credendus est. Ad hoc Simphorianum familiarem clericum eius, qui in eius obsequio non paruo tempore fuerat, & ægrotanti deuotus minister astiterat, audiui dicentem, quod amicis suadentibus antidotum sumserit, quod vtique sapiens credendus est. Ab eodem quoque audiui, amicos qui aderant ob hoc maxime, adputādum quod mortiferum quid biberit, fuisse procliues; quia dentes eius qui candidi fuerant in extremo illo incommodo nigrescere cœperant. At hoc ridetur a medicis, cum homines morituri passim nigrescere soleant. Porro Eboracensis Archiepiscopi morte comperta; Robertus Decanus, & Osbertus Archidiaconus annitente & cooperante Cantuariensi Archiepiscopo Apostolicæ sedis legato Rogerium eiusdem Archidiaconum ad Eboracensis Ecclesiæ cathedram elegerunt, magnisque suffragiis atque terroribus Eboracense Capitulum ad consentiendum induxerunt. Et de hoc quidem plenius suo loco dicemus.

CAPVT XXVII.

Nec prætereundum videtur inauditum a seculis prodigium: quod sub Rege Stephano in Anglia noscitur euenisse. Et quidem diu super hoc, cum tamen a multis prędicaretur, hęsitaui, remque vel nullius vel abditissimæ rationis in fidem recipere ridiculum mihi videbatur: donec tantorum & talium pondere testium ita sum obrutus, vt cogerer credere & mirari, quod nullis animi viribus possum attingere vel rimari. Vicus est in Estanglia quatuor vel quinque (vt dicitur) millariis distans a nobili monasterio beati Regis, & martyris Edmundi. Iuxta quem vicum quædam antiquissimæ fossę visuntur: quæ sermone Anglico Vulfputes, id est, luporum fossæ dicuntur, & vico cui adiacent suum nomen indulgent. Ex his fossis tempore messis, & occupatis circa

frugum

frugum collectionem per agros messoribus: emerserunt duo pueri masculus & fœmina, toto corpore virides, & coloris insoliti, ex incognita materia veste operti. Cumque per agrum attoniti oberrarent, comprehensi a messoribus ducti sunt in vicum, multisque confluentibus ad tantæ nouitatis spectaculum, per dies aliquot tenti sunt cibi expertes. Cum ergo inedia iam pæne deficerent, nec tamen aliquid ciborum qui offerebantur attenderent: forte ex agro contigit fabas inferri: quas illico arripientes legumen ipsum in thyrsis quæsierunt, & nihil in concauitate thyrsorum inuenientes, amare fleuerunt. Tunc quidam eorum qui aderant, legumen ex corticibus erutum porrexit eis, quod statim libenter acceptum comederunt. Hoc cibo aliti sunt per menseis aliquot: quousque panis vsum nouerunt. Denique colorem proprium ciborum nostrorum præualente natura paulatim mutantes, & similes nobis effecti: nostri quoque sermonis vsum didicerunt. Visumque est prudentibus, vt sacri Baptismatis perciperent sacramentum, quod & factum est. Sed puer qui minor natu videbatur post Baptismum breui viuens tempore, immatura morte decessit, sorore incolumi permanente, & nec in modico a nostri generis fœminis discrepante. Quæ nimirum post apud Lennam (vt dicitur) duxit maritum, & ante annos paucos superstes esse dicebatur. Sane cum iam nostræ vsum loquelæ haberent: interrogati qui & vnde essent, respondisse feruntur. Homines de terra sancti Martini, qui scilicet in terra natiuitatis nostræ præcipuæ venerationi habetur. Consequenter interrogati vbinam esset terra illa, & quomodo exinde aduenissent huc; vtrumque, inquiunt, nescimus. Hoc tantum meminimus, quia cum quodam die pecora patris nostri in agro pasceremus, sonitum audiuimus, qualem nunc apud Sanctum Albanum cum signa concrepare dicuntur, audire solemus. Dumque in sonitum illum quem admirabamur animo intenderemus: repente tanquam in quodam mentis excessu positi, inuenimus nos inter vos in agro vbi metebatis. Interrogati vtrum ibidem vel in Christum crederetur, vel Sol oriretur: terram illam Christianam esse, & ecclesias habere dixerunt. Sed Sol inquiunt, apud nostrates non oritur: & eius radiis terra nostra minime illustratur, illius claritatis modulo contenta: quæ apud nos Solem vel Orientem præcedit vel sequitur Occidentem. Porro terra quædam lucida non longe a terra nostra aspicitur amne largissimo vtramq; dirimente. hæc & multa alia quæ retexere longum est, curiose percunctantibus respondisse feruntur. Dicat quisque quod voluerit & ratiocinetur de his, vt poterit, me autē prodigiosum mirabilemque euentum exposuisse non piget.

CAPVT XXVIII.

Alia quoque æque mira & prodigiosa nostris temporibus contigerunt, ex quibus pauca retexam. Mira vero huiusmodi dicimus non tantum propter raritatem, sed etiam quia occultam habent rationem. Dum in lapicidina quadam petra ingens ferramentis finderetur: apparuere duo canes, capacem sui in eadem petra concauitatem replentes absque omni spiraculo. Videbantur autem esse ex eo canum genere quos leporarios vocant, sed vultu truces, odore graues, pilorum expertes. Et vnus quidem eorum, vt dicitur, cito defecit: Alterum vero stupendæ, vt aiunt, edacitatis Henricus Wintoniensis Episcopus diebus plurimis in deliciis habuit. Refertur etiam quod in alia lapicidina, dum pro eruendis fabricæ necessariis lapidibus altius foderetur, repertus sit lapis formosus duplex, id est, ex duobus subtili agglutinatione compactus lapidibus. Mirantibus operariis Episcopo qui non longe aberat exhibitus, dissignari iussus est vt innotesceret, si quid in eo lateret mysterij. Inuentaque in eius concauitate bestiola quam bufonem vocant, catenulam auream circa collum habens. Cunctis ergo qui aderant tam inusitatæ rei stupore suspensis, præcepit Episcopus iterum signari lapidem, & lapicidinæ altitudini redditum ruderibus in perpetuum operiri. In prouincia quoque Deirorum haud procul a loco natiuitatis meæ res mirabilis contigit, quam a puero cognoui. Est vicus aliquot a mari Orientali miliariis distans, iuxta quem famosæ illæ aquæ quas vulgo Vipse vocant, numerosa scaturigine terra prosiliunt, non quidem iugiter, sed annis interpositis: & facto torrente non modico, per loca humiliora in mare labuntur, quæ quidem cum siccantur, signum bonum

In carbonariis fodinis agri nostri Leodiēsis, sæpenumero silices ingentes reperiuntur, rotūdi, læues, prædurì, intra quos viui bufones omnis spiraculi, quod videri possit, expertes, condita latent.

est nam earum fluxus futuræ famis incommodum non falliciter portendere dicitur. Ex quo vico rusticus quidam ad salutandum amicum in proximo vico commorantem profectus: multa iam nocte minus sobrius remeabat. Et ecce, de proximo tumulo quem sæpius vidi, & duobus vel tribus stadiis a vico abest, voces cantantium, & quasi festiue conniuantium audiuit. Miratus quinam in illo loco solemnibus gaudiis intempestæ noctis silentium rumperent, hoc ipsum curiosius inspicere voluit, vidensque in latere tumuli ianuam patentem: accessit & introspexit, viditque domum amplam & luminosam, plenamque discumbentibus, tam viris quam fœminis, tanquam ad solemneis epulas. Vnus autem ministrantium aspiciens stantem ad ostium, obtulit ei poculum. Quo ille accepto consulte noluit bibere, sed effuso contento, & continente retento concitus abiit, factoque tumultu in conuiuio pro sublatione vasculi, & persequentibus eum conuiuis, pernicitate iumenti quo vehebatur euasit, & in vicum cum insigni se præda recepit. Denique hoc vasculum materiæ incognitæ, coloris insoliti, & formæ inusitate, Henrico seniori Anglorum Regi pro munere oblatum est, ac deinde fratri Reginæ Dauid scilicet Regi Scottorum contraditum: annis plurimis in thesauris Scottiæ seruatū est: & ante annos aliquot (sicut veraci relatione cognouimus) Henrico secundo illud aspicere cupienti a Rege Scottorum Guilelmo resignatum. Hæc & huiusmodi incredibilia viderentur, nisi a dignis fide testibus, contigisse probarentur. Si autem potuerunt Magi per incantiones (vt scriptum est) Ægyptiacas, & arcana quædam operatione vtique malorum Angelorum virgas cōuertere in dracones, & aquam in sanguinem, nouas quoque ranas producere, quos tamen (vt ait Augustinus) creatores draconum vel ranarum non dicimus, sicut nec agricolas segetum. aliud est enim, ex intimo & summo causarum cardine condere atque administrare creaturam, quod qui facit solus creator est Deus. aliud autem pro distributis ab illo viribus & facultatibus aliquando operationem forinsecus aduouere, vt tunc vel tunc, sic vel sic exeat quod creator, quod non solum mali Angeli & mali homines possunt si, inquam, mali angeli per Magos (Deo permittente) ea potuere: non est mirum si & illa de quibus nunc quæritur quadam angelicæ naturæ potentia (si a superiori potestate permittantur) partim præstigialiter & fantastice vt illud in tumulo nocturnum conuiuium, partim etiam in veritate, vt vel illos canes, vel bufonem illum cum cathenula aurea seu scyphum illum valeant exhibere, in quibus homines stupore inutili teneantur, qui nimirum mali angeli libentius faciunt cum permittuntur in quibus homines pernitiose fallantur. Porro puerorum illorum viridium, qui de terra emersisse dicuntur, abstrusior ratio est, quam vtique nostri sensus tenuitas non sufficit indagare.

CAPVT XXIX.

Vt autem iam ad seriem historicæ narrationis redeam, Henricus Matildis olim Imperatricis ex illustri Andegauensi Comite filius accepto, vt superius dictum est, a matris auunculo Rege Scottorum cingulo militari: transfretauit, & venit ad patrem, eratque de cetero in obsequio eius prudentiæ & fortitudinis præclaram indolem præferens, & militaris gloriæ non trepidus æmulator. Post annos vero aliquot patre in fata concedente: paterni iuris plenitudinem, id est, Andegauensem simul & Cænomanensem Comitatum, & materni iuris expeditam portionem, id est Normanniæ Ducatum recepit. Nam regno Angliæ, quod ad ius æque spectabat maternum, Rex Stephanus quamuis remisse & languide, vt superius expositum est, eatenus incubabat. Itaq; patri succedens, & patrem in breui vel æquans vel etiam excedens: quocunque se vertisset industrius strenuusque apparuit: ita vt iam illis formidabilis existeret: qui felicibus eius initiis inuidebant. Cumque in partibus transmarinis omnia illi quieta iam essent: regno Angliæ, quod iure sibi perspicuo competebat, fraudari non vlterius patiens, tam difficili & periculoso negotio animum intendit. Metuens autem ne qua post egressum suum in Normanniam fieret irruptio a Rege Francorum, cuius Rex Stephanus affinitate gaudebat, nam sororem eius iam pridem filio suo Eustachio vxorem acceperat: fineis suos præsidiis opportune dispositis cautius credidit muniendos. Vnde factum est vt paruam secum manum in Angliam duceret, reputans terris transmarinis,

quas quieto iam iure possidebat partum esse consultum: si copias abduceret militares, necessaria sibi præsidia in Anglia minime de futura: si secus, certa incertis inconsulto postponi. Denique non amplius (vt dicitur) quam centum quadraginta equites, & peditum tria millia in Angliam cum eo venerunt. Aduentu eius cognito, feruentibus ad eum animis conuenerunt, qui matri eius ab initio fauerant. Auctus illico ingentibus copiis: munitionem Melbesbiriensem, vbi Regis Stephani præsidium erat obsedit. Tunc idem Rex conuocatis celeriter, qui ab se non defecerant, cum Eustachio filio, acerrimo iuuene ocyus aduolās, hostem ad prælium prouocauit. At ille in castris se continens, & campi discrimen, pro tempore consulto declinans, eo quod manum imparem habere videretur; hostili ferociæ copiam pugnæ non fecit. Rex vero cum neque hostem commode posset impetere, neq; prolixiores circa castra hostilia excubias agere tutum videretur: ociose recessit, & obsessa munitio, in potestatem obsidentis cōcessit. Augebatur idem indies, & militiæ numeris, & fauoribus sociorū, deficientibus ad eum paulatim, qui hostilium partium fuerant regni optimatibus, ita vt iam incrementis virium & felicitate successuum ducis gloria (sic enim vocabatur) aduersarij nomen regium adumbraret. Stanfordiam cum instructo exercitu adiit: qua celeriter expugnata & capta, munitionem quoque eiecto præsidio regio post aliquot dies obtinuit. Audiēs autem Gipesvvic, quæ ad eius se parteis transtulerat, obsideri a Rege, vt hoste propulsato obsidionem solueret, ad orientalium Anglorum prouinciam cum exercitu properabat. sed accepto post modicum de eiusdem loci deditione nūtio: diuertit, & irripuit super Notingeham, quæ sita est super fluuium Trentam. qua mox expugnata atque opibus vacuata: recessit, oppugnandæ munitionis, quæ natura loci inexpugnabilis videbatur, operam inanem omittens, inde ad alia conuersus negotia, sibi tanquam fauore arridente diuino in omnibus prosperabatur.

CAPVT XXX.

DVM hæc sub euentu pendulo inter Regem & Ducem altercatio traheretur: Eustachius eiusdem Regis filius iuuenis clarissimus immatura secundum voluntatem Dei morte decessit, magnam seminandæ inter Principes pacis occasionem sui de medio ablatione relinquens. Eo quippe superstite partes concordia mediante componi, atque vniri minime potuissent, cum propter iuuenilem eiusdem acrimoniam, tum propter eiusdem præclaram quandam ex affinitate Regis Francorum fiduciam. Vtroque autem pacis impedimento per vnius hominis mortem sublato, quod Deo propicio prouenisse creditur, eo quod iam super Angliam intestinis malis exanguem & sauciam cogitaret cogitationes pacis & non afflictionis: viri pacifici, de pace suadenda atque formanda propensius cogitare cœperunt. Occasu quippe filij, qui successurus sperabatur supra modum exulceratus pater: ad apparatus bellicos pigrius mouebatur, & voces suadentium pacem solito patientius audiebat. Duce quoque prudentum consiliis ad hoc inclinato, vt honesto & solido fœderi postponeret casus ambiguos: placuit inter eos solemne & salubre colloquium celebrari. Vbi amicis mediantibus & circa bonum publicum pia & prudenti prouisione satagentibus, pax inter eos & caute formata: & solide firmata est. Decretumque est, vt Stephanus de cetero tanquam Princeps legitimus integre in Anglia, cum gloria & honore regnaret. Henricus vero ei tanquam hæres legitimus in regno succederet. Hanc pacis formam tanquam vtilem & honestam Princeps vterque amplexus; abolitis omnibus quæ inter eos hactenus hostiliter acta fuerant, atque omni simultate perpetuæ tradita sepulturæ, in mutuos multis præ gaudio lacrymantibus se dederunt amplexus. Et Rex quidem ducem adoptans in filium, eum solemniter successorem proprium declarauit. Dux vero Regem tanquam patrem & Dominum in conspectu omnium honorauit. Guilelmus autem Regis filius iunior iubente patre duci hominagium fecit. Dux quoque illi pactis interpositis satisfecit. Quibus Deo propicio salubriter actis, Rex Angliam & Anglia pacem recepit. Annis enim iam plurimis, fere nudo Regis nomine insignis: tunc recipere visus est huius rem nominis & quasi tunc primo regnare cœpit, quia tunc primo purgata inuasionis tyrannicæ macula

legitimi Principis iustitiam induit. Dux autem in Anglia post firmatæ pacis solemnia modico tempore commoratus, transfretare parabat: & Rex cum Guilelmo filio multisque aliis nobilibus celebri lætitia prosequebatur abeuntem. Cumque idem regius puer in oculis patris, equo (vt assolet) concitatius veheretur; contigit equo cadente sessorem ad terram grauiter allidi. Vnde cum fracto osse tibiæ resurgere impotens, patri & omnibus qui aderant dolorem incussit. Reportatus ergo est Cantuariam, vt ibi curaretur. Rex vero sinistro casu saucius: datis cum benedictione mandatis, Ducem dimisit, qui feliciter transfretans, circa æstatis initium ad propria cum gaudio remeauit.

CAPVT XXXI.

IISDEM fere diebus inter Lodouicum Francorum regem, & Alienoram reginam diuortium celebratum est: quibusdam Episcopis atque proceribus consanguinitatem illorum sub testificatione iurisiurandi solemniter allegantibus. Eadem sane regina ducis Aquitanici soboles vnica, ante expeditionem Ierosolymitanam (de qua superius dictum est) memorato Regi nupserat, suoque coniugio amplissimum illum ducatum Aquitaniæ, regno Franciæ iunxerat. Quæ nimirum ita sibi in principio iuuenis animum suæ formæ venustate præstrictum deuinxerat: vt illius famatissimæ expeditionis iter arrepturus, dum vxorem iuuenculam vehementius æmulatur, eam nequaquam domi esse relinquendam, sed secum ad prælia proficisci decerneret. Quod exemplum secuti multi alij nobiles, vxores suas secum duxerunt: quibus cum cubiculariæ deesse non possent, in castris illis Christianis quæ casta esse oportebat, fœminarum multitudo versabatur, quod vtique factum est exercitui nostro in scandalum: vt superius ostensum est. Cumque idem Rex ab Oriente vna cum coniuge non sine infecti negotij dedecore ad propria fuisset reuersus, amore pristino inter eos paulatim refrigescente: causæ quoque dissidij succrescere cœperunt, illa maxime moribus regiis offensa, & causante, se monacho, non Regi nupsisse. Dicitur etiam, quod in ipso Regis Francorum coniugio ad ducis Normannici nuptias suis magis moribus congruas aspirauerit, atque ideo præoptauerit procurauerìtque dissidium. Itaque causis ingrauescentibus, & illa quidem (vt dicitur) multum instante, illo vero vel non, vel remissius obluctante, per Ecclesiasticæ legis vigorem solutum est inter eos vinculum copulæ coniugalis. Porro illa soluta a lege viri, & habens potestatem cui vellet nubendi: duabus apud patrem filiabus relictis, quæ postea duobus illustrissimi Comitis Theobaldi filiis, Henrico scilicet & Theobaldo paterna prouisione nupserunt, desideratis tandem post potita est nuptiis. Denique conuenientes Dux Normanniæ, & illa loco condicto, pactum coniugale inierunt, minus quidem solemniter ratione personarum, sed cautiori prouidentia, nequid scilicet impedimenti pareret solemnis preparatio nuptiarum. Mox Ducatus Aquitaniæ, quia finibus Andegauensium & Britonum ad Pyræneos vsque monteis, Galliam Hispaniamque dirimẽtes extenditur, Francorum se ditioni paulatim subducens ratione coniugis in Ducis Normannici potestatem transiuit, Francis quidem inuidia tabescentibus, sed impedire non valentibus eiusdem Ducis prouectum.

CAPVT XXXII.

INTERRA Rex Stephanus fastu regio, fineis Angliæ lustrans, & se tanquam Regem nouum ostentans, suscipiebatur ab omnibus & decenti magnificentia colebatur: & incendebantur ante faciem eius, & quodammodo liquefiebant sicut cera a facie ignis, munitiones adulteræ, quæ erant improborum receptacula, & speluncæ latronum. Veniens autem in Eboracensem prouinciam: quendam Philippum de Tollevilla, qui munitionem suam apud Drax incendere vel incendendam tradere videbatur, inuenit rebellem; fretum scilicet eiusdem munitionis firmitate, commilitonum suorum ingentibus animis, & copioso ciborum armorumque apparatu. Rex vero ex proximis prouinciis exercitu conuocato: munitionem obiectu amnium, siluarum, atque paludum fere inaccessibilem obsidione conclusit, & fortiter expugnatam in bre-

in breui obtinuit. Erat autem tempus messis, & Rex in Eboracensi ciuitate, & adiacente prouincia quæ volebat expletis; ad Australes prouincias remeabat, circa festum beati Archangeli Michaëlis, cum Episcopis & nobilibus Angliæ Concilium Lundonij celebraturus, tum pro regni negotiis, cum etiam pro negotio vacantis ecclesiæ Eboracensis. Euocati ergo maiores eiusdem Ecclesiæ cum Abbatibus atque Prioribus subiectæ prouinciæ, affuere, factoque in Rogerium Archidiaconum Cantuariensem decreto: eum a suo Archiepiscopo, cuius efficaci astutia omne negotium electionis eius processerat, Rege conniuente solemniter petiere. Quem cum facile a volente impetrassent, licet eum idem Archiepiscopus tanquam precibus obstrictus cedere videretur: vel potius vellet videri, alias quoque preces adiecere, scilicet vt eum non tanquam Cantuariensis Archiepiscopus, sed tanquam Apostolicæ sedis legatus consecraret. Hoc quoque a volente non difficulter impetrato: consecratus est idem electus in Ecclesia beati Petri apud Wesmonasterium. Qui soluto concilio ad ecclesiam propriam properauit, & post susceptionis suæ solemnia, rebus pro tempore dispositis, eundi ad sedem Apostolicam petendi pallij gratia, in propria persona iter arripuit. Rex vero post concilium in Cantia constitutus morbo decubuit, quo ingrauescente post dies paucos decessit, mense Octobri, & sepultus est apud Fauerescham in monasterio, a se ante aliquot annos constructo, anno regni sui nonodecimo. Nuntium autem mortis eius Dux Normanniæ mature accepit, qui forte tunc castrum quoddam, quod ab eo desciuerat, cum exercitu obsidebat. Cumque ab amicis moneretur relicta obsidione, sub omni celeritate in Angliam transfretare, ne quid forte contra eum occasione moræ inimici veteres molirentur, mira iustitiæ suæ confidentia respondit, illos nihil ausuros. Et quamuis amici multum instarent obsidionem soluere noluit, donec factum est de castro obsesso quod voluit, expectante illum cum desideriis Anglia, & nulla interim in cunctis finibus eius surgente procella. Et huius quidem libri iste sit modus, vt a regno Henrici secundi: liber secundus incipiat.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

ANno a partu virginis M. C. LIIII. Henricus, Henrici maioris ex filia olim Imperatrice nepos, post mortem Regis Stephani a Normannia in Angliam veniens, hæreditarium regnum suscepit, conclamatus ab omnibus, & cõsecratus mystica vnctione in Regem, cõcrepantibus per Angliam turbis, viuat Rex. Prioris quippe regni, sub quo tot mala pullulauerãt, infelicitatẽ experti, de nouo Principe meliora sperabant, præsertim cum præclara illi prudentia atque constantia, cum zelo inesse viderentur, & magni iam Principis in ipsis suis primordiis præferret imaginem. Denique edicto præcepit, vt illi qui ex gentibus exteris in Angliam, sub Rege Stephano prædarum gratia, tanquam ad militandum confluxerant, & maxime Flandrenses, quorum magna tunc Angliæ incubabat multitudo: propriis regionibus redderentur, fatalem eis diem constituens: quem in Anglia sustinere certi foret discriminis. Quo edicto pauefacti: ita in breui delapsi sunt, vt quasi fantasmata in momento disparuisse viderentur, stupentibus plurimis: quomodo repente euanuissent. Mox Castella noua, quæ in diebus aui sui nequaquam exstiterant: complanari præcepit, præter pauca in locis opportunis sita, quæ vel ipse retinere, vel pacificis ad regni munimen retinere voluit. Publicæ quoque disciplinæ in primis sollicitudinem habuit, & vt legum vigor in Anglia reuiuisceret; qui sub Rege Stephano extinctus sepultusque videbatur, cura propensiore sategit, Ordinatisque in cunctis regni finibus iuris, & legum ministris, qui vel

improborum audaciam coërcerent, vel interpellantibus secundum causarum merita iustitiam exhiberent: ipse vel in deliciis erat, vel maioribus negotiis regiam operam impendebat. Quotiens autem iudicibus mollius, indigniusue agentibus, prouincialium querimoniis pulsabatur, prouisionis regiæ remedium adhibebat: illorum competenter corrigens vel negligentiam, vel excessum. Talia noui Principis initia fuere gratulantibus quidem & laudantibus pacificis: mussitantibus vero & contremiscentibus improbis. Fugiebant lupi rapaces; vel mutabantur in oueis, aut si non vere mutabātur, metu tamen legum cum ouibus morabantur. Conflabantur gladij in vomeres, & lanceæ in falces, nullusque iam exercebatur ad prælium, sed omnes olim optatæ, & nunc Deo propicio indultæ pacis, vel fouebantur ociis, vel intendebant negotiis.

CAPVT II.

CONSIDERANS autem Rex, quod Regij redditus breues essent, qui auito tempore vberes fuerant, eo quod Regia dominia per molliciem Regis Stephani ad alios multosque dominos maiori ex parte migrassent, præcepit ea cum omni integritate a quibuscunque detentoribus resignari, & in ius pristinum reuocari. Et hi quidem qui regiis oppidis seu vicis hactenus incliti fuerant: chartas quas a Rege Stephano vel extorserant, vel obsequiis emerant: quibus tuti forent, protulerunt. Sed quoniam chartæ inuasoris iuri legitimi Principis præiudicium facere minime debuerunt: eiusdem instrumentis esse tuti minime potuerunt. Itaque primo indignati, deinde conterriti, & contristati: ægre quidem sed tamen integre vsurpata, & diu tanquam solido iure detenta resignarunt. Cumque in cunctis regni prouinciis, omnes vsque ad vnum, de quo post pauca dicetur, voluntati regię paruissent: Rex Transhumbranas prouincias adiit, Comitemque Albemarlensem Guilelmum, qui ibidem sub Stephano Rex verior fuerat, de re consimili, eodem quo ceteros pondere auctoritatis conuenit. Ille diu hæsitās multumque æstuans: tandem corde sacius potestati succubuit, & quæcunque ex Regio dominio pluribus iam annis possederat, cum ingenti anxietate resignauit: maxime famosum illud & nobile castrum, quod dicitur Scarcheburch, cuius situm talem esse nouimus.

CAPVT III.

RVPES stupendæ altitudinis & amplitudinis, præruptis fere ex omni parte scopulis inaccessa mare irrumpit, quo tota ambitur, exceptis tanquam faucium quarundam angustiis, quas aperit ad occidentem, habens in summo planitiem speciosam & herbidam, & spaciosam tanquam sexaginta iugerum vel eo amplius, fonticulum quoque aquæ viuæ ex saxo profluentem. In ipsis autem faucibus, ad quas sine labore non ascenditur: turris regia sita est, & sub eisdem faucibus vrbis initium est in Austrum & Aquilonem vtrumque latus spargentis: frontem vero ad occidentem habentis, & a fronte quidem proprio muro, ab Oriente vero rupe castelli munitur. porro vtrumque eius latus mari alluitur. Sane hunc locum memoratus comes Guilelmus cum in Eboracensi prouincia plurimum posset, castro construendo idoneum contemplatus, sumtuoso opere naturam iuuans, totam rupis planitiem muro amplexus est & turrim in faucium angustiis fabricauit, qua processu temporis collapsa arcem magnam & præclaram Rex ibidem ædificari præcepit.

CAPVT IIII.

REX igitur in eadem prouincia rebus ad votum gestis ad superiora Anglię remeans solum Hugonem de Mortuo mari virum fortem & nobilem annis iam plurimis regio castro de Brigia incubantem, offendit rebellem. Qui cum iuberetur propriis esse contentus, & reddere quæ de iure regio possidebat, peruicacissime renuit, seque quibus potuit modis ad resistendum præparauit. Sed quod superbia & indignatio eius esset plusquam fortitudo eius: consequenter apparuit. Rex enim celeriter exercitu congregato Brigiam obsedit, quam post dies non multos fortiter oppugnatam in deditionem recipiens: ei cuius cor paulo ante quasi cor leonis fuerat, humiliato & supplici veniam dedit.

dedit. Regi quoque Scottorum qui Aquilonares Angliæ regiones, scilicet Norhumbriam, Cubriam, Westmerilandam, nomine Matildis dictæ imperatricis & hæredis eius olim a Dauid Scottorum Rege adquisitas, tanquam ius proprium possidebat, mandare curauit: Regem Angliæ tanta regni sui parte non debere fraudari, nec posse patienter mutilari, iustum esse reddi quod suo fuisset nomine adquisitum. Ille vero prudenter considerans Regem Angliæ in hac parte cum potentia virium merito causæ præstare, quamuis posset obtendere iuramentum, quod auo suo Dauid præstitisse dicebatur, cum ab eo cingulum acciperet militare: prænominatos fineis repetenti cum integritate restituit, & ab eo vicissim comitatum Huntedunēsem prisco sibi iure competentem recepit. His ita compositis, Anglia in cunctis finibus, suo ocio & securitate pro tempore fruebatur. Regis enim supra omneis, qui hactenus in Anglia regnasse noscebantur, latius dominantis (hoc est ab vltimis Scottiæ finibus ad montes vsque Pyrenæos) in cunctis regionibus nomen celebre habebatur.

CAPVT V.

VERVM non multis diebus elapsis, inter Regem & Walenses gentem inquietam & barbaram discordia oritur, dum vel ille aliquid insolitum per potentiam ab eis exigere, vel illi siluosis montibus vallibusque suis plus iusto confisi, tanto Principi per insolentiam solita denegarent, siue etiam propter inquietudinem & clādestinos in vicinos Anglorum fineis excursus. Rex vero immensis ex tota Anglia copiis congregatis: regionem Waliarum, qua facilior aditus videbatur ingredi statuit. Porro illi conuenientes, excubabant in terminis: & in planum progredi vel aperto bello cum loricatis congredi leuis armaturæ homines caute declinantes, delitescebant in siluis, & viarum angustias obseruabant. Sane Walenses reliquiæ Britonum esse noscuntur, qui huius insulæ (quæ nunc Anglia dicitur, olim Britannia dicebatur) incolæ primi fuere, eiusdemque nationis & linguæ esse probantur, cuius & Britones transmarini. Cum autem gens Britonum a superueniētibus Anglorum populis exterminium pateretur, qui euadere potuerunt, refugerunt in Walias contra irruptionem hostium naturæ beneficio tutas, ibique hæc natio perseuerat vsque in præsentem diem. Regio quippe illa tractu propensiori ad prospectum Hyberniæ super mare Occidentale iacens: alio latere regionibus Anglicis iungitur, & fere tota vel Oceano vel viuis saltibus aliisque difficultatibus cingitur. Ideoque difficillimos habet accessus siue ingressus. Introrsus autem inextricabiles quosdam noscitur habere recessus, ita vt quā periculosum est potenti cuilibet eam cum exercitu ingredi, tam impossibile sit eam interius cum exercitu peruagari. Gignit autem pro sui natura homines moribus barbaros, audaces, & infidos, alieni sanguinis auidos, & proprij prodigos, rapinis semper inhiantes, & tanquam transfuso a natura odio genti Anglorum infestos. Habet quidem pro eo quod saltuosa est, vberrimas alēdis pecoribus pascuas, sed plani parum habens, & frugum infœcunda: alendis propriis non sufficit filiis, sine inuecto ex intimis Angliæ prouinciis commeatu. Quem nimirum quoniam sine beneficio, vel permissu Regis Anglorum habere nō potest, eiusdem cogitur ditioni subiacere. Et si forte per latrocinales excursus, a quibus propter effrænatam barbariem vix temperat, eum irritauerit: iram eius diu non sustinens, cogitur eum placare. Igitur Rex fineis hostium cum natura & malitia multum luctando ingrediens: infausta negotij initia habuit. Pars enim exercitus per loca siluosa & humida incautius gradiens, delitescentium iuxta viam hostium excepta insidiis: periclitata est: ibique Eustachius, Ioannis filius, vir magnus & grandæuus, atque inter primos Angliæ proceres diuitiarum & sapientiæ titulis refulgens, cum Roberto de Curci æque nobili viro aliisque pluribus interiit. Qui vero euasere periculum, Regem qui iam Domino propicio emperat, & in tuto consistebat, cum ceteris occubuisse putantes, eiusque interitum aduentantibus adhuc & properantibus ad angustias ordinibus nuntiantes, nō paruam exercitus partem, rumoris atrocitate attonitam eneruiter fugere compulerunt, ita vt Henricus Essexensis, vir inter primos inclitus, & iure hæreditario signifer regius: vexillo regio, cuius conspectu exercitus animandus erat abiecto, fugæ se crederet, atque extinctum Regem occurrētibus proclamaret. Ob quod delictum postea a quo-

dam viro nobili proditionis ei dedecus publice opponente, Regij vigore iudicij, duello addictus est, & ab eodem deuictus. Quem tamen rex de misericordia iudicio mortis subducens apud Redingum monachum fieri iussit, amplissimo autẽ patrimonio eius fiscum auxit, sed hoc postea. Cum ergo Rex ocius aduolans turbatum exercitum proprio exhilarasset aspectu: resumtis illico animis, viribus confisi ordines in ordinem coiere, seque aduersus hostiles insidias de cetero cautius instruxere. Cumque Rex hosteis etiam a mari inuadendos duceret, & classem non modicam præparari iussisset; legati hostium cum verbis pacificis affuerunt, moxque illorum reguli supplices ad eum venerunt. Qui cum ob promerendam tanti Principis gratiam quibusdam finium suorum munitionibus traditis, hominium illi cum sacramentis præstitissent, pacis sereno post belli nubilum gratius arridente, exercitus ad propria cum gaudio reuersus, & Rex ad alia negotia, siue delicias est conuersus.

CAPVT VI.

SANE anno primo Regis Henrici secundi; obiit Anastasius Papa, successor Eugenij, cum fuisset Pontifex anni vnius. Cui successit Nicolaus Albanensis Episcopus, imitans nomen cum omine, dictusque est Adrianus. De quo dicendum est, quomodo tanquam de puluere eleuatus sit, vt sederet in medio Principum, & Apostolicum teneret solium gloriæ. Is enim natione Anglicus: patrem habuit clericum quendam non multæ facultatis, qui relicto cum seculo filio impubere, apud Sanctum Albanum factus est monachus. Ille vero adolescentiam ingressus cum propter inopiam scholis vacare non posset, idem monasterium quotidianæ stipis gratia frequentabat. Vnde pater erubuit, verbisque mordacibus socordiam eius increpitans, omni solatio destitutum cum graui indignatione abegit. Ille vero sibi relictus, & forti necessitate aliquid audere coactus Gallicanas adiit regiones, ingenue erubescens in Anglia vel fodere vel mendicare. Cũque in Francia minus prosperaretur: ad remotiora progrediens trans Rhodanum peregrinatus est, in regione quæ Prouincia dicitur. Est autem in illa regione monasterium nobile clericorum regularium, quod dicitur sancti Rufi: ad quem locum ille veniens & subsistendi occasionem ibidem inueniens: quibus potuit obsequiis eisdem se fratribus commendare curauit. Et quoniam erat corpore elegans, vultu iocundus, prudens in verbis, ad iniuncta impiger: placuit omnibus, rogatusque canonici ordinis suscipere habitum, annis plurimis ibidem resedit, regularis in primis disciplinæ æmulator. Cumque esset acris ingenij & linguæ expeditæ: frequenti & studiosa lectione ad scientiam atque eloquentiam multum profecit. Vnde factum est: vt Abbate defuncto fratres eum concorditer atque solemniter in patrem eligerent. Quibus cum aliquandiu præfuisset, pœnitentia ducti atque indignati, quod hominem peregrinum leuassent super capita sua, facti sunt ei de cetero infidi atque infesti. Odiis itaque paulatim crudescentibus, vt iam grauiter aspicerent, in quo sibi paulo ante bene complacuerat: tandem confictis & propositis contra eum capitulis ad sedem eum Apostolicam prouocarunt. Piæ autem memoriæ Eugenius qui tunc arcem Pontificij tenebat, cum rebelliũ filiorum contra patrem querelas audisset, & eius pro se allegantis prudentiã, modestiamq; animaduerteret paci inter eos reformandæ efficacẽ operam dedit, multũq; imperans, & sæpius inculcans vtriq; parti, vt partes esse desinerent, & vnitatem spiritus in vinculo pacis seruarent, recõciliatos ad propria remisit. At non diu quieuit nescia quietis malitia, grandiusq; intonuit rediuiua tempestas. Interpellatus est iterũ idẽ venerabilis Pontifex: cuius iam aures fratrũ illorum querelis & susurris tinniebãt. Vtriq; ergo parti pie & prudenter prospiciens: scio inquit, fratres vbi sedes sit Sathanæ, scio quid in vobis suscitet procellam istam. Ite colligite vobis patrem, cum quo pacem habere possitis, vel potius velitis: iste enim non erit vobis vlterius oneri. Itaque dimissis fratribus Abbatem in beati Petri obsequio retinens, Albanensem ordinauit Episcopum, ac non multo post sumtis industriæ eius experimentis, ad genteis ferocissimas Dacorum & Norrensium cum plenitudine potestatis direxit legatum. Quo ille officio in barbaris nationibus per annos aliquot sapienter & strenue administrato: Romam cum salute & gaudio remeauit, susceptusque a summo Pontifice & Cardinalibus cum honore & gloria. Euolutis diebus non multis Anastasio, qui Eugenio successerat decedente, omniũ in eũ

votis

votis concurrentibus Romanæ vrbis Pontificatum suscepit factus ex Nicolao Adrianus. Qui nimirum suorum non immemor rudimentorum ob paternam maxime memoriam, beati martyris Albani Ecclesiam & donariis honorauit, & perpetuis insigniuit priuilegiis.

CAPVT VII.

CVM igitur Anglia sedatis & subactis Walensibus in pace & securitate ageret, nuntiatum est Regi fratrem suum Gaufridum tumultuari in partibus transmarinis. Caussa motus fraterni hæc erat. Illustris ille Comes Andegauensis ex Matilde olim Imperatrice tres susceperat liberos, Henricum, Gaufridum, Guilelmum. Cum ergo ad Henricum primogenitum paterni maternique iuris spectaret integritas: idem Comes prouisionem reliquorum noluit in totum ex gratia fratris pendere, nesciens qualem ille foret ad fratres habiturus affectum. Itaque in extremis agens, medio filiorum comitatum Andegauensem testamento reliquit: Sed quia tunc Anglia sub euentu pendebat ambiguo: cum Henricus, inquit, plenitudinem obtinuerit iuris materni, id est, Normanniam cum Anglia: fratri Gaufrido ius paternum integre dimittat: Interim vero idem Gaufridus tribus castellis non ignobilibus, scilicet Chinone, Lecduno, Mirabello sit contentus. Et quoniam Henricus forte tunc aberat mature affuturus: Episcopos & nobiles qui aderant adiurauit, ne corpus suum sepulturæ traderetur, nisi prius præstito sacramento a filio, quod paternum minime violaret testamentum. Denique illo mortuo: ad celebrandas exequias mox filius affuit, adiurationem illam paternam audiuit, diu hæsitauit. tandem conclamantibus omnibus, ne ad sempiternum & inexpiabile dedecus corpus patris sineret insepultum tabe corrumpi, victus succubuit, & sacramentum quod exigebatur, non sine fletu præstitit. Sepulto patre testamentum dissignatum est. Ille vero pro tempore dissimulauit dolorem. Cum autem regnum esset adeptus, Romano Pontifici (vt dicitur) qua necessitate, quod nesciebat iurasset, intimare curauit. Et quoniam extorta sacramenta, vel vota non obligant, nisi forte ex subsequenti consensu conualescant, facilem (vt dicitur) ab illo sacramento absolutionem impetrauit. Ingesta enim necessitas iurandi, siue vouendi necessitatem non ingerit, quod iuratum votumue est adimplendi, sed sola voluntas. hanc necessitatem parit libertas. Ea ratione tutus: nec paterni testamenti, nec proprij iuramenti contemplatione fratri satisfacere voluit. Vnde ille indignatus: tribus prænominatis castellis quæ pater ei reliquerat, contra omnes (vt putabat) casus munitis, vicinas turbabat prouincias. Rex autem exercitu propere congregato, Chinonem, castellum scilicet sic dictum, quod tanta erat firmitate, vt in eo muniendo tuendoque natura & operatio humana concertare viderentur, obsedit: & in breui per deditionem obtinuit, fratri humiliato & supplici veniam dedit: castelloque nudato vt occasionem superbiæ tolleret: terram planam concessit, ex qua fructuum vtilitas proueniret. Cumque idem mœrore contabesceret, & nunc fratris duritiem, nunc fortunæ cum gemitu accusaret inuidiam: felicior eum subito exhilarauit euentus. Ciues enim præclaræ vrbis Nammetensis, certum, vel in quo sibi complaceret Dominum non habentes: eius industria & strenuitate inuitati eum sibi in verum, certumque dominum elegerunt, atque accersito ciuitatem cum adiacente prouincia tradiderunt. At nondum hac felicitate functum mors immatura sustulit, moxque eandem ciuitatem Comes Richemundensis, qui tunc transmarinæ Britanniæ magna ex parte præsidebat, tanquam verus possessor intrauit. Quibus auditis, Rex dato mandato Richemundensem comitatum fisco applicari, illico ex Anglia in Normanniam transfretauit, & Nammetensem tanquã iure fraterno successionis reposcens, eundem Comitem magni apparatus terroribus ita præstrinxit atque infregit, vt vix trepide obluctari conatus, ciuitate resignata insistentem placaret.

CAPVT. VIII.

IISDEM fere temporibus Fredericus Teutonicus, atque Italicus Imperator Mediolanum vrbem, opum viriumque suarum fiducia diu rebellem expugnauit, cepit, euertit. Et quidem Longobardi gens inquieta & bellicosa immoderatæ libertatis

æmula,& tam numero vrbium quam magnitudine virium superba, ante annos plurimos ab Imperatore Romano magna ex parte desciuerat: Sed dum inter se amplissimæ ciuitates de prioratu desceptarent, atque aliæ aliis imperare cuperent: imperatorias contra se vireis auxerunt. Denique Mediolanenses opibus viribusque præcellentes, totius Longobardiæ affectabant imperium: iamque aliquot vrbeis subegerant, quasdam etiam rebelles euerterant, cum Papienses viribus impares, sed tamen eorum imperium aspernantes, ad partes se imperatorias transtulerunt: Quorum exemplum secutę vrbes cetere, in fœdus Imperatoris venerunt. Aggressurus ergo Mediolanenses defectu omnium sociorum remissius iam agentes Imperator vires imperij contrahebat. Illi quoque dominandi libidinem in tuendæ libertatis constantiam conuertentes, totis se opibus aduersus Imperatorios impetus muniebant. Cumque suburbana demolirentur, atque diruerent, ne tam obsessis nociua quam obsidentibus vsui forent, ea de re monasterium quoque antiquum & nobile, & sanctorum insigne reliquiis extra mœnia destruentes, quidquid in eo sacrum, reuerendumque inuentum est, in vrbem transtulerunt: Trium præcipue Magorum corpora, qui Saluatoris infantiam mysticis honorando muneribus, facti sunt ex gentibus primitiæ Deo & agno. Et quidem thesaurus iste olim in eiusdem Ecclesiæ secreto repositus, ipsos quoque monachos clericosque ibidem ministrantes latebat. Sed cum vsque ad fundamentum destrueretur ipsa Ecclesia: repertus & reuelatus est cum manifestis indiciis, quibus declarabatur, quod viri illi (quorum memoria in benedictione est) honorato & adorato Saluatore puero, in regionem suam reuersi, etiam post passionis eius triumphum superstites fuerint: & percepta a prędicantibus Apostolis Baptismi gratia, ad ipsum, quem in cunabulis olim honorauerant, ab eodem in dextera patris sedente honorandi, migrauerint. Nec notum est a quibus personis sacræ illorum reliquiæ illuc delatæ, ibique reposite fuerint. Eædem vero reliquiæ ossibus & neruis compactæ cutem quoque aridam atque imputribilem superductam habebant, vi, vt putatur, balsami, quo post mortem (gentili more) corpora eorum delibuta creduntur. Sed aureus circulus eadem (vt dicitur) corpora cum reperta sunt, ambiebat: vt sibi mutuo cohærerent. Igitur obsessa est vrbs Mediolanensis ab Imperatore Frederico, cuius quãtus exercitus fuerit eo ipso cognoscitur, quo Mediolanum potuit obsidere: vrbem scilicet potentissimam, & de suorum numerositate atque ferocia filiorum immensius gloriantem. Quę nimirũ post casus varios multiplicesq; conflictus deditioni addicta: incidit in manus hostiles. Victor Imperator ciuitatem euertit: ciues, quoniam se dediderant. non disperdidit, sed dispersit. præclaras illas Magorum reliquias ibidem reconditas (Longobardis ægre ferentibus) in regnum Teutonicum transtulit, & thesauri huius custodia ciuitatem Coloniam insigniuit.

CAPVT IX.

Illvstris Anglorum Rex Henricus anno regni sui V. apud Linconiam solemniter coronatus est in natali Dominico, non quidem intra mœnia, credo propter vetustam illam superstitionem, quam Rex Stephanus (vt supra dictũ est) laudabiliter contempsit atque derisit: sed in vico suburbano. Sequenti vero anno Adrianus Papa naturę debitum soluit, quo sublato Cardinales in summi Pontificis electione discordes Ecclesiam sciderunt, & vt in se mutuo partes sæuirent, in orbe quoque terrarũ vinculum Ecclesiasticæ pacis ruperunt. Et quidẽ pars maior saniorque in Rolandum eiusdem Ecclesię Cancellariũ, virum religiosum & litteratum concordans: eundem ritu canonico consecrauit. Pars vero nonnulla, & fere nulla in Octauianum nobilem virum conueniens: eundem, diuinum non verita iudicium execrationis elogio maculauit. Vterque in alterum excommunicationis & damnationis sententiam promulgauit. Vterque partem suam Ecclesiarum & nobilium personarũ fauoribus munire curauit. Ille Alexander dictus est iuxta causæ meritum victor futurus. Iste nudo nomine & fallaci omine Victor dictus est, victi dedecus habiturus. Poterat sane scissura illa cito resarciri, poterat multitudini paucitas cedere atque vniri, nisi Fredericus Imperator veteri odio Rolandi Alexandrum non ferens, partẽ Octauianam tuendam fouendamque modis omnibus suscepisset. Denique suæ ditionis Episcopus, scilicet Italicos & Teutonicos

præcepit Papiam communire, tanquam ad discussionem & examen, cuiusnam partis merita præponderarēt. re autem vera, vt Alexādri parte depressa, partem alteram approbantes: dicti Victoris præmaturam victoriam celebrarent. Partibus quoque mandauit vt adessent concilij suscepturæ decretum. Et dictus quidem Victor tanquam subiturus iudicium affuit. Alexander vero iudicium quod ei sub nomine iudicij parabatur, non solum caute, sed etiam libere recusauit. Itaque ex Teutonico simul & Italico regno Episcopi Imperiali iussione cum ingenti multitudine Prælatorum inferioris ordinis Papiæ congregati in gratiam Imperatoris, qui cum suis ducibus terribilis aderat, quæcunque caussam Alexandri iuuare poterant, cum pro eo nemo allegaret, vel silentio supprimentes: quod pro parte altera minus de veritate suppetebat, arte suppleuerunt, & dictum Victorem, tāquam verum beati Petri successorem solemniter recipientes, in Alexandrum, tanquam in Schismaticum & Deo rebellem sententiam generali decreto tulerunt: amplexus est Imperator cum omni frequentia Ducum & Procerum acta concilij, pœnam non recipientibus comminatus. Illustres quoque Francorum & Anglorum Reges omnibus modis sollicitare curauit, vt ad perpetuandam amicitiam mutuam: sibi in hac parte concordes existerent. Illi vero inflexi, sentētia caute suspensa, donec rei tam scrupulosæ plenius veritatem agnoscerent: celebrem & ipsi ex vtroq; regno Episcoporum & nobilium loco & tempore congruo conuentum fecerūt. Aderant a patre Octauiani duo principales eius complices, qui eius fuerant electores, schismatisque auctores. Guido scilicet Cremensis & Ioannes de Sancto Martino Cardinales. Nam Imarus Tusculanus Episcopus, manus illi exsecrationis ausus imponere iam vitauerat hominem. Aderant & a parte domini Alexandri tres Cardinales, scilicet Henricus Pisanus, Ioannes Neapolitanus, Guilelmus Papiensis. Surgens ergo ille Cremensis in conspectu Regum & præsulum, coram vniuersa, quæ conuenerat, multitudine Cleri & populi: pro parte sua, & contra aduersam totis ingenij atque facundiæ viribus allegauit. Qui cum perorasset: surgens Guilelmus Papiensis vir eloquentissimus, perspicuis orationibus obiecta elisit & fere quidquid ille pro se dixerat in ipsum ita retorsit, vt propriis irretitus captusque sermonibus videretur. Denique in illo altercationis mutuæ quasi duello totius ita negotij veritas claruit: vt neuter vlterius Princeps cunctaretur, repudiata parte Octauiani, Dominum Alexandrum recipere, & cum regnis sibi subditis ei de cetero in iis quæ Dei sunt, tanquā patri parere. Prænominatis ergo schismaticis cum confusione & dedecore discedētibus: Principes & Pōtifices nostri lata solemniter in schismaticos excommunicationis sententia soluerunt conuentum. Interim Dominus Papa Alexander in terra Regis Siciliæ, cuius fideli fauore fruebatur, tutus consistens: opportunitatem transeundi in Gallias præstolabatur. Parebatque ei in eis, quæ ad curam spectant pastoralem, totus orbis Latinus, exceptis prouinciis, Alemannicæ ditionis. Imperator enim ex priuata simultate semel in reprobum sensum datus, & vel a ratione vinci indecorum imperatoriæ reputans maiestati, multo tempore distulit palmam dare perspicuæ veritati.

CAPVT X.

MEMORABILIS Rex Anglorum Henricus II. anno regni sui septimo in parteis Gasconiæ duxit exercitum, cuius expeditionis causa hæc erat. Comes Pictauiensis, qui & dux Aquitanus, auus scilicet Alienorę, prius Francorum, postea vero Anglorum Reginæ, cum esset in expensis profusior, & propriorum redituum quantalibet affluentia tantæ voragini nequaquam sufficeret, accepta a Comite S. Egidij viro pecunioso, pecunia copiosa, nobilem illi cum pertinentiis ciuitatem Tolosam apposuerat, atque in fata concedens: absoluendi appositi operam ad filium transmiserat. Qui nimirum in expensarum profusione patrissans, ipse quoque liberandi pignoris in hæredes transfudit negotium. Reliquit autem vnicam filiam hæredem, quæ cum Regi Frācorum Lodouico nupsisset, idem Rex vxoris nomine Tolosam repetiit. Comes vero Sancti Egidij nihil quidem iuris obtendens, sed dolo totus incumbens, tandem opportunitatem nactus Regem nuptiis Germanæ placauit. Constantiæ scilicet Eustachio, Regis Stephani filio nuptæ, & post mortem eius ad fratrem reuersæ. Verum cum postea facto

inter Regem Francorum, & vxorem eius diuortio, eadem ad nuptias Regis transisset Anglorum, mota est rursum quęstio, super Tolosa iustis hæredibus resignanda. Memorato vero Comite negante, & suę possessionis Regem Francorum laudante auctorem, Rex Anglorum contracto ex vniuersis terris suæ ditionis exercitu Gasconiæ fineis ingressus est. Inuitati quoque ab eo amici vt sequerentur vel occurrerent, ingentibus copiis auxerunt exercitum, præcipue Comes Barcinonensis vir magnus & potens, nec infra Reges consistens. Sane huius in regali magnificentia animum plusquam regalem paucis perstringere, quoniam se præbet occasio, operæpretium videtur. Illustris quidem Rex Arragonum paulo ante nostram memoriam cum haberet liberos, vnum eorum piæ deuotionis instinctu Christo dicatum in monasterio tonsorauit, reliquos pro tempore successores designans. Verum præmortuis qui successuri sperabantur: contigit patrem humanis nouissimum rebus excedere. Veriti autem Optimates & populus, de successione nepotibus contendentibus, ne regnum discerperetur, propere conuenientes, & venienti periculo occurrentes Regis filium claustro festinanter extractum, sublimauerunt in Regē, regnoq; disposito ad procreādos qui succederent liberos vxorem cōpulerunt ducere, necessitatis obtentu excusantes excessum, & necessitatē legi nō esse subiectā allegantes. Deniq; nata est ei vnica filia. Cūq; regnū laudabili moderamine administrasset vsque ad annos filiæ nubiles: conuocatis nobilibus, & coram se solemniter apparētibus cum vniuersa pæne militia ditionis suæ taliter eos est allocutus: Parcat mihi & nobis Omnipotens Deus carissimi, factus sum enim insipiens, vos me coëgistis: sed nunquid qui cecidit nō adiiciet, vt resurgat? Nunquid quod vsurpauit infelix necessitas, quā esse dixistis ex legē, eadem cessante ratū esse debebit, quod vsurpatum est contra legem? En ex me natā habetis regni hæredē. Prouideantur huic puellæ honorabiles nuptiæ: & regno erit consultū. Redeat ergo monachus iterū ad regulā, & sauciā de cetero sanet cōscientiam. Reclamatū est ab omnibus: sed cū piū felixq; propositū dissuaderi non posset: de concilio Procerū iuueni clarissimo, Barcinonensis Comitis filio filiā despondit, regnoq; illi cum filia tradito vir memorabilis, præcipuusque mundi contemtor pungenteis conscientiæ stimulos vltra non passus, posita purpura cucullā reinduit, & regnū claustro mutauit. Quibus actis suasum inueni, vt regni insignia i. coronā & purpurā solemniter sumeret: cum regnū haberet. Negauit se ille hoc facturū, ita allegās. Cum nullus progenitorū meorū supra Comitē fuerit, natura sum Comes: qua cōtentus, sicut nō sum melior, ita nec excellentior esse volo, quam patres mei. Vt ergo in me fortuna naturā nō superet: nomē & insignia Regis omitto. Porro vt in me etiam seruiat fortuna naturæ: retento Comitis nomine regni amplitudinē & potestatē nō respuo. Huc accedit, quod regia dignitate assumta nō multis Regibus in diuitiis & gloria cederē. At cū mihi regni sint opes, cū potestate regia: Barcinonensi Comiti nullus in mundo Comes potest æquari. Proinde malo esse Comitū primus, quam Regū nec septimus. Sic itaq; vir mirabilis, nobili quodā regij honoris contētu vel allegabat vel iocabatur, cū ab amicis excellentiā induere regiā moneretur. Nec vnquā vel Rex, vel Dux, sed Comes tantū Barcinonēsis appellari voluit, licet ducatū Prouincię. i. illius regionis, quæ sic dicitur, & a Rhodano vsq; ad Italiæ fineis extēditur, cū regno Arragonū possideret. Porro eius filius post decessum patris, iuxta materni prærogatiuam generis a Romano Pontifice in Regē est solēniter cōsecratus. Pater vero cū propter amicitiā regis Anglorū, tū quia Comiti S. Egidij infestus erat: cū immodicis gētis subditæ copiis Tolosanæ (vt dictū est) expeditioni interfuit. Guilelmus quoq; cognomento Trēthencil, vir nobilis & potēs, nonnullarū ciuitatū, & multorū Dominus castellorū, odio memorati Comitis, in cuius manus (vt dicitur) ante inciderat, & de quibus ægre, ac non nisi plurima terrarū suarū parte mutilatus euaserat: cū quātis poterat viribus regi Anglorū assistebat. Idē vero Comes tanti exercitus impetū pertimescēs: regis Francorū, qui vxoris suæ germanus, & filiorū erat auūculus auxiliū implorauit. Qui zelando pro nepotibus festinus aduenien: cū aliquāta militia Tolosam intrauit. Quod cum innotuisset regi Anglorū: personæ regis ibidē cōsistētis deferēs, ciuitatē oppugnare distulit, & ad peruadendā prouinciā expugnandasque munitiones conuertit exercitum. Caturcensem ciuitatem quę a se defecerat, & fineis eius cum numerosis castellis de-

deditione recepit, plurima quoque expugnauit & cepit. Quibus actis & memorato Guilelmo Trencheueil, munitionibus, quas illi sorte bellica Comes Egidiensis extorserat, redditis, in Normanniam rediit.

CAPVT XI.

SANE quoniam de eodem Guilelmo incidenter facta est mentio: silendum non est quid in illũ postea excrescente supra modũ malitia sit a suis cõmissum, quam leuis occasio piaculare peperit scandalum, & quam terribile subsecutum sit inauditæ vltionis exemplum. Res enim recentis memoriæ est, crebro certoque mihi comperta relatu. Idẽ vir nobilis & magnus, iuxta nomẽ magnorũ qui sunt in illa terra, cũ post Tolosanã, cui interfuit, expeditionem, finibus suis per circuitum fortiter defensis in pace ageret: caussa exstitit, vt nepoti in cursu hostium laboranti subuenire deberet. Denique ipse cum manu non parua præcedens, præcepit vt reliquus exercitus sequeretur. Erumpens ergo ex subiectis vrbibus, Bederensi scilicet & Carcasoniensi, iuuentus non modica, armis animisq; instructa properabat. Contigit autem vt quidam Bederensis numero fretus conciuiũ, Equiti non ignobili simul procedenti petulanter iniuriã faceret, equo eius militari, quem Dextrarium vocauit, ablato & ferendis in via sarcinis deputato. Eques vero sibi toto ordini equestri adiuncto in præsentia ducis acerrimam mouit querelam, illatam iniuriam tanquam minus quidem dãnosam, sed multum dedecorosam exaggerans. Dux vero placare volens equites constanter pronuntiantes, quod protinus ab exercitu discederent, si Bederenses conciuis sui impunitate gauderent: auctorem iniuriæ conquerentium tradidit voluntati. Quẽ illi leui quidem, sed aliquãtulum indecora multatum pœna tanquam dehonestatum & deinceps sine honore victurum dimiserũt. Vnde vehementer indignata est ciuitas Bederensis, quasi vnius ciuis vel exiguum dedecus vniuersitatem suam maculasset. Itaq; vniuersi ciues Domino suo ab expeditione reuerso lacrymabiliter supplicarunt, vt aliquo honesto & competenti modo subiectę & deuotæ sibi vrbis dedecus aboleret. Ille, vt erat animi satis ciuilis, clementer humiliterque respondit, seque id quod necessitate placandi Equites actum fuisset, libenter emendaturum, & ciuibus optimis die certo ex eorum arbitrio solemniter satisfacturum spopondit. quam illi sponsionem amplexi quieuerunt. Statuto die sponsor cum amicis & subiectis nobilibus affuit, & basilicam cathedralem ingressus, ciuium, quibus præsente Episcopo satisfaceret prẹstolabatur aduentum. Illi quoque furore callidi dissimulato mox affuere, loricas & sicas veste superducta tegentes. Procedensque in medium qui iniuriam fecerat, & ignominiam reportarat, ecce ego, inquit, homo infelix & vitæ pertæsus, eo quod mihi contigerit cum dedecore viuere. Dicat nunc (si placet) dignatio tua, Domine mi, vtrum velit quod circa me actum est emendare: vt velim possimque viuere. Tunc vir memorabilis satis ciuiliter & infra personam dominantis, Paratus sum, inquit, super hoc præsentium Procerum concilio ciuiumque arbitrio stare, sicut spopondi. Rursus ille, Bene, inquit, diceres, si alicuius exhibitione honoris a te nostra posset confusio compensari. Nunc autẽ cum tu ea mensura qua mẽsus es nobis dedecus, nõ possis remetiri honorem: nostrã nõ aliter quam tuo necesse est sanguine maculam expiari. Quo dicto, arma ciues nequissimi, quæ occuluerãt retexerunt, & impetu facto coram sacro altari frustra se, pæne vsque ad periculum proprium, obiectante Episcopo, Dominum proprium cũ amicis & Proceribus suis lanistæ crudelissimi peremerunt. Quod cum esset omnibus per circuitum gentibus in stuporem & sibilum: cunctis factum detestantibus, & pestiferæ conspirationis collegia merito imprecantibus, finitimi Principes arbitrãtes obsequiũ se præstare Deo, si gentẽ malignam abraderent: ad faciendam vindictam in nequissimos iunctis se viribus præparabant. Illi quoque vrbis suæ firmitate confisi, quantis se poterant apparatibus muniebant. Ac primo quidem Romanus Pontifex tanti sceleris atrocitate audita sceleftissimos illos ecclesiasticæ maledictionis iaculo perculit: Rex verò Arragonum cum aliis Principibus consequenter maledictam vrbem obsedit. Cumque obsidio aliquamdiu traheretur, & obsidentibus tum propter loci munimina, tum quia obsessis pro anima res erat, fere inextricabilis capiendæ vrbis difficultas obsistere videretur: obsessores moræ prolixi-

oris pertæsi: ne non aliquid ageretur, cum illis quos expugnare non poterant, pacem fecerunt, eosque domino proprio, illius scilicet filio quem mactauerunt, pactis pro satisfactione paternæ necis interuenientibus reconciliauerunt. Fœderibus ergo celebratis: soluta est obsidio, & bene actum videbatur. Quod vtique diuina, sicut postea claruit, ordinatione prouenit, vt scilicet viribus inexpugnabiles congruam ad interitum acciperent talionem, qui Dominum modestum & bonum artificiosa perfidia crudeliter trucidarent, & eodem illis modio remetiretur a filio, quo ipsi prius patri mensi fuerant. Nam cum forte eidem filio postmodum ioco vel serio improperatum esset a quodam nobili, quod perfidis ciuibus extincti patris sanguinem vendidisset, ita est sauciatus hoc verbo, vt fidem seruare perfidis indecorum reputans, doloris simul & pudoris vrgentibus stimulis, festinam paternæ necis quocunque modo meditaretur vltionem. Mox illustri Arragonum Regi mysterium conceptæ intentionis aperiens: accepit ab eo tanquam in adiutorium contra Comitem Egidiensem, non paruas gentis ferocissimæ copias. Et præcurrens ad ciuitatem Bederensem, fama prius arte dispersa, quod idem Comes irruptionem moliretur: ciuibus supplicauit, vt quoniam Regis Arragonum amicitia & ope gaudebat, mox affuturis Arragonibus hospitium in transitu exhibētes, iustæ commutationis modū, victualia ministrando, seruarent. Venientes ergo Arragones nō quidem simul, ne essent terribiles & eorum ingressus nequaquam pacificus videretur, sed pauci & pauci per dies aliquot tandem omnes ingressi vrbem repleuerunt. Cumque per totam essent in hospitiis ciuitatem, repente ad signum datum raptis armis impetum in proximos quosque ciueis fecerunt, totumque vrbis populum furore insatiabili fere in momento peremerunt. Sic maledictus ille populus iusta ordinatione mercedem, quam oportuit, perfidiæ suæ & crudelitatis accepit. Porrò ministri vltionis pro mercede sui operis, habitationem (vt dicitur) acceperunt perfidorum ędibus ciuium expiatæ ciuitatis. Iis explicitis, quoniam pro tempore memorabilia videbantur, ad susceptæ historiæ seriem redeamus.

CAPVT XII.

IGITVR Rex Anglorum Henricus secūdus ab expeditione Tolosana reuersus breui quieuit. Sequenti enim anno, qui fuit regni eius octauus: ira inter ipsum & Regem Francorum, tempore eiusdem expeditionis conceptis causis ingrauescentibus, tādem quasi parta erupit, & subditarum quietem prouinciarum motibus turbulentis corrupit. Denique immensis hinc inde exercitibus congregatis, in terrarum confiniis castris e regione dispositis vterque Princeps cum suis copiis consistebat, quia & progredi periculosum, & retrogredi indecorum videbatur: paratiorque vterq; erat vel Princeps vel exercitus propter bellici discriminis ambiguos exitus, præliū excipere, quam inferre. Viri ergo pacifici hanc hæsitationem habentes: ne duorū zelus & superbia hominum strages innoxiorum parerent populorū, pie cauteq; sategerunt. Et quoniam sub clypeo, vt dici solet, melius plerumque procedit pacis negotium: Principibus quod prius ne audire quidem sustinebant, sine magna difficultate persuasum est. Itaque pacificati sunt Principes, & populi rediere in sua. Sane eodem anno Theobaldus Cantuariēsis Archiepiscopus decessit, cui Thomas Cācellarius regius anno sequēti successit.

CAPVT XIII.

IISDEM diebus Erronei quidā venerunt in Angliam, ex eorum (vt creditur) genere quos vulgo Publicanos vocant. Hi nimirum olim ex Gasconia incerto auctore habētes originē: regionibus plurimis virus suæ perfidiæ infuderūt. Quippe in latissimis Galliæ, Hispaniæ, Italiæ, Germaniæque prouinciis tam multi hac peste infecti esse dicuntur, vt secundum prophetam, multiplicati esse super numerū arenæ videantur. Denique cum a Præsulibus ecclesiarū & Principibus prouinciarum in eos remissius agitur: egrediuntur de caueis suis vulpes nequissimæ, & prætenta specie pietatis seducendo simplices, vineam Domini Sabaoth tanto grauius quāto liberius demoliuntur. Cum autem aduersus eos igne Dei fidelium zelus succenditur: in suis foueis delitescunt, minusque sunt noxij: sed tamen occultum spargendo virus nocere non desinunt. Homines rusti-

tani & idiotæ, atque ideo ad rationem hebetes, peste vero illa semel hausta ita imbuti, vt ad omnem rigeant disciplinam. vnde rarissime contingit eorum aliquem, cum e suis latebris proditi extrahuntur, ad pietatem conuerti. Sane ab hac & ab aliis pestibus Hæreticis immunis semper exstitit Anglia, cũ in aliis mundi partibus tot pullulauerint hæreses. Et quidem hæc insula cum propter incolentes Britones Britannia diceretur: Pelagium in Oriente hæresiarcham futurum ex se misit, eiusque in se processu temporis errorem admisit: ad cuius peremtionem Gallicanæ ecclesiæ pia prouisio semel & iterum beatissimum direxit Germanum. At vbi hãc insulam expulsis Britonibus natio possedit Anglorum, vt non iam Britannia sed Anglia diceretur, nullius vnquam ex ea pestis hæreticæ virus ebulliuit, sed nec in eam aliunde vsque ad tempora Regis Henrici secundi tanquam propagandum & dioblatandum introiuit. Tunc quoque Deo propicio pesti quæ iam irrepserat, ita est viatum, vt de cetero hanc insulam ingredi vererentur. Erant autem tam viri quam fœminæ paulo amplius quam triginta, qui dissimulato errore, quasi pacifice huc ingressi sunt propagandæ pestis gratia: duce quodam Gerardo, in quem omnes tanquam præceptorem ac Principem respiciebant. Nam solus erat aliquantulum litteratus: ceteri vero sine litteris & idiotæ, homines plane impoliti & rustici, nationis, & linguæ Teutonicę. Aliquamdiu in Anglia morantes, vnam tantum mulierculam venenatis cirumuentã susurris, & quibusdam (vt dicitur) fascinatam præstigiis suo cætui aggregauerunt. Nõ enim diu latere potuerunt, sed quibusdam curiose indagãtibus, quod peregrinæ essent sectæ, depre hẽsi tentiq; sunt in custodia publica. Rex vero nolens eos indiscussos vel dimittere vel punire: Episcopale præcepit Oxoniæ concilium congregari. Vbi dum solemniter de religione cõuenirentur: eo qui litteratus videbatur, suscipiente causam omnium, & loquente pro omnibus, Christianos se esse, & doctrinam Apostolicam venerari responderunt. Interrogati per ordinem de sacræ fidei articulis: de substantia quidẽ superni medici recta, de eius vero remediis, quibus humanæ infirmitati mederi dignatur, id est, diuinis sacramẽtis peruersa dixerunt; sacrum Baptisma, Eucharistiam, cõiugium detestantes, atque vnitati catholicæ, quam hæc diuina imbuunt subsidia, ausu nephario derogantes. Cumque sumtis de scriptura diuinis vrgerentur testimoniis, se quidem vt instituti erant credere, de fide vero sua disputare nolle responderunt. Moniti vt pœnitentiam agerent, & corpori ecclesiæ vnirentur, omnem consilij salubritatem spreuerunt. Minas quoque vt vel metu resipiscerent, deriserunt, verbo illo dominico abutentes: beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Tunc Episcopi ne virus hæreticum latius serperet præcauentes: eosdem publice pronuntiatos hæreticos corporali disciplinæ subdendos catholico Principi tradiderunt. Qui præcepit hæreticæ infamiæ characterem frontibus eorum inuri: & spectante populo virgis coërcitos vrbe expelli, districte prohibens ne quis eos vel hospitio recipere, vel aliquo solatio confouere præsumeret. Dicta sententia: ad pœnam iustissimam ducebantur gaudentes, non lentis passibus, præeunte magistro eorum & cantante, Beati eritis cum vos oderint homines. In tantum deceptis a se mentibus seductorius abutebatur spiritus. Illa quidem muliercula quam in Anglia seduxerant, metu supplicij discedens ab eis, errorem confessa reconciliationem meruit. Porro detestandum illud collegium, cauteriatis frontibus, iustæ seueritati subiacuit: eo, qui primatum gerebat in eis, ob insigne magisterij inustionis geminæ, id est, in fronte & circa mentum dedecus sustinente. Scissisque cingulo tenus vestibus publice cæsi, & flagris resonantibus vrbe eiecti algoris intolerantia (hiems quippe erat) nemine vel exiguum misericordiæ impendente, misere interierunt. Huius seueritatis pius rigor non peste illa, quæ iam irrepserat Angliæ regnum purgauit, verum etiam ne vlterius irreperet incusso hæreticis terrore præcauit.

CAPVT XIIII.

EODEM tempore Romanus Pontifex Alexander de Apulia liquido itinere venit in Gallias. Cum enim illi (vt superius dictum est) præter terras Alemãnicæ subditas potestati, totus, in his quæ Dei sunt, orbis pareret Latinus, vias tamẽ obsidẽtibus Octa-

uiani satellitibus, & vel eum adeuntes, vel ab eo redeuntes, si qui forte inciderent, rebus omnibus spoliatos carcerali quoque custodiæ mancipantibus, rarissimus ad illum poterat esse accessus: vnde nec ipse poterat vt volebat & decebat, fungi summo sacerdotio: & longius Apostolicæ brachium extendere potestatis. Huius rei gratia mari se credens & cum ingenti periculo prouincias adiens Occidentis, occurrentibus ei Præsulibus & nobilibus regionum Gallicanæ Ecclesiæ, multorum desideriis exspectatus aduenit. Magni quoque Francorum & Anglorum Reges aduentum eius solemni honorantes occursu: qualia regiam decebant magnificentiam, insigni exsuli hilariter obsequia præstiterunt. Principum itaque fauore adiutus: conuocatis ecclesiarum pastoribus in octauis Pentecostes generale concilium cum multa gloria Turone celebrauit, anno ab incarnatione Domini M. C. LXIII. Huius autem concilij decreta nostræ duximus historiæ inserenda.

CAPVT XV.

QVONIAM enormis quædā consuetudo in quibusdam locis, contra sanctorum patrum institutiones inualuit, vt sub annuo precio sacerdotes ad ecclesiarum regimen statuantur, ne id fiat modis omnibus prohibemus, quia dum sacerdotium sub huiusmodi vęnali mercede disponitur: ad æternæ retributionis pręmium consideratio non habetur.

NON satis vtiliter auaritia redarguitur in populo, si ab iis qui in Clero constituti videntur, & præcipue qui contempto seculo religiosorum nomen profitentur & regulam, omnibus modis non cauetur. Prohibemus ergo ne ab iis qui ad religionem transire voluerint, aliqua pecunia requiratur, neve prioratus, aut capellaniæ quælibet monachorum aut clericorum annua districtione vendantur, neq; ab eo cui regimen ipsarum committitur, pro earum commissione vllum precium exigatur. Hoc autē Simoniacum esse, sanctorum auctoritas patrum manifeste declarat. Vnde quisquis hoc de cetero præsumserit attentare, partem se cum Simone non dubitet habiturum. Pro sepultura quoq; vel chrismatis, seu olei sacri perceptione: nulla cuiusquam præcij vęnalitas intercedat, neque sub obtentu alicuius consuetudinis reatum suum aliquis tueatur: quia diuturnitas temporis non minuit peccata, sed auget.

QVIA in quibusdā episcopalibus Decani vel Archipresbiteri ad agendas vices Episcoporum vel Archidiaconorum, & terminādas causas ecclesiasticas sub annuo precio statuuntur: quod ad sacerdotum grauamē, & subuersionem iudiciorū non est dubium redundare: id vlterius fieri districtius prohibemus. Quod qui fecerit: remoueatur a Clero. Episcopus quoque, qui hoc in sua diocesi sustinuerit, & ecclesiastica iudicia sua patitur dissimulatione peruerti, canonica districtione plectatur.

MAIORIBVS ecclesiæ beneficiis in sua integritate manentibus, indecorum nimis esse videtur, vt iuniores clericorum præbendæ recipiant sectionem. Iccirco, vt sicut in magnis, ita quoque in minimis membris suis firmam habeat ecclesia vnitatem, diuisionem præbendarum aut dignitatum permutationem fieri prohibemus.

PLVRES clericorū & (quod mœrentes dicimus) eorum quoque qui præsens seculū professione votisque & habitu reliquerunt, dum cōmuneis vsuras manifestius damnatas exhorrent, commodata pecunia indigentibus possessiones eorum in pignus accipiunt: & prouenientes fructus percipiunt vltra sortem; Iccirco generalis concilij decreuit auctoritas, vt nullus amodo constitutus in clero, vel hoc vel aliud vsuræ genus exercere præsumat, & si quis hactenus alicuius possessionem data pecunia sub hac specie in pignus accepit, si sortem suam diductis expensis de fructibus iam percepit, absolute possessionem restituat debitori. Si autem aliquid minus habet, eo recepto possessio libere ad Dominum reuertatur. Quod si post huiusmodi constituta in clero quisquam exstiterit, qui detestandis vsurarum lucris insistat, ecclesiastici officij periculum patiatur; nisi beneficium ecclesiæ fuerit, quod redimendum ei hoc modo de manu laica videbatur. A partibus Tolosæ damnanda hæresis dudum emersit, quæ more cancri paulatim se ad vicina loca diffundens per Gasconiam & alias prouincias, quam plurimos iam infecit, & dum in modū serpentis intra suas reuolutiones abscon-

abſconditur: quanto ſerpit occultius, tanto grauius dominicam vineam in ſimplicibus demolitur. Vnde epiſcopos, & omneis domini ſacerdotes in illis partibus commorantes inuigilare præcipimus, & ſub interdictione anathematis prohibere: ne vbi cogniti fuerint illius hæreſis ſectatores: receptaculum quiſquam eis in terra ſua præbere, aut præſidium impertiri præſumat, ſed nec in venditione & emtione aliqua cum eis communio habeatur, vt ſolatio humanitatis amiſſo ab errore viæ ſuæ reſipiſcere compellantur. Quiſquis autem contra hæc venire tẽtauerit: tanquam particeps iniquitatis eorum anathemate feriatur. Illi vero ſi deprehenſi fuerint per catholicos Principes, cuſtodiæ mancipati, omnium bonorum amiſſione multentur. Et quoniam de diuerſis partibus in vnum latibulum crebro conueniunt, & præter conſenſum erroris nullam cohabitandi cauſam habentes, in vno domicilio commorantur: talia conuenticula & inueſtigentur attentius, & ſi inuenta fuerint, canonica ſeueritate vetentur.

QVAMVIS graue nimis, & diuini animaduerſione iudicij dignum habeatur, quod Laici quidam, quod ſacerdotum eſt, in eccleſiaſticis rebus vſurpant: maiorem tamen incitat formidinem ac dolorem, quod fomitem ſui erroris in ipſo clero dicuntur aliquoties inuenire, dum quidam fratrum & coëpiſcoporum noſtrorum aliorumq; prælatorum eccleſiæ decimas eis, & eccleſiarum diſpoſitiones indulgent, & in deuia eos mortis impellunt, qui prædicatione eorum ad vitæ viam fuerant reuocandi, de quibus Dominus dicit per prophetam, peccata populi mei comedunt, & ad iniquitatem prouocant animas eorum. Vnde ſtatuimus vt quiſquis alicui laico in ſeculo remanenti eccleſiam decimamve conceſſerit, a ſtatu ſuo tanquam arbor, quæ inutiliter terram occupat, ſuccidatur, & donec emendetur, ruinæ ſuæ iaceat dolore proſtratus.

NON magnopere antiqui hoſtis inuidia infirma eccleſiæ mẽbra præcipitare laborat, ſed manũ mittit ad deſiderabilia eius, & electos quoſq; nititur ſupplãtare, dicentẽ ſcriptura; Eſcæ eius electæ. Multorũ ſiquidẽ caſu operari ſe reputat: vbi precioſius aliquod mẽbrum eccleſiæ ſua fuerit calliditate detractũ. Inde nimirũ eſt quod ſe in Angelum lucis more ſolito trãsfigurãs: ſub obtentu lãguentiũ fratrũ cõſulẽdi corporibus, & eccleſiaſtica negotia fidelius pertractandi, regulares quoſdã ad legendas leges, & cõfectiones phyſicas ponderandas de clauſtris ſuis educit. Vnde ne ſub hac occaſione ſpirituales viri mundanis rurſus actionibus inuoluãtur, & in interioribus ex eo ipſi deficiant, ex quo ſe aliis putant in exterioribus prouidere: de præſentis concilij aſſenſu ſtatuimus, vt nullus omnino poſt votũ religionis, poſt factam in aliquo religioſo loco profeſſionẽ, ad phyſicam legeſve mũdanas legẽdas permittatur exire. Si vero exierit, & ad clauſtrũ ſuum infra duorũ menſium ſpatium non redierit: ſicut excommunicatus ab omnibus euitetur, & in nulla cauſa, ſi patrociniũ præſtare voluerit, audiatur. Reuerſus vero in choro, in capitulo, in menſa, & ceteris, vltimus fratrum ſemper exiſtat, & (niſi ex miſericordia forte apoſtolicæ ſedis) totius ſpem promotionis amittat.

CAPVT XVI.

ANNO concilij eiuſdem nondum emenſo aduerſus venerabilem Thomã Cantuarienſem Archiepiſcopum ira Regis Anglorũ excanduit, multorum & enormium malorum, quæ ſecuta noſcuntur, infame principium. Sane idẽ Thomas Lundoniis oriũdus, vir acris ingenij & cõpetentis eloquij, vultu & moribus elegans, in efficacia quoq; rerũ agendarũ nulli ſecundus: in obſequio Theobaldi Cantuariẽſis Archiepiſcopi præcipuus fuerat, & ab eo Archidiaconatũ Cantuarienſem, Rogerio ad Eboracẽſis eccleſiæ Pontificatũ aſſumto, acceperat. Cum autẽ Henricus ſecundus, defuncto Stephano (vt ſuperius dictum eſt) regnum hæreditarium ſuſcepiſſet, virum coram Regibus ſtare idoneum ſibi deeſſe non paſſus, ſublimitatis regiæ fecit Cancellarium. Quo officio inſignis tam egregie ſeculo militauit, tanti apud Principem amoris ſimul & honoris prærogatiuã obtinuit, vt cõregnare videretur. Fluxerant ei anni aliquot in militia ſeculari, cum ecce Eccleſiaſticæ militiæ aſcribitur, & voluntate regia Cantuarienſis eccleſiæ pontificatum ſortitur. Mox tanti honoris quantum eſſet onus, pia & ſagaci conſideratione permetiens: habitu & moribus ita repente mutatur, vt quidam dicerent, digitus eſt hic: alij autem, hæc mutatio dexteræ excelſi. Secundo promotionis ſuæ anno

concilio Turonensi interfuit: vbi (vt dicitur) pontificatum minus sincere & canonice, id est, per operam manumque regiam susceptum pungentis conscientiæ stimulos non ferens, secreto in manus domini Papæ resignauit. Qui factum approbans, pastoralem illi sarcinam Ecclesiastica manu rursus imposuit, & in homine scrupuloso turbatæ conscientiæ læsionem sanauit. Regressis a concilio ad proprias sedes Episcopis, & sacerdotium in Anglia disceptare cœperunt, & facta est turbatio non modica super prærogatiua ordinis clericalis. Rege quippe circa curam regni satagenti, & malefactores sine delectu exterminari iubenti, a iudicibus intimatum est, quod multa contra disciplinam publicam, scilicet furta, rapinæ, homicidia, a clericis sæpius committerentur, ad quos scilicet laicæ non posset iurisdictionis vigor extendi. Deniq; ipso audiente declaratum dicitur, plusquam centum homicidia intra fineis Angliæ a clericis sub regno eius commissa. Quamobrem acri motu turbatus in spiritu vehementi contra malefactores clericos posuit leges, in quibus vtique zelum iustitiæ publicæ habuit, sed feruor immoderatior modum excessit. Sane huius immoderationis regiæ nostri temporis Episcopos tantum respicit culpa, quantum ab eis processit & causa. Cum enim sacri præcipiunt canones, Clericos non solum facinorosos, id est, grauioribus hæreticos criminibus, verumetiam leuiorum criminũ reos degradari, & tot milia talium, tanquam innumeras inter pauca grana paleas Ecclesia Anglica contineat: quantos a multis retro annis clericos in Anglia contigit officio priuari? Nempe Episcopi dũ defendendis magis clericorũ libertatibus vel dignitatibus, quam eorum vitiis corrigendis resecandisque inuigilant, arbitrantur obsequiũ se præstare Deo & Ecclesiæ, si facinorosos clericos, quos pro officij debito canonicæ vigore censuræ coërcere vel nolunt vel negligunt, contra publicam tueantur disciplinam. Vnde clerici, qui in sortem Domini vocati tanquam stellæ in firmamento cæli positæ vita & verbo lucere deberent super terram, habentes per impunitatem agendi quodcunque libuerit, licẽtiam & libertatem: Neque Deum, cuius iudicium tardare videtur, neque homines potestatem habentes reuerentur, cum & episcopalis circa eos sollicitudo sit languida, & seculari eos iurisdictioni sacri eximat ordinis prærogatiua. Cum ergo memoratus Princeps in paleas sacri ordinis, id est, facinorosos clericos vel discutiendos vel puniendos noua quædam statuta fecisset, in quibus (vt dictum est) modum non tenuit: ita vt demum credidit fore rata, si episcoporum essent consensu roborata. Conuocatis ergo ad eliciendum quocunque modo consensum Episcopis, ita omneis vsque ad vnum, vel pellexit blanditiis vel infregit terroribus, vt regiæ voluntati cedendum parendumque putarent, & nouarum legum illarum conscriptioni propria sigilla apponerent. Vsque ad vnum dico: nam solus Cantuariensis Archiepiscopus flexus non est, sed ad omnem impulsum stetit immobilis. Tunc vero tanto vehementius Regis in eum furor efferbuit, quanto ipse regali magnificentiæ ratione dati & accepti magis obnoxius videbatur. Vnde Rex cœpit ei grauis existere, occasionibus eum vndecunque exquisitis pulsare, eorum quæ olim in regno Cancellarius fecerat rationem exposcere. Ille intrepida libertate respondit, se expleta seculari militia Ecclesiæ a Principe cui militauerat absolute fuisse dimissum, nec debere in se per occasionem magis quam veritatẽ vetera replicari. Cumque indies Regij furoris causæ ingrauescerent, eo die quo plenius responsurus erat obiectis, solemne illud officium de beato Stephano, scilicet: Sederunt Principes, & aduersum me loquebantur, & iniqui persecuti sunt me, iussit coram se in celebratione sacrificij solẽniter decãtari. Mox Curiam ingressus est, crucem argenteã ante se portari solitam manu propria baiulans. Volentibusq; quibusdam episcoporum, qui aderãt, ministeriũ portandæ ante Metropolitanum proprium crucis suscipere abnuit, nec alium in illo conuentu publico crucis baiulum, quantumcunque rogatus, admisit. Iis tanquam excandescentis iam furoris fomitibus regẽ supra modum inflammato, sequenti nocte clam profugiens transfretauit, & susceptus honorifice a Rege, nobilibus, Episcopisque Francorũ pro tempore ibidẽ consedit. Rex vero Anglorum in absentem irrationabiliter sæuiẽs, & plusquã deceret Principẽ effrænato furori indulgens: indecora satis & miserabili vltione omnẽ eius propinquitatem Angliȩ finibus exturbauit. Sane cum plerique soleant in iis, quos amant & laudant, effectu quidem propensiori, sed

prudentiæ

prudentia parciori, quidquid ab eis geritur approbare, plane ergo in viro illo venerabili, ea, quæ ita ab ipso acta sunt, vt nulla exinde proueniret vtilitas: sed feruor tantum accenderetur regius, ex quo tot mala postmodum pullulasse noscuntur, laudanda nequaquam censuerim, licet ex laudabili zelo processerint: sicut nec in beatissimo Apostolorum Principe, arcem iam Apostolicæ perfectionis tenente, quod genteis suo exemplo Iudaizare coëgit, in quo eum Doctor gentium reprehensibilem declarat fuisse, licet eum constet laudabili hoc pietate fecisse.

CAPVT XVII.

ALEXANDRO post Turonense concilium in Galliis commorante, Octauianus (qui Victor est dictus) extrema sorte deuictus initi certaminis victoria caruit, & nominis quod tanquam pro omine a suis acceperat: fallax præsagium non impleuit. Tunc Ioannes de Sancto Martino imperiali fauore adiutus, Guidonem Cremensem collegam suum loco deuicti Victoris instituit, ne victi viderentur. Alexander vero annis aliquot in Galliis demoratus: repatriandi iter arripuit, apud montem Pessulanum transitum in Apuliam opperiens opportunum. Imperator vero non quiescens, secretis (vt dicitur) litteris & promissis amplissimis apud Guilelmum eiusdem vrbis Dominum agere studuit, vt proderet hospitem. At vir memorabilis integræ fidei inuentus est, & insignem hospitem, decentissime honorauit. Cumque Cardinales cum multitudine virorum fortium, qui Ierosolymam properabant, Dromonem hospitalis Hierosolymitani ingressi, Dominum Papam mox secuturum iactis in alto mari anchoris exspectarent: contigit Dromonem a prætereunte classe piratica infestari. Aduehebatur Pontifex ex Triremi ingressurus Dromonem: sed conspectis circa Dromonem piratis, mox remis retortis in Magalonensem se portum recepit. At ij, qui erant in Dromone tam viriliter restitere Piratis: vt confusos nec illæsos abigerent. Itaque Dominum Papam non vlterius cum periculo expectandum censentes: cursu prospero, fines regni Siculi attigerunt. Idem vero Pontifex post dies aliquot in alia naui mari se credidit, & secundis in Apuliam flatibus nullo prorsus obsistente transiuit. Susceptusque reuerenter a Rege Siculo, & quotquot eius erant ditioni subiecti: ciueis quoque Romanos cum optimatibus post modicum deuotos & subditos habuit. Verum arcta erat via quæ ex Transalpinis regionibus ad eum ducebat, eo quod Satellites vel Imperatores vel Pseudopapæ itinera sollicite obseruarent. Porro Imperator Ecclesiasticæ pacis diruptor: pace & integritate diu non est gauisus imperij. Cum enim in Longobardos insolentius ageret, illi iugum Alemannicum non ferentes, in libertatem se pristinam receperunt, & restaurato a propriis ciuibus ex dispersione confluentibus, cum sociarum auxilio ciuitatum Mediolano: vrbem quoque Alexandriam ex nomine Domini Papæ, cui se deuotos esse gaudebant, sic vocatam, apto loco ad excipiendos primos Alemannorum Italiam ingredientium impetus condiderunt. Quam dum Imperator in ipsis eius primordiis obsidione cinxisset, expugnare non potuit: sed exercitu frustra fatigato discedens, hostium contra se fiduciam auxit.

CAPVT XVIII.

ANNO quo Papa Alexander (vt dictum est) relictis Galliis in Apuliam remeauit: orta inter Regem Anglorum & Walenses rediuiua simultas, vtrique parti res magni negotij fuit. Cum enim eadem gens effrænis & effera, rupto petulanter fœdere, obsidibusque, quos in fidem pactorum dederant, periculo expositis, vicinos Anglorum fineis turbarent: Rex immēso tam ex regno quam ex Transmarinis prouinciis exercitu adunato, vi magna hostium fineis ingressus est. Et quidem propter inextricabiles locorum difficultates non poterat longius progredi: sed tamen eorum frænatis excursibus ita coarctauit inclusos, vt pacem meditari cogerentur. Rex vero ex Waliis reducto exercitu ad alia vocatus negotia: transfretauit, filiorum propensiori opera futuræ promotioni, & ditationi prospiciens. Quippe ex Alienora quondam Francorum regina susceptis quatuor filiis, Henricum natu maiorem regni Anglici, & Ducatus Normannici, cum Andegauensi Comitatu successorem relinquere; Richardum vero Aquitaniæ, &

Gaufridum Britanniæ præficere cogitabat: quartum, natu minimum Ioannem sine terra cognominans. Treis quidem ex eadem habens filias: vnam Regi Hispaniæ, alteram vero Saxoniæ Duci despondit: tertiam nondum nubilem Regi Siciliæ suo tempore comparem daturus. Verum quod de perficiendo Britanniæ filio cogitabat, artibus viribusque paulatim præparabat, cum necdum suæ Britanniam ditioni subiugasset. Iam tamen duos in eandem prouinciam præparatos habebat ingressus, ciuitatem scilicet Naminatensem, & Castrum Dolense. Contigit autem Conanum Comitem scilicet Richemontensem, qui maiori Britanniæ parti dominabatur, in fata concedere: relicta ex sorore Regis Scottorum hærede vnica filia. Quam Rex innubilem impuberi filio copulans: omne ius puellulę in propriam potestatem redegit. Erant autem in Britannia quidam nobiles tantarum opum & virium, vt nullius vnquam dignarentur subiacere dominio. His à multis annis retro dominandi libidine, atque impatiẽtia seruiendi hostiliter contendentibus: præclara olim prouincia ita dilacerata atque attenuata erat, vt in ea ex agris opulentissimis vastæ solitudines viderentur. Cumque a potentioribus inferiores premerẽtur, Regis Anglorum auxilium expetẽtes, eius se ditioni spontaneę subdiderũt. Quibus ille promto animo & profusis opibus auxilium subministrans: ipsos quoque potentes, qui & magnitudine virium & vix accebissilium natura locorum eatenus inexpugnabiles credebantur, subegit; sicque in breui Britannia tota potitus, turbatoribusque expulsis vel domitis, eam in cunctis finibus suis ita disposuit atque composuit, vt populis in pace agentibus, deserta paulatim in vbertatem verterentur.

CAPVT XIX.

Circa hæc tempora Christianissimus Rex Scottorum Malcollinus. cuius in pręcedenti libro (prout decuit) fecimus mentionem; Christo vocante, hominem exuens, Angelis sociandus regnum non perdidit, sed mutauit. Hominem Angelicæ sinceritatis inter homines, & tanquam terrenum quendam angelum (quo dignus non erat mundus) celestes angeli rapuerunt e mundo. Homo in ætate tenera mirandæ grauitatis, in regni fastigio atque deliciis: & sine exemplo puritatis: ex corpore virgineo raptus est. & agnum virginis filium sequuturus eum quocunque ierit. Raptus est plane morte immatura, ne mirandam eius innocentiam atque mundiciam, cum regnantem iuuenem tot in contrarium occasiones, & incentiua impellerent, mutaret malicia temporum. Verum quia mirabili animæ inter virtutum insignia non deerant sordeculæ, ex Regiis deliciis, quas tamen tolerabat magis quam amabat, contractæ: *cælitus* emissa, non immissa visitatio paterno eum verbere castigauit, & excoxit ad *purum*. Quippe annis ante exitum aliquot ita elanguit, & præter alia incommoda grauissimis extremitatum, id est, capitis & pedum laborauit doloribus: vt quilibet peccator pœnitens tantis videretur flagellationibus ad liquidum posse purgari. Vnde manifestum est puerum Dei, non tantum ad purgationem, verum etiam ad probationem, & incremẽta virtutum vel augmenta meritorum seueritatẽ paterni verberis fuisse expertum. Dormiuit ergo cũ patribus suis, & sepultus est apud Dunfremelin, locũ scilicet in Scotia sic dictum, Regum sepulturis insignem. Successit ei frater eis Guilelmus, fratri quidem, vt videbatur, ad vsum mundi aptior, sed in regni administratione fratre felicior non futurus. Mundo, quo frater simpliciter ideoque pie & laudabiliter vti voluit: non simpliciter ipse, sed frui intendens, & fratris modum in temporali excellentia multum conatus transcẽdere: eius tamen gloriam nunquam potuit, vel in temporali felicitate æquare. Nuptiarum bono, cui frater piæ sanctæque præposuit virginitatis optimum: multo quidem tempore vti, vel ad sobolem, vel pro remedio incontinentiæ distulit. Tandem vero salubrioris instinctu consilij de Transmarinis cuiusdam Primarij filiam duxit vxorem, & de cetero non solum vixit correctius: verum etiam regnauit felicius.

CAPVT XX.

Iisdem temporibus fere venerabilis Eremita Godricus de Finchala (loco scilicet solitario sic dicto) non longe a ciuitate Dunelmensi super amnem Wirum: annis ma-

tutis & meritis, in domino requieuit. in quo plane cernere erat pium, altumque diuinitatis beneplacitum ad confusionem nobilium, & magnorum, ignobilia mundi, & contemtibilia eligentis. Cum enim esset rusticanus, & idiota nihilque sciens, nisi Christum Iesum: & hunc crucifixum, quod vtique quantulibet obtunsis, & rudibus, totisque hausit ossibus ignem, quem Dominus misit in terram. Denique cœlibatũ, quem Deo gratum & sublimis esse meriti forte didicerat deuote amplexus: in cibo & potu, in verbo & gestu, homo simplicissimus, decente cum grauitate seruare modum studuit. Velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & in ipsa locutione parcissimus. Flere cum flentibus doctus, ridere autem cum ridentibus, & iocari cum iocantibus nescius. Iuuenis sepulchrum dominicum in multa paupertate nudis incedendo pedibus, visitauit. reuersusque ad propria: locum apertum, vbi Deo seruiret, sollicite quæsiuit. Accepitque in somniis (sicut aiunt) vt locum Finchala dictum quæreret, ibidem Deo volente victurus. Quem tandem post multam lustrationem inueniens, ibidem cum sorore paupercula primum, & ea defuncta solus multo tempore habitauit. Vitæ autem eius districtio fere supra humanum modum fuisse perhibetur. Memoratus quidem locus syluosus est, sed modicam habet planiciem, quam ille fodiendo exercens fructum ab ea annuum, quo vtcunque sustentaretur, exigebat, & quantulamcũque poterat aduenientibus exinde charitatem exhibebat. Sane Dunelmensi ecclesiæ mundissimæ vitæ merito commendatus: talem sancti collegij ibidem consistentis circa se prouidentiam meruit; vt senior monachus ad hoc ipsum deputatus, crebro eum visitaret, tum instructione simplicitatis rusticæ, tum etiã vt partitione sacri ministerij certis diebus muniretur. Diu quidem hostis antiquus, hominem simplicissimum insidiando circumuenire tentauit. vbi autem insidias vidit minus procedere: simplicitatem saltem præstigiis curauit illudere. Sed vir Dei hostiles & caute vitauit insidias, & constanter spreuit derisitque præstigias: beatissimo maxime Ioanne Baptista, quem specialiter diligebat, crebrius eum visitante, informante & roborante. Hoc modo vsque ad decrepitam viuens ætatem paucis ante mortem annis senilium defectu membrorum decubuit, & diebus plurimis quantulascunque in moribundo corpore vitæ reliquias modico lactis haustu seruauit. Illis diebus videre eum, & alloqui merui in oratorio proprio iuxta sacrum altare iugiter decumbentem. Cumque toto fere corpore quodammodo præmortuus videretur: expedite tamẽ loquebatur illa ori eius familiaria verba, scilicet Patrem & Filium & Spiritum sanctum sæpius replicans. In vultu autem eius mira quędam dignitas & decus insolitum visebatur. Trãsiit ergo senex & plenus dierum, idemque loci spacium eius nunc corpus occupat, quo vel orans procumbere, vel ęgrotus decumbere consueuerat.

CAPVT XXI.

Fvit & alius quidam vir venerabilis in nostra, i. Eboracensi prouincia apud vicum, Farneham dictum: nomine Ketellus. Homo quidem rusticanus, sed innocentię & simplicitatis merito singularem quandam à Domino gratiam consequutus. De quo sane plura memorabilia veracium mihi virorum innotuere relatu, e quibus pauca retexam. Idem cum esset adolescens: quodam die iumento sedens domum reuertebatur ex agro. Et ecce in via plana iumentum tanquam in aliquod offendiculum impingens: in terram decidit, & sessorem deiecit. Qui exsurgens vidit duos quasi Ethiopes paruulos sedentes in via, & cõridentes. Intellexit esse dæmones non amplius permissos nocere, & gaudentes se vel modicum nocuisse. Accepitque tale donum ex Deo, vt ab illa die deinceps dæmones haberet conspicabiles, & quantumcumque lædere cuperent, eum latere non possent. Intuebatur eos, vt homines vel in modico læderent oberrantes, & si forte vel modicum læsionis intulissent exsultantes. Denique huius sibi gratiæ conscius, cœpit Deo deuotus existere, orandi studio crebrius secretum captare, esu carnium & lines abstinere, ecclesiam quantum poterat ita frequentare: vt ingrederetur primus & vltimus egrederetur. Cęlibatum amplexus de nuptiis nõ curauit: vsque ad finem vitæ in obsequio positus cuiusdam Adæ clerici de Farneham. Accepti muneris secretũ tenuit, nec suas passim voluit reuelare visiones: nisi forte Sacerdoti, tan-

quam confessionis mysterium, aut domino suo, siue alicui sapienti arctius inquirenti. Stabat aliquando pro foribus domini sui circa solis occubitum, viditque decem dæmones, quorum vnus maior erat & præesse ceteris videbatur, vicum ingressos. Cumque vno in loco subsisterent, & secum confabularentur, tanquam secreto deliberantes de agendis: maior ille cœpit binos mittere per domos. Ipse autem cum vno foreis, vbi stabat Ketellus, ingredi voluit. Tum ille in nomine, inquit, Christi interdico vobis ianuæ huius ingressum, & moram in vico isto, reuocate socios vestros, & abite velociter. Paruere inuiti sacri nominis adiurationem non ferentes, & suas molitiones ab homine animaduersas dolentes. Idem vidit aliquando dæmones trãseuntes cum carro diligenter clauso, & audiebatur foris gemitus inclusorum: porro illi ridebant. Tum ille ad eos (nam solebat impauidus cum huiusmodi spiritibus miscere sermonem) quid est, inquit, hoc? Et illi animas, inquiunt, peccatrices deceptas, captasque a nobis ad loca pœnalia ducimus, illæ gemunt & nos ridemus. Te quoque nobis tradi optamus, vt etiam super te, cum hostis noster sis, gratulantius rideamus. Tum ille, abite, inquit, malignissimi, risus vester in luctum vertatur. Contigit eum aliquando eorundem pęne hostium sæuitiam experiri: fessus ex agrario opere domum reuersus, dum somno grauaretur sacri se signaculi nequaquam impressione muniuit. Dormienti loco solito: soli astitere duo dæmones, sæui nimis atque terribiles, & excitatũ apprehendentes, euge, inquiunt, Ketelle incidisti in manus nostras, infestos sentire habes, quos prouocare minime timuisti, quorum mysteria totiens prodidisti. Ille subito casu attonitus, nomen Christi inuocare, & signare se voluit, nec valuit. Manus enim eius & lingua tenebantur: ne sacri se vel signi vel nominis munimine tueretur. Noli (inquiunt Ketelle) frustra conari, manum linguamque tuam ligauimus: vt nihil tibi aduersum nos valeat suffragari. Cumque ita de illo triumphare viderentur, & malum quod ei facere cogitabant, verbis minacibus atque insultatoriis præuenirent, repente iuuenis splendidus bipennem manu ferens introiit, stansque in medio, bipenni molliter digito tacta sonitum ingentem dedit. Quo sonitu exterriti dæmones: relicto, de quo triumphare cœperant, homine diffugerunt. Tum accedens iuuenis, quem eiusdem hominis credo fuisse angelum, Ketelle inquit, negligentia tua pæne te periclitari nunc fecit. Caue ne vlterius te inueniant insidiantes tibi hostes inermem. Dicebat autem idem Ketellus esse quosdam dæmones magnos, robustos & callidos, multumque nocuos, si relaxentur a superiori potestate. quosdam vero paruos ac despicabiles, impotentes viribus & sensu hebetes, omneis tamen pro modulo suo infestos hominibus, multumque lætari, si vel parum illis molestiæ inferant. Vidisse se quosdam tales sedentes secus vias, & facientes offendicula transeuntibus, petulanterque ridentes: cum vel hominem vel iumentum eius pedes atterere facerent, & maxime si homo hoc ipsum iumento imputans maledicto in iumentum calcaribusue sæuiret. Porro si homo vel modice turbatus nomen ederet Saluatoris (vt est quorundam consuetudo valde laudabilis) tristes & confusi fugiebant. Aiebant se quoque aliquando domum potationis ingressum vidisse huiusmodi dæmones in specie simiarum, singulos potatoribus singulis in scapula sedentes, illisque potantibus spuentes in phialas: hominumque vecordiam petulanti gestu, & ludicris moribus irridentes. Cumque inter potandum preces ex more indicerentur: & nomen Saluatoris insonaret, exterriti exsiliebant, virtutem sacri nominis non ferentes, sed mox residentibus ad phialas rusticis rursus introibant, sessionem priorem cum motibus solitis repetentes. Sane cui tanta diuinitus collata est gratia in animaduertendis nequam spirituum actibus atque insidiis: annis vitæ suæ in multa innocentia & sinceritate expletis, dormiuit in domino, sepultusque est apud Farneham.

CAPVT XXII.

ANNO regni Henrici secundi quarto decimo, qui fuit a partu virginis M. C. LXVII. mortuus est Robertus, Ecclesiæ Lincolniensis Antistes, Alexandri successor, redactoque in Fiscum Episcopatu, vacauit Pastorali prouidentia eadem Ecclesia per annos

fere decem & septem, id est, ab anno eiusdem Regis quartodecimo vsque ad tricesimum, ita vt aliquis in ea Pontificatus futurus vlterius tepide crederetur maxime propter verbum cuiusdam conuersi de Tama, a decessu prænominati Episcopi constanter pronuntiantis, nullum vlterius fore Ecclesiæ Lincolniensis Episcopum. Is enim (vt dicitur) cum propter religiosæ conuersationis meritum, & multorum, quæ similiter prędixerat, euentum, spiritu prophetico pollere videretur, a pluribus in fidem receptum est, quod nec in ea re falleretur. At hæc post modicum fides mutare visa est: Gaufrido, Regis filio naturali, in gratiam eiusdem Regis, ad memoratæ Ecclesiæ Pontificatum electo. Cum autem ille amplissimis contentus reditibus, vt liberius vacaret deliciis, canonicæ consecrationis tempus protraheret, oueisque dominicas nesciens pascere, & doctus tondere, multo tempore Lincolniẽsi Ecclesiæ sub electi nomine incubaret: memorati viri verbum in multorum animis ad fidem cœpit reserpere. Quod itaque post modicum fortius mouit plurimos: cum Rex pœnitentia ductus, quod delicatum iuuenem & tanti honoris apici minus congruentem carnali affectu ita promouere voluisset, eo tandem ad refutandum ius & nomen electi prudenter inducto, Episcopatum rursus in Fiscum reduxisset. At illius vel pronuntiationis, vel opinionis mendacium sequenti est tempore declaratum, vt suo loco narrabitur.

CAPVT XXIII.

CIRCA idem tempus Amalricus Rex Ierosolymorum inuitatus a Rege Babylonis, Christianam militiam duxit in Ægyptum (quæ nũc terra Babylonis vulgo dicitur) non illius sane vetustissimæ Babylonis, de qua scriptura sacra loquitur, quæ prima post diluuium in terra Chaldæorum a Nino & Semiramide condita, plusquam mille annis Orientis obtinuit Principatum, & olim diruta, desertaque nunc dicitur: Sed cuiusdam Ægyptiæ ciuitatis, cui (vt legitur) Cambises Rex Persarum subacta Ægypto a se conditæ nomen indidit Babylonis. Huius autem expeditionis causa hæc fuit. Turci, gens callida & bellicosa, sub Rege Noradino regnum affectãtes Ægypti, eo quod Ægyptij opulentia quidẽ clari, sed armis minus acres viderentur: duce Saracone, Principe militiæ eiusdem Regis, viro in rebus bellicis experientissimo, clandestinum per extremos Christianorum fineis transitũ arte moliti, Ægyptiis se prouinciis immersere, captisque vel deditis in breui ciuitatibus aliquot, Regi Babylonis terribiles intolerabilesque fuere. Qui cum videret eos virtute Ægyptia arceri, abigique non posse: Regis Christiani Sarracenus postulauit auxilium, multam de cetero deuotionem cum certo & annuo pollicens vectigali. Mox ille, vt erat magnanimus, regno disposito, & parte militiæ ad excipiendos Noradini impetus, si forte interim irrumpere niteretur, deputata: cum parte reliqua Christiani exercitus Ægyptum ingressus, iunctis sibi Regis Babylonici copiis, Sarraconem cum Turcis in quadam ciuitate obsedit, & tandem coartatos atque infractos Ægypti finibus expulit, concesso in terram suam trãsitu libero per fineis Christianos. Dum hæc in Ægypto agerentur, Noradinus non quieuit: & quietem simulans, arte ac dolis plus nocuit. Denique quendam ex nostris laudatæ fidei & fortitudinis virum, cui vrbis nostræ hostium finibus oppositæ, quæ nunc Belinas dicitur, olim Cęsarea Philippi dicebatur, cura & custodia commissa erat, auro corruptum ad suas parteis traduxit. A quo immissi Turci latenter ciuitatem ingressi neminem quidem peremerunt, sed expulsis cum Episcopo Christianis, nouo vrbem præsidio munierunt. Huius casus aduersitas Regis ex Ægypto reuertentis animum saucians, triumphãtis gloriam denigrauit. Post annos aliquot Turcorum fortiores sæuioresque copiæ non tam dominandi libidine, quam vindicandæ repulsionis suæ stimulis incitatę: duce rursus Saracone regni Ægyptij intima penetrarunt. Ad quorum ingressum Babylonici Regis fiducia omnis elanguit. vnde mox per legatos vrbis ad deprecandum compositos Christiani Regis opem solitam flagitauit. Qui mox regno cautius disposito cum peditum equitumque ingentibus copiis Ægyptum ingressus: iuncto sibi Ægyptio exercitu Turcos aggredi statuit. Qui astuti belli discrimen declinantes, in solitudinem refugerunt. Persequentibus eos Christianis Paschalis occurrit solemnitas. Vnde castris positis super flumen Nilum, sacratissimæ diei cum gaudio solemnia peregerunt. Cumque eis car-

nium pro eiusdem diei lætitia modicus esset apparatus, de supernæ prouisionis beneficio res memorabilis contigit. Sicut enim ab ipsis accepimus qui interfuere, cum Christianus exercitus in castris pro sacræ diei reuerentia excubans ministerio sacerdotum cibos sumsisset cælesteis: repente grex maximus aprorum suumque syluestrium ex vicinis locis erumpens palustribus castra irrupit. Tum viri virtutis gladiis & lanceis pro venabulis vsi quantos voluere non solum escæ studio, sed etiam pro deliciis mactauere. agentes ergo gratias insperati muneris largitori: eiusdem gratissimæ venationis tantam copiam habuere, vt ex illius diei reliquiis in cibos crastinos, & diei tertiæ iumenta onerarent. Mane profecti persequendis hostibus insistebant. Verum cum pedestres copiæ lassarentur, Rex eisdem subsistere iussis cum equitatu properabat. Quod vbi hostilis exercitus dux callidissimus comperit, occurrendum ei, prælioque decertandum putauit, certam sibi de absentia pedestrium turmarum victoriam pollicens: eo quod ipse equitatu longe numerosiore præstaret. Itaque commissum est prælium atrox nimis & cruentum, quod ab hora diei septima protractum est in vesperum. Vterque exercitus alacritate simul & numero minoratus, in castra se recepit, amne medio interlabente discreta, cuius vadum Christiani caute pręoccupauerant ad trāsmeandum. Nocte vero Rex Principibus conuocatis, damna deplorat, maiorem exercitus partem abesse causatus: docet bellum a fatigatis & sauciis non debere mane repeti, sed absque strepitu reuertendum ad socios. Quod cum omnibus placuisset, nocte intempesta cum silentio per viam, qua venerant, abiere. Hoc ipsum & ab hostibus factum est: metu & cautela non dispari. Et Turcæ quidem in Alexandriam se receperūt: Christianus vero equitatus pedestribus est copiis redditus. Rex autem refecto exercitu auctisque viribus obsedit Alexandriam: qua tandem post multarum experimenta difficultatum, per deditionem potitus; Turcos iterum regno Babylonico expulit, & cum ingenti gloria ad propria remeauit.

CAPVT XXIIII.

ANNO Henrici secundi sextodecimo, ipse & Rex Francorum cum iam diusculo fuissent discordes: mediantibus viris pacificis, pacis iterum inter se iura firmarunt. Illius autem discordiæ causa hæc fuit. Rege olim Stephano tumultibus Anglicis occupato, Comes Andegauensis inuasit obtinuitque Normanniam, præter Gisorcium, & duo alia, quasi appendentia Castella, quæ in potestatem Regis Francorum cesserunt. Hanc iuris Normannici diminutionem processu temporis eiusdem Comitis filius, Rex scilicet Anglorum, Henricus secundus non patiens, arte magis quam viribus in hac parte vidit vtendum. Denique per virum industrium Thomam, scilicet Cancellarium suum, egit apud Regem Francorum, vt filia eius ex filia Regis Hispanici, quæ nupserat ei post Alienoram, primogenito suo Henrico daretur in coniugem, munitionibus illis in dotem cedentibus, quæ tamen a templariis tanquam in sequestro custodirentur: donec pueri, qui nondum per ætatem nuptias contrahere poterant, suo tempore nuptialiter conuenirent, Rege Anglorum interim vtriusque pueri habente custodiam. Verum idem Rex aliquot annis elapsis productioris moræ impatiens: inter eosdem pueros nuptias celebrauit præmaturas, & a Tēplariis castella recepit. Quamobrem sæuientibus Francis, & ipsum quidem præuaricationis, Templarios vero proditionis accusantibus, ad lites & bella ventum est. Sed crebris experimentis edocti, se eiusdem Regis potentię vim inferre non posse, ira paulatim deferuescente, tandem pactis quibusdam mediantibus adquieuerunt, vt fieret pax: & facta est pax, non quidem solida, sed temporalis, vt postea claruit. Nempe memorati duo Reges nunquam diu inter se quieuisse noscuntur: populis hinc inde plecti assuetis, quicquid illi per superbiam delirassent.

CAPVT XXV.

ANNO a partu virginis M. C. LXX. qui fuit Regis Henrici secundi septimusdecimus, idem Rex Henricum filium suum in ætate tenera fecit solemniter consecrari, & coronari in Regem Lundoniis, per manum Rogerij Eboracensis Archiepiscopi. Nam

venerabilis Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, Rege nondum placato (licet Romanus Pontifex & Rex Francorum plurimum circa reconciliationem eius satageret) adhuc in Galliis exsulabat. Qui cum factum audisset, pro Ecclesia sua æmulans, Romano Pontifici, cuius fauore & suffragiis fouebatur, rem celeriter intimauit, idque in suum & ecclesiæ suæ præiudicium actum esse allegans; ad coërcendos, tam Eboracensem, qui in aliena prouincia hoc attentauerat, quam Episcopos, qui præsentes assensum præbuerant, magnę districtionis litteras impetrauit. Sane Rex Anglorum tempore modico post filij coronationem in Anglia commoratus transfretauit. Cumque crebris Domini Papæ monitis, atque importunis illustris Francorũ Regis precibus pulsaretur, vt saltem iam post septennium exilij insigni illi exuli placari dignaretur, tandem adquieuit, & celebrata est inter eos solemnis, & quanto serior tanto optatior gratiorque concordia. Rege ergo in transmarinis partibus consistente: idem Archiepiscopus cum licentia & gratia regia ad Ecclesiam propriam remeabat. Habebat autem penes se, Rege inscio, litteras Domini Papæ contra Eboracensem & alios Episcopos, qui illi infaustissimæ coronationi interfuerunt, impetratas: factæ iam concordiæ irritatrices, & maioris iræ prouocatrices futuras. Has in Angliam ad suspensionem Episcoporum præmissas, ipse sequebatur zelo iustitiæ feruidus: vtrum autem plene secundum scientiam, nouit Deus. Nostræ enim paruitati nequaquam conceditur, de tanti viri actibus temere iudicare. Puto tamen quod beatissimus Papa Gregorius in molli adhuc teneraque Regis concordia mitius egisset, & ea, quæ sine fidei Christianæ periculo tolerari potuissent, ratione temporis & compensatione pacis dissimulanda duxisset, iuxta illud Propheticum; Prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est. Itaque quod a venerabili Pontifice tunc actum est, nec laudandum esse iudico, nec vituperare præsumo, sed dico; si vel modice in huiusmodi a sancto viro per zeli laudabilis paulo immoderatiorem impetum est excessum, hoc ipsum est sacræ, quæ consecuta noscitur, igne passionis excoctum. Ita quippe sancti viri vel amandi vel laudandi sunt a nobis, qui nos illis longe impares esse cognoscimus: vt tantum ea, in quibus homines vel forte fuerunt vel fuisse noscuntur, nequaquam vel amemus vel laudemus, sed ea tantum, in quibus eos sine scrupulo imitari debemus. Quis enim dicat eos in omnibus, quæ ab ipsis fiunt, esse imitabiles? Non ergo in omnibus quæ faciũt, sed sapienter & caute debent laudari, vt sua Deo prærogatiua seruetur, in cuius vtique laudibus nemo potest esse nimius, quantumcunque laudare conetur. Igitur Episcopis pro memorato excessu (qui vtinam pro tempore dissimulatus fuisset) ad instantiam venerabilis Thomæ, Apostolicæ sedis auctoritate ab omni Episcopalis officij dignitate suspensis, Rex quorundam querelis exasperatus infremuit, & turbatus supra modum, atque in ipso feruore erumpentis furoris parum sui compos: ex abundantia cordis turbidi eructauit verba non sana. Tunc quatuor assistentium Procerum viri genere nobiles, & militiæ artibus clari, æmulando pro Domino temporali inflammati ad facinus, mox egressi sunt a facie eius, & tanta velocitate transfretantes (vt quasi ad solemnes epulas festinare viderentur) concepti furoris stimulis agitati, quinto natalis Dominici die Cantuariam venerunt, & venerabilem Archiepiscopum religiosa lætitia præclaræ solemnitati intentum ibidem inuenerunt. Ingressique ad eum iam pransum & sedentem cum viris honoratis; salutatione non præmissa, sed regij nominis terrore prætento iusserunt magis quam petierunt aut monuerunt, vt quoniam Episcoporum suspensio, qui Regis paruerant voluntati, in ipsius Regis contemtum & contumeliam redundaret, eandem maturius relaxaret. Illo respondente, superioris sententiam a minori potestate conuelli non posse, proinde sua non interesse relaxare, non a se, sed a pontifice Romano suspensos, voces sermonum grandium emittebant. Quibus ille non territus: furentibus granditerque frementibus, mira libertate & fiducia loquebatur. Vnde magis accensi, concite egressi sunt, & sumtis armis, nam sine armis ingressi fuerant, ad atrocissimum se facinus, cum ingenti strepitu fremituque præparabant. Suasum est venerabili Pontifici, vt in sacram se Basilicam recipiens, inhumane sæuientium rabiem declinaret. Cumque non facile adquiesceret: paratus ad subeundum discrimen; tandem irrumpentibus atque

vrgentibus aduersariis: amica suorum violentia ad sacri loci munimina trahebatur. Canebantur a monachis Omnipotenti Deo solemniter laudes vespertinæ, & ipse venerabile Christi templum ingressus est, sacrificium vespertinum mox facturus. Insecuti enim satellites diaboli: neque sacri ordinis, neque sacri vel loci vel temporis reuerentiam, vt Chistiani, habuerũt: sed sacerdotem magnum, stantem ad orationem ante venerandum altare aggressi, in ipsis Christi natalitiis Christiani nequissimi gladiis crudelissime peremerunt. Quo facto, tanquam triumphantes ingressi: cum infelici lętitia abierunt. Reputantes autem, ne forte quod actum erat, ei, pro quo ęmulati fuerant displiceret: in Aquilonares Angliæ parteis secesserunt, animum erga se Principis plenius pro tempore cognituri. Porro beati Pontificis in conspectu Domini quàm preciosa mors fuerit, quantaque facinoris in eum commissi atrocitas ratione & loci & temporis & personæ: signorum sequentium frequentia declarauit. Sane tanti piaculi fama in breui per omneis fere Latini orbis fineis dispersa: illustrem Anglorum Regem infamauit, & præclaram eius inter Reges Christianos gloriam ita denigrauit, vt quoniam vix credi poterat, illud absque eius voluntate & mandato fuisse attentatum; fere omnium imprecationibus impeteretur, & publicis insectandus odiis censeretur. Ipse quoque audito, quod a suis actum fuerat, intelligens datam esse maculam in gloriam suam, & vix expiabilem sibi næuum inustum, ita doluit, vt diebus aliquot perhibeatur nihil gustasse. Siue autem parceret homicidis illis, siue non, considerabat procliueis esse homines ad male sentiendum de eo. Nam si parceret sceleratissimis, tanti mali ausum vel auctoritatem præstitisse videretur. Si vero in eis plecteret, quod absque eius mandato non attentasse putabantur, vtrobique nequissimus diceretur. Iccirco parcendum eis duxit, & tam famæ suæ quam illorum saluti prospiciens, sedi eos Apostolicæ ad suscipiendam solemnem pœnitentiam præsentari præcepit. Quod & factum est. Nam stimulante conscientia Romam profecti: ad agendam pœnitentiam a summo Pontifice Ierosolymam sunt directi, vbi annis aliquot indictum satisfactionis modum non segniter (vt dicitur) exequentes, vitam omnes finiere. Sed hoc postea. Tum vero idem Rex, dum fere omnes in eum beati viri necem refunderent, & Francorum maxime Principes, qui felicitatis eius æmuli semper exstiterant, aduersus eum, tanquam in verum certumque tantæ enormitatis auctorem, sedem Apostolicam instigarent, responsales Romam direxit, vt precum verecundia feruentem inuidiam temperaret. Qui cum Romam venissent: cunctis Regem Anglorum execrantibus ægre admissi sunt. Constanter vero allegantes, quod Domini sui mandato, siue consensu tantum facinus non fuisset commissum: tandem impetrauerunt, vt a latere Domini Papæ legati in Gallias, cum plenitudine potestatis mitterentur: qui re diligenter inquisita & cognita, eundem Regem, vel ad purgationem famæ suæ admitterent, vel reum inuentum censura ecclesiastica coërcerent. Quod & factum est. Missis enim a sede Apostolica Cardinales duo venerabiles, scilicet Albertus, qui postea eidem sedi præfuit, & Theodinus, in Gallias venerunt, factoque in terra Regis Anglorum celebri conuentu Ecclesiasticorum virorum atque nobilium: eiusdem Principis humiliter ibidem apparentis, & constanter asserentis, quod sua neque voluntate neque iussione illud, quo fama eius grauabatur, contigerit, & quod de nulla re vnquam magis doluerit, purgationem solemniter susceperunt. Sane non negauit, homicidas illos ex aliquibus forte verbis eius incautius prolatis occasionem ausumque tanti furoris suscepisse, cum de suspensione Episcoporum accepto nuntio ira immoderatiori absorbtus minus sobrie loqueretur, & propter hoc, inquit, disciplinam nõ refugio Christianam, decernite quod placuerit, deuote amplectar exequarque decretum. Quo dicto, & veste abiecta: iuxta morem publice pœnitentium, nudum se ecclesiasticę submisit disciplinæ. Hac tanti Principis humilitate delectati, & præ gaudio lachrimati Cardinales, collachrymantibus & Deum laudantibus plurimis: confortata eiusdem Principis conscientia, & fama minus laborante, soluerunt conuentum. Successit autem beato Thomę in cathedra Cantuariensi Richardus, Prior Douęrensis.

CAP.

CAPVT XXVI.

IISDEM temporibus Angli sub specie militantium Hiberniæ insulæ irrepserunt; tandem postea crescentibus viribus inuasuri, & partem eius non modicam armis subactam possessuri. Est autem Hibernia (vt accepimus) inter insulas secundę a maiori Britannia magnitudinis, sed eadem (vt ait venerabilis Beda) serenitate, & salubritate aëris multo præstantior, egregie pabulosa atque piscosa, & glebæ satis vberis, si non desit industria boni cultoris, sed populos habet moribus incultos & barbaros legum & disciplinæ fere ignaros: in agriculturam desides, & ideo lacte magis quam pane viuentes. Hanc auteem singularem præ cunctis regionibus habet a natura prærogatiuam & dotem: vt nullum gignat venenatum animal, nullum reptile noxium. Quinimo certa citaque mors eorum est, ad primum Hibernici aëris attractum: si forte aliunde aduehantur. Porro quicquid inde aduehitur, contra venena valere probatum est. Sane hoc quoque de hac insula mirabile est, quod cum maior Britannia, æque Oceani insula, nec spacio longiori seiuncta, tantos bellorum casus experta sit, totiens exteris gentibus præda fuerit: totiens externam dominationem incurrerit, expugnata & possessa primo a Romanis, deinde a Germanis, consequenter a Danis, postremo a Normannis. Hibernia, Romanis etiam Orchadum insularum dominium tenentibus inaccessa, raro & tepide ab vllo vnquam expugnata, & subacta est, nunquam externæ subiacuit ditioni, vsque ad annum a partu virginis M. C. septuagesimum primum, qui fuit Regis Anglorum Henrici secundi octauus decimus. Quod enim Britones dicunt, eandem insulam suo paruisse Arturo, fabulosum est, sicut & cetera quæ de ipso mentiendi libidine petulantia quorundam confinxit. Quomodo autem Hibernici, incidendo in potestatem Regis Anglorum, longam & nunquam a sæculo interruptam, & quasi ingenitam finierunt libertatem, expositu facile est, cum res sit recentis memoriæ. Denique mutandi status illi regioni hæc fuisse occasio traditur. Hibernia iuxta priscum Angliæ morem in plura se regna conscindens, & consueta Reges habere plurimos: iisdem plerunque discrepantibus discerpebatur, & quanto externorum inexpertior erat bellorum, tanto interdum indigenis tanquam propriis visceribus in mutuam cædem ruentibus miserabilius euiscerabatur. Contigit autem quendam Regum terræ illius a finitimis impetitum Regibus coarctari nimis, & defectu virium crudelitatem hostium pæne experiri. Inito ergo consilio & misso festinanter in Angliam filio accersiuit viros militares, & iuuentutem strenuam, spe lucri profusioris illectam. Quorum ope subleuatus, primo respirare, deinde roborari, postremo subactis hostibus triumphare cœpit. Nec suos adiutores abire passus est, sed tanta eos largitate donauit, vt obliti populum suum & domos patrum suorum, ibidem eligerent habitare. Cum autem ferocissimi totius Hiberniæ populi contra eundem Regem indignari, & tumultuari inciperent, quod gentem Anglicam Hiberniæ immisisset, illi metuentes paucitati suæ, accitis ex Anglia viris inopia laborantibus & lucri cupidis, vireis paulatim auxerunt. & quia nondum habebant Principem, erantque adhuc tanquam oues non habentes Pastorem, accersiuerunt ex Anglia preficiendum sibi virum nobilem & potentem Comitem, scilicet Richardum. Qui nimirum cum esset magnanimus, & supra vireis rei familiaris profusus, amplissimis redditibus exinanitis, & exhausto fere patrimonio creditoribus erat supra modum obnoxius, atque ideo procliuius ad maiora inuitantibus adquieuit. Armatorum ergo iuuenum plurima validaque manu contracta in terra iuris sui, classem transfretaturus in Hiberniam præparabat. Cumque iam soluere pararet, affuerunt qui ex parte Regis transfretationem inhiberent. Ille vero nullius rei, quam in Anglia possidere videbatur, remoratus affectu, nihilominus transfretauit, atque expectantes socios optato lætificauit aduentu. Iunctis mox copiis aliquid audendum aggrediendumque ratus, quo in posterum barbaris foret terribilis: peruicaci impetu irruit super Diuelinum, vrbem maritimam, totius Hiberniæ Metropolim, portuque celeberrimo in commerciis & commeatibus nostrarum æmulam Lundoniarum. Qua fortiter celeriterque expugnata & capta: plurimos etiam longius positos metu perculsos in fœdus venire coegit. Insistebat finitimis pertinacius priscam tueri nitentibus libertatem: munitiones locis opportunis cōstruens: & dominationem

paulatim protendens. Porro quantulamcumque nationis barbaræ gratiam per affinitatem affectans, fœderati Regis filiam vxorem accepit, & partem regni plurimam, nomine dotis percepit. Cuius tam fausti successus cum Regi innotuissent Anglorũ: motus quod eo non solum inconsulto, sed etiam inhibente rem tãtam fuisset aggressus, & præclaræ adquisitionis gloriam illi potius, vt præcellenti, asscribendam in se conuertisset, omne eius in Anglia patrimonium fisco addixit; &, ne quod ex Anglia subsidium Hiberniæ inferretur, commeatus nauium interdixit. Fortiora quoque comminans: in gratiam maturius redire compulit iam pæne regnantem. Itaque extorsit ei nobilem ciuitatem Diuelinum, & cetera, quæ in adquisitione potiora videbantur: parte vero reliqua cum patrimonio suo Anglico integro illi restituto, iussit esse contentum. Quibus actis idem Comes, qui paulo ante exinanito prodige patrimonio, fere nihil aliud quam nudam nobilitatem habuerat, Hibernicis Anglicisque opibus inclitus, in multa felicitate agebat, quam tamen post annos aliquot mors immatura corripuit. Plane hoc ipso declaratum est, quam vanum sit quod in homine illo ita euanuit, & quam fallax quod eundem sibi incumbentem repente elabendo delusit. Ex Hibernicis manubiis, quibus multum inhiauerat, & pro quibus etiam tam multum cum periculo sudauerat salutis, nihil secum hinc abiens homo ille portauit, sed laboriose periculoseque quæsita ingratis relinquens heredibus: salubrem quoque multis ex suo occasu doctrinam reliquit. Rex Anglorum post modicum in Hiberniam cum ingenti militia transfretauit, Reges insulæ, qui eatenus rebelles extiterant, aduentu eius pauefactos sine sanguine subiugauit, rebusque pro voto dispositis, eodem anno in Angliam cum salute & gaudio remeauit.

CAPVT XXVII.

ANNO a partu virginis M.C.LXXIII. qui fuit Regis Henrici secundi vicesimus; cum idem Rex in Angliam reuersus ex Hibernia, in Normanniam post modicum transisset ex Anglia: facta est execrabilis & fœda dissensio inter ipsum & filium eius Henricum tertium, quem ante biennium, vt superius dictum est, in Regem fecerat solẽniter consecrari. Cum enim idem creuisset, & pubes iam factus vellet cum sacramẽto & nomine rem sacramenti & nominis obtinere, & patri saltem conregnare, cum solus, vt ei a quibusdam insusurrabatur, de iure regnare deberet, quasi eo coronato regnum expirasset paternum, indignans maxime expensas Regi faciendas sibi a patre parcius ministrari, contra patrem intumuit atque infremuit, clamque ad socerũ suum Regem Frãcorum patri tædium moliturus profugit. A quo nimirum grate susceptus, nõ tam quia gener erat, quam quia a genitore desciuerat, eius se in omnibus cõsilio credidit. Frãcorũ ergo virulentissimis adhortationibus animatus atq; instigatus in patrem, quominus ius violaret naturæ, exemplo non est territus scelestissimi Absalonis. Pater vero filij auersione cõperta, & quo profugisset agnoscẽs, misit ad Regem Frãcorum viros honoratos cum verbis pacificis, filium paterno iure reposcens, &, si quid circa illum emendãdum videretur: eiusdem se Regis consilio mature emẽdaturum pollicens. Ad hoc ille, quis mihi, inquit, talia mandat? Rex, aiũt, Anglorũ. Et ille: Falsum est, inquit. Rex Anglorum ecce adest, per vos mihi nihil mandat. Si autem patrem huius olim Anglorum Regem, etiam nunc Regem appellatis, scitote, quia ille Rex mortuus est. porro quod adhuc pro Rege se gerit cum Regnum filio, mundo teste, resignauerit, mature emendabitur. Sic delusi responsales ad dominum suum rediere. Mox idem Henricus iunior Francorum consilio malum patri vndecunque moliens, parteis Aquitanniæ clam adiit, & duos fratres impuberes ibidem cum matre consistentes, Richardum scilicet & Gaufridum sollicitatos, conniuente (vt dicitur) matre in Franciam secum traduxit. Alteri enim Aquitanniam, alteri Britanniam suo tempore possidendas pater concesserat, & propterea per illum Aquitanos, per hunc vero Britones procliuius suis partibus applicandos Francis docentibus intelligebat. Comitem quoque Flandrensem patris sui consobrinum, virum magnarum virium, & innumeræ bellicosæque, cui præerat, gentis, fiducia, in immensum gloriantem, grandibus promissis annitente Rege Francorum sibi adiunxit. Tunc multi potentes & nobiles, tam in Anglia, quam in partibus

Transma-

Transmarinis, vel mero odio eatenus dissimulato impulsi, vel vanissimis pollicitationibus sollicitati: a patre ad filium paulatim cœperunt deficere, & ad motus se bellicos modis omnibus præparare. Comes scilicet Leicestrensis, Comes Cestrensis, Hugo Bigotus, Radulphus de Fougeriis, aliique complures amplitudine opũ & firmitate munitionum terribiles. Multi etiam suis rebus viribusque minus confidentes, ne nil agerent, concedendo in Franciam hostilem animum declararunt. His accessit hostis truculentior Rex Scottorum, immites populos, & neque sexui, neque ætati parcituros finibus immissurus Anglorum. Cum ergo tot tantique Proceres a rege seniore desciuissent, omnesque contra eum, tanquam pro anima sua gererent: admodum pauci erant, qui ei fideliter & firmiter adhærerent: ceteris circa eũ pendule fluitãtibus, dum a regis iunioris absorberi victoria scrupulosius formidarent. Tunc demum vidit rex senior (sic enim vulgo dicebatur) quam inconsulte, immo quam stulte egerit, præmature creando sibi successorem, minus attendens, quod nouarum rerum aucupatores Regem procliuius sequerentur iuniorem. Turbatis ergo rebus anxius, dum hostes interni externique vrgerent: his quoque, qui sibi adhærere videbantur, in gratiam filij remissius agentibus minus se credens, stipendiarias Bribantionum copias, quas Rutas vocãt, accersiuit, eo quod de thesauris regiis, quibus in tali articulo parcendum non esset, pecunia copiosa suppeteret.

CAPVT XXVIII.

IGITVR mense Iunio, quando solent Reges ad bella procedere, finitimi principes contractis vndecunque viribus Regem hostiliter aggrediuntur Anglorum, sub obtentu quidem quasi pro filio æmularentur contra patrem. qua nimirum æmulatione nil stultius, re autem vera proprij vel odij, vt Rex Francorum, vel emolumenti, vt Comes Flandrensis negotium porrecta occasione agentes. Porro Rex Anglorum ad excipiendos tantorum hostium impetus minus se poterat præparare propter suorum tumultus internos, quibus vehementissime angebatur. Cum ergo propter manum imparem irrumpentibus non posset occurrere, munitiones tantum quæ erant in terminis, dispertitis præsidiis cautius studuit munire. Itaque Rex Francorum opidum Vernullium, nullius rei necessariȩ ad tolerandam obsidionem diutinam indigum circumfuso concludit exercitu: non nisi capto eo vel dedito progressurus. Comes vero Flandrensis cum suis copiis a parte Flandriæ irruens obsedit Albemarlam valido inaniter fultam præsidio: cum eius opidi Dominus, Comes scilicet Albemarlensis contra seniorem Regem, ceu multi alij, fluctuaret. Qui nimirum pro eo quod opidum minus oppugnatum cito expugnatum est, cum Flandrensi creditus est collusisse. A quo captus cum omnibus quos illic Rex causa præsidij miserat: alia quoque castella sua resignauit. Progediensque Flandrensis exercitus, ad maiora faustis animatus principiis, munitionem regiam, quæ Castellum nouum dicitur, per dies aliquot adhibitis machinis fortiter expugnauit. qua tandem dedita, Comes tamen Flandrensis gauisus non est. Frater namque eius Mathæus, Comes Bononiensis, quo ille tanquam futuro successore gaudebat, qui de coniuge propria sobolem nequaquam susceperat, aut sperabat, in eiusdem opidi oppugnatione ictu sagittæ circa genu saucius, casu vulneris in peius vergente decubuit, & post dies paucissimos inter curandum in fata concessit, fratri tantum ex suo interitu luctum relinquens, vt soluta mox expeditione lugubris ad propria remearet, sinistrum sibi euentum obiectans atque imputans, qui Regem consobrinum, a quo nunquam læsus, crebro autem beneficiis præuentus exstiterat, causa nequissimi filij hostiliter impetendum duxisset. Quo comperto considerans idem rex se iam bellicæ sollicitudinis parte dimidia pro tempore liberatum, aduersus partem reliquam propensiorem mox sumsit fiduciam. Conuocatis ergo stipendiariis copiis, & quotquot eum in illo articulo non deserendum putabant, denuntiauit regi Francorum, qui iam partem ætatis plurimam in prænominati opidi obsidione consumserat, eoque mature se potiturum sperabat, vt vel obsidionem desereret, vel ad diem certum discrimen sibi bellicum impendere

minime dubitaret. Primum quidem Franci natura feroces simul & arrogantes, præsertim cum numero & apparatu bellico præstare viderentur; denuntiationem derisere, id eum nullatenus ausurum arbitrantes. Verum agnito, quod impauidus cum instructo aduentaret exercitu, tunc primum suspicari potuere aliquid eum ausurum. Illico rex eorum accitis festine optimatibus, tractare cum eis cœpit de bello. Missisque obuiam regi Anglorum vno Episcopo & Abbate, qui ab ore eius acciperent, vtrum congressurus accederet: ipse interim pro tempore copias instruebat. Et ecce missi eidem regi occurrerunt, qui nescio quid ordinans, seseq; cum multa confidentia ostentans: armatus cum paucis aliquot stadiorum spatio exercitum anteibat. Cui cum dicerent, Regem Francorum velle certificari de prælio, vultu feroci, & voce terribili, Ite (inquit) & dicite Regi vestro, quia ecce adsum; cumque festinanter reuersi, instantis iam de proximo Principis ferociam & obstinationem indicassent: consilium habuerunt Rex & optimates Francorum, vt pro tempore cederent, & pugnaturi pro hereditate patrum suorum impetum declinarent. Itaque castris relictis cum tremendis illis copiis in Franciam refugerunt, armati tamen, & compositis ordinibus, ne fugere viderentur: Sicque, qui paulo ante ferocibus animis, & grandium rugitu verborum leones videbantur, tanquam lepores cedendo, fugiendoque repente inuenti sunt. Porro Rex Anglorum indecora superborum hostium fuga contentus, vrgere, & persequi noluit fugientes: sed exercitu ad hostilium direptionem conuerso, opidum cum solemni lætitia, suis, qui ibidem fortiter egerant congratulaturus intrauit. Repertum est autem in castris frumenti & vini, & escarum plurimum, cum supellectile varia, quam abeuntes instantibus aduersariis asportare non poterant.

CAPVT XXIX.

EXTERNIS ergo hostibus quorum maxima erat potentia, rege scilicet Francorum, & Flandrensi Comite diuina voluntate propulsatis, interni minime quieuere. Quorum plurimi condicto conuenientes, & conglobati Dolum opidum obtinuerunt, quod iuris quidem est Britannici: sed Normannicis collimitatur finibus. Quo audito Bribantiones regij mature affuerunt, & congressi cum eis: primo eorum multitudinem in opidum refugere, mox etiam capto opido in vnius arcis angustias secedere compulerunt. Quibus ita conclusis, res cum summa celeritate defertur ad regem Rothomagi consistentem. Ille cibi somnique oblitus: mutando vehicula, longa terrarum spatia transmeans, tam festinus affuit, vt volasse videretur. Cumque oppugnandæ arci intenderet: conclusa multitudo angustias illas non ferens, misericordiam implorauit. Pactus ergo eis rex vitam cum integritate membrorum: arce dedita, insignem illam captiuitatem custodiæ mancipauit. Ibi quippe Comes Cestrensis, & Radulphus de Fougeriis, aliique nobiles fere centum, in manus regis, quem atrocissimis fuerant odiis insectati, Dei iudicio inciderunt. A quo nimirum multo clementius quam eorum meritis debebatur tractati, pro tempore in vinculis quieuerunt. Duo vero prænominati, qui clariores videbantur inter captiuos, regi de fidelitate seruanda satisfacientes, relaxari meruerunt. In qua re procul dubio tanti Principis in præuaricatores infidissimos, hosteisque atrocissimos clementia iure miranda laudandaque censetur.

CAPVT XXX.

DVM in Transmarinis partibus a rege, vel circa regem talia gererentur, in Anglia quoque non dissimilia prouenerūt. Cum enim Comes Leicestrensis, qui primus a Rege defecerat, plurimos petulanti corrupisset exemplo, Richardus de Lusci, qui tunc Angliæ sub Rege præerat: accepto a Rege mandato & exercitu propere conuocato, Leicestriam obsedit: qua dedita & incensa, oppugnationem castelli omittens, eo quod ad vrgentiora negotia vocaretur, recessit. Porro Rex Scottorum agnito, quantum Rex Anglorum in Normannia laboraret, cum gentis barbaræ, & sitientis sanguinem immanissimis copiis Anglorum fineis ingressus: ciuitatem Carduliensem obsidione circumdedit, totamque adiacentem prouinciam cædibus & rapinis fœdauit. Comperto, quod ingens ex superiori Anglia exercitus aduentaret: obsidionem reliquit, & post

vastam

vaſtam prouinciæ, quæ Northumbria dicitur, depopulationem, a facie Procerum noſtrorum in propria ſe recepit. Qui nimirum aduenientes cum militaribus copiis amnem Tuedam, quæ regnum Anglicum Scotticumque diſterminat, trāgreſſi, terræ hoſtili talionem nullo obſiſtente intulerunt. Sed mox feruentibus nuntiis ad ſuperiora Angliæ reuocantur; Regis tamen hoſtis ferocia neceſſariis pro tempore induciis caute ſuſpenſa: cum eum callida noſtrorum diſſimulatione laterent adhuc quæ nuntiabantur. Comes enim Leiceſtrenſis cum claſſe hoſtili ex Flandria apud Orientales Anglos applicuit, ſuſceptuſque a complice proprio, Hugone ſcilicet Bigoto, viro potente & callido: ibidem aliquamdiu cum adducto conſedit exercitu. Mox eodem Hugone duce & cooperatore idem exercitus irruens ſuper ciuitatem Norvvicenſem, eandem præſidio vacuam & repentino terrore perſtrictam minimo negotio effregit, eiuſque opibus abraſis, præda onuſtus ad caſtra rediit. Cumque eodem auctore atque incentore inſignem vicum maritimum variis opibus refectum, qui dicitur Donevvic, ſimiliter irrupturus accederet, habitatorum, qui ſe ad excipiendum hoſtilem impetum conſtanter præparabant, fiducia territus, & nihil aduerſus huiuſmodi audendum ratus, vacuus receſſit. Hugo vero eiuſdem exercitus, quantum volebat opera vſus, denūtiauit Comiti Leiceſtrenſi, vt copias peregrinas quas adduxerat, ad terram, & caſtella proprij iuris traduceret. Qui nimirum diu multumque hæſitans, eo quod per medios hoſtium fineis, qui eius dicebantur tranſitum obſeruare, abſque grandi non poſſet periculo Leiceſtriam tranſmeare: tandem confidens de numero & virtute ſociorum (habebat enim equites circiter octoginta electos, peditum fortium quatuor vel quinque milia) reputans etiam neminem ſibi obſtiturum in via, eo quod in eis, qui Regi fauere videbantur, amicos haberet plurimos, conſtanter cum vxore & quodam nobili viro ex Francia, Hugone ſcilicet de Caſtello, totiſque copiis iter arripuit. Regij autem Proceres apud Sanctum Edmundum cum copioſa militia obſeruabant. Cumque illi prope iam eſſent, inſtructum contra eos exercitum produxerunt. Porro illi neque ad dexteram neque ad ſiniſtram declinare valentes, & neceſſitatem in alacritatem vertentes, turmis diſpoſitis audacter proceſſere. Commiſſum eſt itaque prælium graue, his pro gloria, illis pro ſalute certantibus. Sed victoria conceſſit ad Regios. Captuſque eſt Comes cum coniuge, virilis animi fœmina, & memorato Hugone de Caſtello, & toto fere equitatu, peditum vero multitudo fere omnis interiit. Inſignes captiui in Normanniam a Rege ſunt miſſi, de ceteris quoque factum eſt, quod voluit.

CAPVT XXXI.

SANE cum illa filij contra patrem inſilialis veſania fere biennio debacchata dinoſcatur, primi anni inſigniora geſta ſuperiori ſunt relatione digeſta. Hieme quidē paulisper a bellicis tumultibus ceſſatum eſt in partibus tranſmarinis. in Anglia vero non ita. Viri enim, qui erant in munitionibus Comitis Leiceſtrenſis, cum propter hoc, quod domino ſuo acciderat aliquandiu quieuiſſent, rurſus efferati, & tanquam ad Domini ſui vltionem inflammati, aggregata ſibi improborum multitudine vicinas prouincias excurſionibus infeſtare cœperunt. Et vt Principem magni nominis habentes fiducialius ageret, Huntedunienſem Comitem Dauid, fratrem Regis Scottorum ducem ſibi ac Principem delegerunt. quo tanquam feliciter debacchante, & re proſpere procedente ad plurima, Comes quoque Farrarienſis, & vir nobilis Rogerius de Mubrai animū diu diſſimulatū declarantes, poſt defectores ceteros abierūt: vixque ſacris quadrageſimæ diebus concepti furoris impetum cohibentes: poſt ſolemnitatem Paſchalem ad auſus improbos proruperunt. Nec ceſſabat eo tempore Rex iunior optimates Anglorum, qui patri adhærere videbantur, per clandeſtinas litteras vel promiſſionibus allicere, vel comminationibus pulſare: vt eos ad ſuas quocunque modo parteis traduceret. Quamobrem tunc in Anglia pauci admodum nobiles fuiſſe tradūtur, qui non circa Regem vacillarent, ab eo pro tempore defecturi, niſi maturius eorum fuiſſet meditationibus obuiatum.

CAPVT XXXII.

IGITVR ſecundo initæ contentionis anno, rurſum a magnis hoſtibus ſcilicet Rege

Francorum, Comite Flandrensi, Rege Scottorum, bellum aduersus seniorem Anglorum Regem totis viribus instauratur. Et Comes quidem Flādrensis fraterni iam oblitus exitij, pro ambitu Anglicanæ prouinciæ, quæ Cantia dicitur, de qua scilicet Regi iuniori iam hominium fecerat: cum eodem in Angliam transiturus copiis classem parabat. Rex vero Francorum contractum vndecunque exercitum, inuasurus Normanniam instruebat. Quibus cognitis Rex Anglorum senior malens sibi fineis transmarinos periclitari, quam regnum (quos tamē caute credidit muniendos, præuidebat enim neminē in Anglia se absente, & tanquam nō exstante, illi, qui successurus expectabatur obstiturum) præuentis hostibus cum aliquanto equitatu, & vna Bribantionum turma in Angliam mature aduehitur. Interea Rex Scottorum cum propriæ gentis infinita barbarie atque accersitorum ex Flandria stipēdiariorum equitum peditumque manu nō modica fineis Anglorum ingressus, duas in Westmeria munitiones regias, scilicet Burgum, & Appelbi præoccupatas, & sine præsidiis inuentas obtinuit, indeque digrediens: vrbem iterum. Carduliensem oppugnare statuit. Sed cautione a tæpidis ciuibus præstita, quod ad diem certum ciuitatem illi traderent, nisi interim a Rege Anglorum sufficiens sibi præsidium mitteretur, ad quandam munitionem super amnem Tinum, quæ dicitur Prudehou, oppugnandam cōuertit exercitum. Tunc accessit ad eum prædictus Rogerius de Mubrai auxilium flagitans. Duabus quippe munitionibus suis a Gaufrido Regis Anglorum filio naturali, tunc Lincolniensi electo fortiter expugnatis & captis, tertiam, Tresch vocatam cum periculo possidebat. Qui nimirum Rogerius Regi Scottorum, in Eboracensem prouinciam irruptionem meditanti, iam pridem filium primogenitum obsidem dederat, quod illi assisteret & pareret in omnibus, & ab eo vicissim sponsionē acceperat, quod in quacumq; necessitate eius nequaquā auxilio fraudaretur. Verum idem Rex cum per dies aliquot apud Prudehou casso, & suis magis noxio fuisset labore sudatum, audiens Eboracensis prouinciæ cōtra se militiā excitari, Tino trāsmisso Northūbriæ fineis inuasit. Corrosum est a Scottis, quibus nulla esca infamis est, quicquid vel a canibus mandi potuit, & dum prædæ insisteret, iugulare senes, trucidare paruulos, euiscerare fœminas, & huiusmodi quæ horrendū est vel dicere, gēti inhumanæ & feris plus efferæ facere voluptas fuit. Immisso ergo miserabili prouinciȩ immanissimorū prȩdonum exercitu, barbarisque inhumane debacchantibus, Rex ipse, excubante circa se honestiori, mitiorique stipatus militia vacare videbatur, obseruabatque circa castellum firmissimum, Alnevvich nominatum, ne forte manus ex eo militaris irrumpens, circumquaque grassantes perturbaret prædones.

CAPVT XXXIII.

Rebvs se ita circa Aquilonares Angliæ parteis habentibus, Eboracensis prouinciæ regij Proceres ingenue indignati, quod Scotti fineis Anglicos infestarent, apud Castellū nouum super fluuiū Tinum cum equitatu valido conuenerunt. Vrgente quippe negotio, pedestres non poterant copias congregare. Venerunt autem illuc die Sabbathi, longo & laborioso itinere fatigati. Ibi sane cum incōmune tractarent, quid esset agendum, prudētiores allegarunt, multum iam esse actū, cum Rex Scottorum aduentu eorum præcognito longius recesserit, suæ hoc mediocritati pro tempore debere sufficere, sibi nō esse tutum, nec Regi Anglorum vtile vlterius progredi, ne forte paucitatem suam deuorandam, sicut escam panis infinitæ barbarorum multitudini exponere viderentur, sibi non esse plusquā quadringentos equites, in hostili vero exercitu, plusquam octo armatorum milia æstimari. Ad hæc feruētiores respondentes, hosteis nequissimos modis omnibus esse impetendos, victoriā desperari non debere, quæ procul dubio iustitiā sequeretur. Denique horum sententia præualente, (quia Deus sic voluit, vt voluntati magis diuinæ, quam potentiæ vel humanæ prudentiæ ascriberetur euentus) viri virtutis, in quibus erāt præcipui, Robertus de Stuteuilla, Ranulphus de Glanuilla, Bernardus de Baliolo, Guilelmus de Vesci, nocturna requie paulisper recreati, summo mane progressi sunt tāta velocitate, tanquā propellente vi aliqua properantes, vt quod armorū pondere grauatis minus tolerabile videbatur, ante horam quintam viginti quatuor milia passuum transmearent. Verum dum irent, tam densa, vt dicitur, eos operuit nebu-

nebula, vt pæne nescirent quo irent. Tum prudentiores periculosum iter causantes, certum sibi imminere discrimen allegarunt, nisi mox conuersi redirent. Ad hoc Bernardus de Balliolo, vir nobilis atque magnanimus, recedat, inquit, qui voluerit, ego autem etiamsi nullus sequatur, procedam, & perpetuam mihi maculam non inuram. Cum ergo procederent, subito euanescente nebula, castellum de Alnevvich præ oculis habentes, id sibi tutum fore receptaculum, si hostes vrgerent, læti censuerunt. Et ecce Rex Scottorum cum turma equitum circiter sexaginta aut paulo amplius haud procul in campis patentibus tanquam securus & nihil minus quam nostrorum irruptionem intuens obseruabat, barbarorum multitudine cum parte equitatus ad prædas late dispersa. Qui nimirum nostris conspectis: primo quidem eos de suis a præda redeuntibus esse ratus est. Sed mox vexillis nostrorum caute notatis, tunc demum intellexit nostros iam ausos, quod ipsos nec suspicari potuit esse ausuros. Attamen non est territus. suo quippe tam vasto quamuis minus conglobato circumuallatus exercitu, conclusam illam paucitatem facile absorbendam esse a circumfusa multitudine, nec ambigere dignabatur. Illico ferociter arma concutiens, suosque verbo simul & exemplo accendens, modo, inquit, apparebit quis miles esse nouerit. Primusque in hostem sequentibus cæteris irruens, mox a nostris excipitur, atque interfecto deiectus equo, cum tota fere turma sua capitur. Nam & qui per fugam euadere potuerunt, eo capto fugam detrectantes, vt cum eo caperentur, in manus se hostium sponte dedere. Quidam etiam nobiles, qui forte tunc aberant, sed non longe erant, agnito quod acciderat, cursu mox rapidissimo affuere, atque in manus hostium ingerentes se potius quam incidẽtes, dominico communicare periculo honestum duxere. Porro Rogerius de Mubrai, qui ibidem tunc aderat, Rege capto elapsus euasit, refugitque in Scottiam. Nostri vero proceres nobilem cum gaudio prædam reuehentes, Castellum nouum, vnde mane digressi fuerant, vesperi rediere, eamque ad dominum suum illustrem Anglorum Regem oportune mittendam, apud Richemontem cautissime custodiri fecere. Gestum est hoc feliciter Deo propicio, anno a plenitudine temporis, quo verbum caro factum est, M.C.LXXIIII. tertio Idus Iulij, die Sabbati, & mox late vulgatum, atque in cunctis Anglorum prouinciis grate susceptum est, campanis pro solemni lætitia crepantibus.

CAPVT XXXIIII.

REGE igitur Scottorum in manus hostium tradito, funestissimum quoque eius exercitum perspicua Dei nõ permisit vltio abire illæsum. Regis quippe captione comperta, Barbari primo attoniti a prædis destiterunt, mox tanquam furiis agitati ferrum contra hostes sumtum, iamque innoxio eorum sanguine ebrium in se ipsos verterunt. Erat autem in eodem exercitu ingens Anglorum numerus. regni enim Scottici opida & Burgi ab Anglis habitari noscuntur. Occasione ergo temporis Scotti innatum, sed metu regio dissimulatum, in illos odium declarantes, quotquot incidebant peremerunt, refugientibus in munitiones regias ceteris, qui euadere potuerunt. Erãt etiam in illo exercitu duo fratres, Gilbertus scilicet, & Vchredus Galvvadensis prouinciæ domini cum gentis propriæ turma numerosa. Hi nimirum Fergusi olim Principis, eiusdem prouinciæ filij fuerant, & patri in fata concedenti, Rege Scottorum, qui illius terræ principalis est dominus, hæreditatem inter eos diuidente, successerant. Verum Gilbertus natu maior, paterni iuris integritate fraudatum se dolens, fratrem semper in corde suo oderat, cum tamen concepti furoris impetum metus regius cohiberet. Capto autem Rege, liberatus hoc metu, mox fratri nihil verenti manus iniecit, & non nece simplici, sed pro exaturando execrabili odio excruciatum suppliciis interfecit. Illico fineis inuadens fraternos, barbaris in barbaros sæuientibus, non modicam hominum stragem fecit. Erat autem fratri nefarie interemto filius, nomine Rolandus, acer atque industrius adolescens, qui paternis amicis cooperantibus, debacchanti patruo pro viribus resistebat. Eratque totum regnum Scottiæ turbatum, Deo æquissime disponente, atque ea mensura remetiente improbis, qua ipsi mensi fuerant, scilicet vt qui paulo ante gentis innoxiæ quietem turbauerant, & Anglorum sitierant sanguinem, ordine

pulcherrimo a semetipsis reciperent talionem.

CAPVT XXXIIII.

IAM venerat in Angliam a Normannia Rex Henricus secundus, filio cum Flãdrensibus copiis aduenturo, suæ murum præsentiæ obiecturus. Recordatus autem quantum in Ecclesiam Cantuariensem deliquisset, eandem mox, vt applicuit, concite adiit, & ad sepulchrum beati Pontificis Thomæ fusis vbertim lachrymis orauit. Ingressusque capitulum monachorum, prostratus humi humillime veniam postulauit, & propriæ petitionis instantia, a cunctis per ordinem fratribus virgis est vir tantus corporaliter castigatus. Sequenti vero nocte cuidam venerabili eiusdem ecclesiæ monacho seniori dictum est in somnis. Nonne vidisti hodie humilitatis Regiæ tam grande miraculum? Scito quod in breui quantum hæc regia humilitas Regi Regum placuerit, rerum quæ circa ipsum geruntur exitus declarabit. Sane hoc ipsum viro reuerendissimo & syncerissimo Rogerio scilicet Abbate Bellelandensi referẽte cognoui, quod vtiq; sibi fideli innotuisse relatione dicebat, dum forte ipso tempore in Cantia moraretur. Denique ipse qui tangit monteis, & fumigant, illam montis fumigantis deuotionem quanti appenderit, insigni mox indicio claruit. Quippe ipsa die, atque ipsa (vt dicitur) hora, qua mons ille Cãtuarię fumigauit, hostem eius immanissimum, scilicet Regem Scottorum, in extremis Angliæ finibus virtus diuina pessundedit, vt merces pij operis non consecuta ipsum opus, sed comitata potius videretur: nullusque super hoc ambigere sineretur. Idem autem Princeps Cantuaria digressus, Lundonias properauit, præmissis aduersus Hugonem Bigotum militaribus copiis, ipse vena incisa modicam ibidem moram fecit. Et ecce circa noctem mediam missus a Ranulpho de Glanuilla cursor velocissimus ad ianuam pulsauit regiam. Increpatus a ianitore & vigilibus vt taceret, pulsauit instantius, dicens in ore suo bonum esse nuntium, quem modis omnibus oporteret ipsa nocte a Rege audiri. Vicit tandem instantis improbitas, præsertim cum bona nuntiaturus speraretur. Admissus igitur intra ianuam, eodem modo cubicularios quoque vicit Regios. Introductusque in cubiculum Regium, audacter accessit ad lectum Principis, & excitauit quiescentem. Qui expergefactus, quis es tu? inquit. & ille puer, inquit, sum Ranulphi de Glanuilla fidelis vestri, a quo missus celsitudini vestræ bonus venio nuntius. Sanus ne est, ait, Ranulphus noster? Et ille, valet, inquit, idem dominus meus, & ecce hostem vestrum Scottorum Regem captum tenet in vinculis apud Richemontem. Rex vero ad hoc stupidus, dic, inquit, adhuc. At ille iterauit verbum, Habes ne, ait, litteras? Mox ille protulit litteras signatas Regi, rei gestæ seriem continentes. Quibus Rex statim inspectis, stratu exsiliens, quibus potuit motibus ei, qui facit mirabilia solus, piis madidas lachrymis gratias egit. Tunc familiares festine accitos consortes gaudij fecit. Mane autem venerunt & alij cursores idipsum nuntiantes, sed vnus, id est, qui primus aduenerat, brauium accepit. Vulgatum est statim verbum bonum populis solemniter acclamantibus, & campanis per totas Lundonias concrepantibus.

CAPVT XXXV.

INTEREA Rex Francorum cum tremendo exercitu Normanniam ab Oriente ingressus, qua scilicet captis a Comite Flandrensi castellis patere videbatur, Rothomagum eiusdem prouinciæ Metropolim adiit & obsedit. Est autem Rothomagum vna ex clarissimis Europæ ciuitatibus sita super Sequanam fluuium maximum per quem eidem ciuitati multarum regionum commercia inuehuntur, eodem flumine simul & obiectu montium ita munita, vt ab vno exercitu eius vix tertia pars valeat obsideri. Porro Rex iunior & Flandrensis Comes cum in portu Morinorum, vnde breuissimus est in Angliam transitus, classe parata, vastissimis vallati copiis transfretandi opportunitatem captarent, cognito, quod Rex senior iam in Anglia consisteret, eorum proculdubio ferociter impetum excepturus, transire in Angliam nequaquam sibi tutum duxerunt. Itaque mutato consilio, & toto illo paratæ iam classis apparatu irrito, quanti esset negotij Rothomagensis obsidio, & quanti emolumẽti eiusdem ciuitatis irruptio perpen-

perpendentes, vastas illas atque terribiles copias Rothomagum transtulerunt, & obsidentem exercitum in immensum auxerunt. Verum cum tantus esset exercitus, quantus in Europa ab annis retro plurimis visus non est, eiusdem tamen vrbis, propter accessus difficiles, partem vix tertiam potuit obsidere. Eratque per pontem fluminis liber vel ex regione in vrbem ingressus, vel ex vrbe in regionem egressus, & inferebantur vrbi abundanter quæcunque necessaria, vidente cominus & inuidente hostili exercitu. Et forte illa inuidia Siculi non inuenere tyranni maius tormentum, cum viri animosi & fortes tota fere die cominus factitari conspicerent, quod impedire non valentes, tam anxie sustinerent. Paratis ad oppugnãdam ciuitatem machinis, totis viribus oppugnationi insistitur, trifariam ad negotium diuiso exercitu, & die naturali per octauas horas partito, vt alij aliis recreati, scilicet lassatis per vices succederent, atque ita iugiter oppugnantes, ne modico quidem diei vel noctis spatio murorum defensores respirare permitterent. At id frustra prouisum est. Ciues enim huic molitioni arte & cautela cõsimili occurrentes, ipsi quoque suum triphariam numerum diuiserunt, hostibusque oppugnationem continuantibus distributione sui cautissima respondentes, contra laboris & lassitudinis intolerantiam qua suffocandi credebantur, competens remedium habuerunt. Cumque per dies plurimos summa vi certaretur, & neque hi neque illi in aliquo remissius agerent, beati Laurentij dies natalitius superuenit. Rex autem Francorum, pro eiusdem præcipui martyris reuerentia, quam specialiter & deuotius consueuerat venerari, requiem ipso die ciuitati indultã iussit solemniter præconari. Quam gratiam ciues grate amplexi, ocio breuissimo iocundissime fruebantur. Iuuenes & virgines, senes cum iunioribus tum pro diei lætitia, tum etiam ad irritandum hostem canoris in ciuitate vocibus concrepabant, turma vero militaris extra ciuitatem super ripam fluminis in conspectu hostium hastiludio exercebatur. Tum Comes Flandrensis, vt dicitur, Regem adiens, ecce, ait, ciuitas pro qua multum sudauimus, his intus choros ducentibus, & illis foris secure ludentibus, sponte nobis offertur. Sumat ergo arma in silentio exercitus, scalisque repente muro admotis ante ciuitatem obtinebimus; quam in ciuitatem regredi valeant, qui extra ciuitatem pro irritatione nostra ludis vacant. Absit (inquit) Rex, absit a me honestatem regiam hac macula denigrari, nosti enim me pro reuerentia beatissimi Laurentij diei huius requiem indulsisse ciuitati. Tunc vniuersis qui aderant Proceribus, familiari ausu molliciem improperantibus & dicentibus, dolus an virtus, quis in hoste requirat? tandem adquieuit: Itaque non per vocem tubæ, siue præconis, sed solis ducum susurris exercitus in tentoriis ad irrumpendam præparabatur ciuitatem. Contigit autem eadem hora per voluntatem Dei in cuiusdam intra ciuitatem ecclesiæ turri præcelsa, ex qua nimirum pulsata campana vetustissima, sed mire sonora, signum ciuibus dari mos erat, vt hostibus irruentibus ad murum occurrerent: clericos quosdam, nescio quid agendo relaxare animum. Quorum forte vnus per fenestram prospiciens, & circumferens oculos per exercitum in tentoriis excubantem: insolitum in castris silentium, tanquam arcani alicuius conscium primo miratus, mox clandestinum illum de loco altissimo caute notatum animaduerterit apparatum. Cumque rem sociis ostendisset: Ruuello (sic enim campana dicebatur) pulsato notissimum illico signum ciuitati dederunt. Quo audito totis viribus vtrimque festinatum est. Nam & paratus iam exercitus castris erumpẽs, cum scutis tendebat ad murum, & ciues inopinato stimulati periculo, raptis armis spiritu motuque feruido occurrere studuerunt. Illi quoque qui extra vrbem exercebantur, mira celeritate affuerunt. Iam hostes admotis muro scalis murum ascenderãt, iam super murum voces quasi triumphantium personabant: cum ecce fortiter impetuntur & repelluntur a ciuibus. Conflictus super murum acerrimus geritur, iaculis vacantibus, arma & corpora colliduntur. multus vtrimque sanguis effunditur. Tandem illi qui superbe ascenderant sursum: præcipites abiere retrorsum. Nox prælium diremit. præuaricator exercitus longe maiori clade accepta quam illata confusus in castra rediit. Rex in Flandrensem Comitem culpam refudit. Sed personæ regiæ tam perfidæ præuaricationis macula plus adhæsit. Denique ab illo die, & deinceps, certum est, & obsessores desperatius remissiusque egisse.

CAPVT XXXVI.

INTEREA Henricus senior, in Anglia consistens, accersiuit præpositos castellorum Comitis Leicestrensis, quem secum ex Normannia vinctum adduxerat, & monuit pro salute domini sui eadem resignare castella, quibus prouincias infestabant. Illis vero copiam loquendi cum domino suo postulantibus: ille respondit. Nihil super hac re vobis paciscar, sed si feceritis quod volo, bene actum erit. Et sacris (vt dicitur) adhibitis iurauit, dicens: Sic me Deus adiuuet, & hæc sacra, quia Comes Leicestrensis non gustabit quidquam, donec de castellis eius fiat quod volo: vos autem abite maturius. Tunc illi certum citumque domino suo, si vlterius obsisterent, exitium impēdere videntes, munitiones illico resignarunt. Comes autem Dauid, qui fuerat Princeps eorum, relicto Huntedunensi castello, quod mox regi cessit, trepidus in Scottiam concessit. His regiis successibus territi, Hugo Bigotus, & Comes Ferrariensis, ipsi quoque cautionibus de pace & fidelitate præstitis, in fœdus sponte venerunt. Rebus igitur in Anglia, Deo volente, ad votum dispositis, rex cum ingentibus copiis celeriter transfretauit, ducēs secum paulo ante sibi exhibitum regem Scottorum, Comitemque Leicestrensem, aliosque captiuos insigneis. Populis autem per Normanniam ob celerem & felicem eius reditum exsultantibus, Rothomagum in conspectu hostium pompatice ingressus est. Hostes accepto ante dies paucos de captione Regis Scottorum nuntio saucij: eius quoque sunt repentino & triumphali ex Anglia reditu stupefacti. Attamen in robore multitudinis innumeræ confidentes, in obsidione persistebant. Porro ipse Walensium turmam ex Anglia accitam per noctem latenter emisit, syluarum opacitate tectam (nam hoc genus hominum agile, & syluarum gnarum est) locis opportunis obseruarent, quo tanto exercitui necessaria conuehebantur. Hi nimirum captato tempore syluis erumpētes commeatum inuaserunt, equitibus, a quibus deducebatur in fugam actis, toto illo apparatu pessundato cum ingenti hominum & iumentorum exitio, in syluas se receperunt. Tunc vulgatum est, syluas Walensibus esse refertas, atque ita intercepto commeatu exercitus per biduum inedia laborauit. Hac necessitate soluta est obsidio: & Principes nullam aliam tanti laboris mercedem, quam ignominiam reportantes, cum vasto illo exercitu abierunt, compositis tamen ordinibus, ad repellendum periculum, si forte hostes a tergo vrgerent. Ita quidquid in Regem Anglorum ab hostibus malitiose agentibus vel concinnatum est, vel attentatum, Deo illi propicio in eius est gloriam commutatum.

CAPVT XXXVII.

CVM ergo eidem Principi in omnibus quæ ab ipso, vel circa ipsum fiebant, propicia arrideret diuinitas, hostes eius successibus territi, & humiliati de pace tractare cœperunt: ipsis reformandæ pacis mediatoribus iam effectis, qui discordiæ præcipui fuerant incentores. Itaque celebri inter parteis colloquio habito, exitialis illa simultas Principum, & inquietudo prouinciarum pariter quieuerunt. Comes Flandrensis Regi Anglorum restituit, quod de iure eius bellicus ei casus contulerat: fidelis de cetero amicitiæ, siue hominij supererogans cautionem. Ingratissimus quoque filius in gratiam patris rediit, non solum obedientiam & reuerentiam de cetero filialem sub fideiussoria multorum cautione pollicitus, verum etiam noua contra ingratos, & suspectos filios cautela prudenter exacta, & solemniter præstito hominio patri astrictus. Volebat enim pater, vt, qui fortissimum naturæ vinculum tanquam telam araneæ irreuerenter diruperat: saltem iure ciuili vel gentium ad honestum & vtile teneretur: & quoniam scriptum est: Funiculus triplex difficile rumpitur, naturæ violator in lege naturali circa patrem seruanda, saltem contemplatione hominij & duplicis, id est, iuratoriæ simul & fideiussoriæ cautionis persisteret, & caueret de cetero, ne sibi a patre, non iam tātum patre, sed etiam domino, de iure diceretur, quod præuaricatrici olim plebi a domino dominorum, per Prophetam dictum est: Si pater ego sum, vbi est honor meus? & si dominus sum, vbi est timor meus? Fratres quoque impuberes, quos Francorum consilio patri sollicitatos subtraxerat, ad patem reduxit; de quibus vtique modica fuit quæstio, cum ætatis beneficio excusabiles viderentur. Præterea ad instantiam Regis

eorum, aliorumque qui aderant Principum, idem illustris Rex Anglorum Comitem Leicestrensem, reliquosque captiuos, præter Regem Scottorum, absolute relaxauit, & relaxatis bona honoresque restituit, in eundem quoque Regem suo tempore prudenter simul & clementer acturus. Processu vero temporis cum eorum, quæ in se ab ingratis & infidis commissa fuerant, immemor videretur, muros Leicestrenses repente subrui, & munitiones omnium qui a se defecerant complanari præcepit, præcauens scilicet in futurum, confringendo cornua superborum, ne quid simile occasione aliqua in posterum attentarent. Tandem vero Regem Stottorum pactis interpositis sub cautela obsidium relaxauit; veniensque in Angliam apud Eboracensem Metropolim eorundem celebrationem pactorum instituit. Quo cum venisset Optimatum suorum vallatus frequentia, prout condictum erat, occurrit ei rex Scottorum cum vniuersis regni sui nobilibus: Qui omnes in Ecclesia beatissimi Apostolorum Principis regi Anglorum, tanquam principali domino, hominium cum ligiantia, id est, solemni cautione standi cum eo, & pro eo contra omnes homines, rege proprio præcipiente fecerunt. Ipse quoque rex Scottorum coram vniuersa multitudine nobilium vtriusque regni regem Anglorum modis solemnibus dominum suum, seque hominem & fidelem eius declarauit, eique tria præcipua regni sui munimina, scilicet Rokesburg, Berevvic, Castellum puellarum, loco obsidum tradidit. Quibus actis, optata populi pace fruebantur: & rex Anglorum tantorum operum atque successuum titulis clarus nominatus est vsque ad fineis terræ. Bellum ergo plusquam ciuile inter patrem & filium, cum tanto multorum discrimine gestum, hunc finem accepit. Nostræ quoque historiæ liber secundus hoc exposito finem accipiat.

LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

ANNO a plenitudine temporis, quo veritas de terra orta est, M. C. LXXV. qui fuit regis Henrici II. vicesimus; prouinciale Concilium Lundoniis celebratum a Richardo Cantuariensi Archiepiscopo, Apostolicæ sedis legato, consedentibus suffraganeis, & aliarum ecclesiasticarum personarum cætu copioso. Sequenti vero anno Hugo Cardinalis, Apostolicæ sedis legatus, nescio quid ordinaturus, venit in Angliam: Qui cum totius Angliæ generale Concilium celebraturus; fauore adiutus regio, vtriusque prouinciæ, id est Cantuariensis & Eboracensis, ecclesiasticas personas Lundonias conuocasser, statuto Concilij die, cum iam sumtis insignibus processurus esset; facta est contentio vehemens inter ipsos Archiepiscopos de Prioratu sessionis in Cõcilio. Quippe illa Apostolica regula (honore inuicem præuenientes) a nostri temporis Episcopis ita est abrogata, vt sollicitudine pastorali postposita, Episcopi quanto peruicacius, tanto & vanius de excellentia litigent, & omnis fere Episcopalis controuersia circa honorum prærogatiua versetur. Denique Eboracensis maturius adueniens primam sedem præoccupauit, eandem sibi allegans competere ex antiquo beati Gregorij decreto, quo statutum noscitur, vt Metropolitanorum Angliæ ipse prior habeatur, qui prius fuerit ordinatus. Cantuariensis vero solemniter posita præoccupatæ sedis querela, secundam sedem, tanquam passus præiudicium, recusauit: Mox subditis eius ferocius pro ipso æmulantibus, simplex verborum contentio creuit in rixam. Eboracensis autem, quoniam pars aduersa fortior, loco præmature occupato, cum contumelia deturbatus, cappam conscissam illatæ sibi violentiæ indicem legato exhibuit, & Cantuariensem ad sedem Apostolicam prouocauit. Metropolitanis ergo ita contendentibus, rebusque turbatis, Concilium non celebratum sed dissipatum est, & qui tanquam ad Concilium euocati conuenerant, rediere in sua. Eodem sane anno, quo memoratus Cardinalis venit

in Angliam, Oceanus, tanquam peccatis hominum irritatus, plus solito efferbuit, ruptisque in Hollanda repagulis, olim contra tempestiuos vndarum impetus præparatis, eandem humilem planamque regionem septimo Idus Ianuarij violentius irrupit, iumenta fere omnia, hominum vero multitudinem necauit, reliquis ascēsu vel arborum vel domorum ægre saluatis, & quasi post biduum furore satiato in semetipsum rediit; cuius nimirum iccirco supra modum fuit hominibus & iumentis exitialis irruptio, quia tanquam fur euersor nocturnus adueniens prouideri & præcaueri non potuit.

CAPVT II.

ANNO a partu virginis M. C. LXXVII. Pontificatus autem Domini Papæ Alexandri anno XVIII. Frederici Imperatoris in eundem venerabilem Pontificem inueterata rabies conquieuit. Maledictus furor eius, quia pertinax, & indignatio eius quia dura. Benedictus autem Dominus qui tangit monteis & fumigant; ipsum enim & pertinacem domuit, & durū molliuit. Siquidem principalibus schismatis iudicio Dei absorbtis, Octauiano scilicet, qui Papatum prior inuaserat, & Guidone Cremēsi, qui eiusdem vesaniæ successor exstiterat, cum quidam Ioannes Strumensis tertius continuaret errorem, compunctus tandem Imperator per viros sapientes & nobiles tractare cœpit de pace. Itaque duo magni Principes, sacerdotij scilicet & imperij, solenniter conuenientes, Deo propicio in patrem & filium transierunt nono Calendas Augusti, sicque ecclesia vnita est cunctis iam schismatis auctoribus atque fautoribus extinctis siue compunctis. Nam ille, qui Octauiano & Guidoni de medio factis schismatici furoris continuator exstiterat, confusus & deiectus elanguit, cum fauor circa eum imperatorius exspirauit. Quibus feliciter gestis Dominus Papa, tanquam post tanti temporis scandala resarcitæ veritatis gaudia solemniter celebraturus, generale Concilium pontificatus sui XX. a partu autem virginis anno M. LXXIX. quinto Idus Martij Lateranis celebrandum instituit, ad quod nimirum totius Latini orbis Episcopos cum maioris loci Abbatibus euocauit. Quod autem conuocandi concilij intentio satis syncera non fuit, Romanæ auaritiæ artificiosa prouisio patefecit. Multi enim euocati, quibus iter eundi ad Concilium difficile vel intolerabile videbatur, interuentu pecuniæ impudentius turpiusque exactæ, quam præstitæ, relaxari meruerunt. Sane huius concilij decreta nostræ duximus historiæ inserenda.

CAPVT III.

LICET de vitanda discordia in electione Romani Pontificis manifesta satis a prædecessoribus nostris instituta manauerint, quia sæpe post per illam improbæ ambitionis audaciam, grauem passa est scissuram Ecclesia, nos etiam ad hoc malum euitandum de cōsilio fratrum nostrorum, & sacri approbatione concilij, aliquid decernimus adiungendum. Statuimus ergo, vt si forte superseminante Zizania inter Cardinales de substituendo Pontifice non potuerit esse plena concordia, & duabus partibus concordantibus, tertia pars concordare noluerit, aut sibi alium præsumserit nominare, ille ab vniuersa ecclesia accipiatur Episcopus, qui a duabus partibus electus fuerit & receptus. Si quis autem de tertiæ partis nominatione confisus, quia rem non potest, nomen Episcopi sibi vsurpauerit; tam ipse, quam qui eum receperint excōmunicationi subiaceant, & totius sacri ordinis priuatione multentur: ita vt viatici etiam eis, nisi tantum in vltimis, communio denegetur, & nisi resipuerint, cum Dathan & Abiron (quos terra viuos absorbuit) accipiant portionem. Præterea, si a paucioribus aliquis, quam a duabus electus fuerit ad Apostolatus officium, nisi maior assensus & concordia intercesserit, nullatenus assumatur, & dictæ pœnæ subiaceat, si humiliter noluerit abstinere. Ex hoc tamen nullum Canonicis institutionibus, & aliis ecclesiis præiudicium generetur: in quibus maioris & sanioris partis debet sententia præualere. Quia quod in eis dubium venerit, superioris iudicio poterit definiri. In Romana vero Curia & ecclesia speciale aliquid constituitur, quia non potest ad superiorem recursus haberi.

QVOD a prædecessore nostro (felicis memoriæ) Innocentio factum est, innouātes; ordina-

ordinationes ab Octauiano & Guidone Hæresiarchis, nec non & à Ioanne Strumensi, qui eos secutus est, factas, & ab ordinatis ab eis irritas esse censemus. Adiicientes etiam, vt qui dignitates ecclesiasticas, seu beneficia per prædictos Schismaticos acceperunt, careant impetratis. Alienationes quoque, seu inuasiones, quæ per eosdem Schismaticos, siue per laicos factæ sunt de rebus ecclesiasticis, omni careant infirmitate, & ad ecclesiam sine omni eius onere, vertantur. Si quis contraire præsumserit excommunicationi se nouerit subiacere. Illos autem, qui sponte iuramentum de tenendo schismate præstiterunt, a sacris ordinibus & dignitatibus decernimus esse suspensos.

CVM in cunctis sacris ordinibus & ecclesiasticis ministeriis & ætatis maturitas, & grauitas morum, & litterarum scientia sit attendenda & quærenda, multo fortius in Episcopo hæc oportet inquiri, qui ad curam aliorum in seipso debet ostendere, qualiter alios oportet in domo Domini conuersari. Ea propter ne, quod de quibusdam necessitate temporis factum est, in exemplum trahatur a posteris, præsenti decreto statuimus, vt nullus in Episcopum eligatur, nisi qui iam tricesimum annũ ætatis impleuerit, & de legitimo sit matrimonio natus, qui etiam vita & scientia commendabilis demonstretur. Cum autem quis electus fuerit, & cõfirmationem electionis acceperit, & ecclesiasticorum bonorum administrationẽ habuerit, decurso tempore de consecrandis Episcopis a Canonibus definito, is ad quem spectant beneficia quæ habuerat, disponendi de illis liberam habeat facultatem. Inferiora etiam ministeria, vt puta Decanatus, Archidiaconatus, & alia quæ animarum curam habent annexã, nullus omnino suscipiat, sed nec parochialium ecclesiarum regimen, nisi qui iam vicesimum quintum annum ætatis attigerit, & qui scientia & moribus cõmendandus existat. Cum vero quis assumtus fuerit, si Archidiaconus vel Decanus, & reliqui ammoniti non fuerint præfixo a Canonibus tempore in Presbyteros ordinati, & ab illo remoueantur officio, & alij conferat qui & velit & possit illud conuenienter implere, nec prosit ei appellatione, si forte in transgressione constitutionis istius per appellationem voluerit se tueri. Hæc sane non solum de promouendis, sed de his etiam qui iam promoti sunt (si canones non obsistãt) præcipimus obseruandum. Clerici sane si contra formam istam quenquam elegerint, & eligendi tunc potestate priuatos, & ab ecclesiasticis beneficiis triennio nouerint se esse suspensos. Dignum est enim, vt quos domini timor a malo non reuocat ecclesiasticæ saltem coërceat seueritas disciplinæ. Episcopus etiam, si aut fecerit contra hoc, aut senserit fieri, in conferendis prædictis officiis potestatem suam amittat, per Capitulum aut per Metropolitanum, etiamsi Capitulum concordare voluerit.

SICVT ait beatus Leo Papa: licet Ecclesiastica disciplina sacerdotali contenta iudicio cruentas effugiat vltiones, catholicorum tamen Principum cõstitutionibus adiuuatur, vt sæpe quærant homines salutares remediũ, dum corporale supra se metuunt iudicium, vel supplicium euenire. Ea propter quia in Wasconia, Albegesio, & partibus Tolosanis, & aliis locis ita hereticorum (quos alij Catharos, alij Publicanos, alij Paterinos, alij aliis nominibus vocant) inualuit damnanda peruersitas, vt iam non in occulto, sicut alij, nequitiam suam exerceant, sed errorem suum publice manifestent, & ad consensum suum simplices attrahunt & infirmos, eos, & defensores eorum, & receptores, anathemati decernimus subiacere, & sub anathemate prohibemus, ne quis eos in domo vel in terra sua tenere vel fouere, vel negotiationem cum eis exercere pręsumat. Si autem in hoc peccato decesserint, nec sub priuilegiorum nostrorum, quibuscunque indultorum, obtentu, nisi sub alia quacunque occasione, aut oblatio pro eis fiat, aut inter Christianos sepulturam accipiant.

DE Brebationibus & Arragonensibus, & Nauariis, Basculis & Coterellis, qui tãtam in Christianos immanitatem exercent, vt nec monasteriis deferant, nec viduis ac pupillis, non pueris aut senibus, non cuilibet parcãt ætati aut sexui, sed more Paganorum omnia perdant, & vastent, similiter constituimus, vt ipsi, qui eos cõduxerint, vel tenuerint, vel fouerint, per regiones, in quibus taliter debacchãtur, in dominicis, & aliis solennibus in ecclesiis excommunicati publice denuntientur; & eadem omnino sententia & pœna, cum prædictis hæreticis habeantur astricti, nec ad communionem recipiãtur ecclesiæ, nisi societate illa pestifera & hæresi abiuratis. Relaxatos autem se nouerint a

debito fidelitatis, ſeu hominij, aut totius obſequij, donec in tanta iniquitate permanſerint, quicunque illis aliquo pacto tenentur annexi. Cunctis autem fidelibus in remiſſionem peccatorum iniungimus; vt tantis cladibus ſe opponant, & contra eos armis tueantur populum Chriſtianum. Confiſcentur quoque bona eorum, & liberũ ſit Principibus huiuſmodi peſtilentes homines ſubiicere ſeruituti. Qui autem in pœnitentia vera deceſſerint, & peccatorum indulgentiam, & fructum mercedis æternæ ſe non dubitent habituros. Nos etiam de miſericordia Dei, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate confiſi, fidelibus Chriſtianis, qui contra eos arma ſuſceperint, & ad Epiſcoporum ſiue aliorum Prȩlatorum conſilium ad eos decertauerint expugnandos, biennium de iniuncta pœnitentia relaxamus; aut ſi longiorem ibi moram habuerint, Epiſcoporum diſcretioni, quibus huius rei cura fuerit iniuncta, committimus, vt ad eorum arbitrium, ſecundum modum laboris maior eis indulgẽtia tribuatur. Illos autem qui ammonitioni Epiſcoporum in huiuſmodi parere cõtemſerint, a perceptione corporis & ſanguinis Domini iubemus fieri alienos. Interim vero eos qui ardore fidei ad expugnandum eos laborem iſtum aſſumſerint, ſicut eos, qui ſepulchrum Domini viſitant, ſub eccleſiæ defenſione recipimus, & ab vniuerſis inquietationibus, tam in rebus, quam in perſonis ſtatuimus manere ſecuros. Si vero quiſquam interim eos moleſtare præſumſerit, per Epiſcopum loci excommunicationis ſententia feriatur, & tam diu ſententia ab omnibus obſeruetur, donec & ablata reddantur, & de illatis iniuriis congrue ſatisfiat. Epiſcopi vero ſiue Preſbyteri, qui talibus fortiter non reſtiterint, officij ſui ſuſpenſione multentur, donec miſericordiam Apoſtolicæ ſedis obtineant.

Non minus pro illorum peccato qui faciunt, quam pro eorum detrimento qui ſuſtinent, graue nimis eſſe dinoſcitur, quod in diuerſis partibus mundi, Rectores & Conſules ciuitatum, nec non & alij, qui poteſtatem habere videntur, tot eccleſiis onera frequenter imponunt, ita grauibus eas & crebris exactionibus premunt, vt deterioris conditionis ſub eis factum ſacerdotium videatur, quam ſub Pharaone fuerit; qui diuinę legis notitiam non habuit. Ille quidem omnibus aliis ſeruituti ſubactis, ſacerdotes ſuos & poſſeſſiones eorum, in priſtina libertate dimiſit, & de publico eis alimoniam miniſtrauit. Iſti vero vniuerſa fere onera ſua imponunt eccleſiis, & tot angariis ipſas affligunt, vt illud eis, quod Ieremias deplorat, videatur competere; Princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo. Siue foſſata, ſeu expeditiones, ſeu alia quælibet ſibi arbitrentur agenda, de bonis eccleſiarum & clericorum pauperum Chriſti vſibus deputatis cũcta volunt compleri; iuriſdictionem etiam & auctoritatem Epiſcoporum, & aliorum Prȩlatorum ita euacuant, vt nil poteſtatis eis in ſuis videatut hominibus remanſiſſe. Super quo dolendum eſt eccleſiis, dolendum nihilominus pro ipſis qui timorem Dei & eccleſiaſtici ordinis reuerentiam videntur penitus abieciſſe. Quocirca ſub anathematis diſtrictione ſeuerius prohibemus, ne talia de cetero attentare præſumant, niſi Epiſcopus vel Clerus tantam neceſſitatem & vtilitatem inſpexerint, vt abſque coactione ad releuandas communes neceſſitates (vbi laicorum non ſuppetunt facultates) ſubſidia per Eccleſias exiſtiment conferenda. Si autem conſules aut alij de cetero iſta commiſerint, & commoniti deſiſtere forte noluerint, tam ipſi quam fautores eorum excommunicationi ſe nouerint ſubiacere, nec communioni fidelium reddantur, niſi ſatisfactionem fecerint competentem pœnitentes.

Praeterea quia in tantum quorundam laicorum proceſſit audacia, vt Epiſcoporum auctoritate neglecta clericos inſtituant in eccleſiis, & remoueant etiam cum voluerint, poſſeſſiones quoque & alia Eccleſiaſtica bona pro ſua plerumque voluntate diſtribuant, & tam eccleſias ipſas, quam homines earum talliis & exactionibus grauare præſumant, eos quia modo iſta cõmiſerint anathemate decernimus feriendos. Preſbyter autẽ ſiue clericus, qui eccleſiã per laicos ſine proprij Epiſcopi auctoritate receperit, communione priuetur, & ſi perſtiterit, a miniſterio eccleſiaſtico & ordine deponatur.

Sane quia laici quidem Eccleſiaſticas perſonas & ipſos etiam Epiſcopos iudicio ſuo ſtare compellunt, eos qui de cetero id præſumſerint, a communione fidelium decernimus ſegregandos. Prohibemus inſuper, ne Laici decimas cum animarum ſuarum periculo detinentes, in alios laicos poſſint aliquo modo transferre.

Si vero receperint, & ecclesiæ non reddiderint, Christiana sepultura priuentur.

Qvia in quibusdam locis fundatores Ecclesiarum, aut hæredes eorum, potestate, in qua eos Ecclesia hucusque sustinuit, abutuntur, cum in Ecclesia Dei vnus debeat esse qui præsit, ipsi plures sine respectu subiectionis eligere moliuntur, & cum vna Ecclesia vnius debeat esse rectoris, pro sua dispensatione plures repræsentant; Quo circa præsenti decreto statuimus, vt si forte in plures partes fundatorum se vota diuiserint, ille præficiatur Ecclesiæ, qui maioribus iuuatur meritis & plurium eligitur & probatur assensu. Si autem hoc sine scandalo esse non poterit, ordinet Antistes Ecclesiam, prout melius eam secundum clericum viderit ordinandam. Id ipsum etiam faciat, si de iure patronatus quæstio emerserit inter aliquos, &, cui competat intra treis menses non fuerit definitum.

Ita quorundam animos occupat sæua cupiditas, vt cum glorientur nomine Christiano, Sarracenis arma, ferrum & lignamina deferant galearum, & pares aut etiam superiores in malitia fiant illis, dum ad impugnandos Christianos arma eis, & necessaria subministrant. Sunt etiam, qui pro sua cupiditate in Galeis, & piraticis Sarracenorum nauibus regimen & curam gubernationis exercent. Tales igitur ab ecclesiæ communione præscisos, & excommunicationi pro sua iniquitate subiectos, & rerum suarum, per Principes seculi Catholicos & Consules ciuitatum, priuatione multari, & capientium seruos (si capti fuerint) fore censemus. Præcipimus autem, vt per Ecclesias maritimarum vrbium crebra & solemnis in eos fiat excommunicatio. Excommunicationis quoque pœnæ subdantur, qui Romanos aut alios Christianos pro negotiatione, vel aliis honestis causis nauigio vectos, aut capere, aut rebus suis spoliare præsumunt. Illi etiam, qui Christianos naufragium patientes, quibus secundum regulam fidei auxilio esse tenentur, damnanda cupiditate rebus suis spoliare præsumunt, nisi ablata reddiderint, excommunicationi se nouerint subiacere.

Monachi non pretio recipiantur in monasterio: non peculium permittatur habere; non singuli per villas & opida seu quascunque parochiales ponantur ecclesias, sed in maiori conuentu, aut cum aliquibus fratribus maneant, ne soli inter seculares homines spiritualium hostium conflictum exspectent; Salomone dicente, ne soli, quia cum ceciderit non habet subleuantem. Si quis autem exactus pro sua receptione aliquid dederit, ad sacros ordines non ascendat. Is autem qui eum receperit, officij priuatione multetur. Qui vero peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro iniuncta administratione commissum, a cõmunione remoueatur altaris; & qui in extremis cum periculo inuentus fuerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres recipiat sepulturã. Quod etiam de diuersis religiosis præcipimus obseruari. Abbas autem, qui ista non curauerit, officij sui iacturam se nouerit incursurum. Prioratus quoque, seu obedientiæ pretij datione nulli tradantur. Alioquin dantes & accipientes a ministerio ecclesiastico fiant alieni: Priores autem in conuentualibus ecclesiis constituti, nisi pro manifesta & rationabili causa, non mutentur, videlicet si dilapidatores fuerint, si incontinenter vixerint, aut tale quid egerint, pro quo amouendi sint merito, aut etiam pro necessitate maioris officij de consilio fratrum fuerint transferendi.

Cvm dicat apostolus Paulus abundantiorem honorem membris infirmioribus deferendum, contra quidam quæ sua sunt non quæ Iesu Christi quærentes, leprosos qui cum sanis habitare non possunt, proprij non permittunt iuuari ministerio sacerdotis. Quod quia procul a pietate Christiana esse dinoscitur, de benignitate Apostolica constituimus, vt vbicunque tot simul sub communi vita fuerint congregati, quod ecclesiam cum cemiterio simul constituere, & proprio gaudere presbytero sine contradictione aliqua permittantur habere. Caueant tamen ne iniuriosi veteribus ecclesiis de iure parochiali existant. Quod enim pro pietate eis conceditur, ad aliorum iniuriam nolumus redundare. Statuimus etiam vt de ortis, & nutrimentis animalium suorum decimas tribuere non cogantur. Iudei siue Sarraceni nec sub alendorum puerorum suorum obtentu, nec pro seruitio vel aliqua alia causa Christiana mancipia, in domibus suis permittantur habere. Excommunicentur autem qui cum ipsis præsumserint habitare. Testimonium autem Christianorum aduersus Iudæos in

omnibus causis, cum illi aduersus Christianos testibus suis vtantur, recipiendos esse censemus, & anathemate decernimus feriendos, quicunque Iudæos Christianis in hac parte præferre præsumserint, cum eos Christianis subiacere oporteat, & ab eis pro sola humanitate foueri. Si qui præterea Deo inspirante ad fidem se conuerterint Christianam, a possessionibus suis nullatenus excludantur, cum melioris conditionis conuersos ad fidem esse oporteat, quam antequam fidem susciperent habebantur. Si autem secus factum fuerit, Principibus seu potestatibus eorundem locorum sub pœna excommunicationis iniungimus, vt portionem hereditatis & bonorum suorum ex integro faciant eis exhiberi.

QVIA nonnulli modum auaritæ non ponentes, & diuersas dignitates ecclesiasticas, & plures ecclesias parochiales contra sanctorum canonum instituta nituntur adquirerere, ita vt cum vnum officium vix implere sufficiant, stipendia sibi vendicent plurimorum, ne id de cetero fiat, districtius inhibemus. Cum igitur vel Ecclesia vel ecclesiarum ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona quæratur, qui residere in loco & curam eius per seipsum valeat exercere; quod si aliter actum fuerit, & qui receperit, quod contra sacros canones receperit amittat, & qui dederit, largiendi potestate priuetur. Et quia in tantum iam quorundam processit ambitio, vt non duas, vel treis, sed sex, aut plures perhibeantur habere, cum nec duabus possint debitam prouisionem impendere, per fratres & coëpiscopos nostros hoc emendari præcipimus, & de multitudine canonibus inimica (quæ dissolutionis materiam & vagationis inducit, & certum continet periculum animarum) eorum, qui in ecclesiis deseruire valeant, indigentiam subleuari.

CAPVT IIII.

ANNO a partu virginis M. C. LXXX. qui fuit Henrici Regis Anglorum vicesimus septimus, & Lodouici Regis Francorum quadragesimus quartus, idem Rex Francorum hominem exuit, homo intepidæ deuotionis in Deum, & eximiæ lenitatis in subditos, sacrorum quoq; ordinum præcipuus venerator; Paulo autem simplicior, quam deceret Principem, illius verbi Apostolici, Corrumpunt bonos mores colloquia mala, perspicuam in quibusdam actibus suis veritatem expressit. Quorundam quippe Procerum de honesto vel æquo minus curantium plus iusto se credens consiliis, non leui plerumque macula mores egregios denigrauit; veluti quando causam nequam filij cõtra pium patrem suscepit, & totis regni opibus hostem naturæ adiuuit. Successit ei filius Philippus, natus ei ex filia illustrissimi Comitis Theobaldi, quæ illi iam trigamo nupserat. Quippe post Alienoram (quæ, vt plenius suo loco dictum est, relictis illi duabus ex se filiabus, & celebrato inter eos diuortio, ad Regis Anglorum transierat nuptias) Regij seminis ex Hispania comparem duxerat: quæ itidem relictis illi duabus ex se filiabus, quarum maior in coniugio Regis Anglorum Henrici iunioris sine fructu sobolis fuisse dinoscitur, generali sorti subiacuit. Filiam quoque elegantis formæ tertia illi Regina ediderat; cui nimirum qualia prouenerunt, libet paucis exponere. Imperator Constantinopolitanus in fata concedens, filium impuberẽ sub tutela patrui successorẹ reliquit imperij. Et ille quidem purpuratus pro ætate nutriebatur in deliciis, porro tutor eius, Andronicus nomine, interim administrabat imperium. Visum est Græcorũ Optimatibus, vt filia Regis Francorũ ad insignis pueri coniugiũ peteretur, quod & factum est. Missi ergo in Franciã non ignobiles nuntij, susceptã, tradente patre, virginem nondum plene nubilem cum multo fastu Cõstantinopolim traduxerũt. Vbi vero & illo iam pubere, & illa nubili, Imperatori ceperunt nuptiæ præparari, Andronicus homo nequissimus & multę potẽtiæ, vtpote procurator imperij, sollicitatis & corruptis ministris palatij, Imperatorẽ iuuenculum, nepotem scilicet propriũ, furatus de palatio, in insulam quandã, vt dicitur, ciuitate inscia per quosdã complices suos occulte necandũ direxit. Mox sumta purpura imperiũ occupauit, & ne quid ausis sceleratissimis deesset, destinatũ nepoti coniugiũ ad se formæ captus illecebra transtulit. Cumq; arrepto insolentissime abuteretur imperio, ab his qui eius vel execrabãtur nequitiã, vel aspernabãtur potentiam, contra se cõiurari coëgit. Quæ nimirũ coniuratio adeo tandem inualuit,

vt con-

vt coniuratorum ingens iam numerus in spiritu fortitudinis palatium repente irrumperet, & tyrannum ferocissimum solio deturbatum iustissimis vinculis innodaret. Et ne vacaret imperium, nouum ilico Principem creauerunt, ad cuius arbitrium sceleratus ille suppliciis excruciatus interiit. Hoc modo filia Regis Francorum in regno Græcorum optatis speratisque fraudata nuptiis, & scelestissimi hominis contubernio maculata, honore etiam caruit.

CAPVT V.

Anno Regis Henrici vicesimo septimo, forma monetæ publicæ a falsariis corruptæ mutata est in Anglia, quod quidem ratione vtilitatis publicæ pro tempore erat necessarium, sed regni pauperibus & colonis nimis onerosum. Sequenti autem anno, qui fuit a partu virginis M. C. octogesimus primus, & Pontificatus Alexandri Papæ vicesimus tertius, generale debitum soluit idem venerabilis Pontifex, cui successit Lucius. Eodem quoque anno decessit Rogerius Eboracensis Archiepiscopus, homo litteratus, & eloquens, atque in commodis temporalibus prudentiæ pæne singularis. In officio quidem Episcopali, hoc est, in cura animarum minus sollicitus, in his autem quæ officio non Deus, sed propter Deum mundus annexuit, conseruandis & promouendis efficaciter studiosus. In bonis quippe temporalibus Archiepiscopatum Eboracensem ita prouexit; vt de augmentis redditᵫum vel amplitudine ædificiorum, fere nullam successoribus suis curam reliquerit. Occasiones quoque auaritiæ ita exercuit, atque in his exercendis ita excelluit, vt raro aliquam prætermittere, vel remissius agere videretur. Pro personis spectabilibus, quibus tanquam quibusdam monilibus Eboracensis olim refulsit Ecclesia, titulauit imberbes, & quosdam etiam agentes sub ferula, aptos magis pro ætate ædificare casas; & plostella adiungere muros, ludere par impar, equitare in arundine longa, quam personas gerere in ecclesia magnatum, vt scilicet vsque ad annos viriles curam agens titulatorum, vniuersa perciperet commoda titulorum. Christianos philosophantes, id est, viros religiosos in tantum exhorruit, vt dixisse feratur (felicis memoriæ) Turstinum olim Eboracensem Archiepiscopum nunquam grauius deliquisse, quam ædificando insigne illud Christianæ Philosophiæ speculū, monasterium scilicet de Fontibus. Cumque hoc verbo scandalizarentur circumstantes; laici, inquit, estis, nisi percipere potestis vim verbi. Dicebat etiam Ecclesiasticum beneficium luxuriosis potius quam religiosis conferendum: quam plane regulam omni tempore suo sollicite tenuit, & deteriorem fere in omnibus conditionem fecit religiosorum clericorum. Porro in hac mira cæcitate, cum alias esset vir acutissimus, arbitrabatur obsequium se præstare Deo, quod sic probatur. Accessit ad eum extrema iam ægritudine decumbentem, & mature finiendum, quidam mihi notissimus cuiusdam loci religiosi præpositus, vir bonus & simplex, humiliter postulans, vt pias bonorum virorum collationes, quas sancti eius prædecessores eidem loco, diuini amoris intuitu, autentico scripto confirmauerant, ipse quoque sigilli proprij attestatione confirmare dignaretur. Ad quod ille, en, ait, morior, & quia Deū timeo, quod postulas, facere nō præsumo. Tā solide apud se tenebat nullis minus, quā huiusmodi philosophātibus esse præstādū. Quod autē in vita sua tōdendis magis quā pascendis ouibus dominicis intenderit, in fine claruit. Quippe moriturus decūbens non pauca milia marcarū argēti Pōtifex æuo grauis in thesauris habebat, cū tot pauperes Christi inedia laborarent. Quibus cū iam vlterius incubare non posset, partē aliquam dispersit in pauperes, partē ecclesiis, partē familiaribus & propinquis, serus distributor legato dimisit. Verū cū iam obisset, Rex per officiales suos & inuēta dirupit, & nō inuenta ab iis, quibus iam data erant, extorsit: dicēs thesauros a quocunque vsque ad mortem repositos, solius Principis in bonis esse. Quod vtique iudicio Dei actum est, vt cæteri terreantur exemplo, discantque thesaurizare sibi thesauros in cælo, vbi scilicet fur non irrepit, nec prædo irrumpit. Circa Ioannem quoque Archidiaconum, hominem callidum & pecuniosum, qui eiusmodi Archiepiscopi in omnibus consiliarius & cooperator exstiterat, iudicium Dei e vestigio claruit, qui nimirum die altero magistrum secutus, pecunias suas Regi reliquit. Sic igitur illi duo in vita indiuidui, in morte quoque breuissimo interuallo sunt diuisi. Decessit autē

idem Archiepiſcopus, anno Pontificatus ſui XXVIII. Archiepiſcopatu in fiſcum redacto: vacauit Eboracenſis Eccleſia annis decem.

CAPVT VI.

Iisdem tēporibus famoſiſsimus ille presbyter Suerus, qui cognominatur Birckebain, in ea parte Germaniæ, quæ Norvvegia dicitur, tyrannidem arripuit, & tempore non modico ſub tyranni nomine debacchatus, tandem Rege terræ illius extincto, tanquam legittime, regnum obtinuit: aliis forte eiuſdem terræ Regibus non diſsimilem exitum iudicio Dei habiturus. Quippe, vt dicitur, a centum retro annis, & eo amplius, cum Regum ibidem numeroſa ſucceſsio fuerit, nullus eorum ſenio aut morbo vitam finiuit, ſed omnes ferro interiere, ſuis interfectoribus, tanquam legittimis ſucceſſoribus regni faſtigium relinquentes, vt ſcilicet omnes qui tanto tēpore ibidem imperaſſe noſcuntur, illud, quod ſcriptum eſt, reſpicere videatur: Occidiſti, inſuper & poſſediſti. Huic infami malo per longam cōſuetudinem tanquam legis iam obtinenti vigorem, Optimates terræ illius paulo ante tyrannidem prenominati presbyteri pio ſtudio mederi volentes, Regem nouitium ſolemniter vnctione myſtica conſecrari & coronari decreuerunt, ſcilicet, vt nemo de cetero auderet manū mittere in Chriſtum Domini. Quippe eatenus nullus vnquā in gēte illa ritu fuerat eccleſiaſtico conſecratus in Principem; Sed quicunque tyrannice Regem occiderat, eo ipſo perſonā & poteſtatē Regiā induens, ſuo quoq; occiſori eandē poſt modicū fortunā inueteratæ cōſuetudinis lege relicturus. Quod nimirū Chriſtiana quadā ſimplicitate a multis putatū eſt ideo factitari, quia nullus Regū priorū regiæ meruerat vnctionis ſolēnibus initiari. Itaq; interfecto Hacone, qui Regi Ingę a ſe perēto ſucceſſerat, cū cuidā puero nomine Magno eiuſdem Ingæ nepoti regni ſucceſſio cōpetere videretur, prudētes & nobiles regni decreto cōmuni eundē puerū ſolēniter in Chriſtum Domini conſecrari, & diademate inſigniri fecerunt. Quo facto ſancitum ſibi Principem, & priſcæ conſuetudinis dedecus abolitum crediderunt. Verum cum idem Magnus iam pubes factus in multa ſtrepuitate, ſimul & felicitate, per aliquot annos regnaſſet, cunctis iam æſtimantibus contra tyrannicos turbines ſatis conſultum: inuidia diaboli ad perturbādam Chriſtianæ plebis quietem, memoratum presbyterum, tanquam vas proprium incitauit. Qui cum in ſacro ordine, quem in Eccleſia acceperat, diuſcule miniſtraſſet, propenſiore ſui fiducia homo audaciſſimus atque acutiſſimus regnū cœpit ambire. Mox luſtrata omni regione conceptæ molitionis non ſegniter negotium exequēs: ſæpe prædonum ſollicitatam audaciam, atque improborum manum ſibi validam artificioſiſsime aggregauit, atq; inuiis ſolitudinibus pro munitionibus vtens crebris irruptionibus Regem irritauit. Cumque Rex eū cum inſtructo exercitu perſequeretur: ille arte fugā ſimulans, in quibuſdā notis locorum anguſtiis ſubſtitit: ibiq; regias copias miſere circumuētas, atq; eiſdē anguſtiis impeditas, ita attriuit: vt Rex ipſe inter mortuorū ſtrages deliteſcēs, abeuntibus hoſtibus ægre euaſerit. Quo ſucceſſu elatus, atq; indies viribus auctior, claſſem quoq; eſt nactus, cuius opportunitate in pluribus eiuſdē regni debacchabatur prouinciis. Rex vero reparatis viribus, & claſſe parata, aduerſus hoſtem perrexit. Quo ille cognito: fugam quoque tunc callide ſimulans, in infinitum refugit Oceanū. Quod cū Regi innotuiſſet veram eſſe prædonis fugā credidit, ſeq; cū claſſe in portū aliquē recepit. Vbi cū exercitus, pro lætitia hoſtis expulſi, exitiali ſecuritate vacaret: ſequēti nocte execrandus presbyter cū ſuis portū ingreſſus, ebrioſq; & ſomnolentos aggreſſus, minimo negotio, cum patre Regis, aliiſq; optimatibus fere vniuerſum deleuit exercitū. Rex autē aliis moriētibus elapſus in quodā, vt dicitur, proximo virginū monaſterio per dies aliquot latuit, fruſtraq; quæſitus ab hoſtibus (Deo volente) euaſit. Hac hoſtium infelicitate & clade tyrannus elatus, quanto cruentior; tanto inſolentior circumquaq; tanquā triumphans ferebatur, immitem ſe dominū preſsis miſere prouincialibus exhibens. Rex autem poſt latebram luci & amicis redditus, cœpit paulatim vireis reficere, auxilia vndecunque contrahere, aduerſus hoſtiles ſe dolos cautius præparare: & tandem cum parato exercitu perrexit in hoſtem. Quo mox ille cognito, cum videret iuuenē, propter priores clades prudentius atque inſtructius agere: numero quoq; nauiū, & pondere viriū pręſtare,

adma.

ad malefícia se conuertit. Habebat enim secum quandam filiam diaboli, potentem in maleficiis, atque illi antiquæ merito comparandam: de qua nobilis ait Poeta.

Hæc se carminibus promittit soluere menteis
Quas velit, atque aliis diras immittere curas,
Sistere aquam fluuiis, & sydera vertere retro,
Nocturnosque ciet maneis. Mugire videbis
Sub pedibus terram, & descendere montibus ornos.

Denique hæc (vt dicitur) mira pestilentissimæ artis confidentia ab amico quæsiuit tyranno, quomodo suos, qui iam præ oculis erant, hosteis cuperet interire. Illo submersionem eorum eligente: repente operatione diaboli, qui nimirum per Angelicæ naturæ potentiam in elementis mundanis plurimum potest, cum a superiori finitur potestate, tranquillum mare os suum aperiens, in conspectu hostium maiorem Regiæ classis partem absorbuit. Quo viso: nefandus presbyter, ecce, ait, socij quam efficaciter elementa pugnant pro nobis, cauete ne forte euadant quorum certum exitium pelagus vestræ virtuti reliquit, ne totum fecisse videatur. Itaque regij exercitus pars reliqua subito interitu sociorum attonita facile est oppressa, & Rex ipse interiit. Quo sublato, in ditionem tyrannicam regnum tremefactum concessit. Qui sacro ordine abiurato, & accepta in coniugem filia Regis Gothorum, ab Archiepiscopo terræ illius coronari voluit. Verum ille cum esset vir magnus, & neque precibus, & neque minarum terroribus flecteretur, vt caput execrabile sacra vnctione perfunderet, ab eodem patria pulsus est. Post annos aliquot surrexit de stirpe Regum priorum acerrimus iuuenis, nomine Ioannes, confluentibus ad eum, & roborantibus eum plurimis; Qui cum læta habuisset initia, vt iam esset tyranno terribilis, iuuenili tandem calore, inconsultius ad bellum prosiliens, infeliciter & præmature occubuit. Post hunc emersit alius de semine regio bonæ spei puer, copiosis adiutus suffragiis. Verum & hic in ipsa sacra dominica Palmarum, ante annos aliquot graui prælio a tyranno oppressus, & cum suis adiutoribus funditus abrasus est. Sic virga illa furoris Domini, profligato vel eliminato fere omni semine regio, atque omni hoste indigena, magnus & tremendus tandem per manum cuiusdam Episcopi, ad hoc intẽtata morte coacti, regiũ cum mystica vnctione diadema sortitus est, sub incerto diu prosperantis tyrannidis exitu ex crebris successibus quasi securus. Titulus autem sigilli eius talis fuisse dicitur: Suerus Rex magnus, ferus vt leo, mitis vt agnus, clementiam quippe in subditos ostendebat, & ecclesiis siue monasteriis reuerentiam exhibebat.

CAPVT VII.

ANNO a partu virginis M.C.LXXXIII. qui fuit XXX. regis Anglorum Henrici secundi. Henricus Tertius iunior Rex Anglorum immatura morte decessit. Plane immatura, si ætatem respicias, sed multum sera, si actus attendas. Fœdauerat enim adolescentiam suam næuo inexpiabili, id est, similitudine scelestissimi Absalonis, vt superius expositum est. Iuuentutem quoque ingressus eandem adolescentiæ suæ noluit esse dissimilem, & præuaricator, non tantum naturæ, vt prius, verumetiã solemnium pactorum: rebellauit iterum contra patrem. Cuius rebellionis causa hæc fuit. Idem pater Richardo filio in administrando ducatu Aquitanico suas vices commiserat, filio quoque Gaufrido iam puberi plenitudinem iuris vxorij: id est, Britanniam Transmarinam tradiderat; Henrico primogenito sub exspectatione successionis legittimæ ad patris vel excubante, vel pergente imperium. Verum occasione cuiusdam simultatis inter fratres exortæ, idem Henricus indignatus, quod fratrem Richardum pater Aquitaniæ præfecisset, iuncto sibi fratre Gaufrido, comite Britanico, & quibusdam Proceribus Aquitanicis, patrem motibus bellicis lacessiuit. Pater vero cum rebelles filios blãdis declinare mandatis frustra laborasset, improbis eorum ausibus obuiaturus, fineis Aquitanicos cum exercitu ingressus est. Mox Dei iudicio Hẽricus iunior, febre (vtriusque præuaricationis vltrice) corripitur, omniumque animi, qui cum eo conspirauerãt pariter elanguere. Cumque ingrauescente incõmodo desperaretur a medicis, tandem

compunctus misit ad patrem, excessum humiliter confitens, & extremam gratiam a paterna pietate deposcens, vt morientem inuisere dignaretur. Quibus auditis paterna quidem concussa viscera, sed amicis allegantibus non esse sibi tutum, nequissimis conspiratoribus, qui circa filium erant, credere, quamuis pium esset ægrotantem filium visitare; præualente formidine ad filium non perrexit, sed pro signo clementiæ & indultæ veniæ, notum illi annulum, arram paternæ dilectionis, direxit. Quem ille susceptum deosculatus assistente Archiepiscopo Burdegalensi vitam finiuit. Funus ad patrem longo agmine deducebatur: cui mox pater pie occurrit, & Rothomagi sepeliendum in Normanniam deferri præcepit. Hunc finem habuit inquietus ille puer, ad multorum quidem natus exitium: sed tamen hominibus adeo fauorabilis & gratiosus (quia scriptum, Stultorum infinitus est numerus) vt etiam de mortuo præclara dicerentur. Denique post mortem eius quidam mentiendi libidine, atque impudentissima vanitate, famam late sparserunt, quod ad sepulchrum eius curationes fierent infirmorum, scilicet vt vel causam contra patrem iustam habuisse, vel finali pœnitentia Deo egregie placuisse crederetur. Idem vero pater dolorem extincti filij ex hostis interitu temperans, in breui vniuersos perdomuit, & Gaufridum filium in gratiam recepit. Qui tamen ingratus ad omne experimentum paterni affectus, hostilem (vt postea claruit) non exuit animum. Nam tempore modico circa patrem pendulus & fluitans, Francorum autem, quos paternę glorię æmulos nouerat, modis omnibus captans amicitiam, cum a patre Andegauensem comitatum obtinere non potuit, super hoc Rege Francorum inaniter satagente, eo quod Richardus, natu maior id nulla ratione concederet, ad Francos se contulit, tanquam per illorum potentiam patri & fratri extorturus precum blandiciis non obtentum. Cumque ad irritandum patrem Regi Francorum sedulo militans grandia moliretur, diuini iudicij pondere obrutus molitiones suas Parisiis cum vita finiuit, ibique sepultus, patri quidem, cui minus officiosus exstiterat modicum, Francis vero, quibus multum placuerat, ingentem luctum reliquit. Natus est ei ex Britannici comitis filia vnicus filius posthumus. Cui cum Rex auus nomen suum imponi iussisset: contradictum est a Britonibus, & solemni acclamatione in sacro Baptismate Arturus est dictus. Sicque Britones, qui fabulosum dicuntur exspectasse Arturum, nunc sibi cum multa spe nutriunt verum, iuxta opinionem quorundam grandibus illis, & famosis de Arturo fabulis prophetatum.

CAPVT VIII.

Eodem sane anno, quo Henricus tertius in fata concessit, Richardus quoque Cantuariensis Archiepiscopus venerabilis Thomæ successor decessit. Homo quidem mediocriter litteratus, sed laudabiliter innoxius, & ne ambularet in magnis modulo suo prudenter contentus. Successit ei Baldeuinus, ex Abbate Fordensi Wigornensis Episcopus, vir religiosus & litteratus: sed & Galterius Constantiensis ipso anno factus est ecclesiæ Lincolniēsis Antistes, cum vacasset eadem ecclesia annis fere decem & septem: sicque euacuata est prophetia, vel potius diuinatio conuersi Tamensis de suo, non de Dei spiritu prophetantis, quod Lincolniensis ecclesia Pontificem vlterius non esset habitura. Quæ diuinatio propter longam eiusdem Ecclesiæ vacationem plurimos adeo mouerat: vt memoratus Galterius accepto consecrationis munere, non sine grandi metu ad propriam sedem accederet. At non diu sedit ibidem. Nempe post modicum electus ad Episcopatum Rothomagensem, formæ venustioris blandiente illecebra, nouæ nuptæ valedixit. In qua re pensandum est quanti sit momenti ambitus excellentiæ, quantumque in homine pecuniæ etiam cupidissimo, superet amorem pecuniæ. Satis quippe notum est, quod quantum Rothomagensis Ecclesia Lincolniensi præeminet maioritate dignitatis, tantum etiam cedit illi in temporalibus commodis. Homo tamen qui Episcopatum Lincolniēsem propter amplissima commoda multum ambiebat, maluit eo relicto ad minores diuitias ascendere superius, quam eo retento cum maioribus diuitiis sedere inferius. Et quidem diu hæsitasse dicitur, vtrum eminentior an ditior esse eligeret, scrupulose secum deliberans: sed tandem ambitus loci celsioris de amo-

de amore commodi largioris triumphauit. Illo autem translato vacauit iterum Ecclesia Lincolniensis annis aliquot.

CAPVT IX.

ILLVSTRIS Rex Anglorum Henricus secundus post mortem Henrici tertij transuectus in Angliam, in extremos regni fineis aduersus Rolandum Galvvadiæ Principem duxit exercitum. Quippe idem Rolandus mortuo patruo Gilberto, qui (vt superius dictum est) capto a nostris Rege Scottorum, fratrem Vctredum nefarie peremerat, in filios eius sorte bellica præualens, totam illam sibi prouinciam vendicarat. Interpellatus ab eis Rex Anglorum, Rolando mandauit, vt hæreditatem paternam propriis redderet consobrinis, qui cum spreuisset mandatum, iratus Rex cum ingentibus equitum & peditum copiis parteis illas adiit. Vbi cum ex Hybernia rumores gratissimos accepisset, exhilaratus nuntio placabilior fuit. Itaque accepta satisfactione a Rolando exercitum mature reduxit. Vt autem illius nuntij qualitas melius intimetur, pauca de statu Hyberniæ, quoniam se præbet occasio, prælibanda sunt. Relatum est superius, quomodo Comes Richardus adquisitionem Hybernicam eidem Regi coactus dimiserit, quam profecto Rex opportune transuectus in Hyberniam, prout voluit, ordinauit. Eo autem in Angliam reuerso: præfecti militum ad subactæ prouinciæ regimen ibidem ab eo relicti, vel prædæ, vel gloriæ auidi, cōmissos sibi fineis paulatim dilatabāt. E quibus vnus, scilicet Ioannes de Curci, iuncta sibi equitum peditumque manu valida illam Hyberniæ prouinciam, quæ a Regno Scotiæ angusto freto seiungitur, & Vluestiria nuncupatur, hostiliter inuadendam putauit. Forte illuc venerat a Scotia Viuianus, vir eloquentissimus, Apostolicæ sedis legatus, susceptusque honorifice a Rege, & Episcopis eiusdē prouinciæ, in ciuitate maritima quæ Dunum vocatur, pro tempore morabatur. Hostium autem aduentu præcognito, Hybernienses consuluere legatum, quidnam in tali articulo esset agendum. Qui pugnandum pro patria esse dixit, & pugnaturis cum obsecrationibus benedixit. Hoc modo animati audaciter in prælium ruerūt, sed a loricatis sagittariis facile oppressi terga verterunt. Capta est ergo ciuitas Dunensis, porro legatus Romanus cum suis refugit in ecclesiam sanctorum reliquiis inclitam. Prouiderat enim sibi homo prudens, & præ manibus habebat Regis Anglorum litteras ad præfectos eius Hybernicos, vt eorum tutus suffragiis, legationis suæ inter barbaros munus impleret. Hac auctoritate pacem & securitatem accipiens Diuellinum migrauit, & sub nomine vel Domini Papæ, vel Regis Anglorum fiducialiter agēs, conuocatis Hyberniæ Præsulibus atque Abbatibus generale concilium celebrauit. Verum cum in ecclesiis simplicitatis barbaræ liberius agere morem vellet Romanum, denuntiantibus præfectis Regiis, vt vel abscederet vel secum militaret, auro Hybernico, quod multum sitierat, minus onustus in Scotiam remeauit. Porro Ioannes de Curci cum suis, qui Dunum & fineis eius ceperat, a Regibus Hyberniæ postmodum frustra oppugnatus, expugnata Ardemachia (vbi esse dicitur prima sedes Hyberniæ, propter honorem beati Patricij, atque aliorum indigenarum sanctorum, quorum ibidem sacræ reliquiæ requiescunt) totam prouinciam illam subegit. Huius autem prouinciæ homines, præ cunctis Hyberniæ populis, in celebratione Paschali eatenus superstitiosi fuisse tradūtur. Nam, sicut quodam venerabili Episcopo gentis illius referente cognoui, arbitrabantur obsequium se præstare Deo, dum per anni circulum furto & rapina congererent, quod in Paschali solemnitate profusissimis, tanquam ad honorem resurgentis Domini, absumeretur conuiuiis, eratque inter eos vrgens concertatio, ne forte quis ab alio immoderatissimis ferculorum præparationibus vinceretur. Verum hanc superstitiosissimam consuetudinem, cum statu libertatis propriæ, debellati finierunt. Sane inter Proceres Regis Anglorum, qui erant in Hybernia, Hugo de Lasci pręcipuus & præpollens habebatur: cui nimirum idem Rex post mortem strenuissimi Comitis Richardi amplissimas ibidem possessiones contulerat, & suorum dominiorum administrationem commiserat. Ille vero in breui ita dilatauit terminos suos, & prosperatus auctusque magnitudine est opum & virium, vt iam non solum hostibus, verumetiam sociis, id est aliis Proceribus regiis, esset terribilis. Nam & his infestus erat, si forte minus

parerent, videbaturque sibi iam magis quam Regi Anglorum regnum Hybernicum æmulari, in tantum, vt diadema sibi regium parasse diceretur. Quibus regi nuntiatis: euocatus ab eo mandatum contemsit, & per hanc inobedientiam fidem fecit præsumtionis vulgatæ. Verum post modicum tanquam pro Rege Anglorum æmulante fortuna, cuiusdam ex fœderatis Hyberniēsibus familiaris & domestici iuuenis perfidiam expertus occubuit. Cum enim spatiandi gratia in agrum ex munitione egressus, auulsusque a satellitibus fere quantum iactus est lapidis, forte se inclinasset, vt nescio quid designaret in terra, perfidus ille diu quæsitam occasionem nactum se gaudens, bipennem fortiter in caput eius vibrauit: quo absciso, & satellitibus ad vlciscendum frustra concurrentibus, beneficio syluæ proximæ, & pernicitatis propriæ elapsus euasit. Huius rei nuntius Regem Anglorum in extremis regni finibus (vt dictum est) constitutum ingenti perfudit lætitia, moxque res Hybernicæ cautiorem ab eo ordinationem suscepere.

CAPVT X.

ANNO a partu virginis M. C. LXXXIIII. qui fuit Henrici Regis secundi XXX. primus, Ierosolymitanus Patriarcha causis vrgentibus ab Orientali missus ecclesia, venit in Angliam. Vt autem hæ causæ melius elucescant, tempore Regis Amalrici, quem superior sermo non tacuit, res Ierosolymitanas sub breuitate transcurramus. Qui nimirum Amalricus, post multa fortiter & feliciter gesta, hominem exuens, filio impuberi Balduino regnum reliquit. Hic autem cum non paruæ spei esset, occulto Dei iudicio plaga lepræ percussus, regni tamē moderamina, quoad vixit, animi magis quam corporis viribus tenuit, & vt certus sibi successor propter imminentia terræ pericula non deesset; ex sororis nuptiis stirpis Regiæ seriem currere voluit. Eodē tempore mortuo Noradino, Rege Syriæ & Mesopotamiæ, qui populo Christiano post patrem sanguinum virga furoris Domini fuerat, surrexit pro eo Saladinus, nō iam virga, sed malleus. Hic Saraconis nepos, qui Saraco (vt superius dictum est) Princeps militiæ Noradini exstiterat, illi defuncto in eodem Principatu successit, homo astutiæ singularis, & mille nocendi artibus instructus: Mortuo autem Noradino vxoris eius cōnubium appetiuit, eaq; tradente Damascum & fineis eius accepit. Cumque esset militiæ Turcorum gratissimus, vireis artibus, & arteis viribus iuuans, exhæredato Noradini filio amplissimū regnū eius obtinuit. Mox in Ægyptū arma transferens, absumtis terræ illius Principibus, locupletissimū arripuit regnū Babylonis: Lybia quoque atque Arabia potitus, nactus est nomen grande, super nomen aliorum magnorū qui sunt in terra. Denique (vt dicitur) octo Regnis ditissimis præsidens, parum tamen a se actū putabat, dum Christiani magno. i. mediterraneo mari ab orbe reliquo Christiano seclusi, Ierosolymā & Antiochiam, & maritimas Syriæ ciuitates possiderent. Totum ergo in ipsos latissimi imperij sui robur conuertens, homo in seculari potentia siue astutia vix cōparationem recipiens, modis omnibus nitebatur deuorare plebem Dei, sicut escam panis, & tropheum crucis Christi auellere a partibus Orientis, vbi prius erectum est.

CAPVT XI.

CIRCA hos dies Philippus illustris Flandriæ Comes, piæ deuotionis instinctu cum numerosa militia terram Ierosolymitanam ingressus; contra Saladinum aliquid agere, & fineis voluit Christianos dilatare: Verum offensus a Templariis ad terram Antiochenam inuitante Principe militiam traduxit, eoq; cooperante munitissimum oppidum Hareng nominatum, nihil ibidem acturus, sed inglorius recessurus, obsedit. Audiens autem Saladinus abducta militia terram Domini plus solito præsidiis vacuatam, cum infinito exercitu repentinus irruit, nec moratus in terminis, tanquam possessurus eā, intima eius illico penetrauit. Tūc Princeps Christianus leprā corporis animi virtute exornans, quantulam pro tempore potuit militiam conuocauit, & præliaturus nō suum, sed Domini prælium, hostium numeros non expauit. Itaque præeunte vexillo dominico iuxta Rama oppidum, quod hostes obsederant, congressurus cum eis, tremendas illas gētis spurcissimimæ copias, diuino fretus auxilio profligauit. Sala-

dinus

dinus fuga elapsus ægre euasit, cæsis de exercitu eius multis milibus. Gestum est hoc prælium a Christianis, Christo propicio, feliciter, septimo Calēdas Decembris. Verum anno sequenti propter peccata, quę vtique diuinitas minus in suis (dū hic viuitur) quam in alienis dissimulat, contra populum Christianum in terra sancta degentem, & minus sancte viuentem cælestis ira excanduit. Cum enim Saladinus, ad expiandum præcedentis anni dedecus, fineis Christianos instructior terribiliorque inuaderet, nostri quoque multo instructiores & numerosiores, quam prius, atque ideo minus in Domino, dum de se præsumerent, confidentes, prælium illi in terminis intulerunt, vbi Deo resistente superbis, quibus antea humilibus dederat gratiam, magna virium Christianarum contritio facta est, cæso non paruo militum numero cum magistro militiæ Templi & Optimatibus plurimis. Initium dolorum hoc: Nondum enim auersus erat furor Domini, sed adhuc manus eius extenta. Denique postquā Cæsarea Philippi, (quæ nunc Belinas dicitur, & erat quasi clauis finium Christianorum contra Damascum) inciderat (vt supra dictum est) in manus hostiles, Templarij tam suis quam emendicatis vndecunque opibus, munitionem satis vtilem ad vadum Iacob exstruxerunt. Surgebant indies structuræ murorum, & excubabat ibidē iugiter non paruus armatorum numerus, ne forte irruptione hostili impediretur opus. Diu quidem hoc cum liuore & gemitu dissimulatum toleratumque est a Turcis, dum integræ essent vires Christianæ: Quas cum clade paulo ante accepta languidiores esse conspicerent, tempus nacti, munitionem illā armis virisque refertam obsidione cinxerunt, atque adhibitis machinis fortiter oppugnare cœperunt. Congregatus est autem exercitus Christianus apud Tiberiadem, vt obsidionem solueret, at non ea alacritate, qua solebat. Ibi Optimates nostri de agendis tractantes; nequaquam sibi tutum esse censuerunt, absente cruce dominica cum numerosissimis hostibus congredi. Mittuntur Ierosolymam, qui signum salutare exhibeant. At in ea mora expugnata munitio. Qua celeriter euersa; Turci cum ingentibus spoliis abierunt. Capta est enim ibi magna vis armorum, & multus sanguis Christianus effusus. Nec multo post Saladinus Christianos ex improuiso fineis aggressus, Neapolim (quæ olim Sichima dicebatur) captam euertens, & facta hominum strage non modica, dum nostri conuenirent, in propria se recepit.

CAPVT XII.

Eo tempore Rex Ierosolymorum, mortis beneficio liberatus a lepra, nepoti ex sorore nouenni puero regnum reliquit. Qui cum esset vnctus in Regem, sub tutela Comitis Tripolitani pro ætate nutriebatur, rerum verò summa penes eundem Comitem potissimum esse videbatur. Cum ergo res Ierosolymitanæ indies languescerent, atque illud Salomonis, (Maledicta terra, cuius Rex puer est, & cuius Principes mane comedunt,) prudentes terræ illius crebra cogitatione versarent, generali prouidentia statutum est, vt vir magnus, cuius cum quantitate negotij moueret auctoritas, sanctæ scilicet resurrectionis Patriarha, petendi contra immanissimum hostem Saladinum auxilij gratia ad Christianos Principes in Europam mitteretur, & maxime ad illustrem Anglorum Regem, cuius efficacior & promtior opera sperabatur. Idem ergo Patriarcha post maris discrimina Romam veniens, & iuncta patriarchali auctoritate Apostolica processurus, hanc a Papa Lucio ad Regem Anglorum accepit epistolam.

Epistola Domini Papæ ad Regem Anglorum.

LVCIVS Episcopus, seruus seruorum Dei, charissimo in Christo filio H. illustri Regi Anglorum salutem, & Apostolicam benedictionem. Cum incliti prædecessores tui præ cæteris terræ Principibus armorum gloria & nobilitate animi longe retro claruerint, eosq; fideliū populus in sua didicerit aduersitate patronos, merito ad te, nō tātum regni, sed & paternarū virtutū hæredē, quadā securitate præsumta recurritur, vbi populo Christiano imminere periculū, immo exterminiū, formidatur, vt per brachiū Regiæ magnitudinis membris eius impendatur præsidiū; qui vt ad tātæ gloriæ, & prælationis apicē peruenires sua pietate cōcessit, & te cōtra sui nominis impugnatores nefarios, murū inexpugnabilē ordinauit. Proinde nouit serenitas tua, iā crebris & molestis

super hoc pulsata querelis; qualiter terra Ierosolymitana, specialis hæreditas crucifixi, in qua nostræ salutis sunt prænuntiata mysteria, & ipsius rei exhibitione cōpleta, quam ille, qui cuncta cōdidit, in sortem suam peculiari priuilegio deputauit, perfidæ & spurcissimæ gentis attrita & circumuallata pressuris, nisi celeri remedio succurratur, prona sit ad ruinam, & inde sustineat (quod absit) irreparabilem religio Christiana iacturā. Ille enim Saladinus, sancti & tremendi nominis immanissimus persecutor, ita spiritu furoris excanduit, & totius nequitiæ suæ vireis ad internecionem populi fidelis exercet; vt nisi immanitatis eius vehemēs impetus reprimatur, quasi obiectis obicibus, certā spem fiduciamque concipiat, quod influat Iordanis in os eius, & terra aspersione viuifici sanguinis consecrata spurcissimæ superstitionis ipsius cōtagio polluatur, & quā gloriosi & nobiles prædecessores tui a domino gentis incredulæ multis laboribus & periculis exemerunt, rursus nephando tyranni nequissimi dominio subiugetur. Ob hanc itaque necessitatis & imminentis doloris instantiam, magnificentiam tuam Apostolicis litteris duximus exhortandam, immo dilatatis præcordiis summa acclamatione pulsandam, quatenus ad honorem ipsius respiciens, qui te constituit in sublime, & iuxta magnorum qui sunt in terra nomen tibi contulit gloriosum, ad desolationem præfatæ terræ pietatis studio te conuertas, & vt eius confusio in hac parte tollatur, qui pro te in terra ipsa voluit haberi ludibrio, operam adhibeas efficacem, quatenus prædecessorum tuorum vestigia subsecutus, quam ipsi de Principis tenebrarum faucibus eruerunt, in cultu magni Dei per tuam diligentiam auxiliante Domino conseruetur. Eo autem curiosius celsitudinem tuam in tanta oppressionis angustia conuenit laborare, quod terram ipsam Regis intelligis præsidio destitutam, & totam spem defensionis suæ, ipsius Proceres in tuæ magnitudinis patrocinio duxerunt collocandam: Quod inde clarius tua serenitas potest agnoscere, quod summos terræ illius, & magnificos defensores, venerabilem fratrem nostrum E. Patriarcham, & dilectum filium Magistrum hospitalis ad tuam excellentiam destinarunt, vt ex Episcoporum præsentia considerata dignitate perpenderes, quanta fuerit necessitatis angustia, pro qua eorum sustinent tam diu carere præsidio, vt per ipsos facilius ad vota sua tuam deuotionem inclinent. Viros ergo præfatos tanquam ab ipso domino tibi destinatos benigne recipias, & debita charitate pertractes, eorumque postulationibus tāto facilius adquiescas, quāto suæ grauitatis & honestatis intuitu fauor est eis maior & gratia exhibēda. Sane recolat prudentia tua, & sollicita secum meditatione reuoluat promissionem illam, qua de impendendo sæpe dictæ terræ præsidio tuam celsitudinem obligasti, & ita in hac parte te cautum & studiosum exhibeas, vt te in tremendo iudicio tua conscientia nō accuset, & eius, qui non fallitur, districti iudicis interrogatio non condemnet. Vale.

CAPVT XIII.

IGITVR ortum inter Reges malum discordiæ multos inuoluit populos. Cum enim vna quæque gens pro suo Principe æmularetur, ita contra se mutuo animabantur & præparabantur, tanquam singuli vel proprium emolumentum seu gloriā quærerēt, vel iniurias proprias vlturi essent. Coieruntque ex diuersis hinc inde prouinciis apud Castrum, quod Rodulphi dicitur, ferocissimo agitatæ spiritu armatorū multitudines, mira vesania suorum Regum gloriæ, vel potius superbiæ, sanguinem propriū libaturæ. Quid enim insanius quam pro inani, nec sua sed alterius, gloria ita æmulari? & quid iniquius vel miserabilius; quam pro vnius hominis commodo, vel etiam fastu nudo, tot Christianorū milia periclitari? Cumque e Castris hinc inde oppositis per dies aliquot toruis se mutuo vultibus duo magni exercitus prospectarent, frustra circa vel pacē, vel inducias satagentibus, atq; aerem tantū verberantibus viris pacificis, tandem fatalis & tremendus conserēdi manus dies illuxit. Turmis ad pugnam dispositis parum iam aberat a concursu mutuo: cū ecce occultis magis (vt dicitur) ducum susurris, quam prælocutionibus publicis, indultæ in dies plurimos induciæ in vtroq; exercitu voce præconia declarantur. Plane vox ista multo gratius insonuit auribus omnium, quam vox tubæ accendentis ad præliū. Gentes ergo, quæ paulo ante hostiliter fremebant, & populi qui prius meditabātur inania, Deo propicio cū incruento gaudio abiere in sua. Rex autem

tem

tem Anglorũ dimisso exercitu in Transmarinis regionibus morabatur, firmãdæ magis pacis quam suscitãdi furoris belli negotiis deditus. Olim enim pro ætate bellorum processus, nulla iam libidine, sed sola necessitate ad intentionem bellicam trahebatur.

CAPVT XIIII.

ANNO a plenitudine temporis, quo verbum caro factum est M. C. LXXXVII. regnante in Alemannia Frederico, in Francia Philippo, in Anglia Henrico secũdo, Vrbano autem, qui Lucio successerat sedi Apostolicæ præsidente, aggrauata est manus Domini super terram Ierosolymitanã, &, secundũ Ieremiã, plaga inimici percussit eã castigatione crudeli. Ciuitas sancta in qua inuocatũ est nomẽ Domini a diebus antiquis, in qua sacræ prophetiæ floruerunt, in qua redemtionis humanæ insignia micuerunt, ex qua salutis in omnem mundi latitudinem sacramẽta fluxerunt (proh dolor) incidit in manus gentis prophanę & immundæ: terra sanctorum, qui a sęculo sunt, prophetarum, terra Apostolorum, immo ipsius Domini & Saluatoris, quam scilicet incarnationis, & natiuitatis suæ mysterio initiauit, conuersatione sua & prædicatione signisque illustrauit, passione sua & sepultura & resurrectione consecrauit, ascensionis suæ triumpho, & aduentu paracleti irradiauit, spurcissimus Saladinus occupauit, fidelium populis vacuauit, & abrasis Christianæ religionis insignibus immundissimæ sectæ suæ sacrilegiis prophanauit, datumque est ei non solum os loquens ingentia, sed etiam brachium faciens grandia aduersus Dominũ, & aduersus populum Christi eius. nã de eodẽ populo impletũ est illud Ieremiæ, immo dominicũ, per os eius; Eiice illos a facie mea & egrediantur, qui ad mortẽ ad mortẽ, & qui ad gladiũ ad gladiũ, & qui ad famẽ ad famem, & qui ad captiuitatẽ, ad captiuitatẽ. Huius autem miserabilis & famosi exterminij causam fuisse peccata, plus solito inundantia nemo debet ambigere. Et quidẽ ab initio in omnibus quæ sub cælo sunt regionibus patientius diuinitas peccata dissimulasse noscitur, quam in terra illa, quam vtique gratia tantorũ tamque insignium operum diuinorum, quæ in ea mirabiliter patrata, vel patrãda fuere, quadam (vt ita dicam) priuilegiali necessitate sanctam esse oportuit, aut nõ diu impunitam. Quippe hãc Deus elegit ab initio, illius præclarissimæ dignationis suæ, quæ scilicet omnia diuina longe antecellit opera, i. suæ incarnationis, & humanæ redemtionis suo tempore nobilitandã miraculis. Horum sane in ea suo tempore patrandorum gratia, singulare præ cunctis regionibus semper priuilegium habuit, quod vtique eorundem iam patratorum cumulatius habere dinoscitur. Inde est quod scriptura sacra locis pluribus eius prærogatiuam tam præclare commendat. Quod si vel ad opum gloriam, vel ad fructuum referas vbertatem, occurrit tibi verissima ratio, quod in his plurimæ illi regiones æquentur, & quædam etiam præstent, nisi forte in his, quæ de India memorantur, vana sit fides. Ergo hoc solo præ cũctis terris inclita, vel olim fuisse, vel nunc esse dinoscitur, quod in ea & olim patrandum erat, & nunc patratum esse constat, illud humanæ redemtionis tam magnum & tam mirabile sacramenrum. Nam si peculiari populo suo, id est semini Abrahæ, terrenam hæreditatem Deus propter excellentissimam fructuum fertilitatem largiri voluisset, in India potius, quam in Syria possessionem tribuisset. Nunc autem diuina sua prouisione populo ad hoc electo, vt ex eo humanæ redemtionis hostia suo tempore sumeretur, terram illam in possessionem dedit, quam ab initio elegerat, vt in ea eadem reconciliatrix hostia litaretur. Huius rei gratia eandem terram specialiter suam vocat, terra inquiens non vendetur in perpetuum, quia mea est, & vos aduenæ & coloni mei. Sane huius terræ primi post diluuium incolæ fuere Cananei & Amorei, & cognati horum populi; quos nimirum Dominus propter mores flagitiosissimos suo tempore disperdendos esse præuidens, adduxit illuc Abraham generosæ stirpis patrem futurum de Hur Chaldeorum, semini, inquiens, tuo dabo terram hanc. Porro ipsi Abrahæ nec passum pedis, vt ait Apostolus, dedit in ea, quia iuxta vocem diuinam nondum completa erant peccata Amoreorum, id est non tantum iam excreuerant atque inualuerant, vt propter hæc a Deo, indulgenter magis quam rigide peccata pensante, iidem peccatores exterminari deberent. Itaque deo præscio & iusto, non rigido, peccatorum completio patientia est exspectata, & exterminatio peccantium

vſque ad completionem peccatorum dilata. Idcirco Abrahã illius terræ non eſt factus poſſeſſor,ſed aduena, porro ſemen eius cõpletis peccatis Amoreorum accepit in poſſeſſionem terram eorum. Et vt eandem terrã poſſideret Deo largiente, eoſdem exterminauit impios Deo iubente. Num putamus hanc gentem peccatricẽ enormius peccaſſe,quam gentes ceteras orbis terrarum, ſcilicet vt illæſis ceteris ſola exterminium pateretur? Certe orbem vniuerſum caligo erroris inuoluerat, & nemo reſpectu diuini iudicij,quod vtique neſciebat, vetabatur facere quod libebat. Non ergo gens illa ideo ſola diuini ſeueritatẽ iudicij experta eſt, quod cæteris gentibus ſordidior fuerit, ſed terram clariſſimis diuinæ dignationis ſuo tempore nobilitandam miraculis, incolarum ſuorũ tunc deformatã peccatis,eorundem incolarũ exterminio expiari,& populo electo,id eſt ſemini Abrahæ,ſacræ fidei habenti characterẽ, in hereditatem dari oportuit. Quamobrem eidem populo a Moyſe in Deuteronomio dictũ eſt, non propter iuſtitias tuas ingredieris vt poſſideas terram iſtarũ nationum,ſed propter impietates ſuas te introeunte deletæ ſunt,& vt impleret verbũ ſuum Dominus, quod ſub iuramento pollicitus eſt patribus tuis Abrahã,Iſaac,& Iacob. In Leuitico quoque filiis Abrahæ diuina voce dicitur,ne polluamini in omnibus quibus contaminatæ ſunt gentes,quas ego eiiciam ante conſpectum noſtrum,a quibus polluta eſt terra cuius ego ſcelera viſitabo,vt euomat habitatores ſuos:Cauete ergo ne & vos ſimiliter euomat, cum paria feceritis, ſicut euomuit gentem, quæ fuit ante vos. Ceteræ vero regiones,tale priuilegium non habentes,non ita deuorant vel euomũt habitatores ſuos,cum effuſius peccatis ſorduerint: ſicut illa,quæ & ipſum ſemen Abrahæ,cui in hæreditatem data erat, eo quod eam ſuorum enormitatẽ facinorum deformaret, poſtmodum iuſte euomuit. Et maiorem quidem partem eius,i. decẽ tribus,i. tribum Iuda, de qua ipſe Dominus ſecũdum carnem naſciturus,& tribũ Beniamin;quæ vas electionis æditura erat, euomuit in Babylonem,ſuo tempore reuocandas. Quas tamen poſtmodum, eo quod nõ cognouerint tempus viſitationis ſuæ,ſed deteſtabili veſania proprium peremerunt redemtorem,eadem terra iam in ea patratis diuinis myſteriis inclita,ſeueriori iudicio nunquam reuocandas euomuit, Romanis Imperatoribus Veſpaſiano & Tito, diuinæ animaduerſionis miniſtris.Exterminato autem carnali ſemine Abrahæ, quod ita degenerabat, vt ei a Domino diceretur,Terrę Sodomorum remiſſius erit in die iudicij,quam vobis,conculcatum eſt a gentibus ſanctuarium Dei, vſque ad tempus religioſi Auguſti, Cõſtantini Magni. Tunc enim terra ſancta pro eiuſdem Principis ſtudio, a gentilium rituum ſordibus emundata, data eſt in hæreditatem, & poſſeſsionem vero ſemini Abrahæ, id eſt Chriſtianis, a quibus & poſſeſſa eſt annis multis vſque poſt tempora beati Gregorij. Tandem enim & hos habitatores ſuos, cum diuinam contra ſe iracundiam peccatis excreſcentibus accendiſſent,terra ſancta,quæ ab eis maculabatur, deuorauit,ſiue euomuit, & contaminarunt eam Agareni habitatione ſua ſpurciſsima, vſque ad annum a plenitudine temporis, quo verbum caro factum eſt M.XC.nonum.Tunc enim ciuitas ſancta (vt ſuperius memoratum eſt)per militiam Chriſtianam,ab Europæ partibus venientem Agarenos habitatores euomuit, & impleta eſt etiam in hoc Prophetia Noe; Dilatet Deus Iaphet,& habitet in tabernaculis Sem. Quippe de Sem gentes Aſiæ; de Iaphet vero ortæ ſunt gentes Europæ.Iaphet ergo quodammodo habitationem accepit in tabernaculis Sem,quando homines Europæ expulſis Agarenis, in prouincia Aſiæ Paleſtina habitare cœperunt. Fuit autem habitatio filiorum Iaphet in terra ſancta, annorum circiter LXXXVII. hoc eſt ab anno a partu virginis M. nonageſimo nono vſq; ad annum M.centeſimum octuageſimum ſeptimum; tunc enim & ipſos peccatis eorum inualeſcentibus, atque ideo Agarenis præualentibus, quod ſine gemitu non dicimus,terra ſancta more ſuo euomuit. Erant enim iam in Ieruſalem & regno eius, non vt olim,viri religioſi ex omni natione quæ ſub cælo eſt:ſed ex omni gente Chriſtiana facinoroſi,luxurioſi,ebrioſi,mimi,Hiſtriones, hoc genus omne in terram ſanctã,tãquam in ſentinam quandam confluxerat, eamque obſcœnis moribus & actibus inquinabat. Ipſius quoque terræ noui indigenæ, quos Pullanos vocabant, Saracenorum infecti vicinia, non multum ab eis, vel fide, vel moribus diſcrepabant, atque inter Chriſtianos, & Saracenos tanquam quidam neutri eſſe videbantur. Sic ergo terra Domini

noſtris

nostris temporibus ab aduenis simul & indigenis inquinata, & vtrosque tandem iudicio Dei euomuit, & nunc tolerat gentem immundissimam Agarenos vsque ad tempus, procul dubio & hos deuoratura cum Deus voluerit. Sane a Christianis recepta est sub Papatu Vrbani secundi, & recidit in manus Agarenorum sub Pontificatu Vrbani tertij, LXXXVII. (vt dictum est) annis interlapsis. Quomodo autem hoc contigerit plenius exponendum est, non quidem propter præsentes, quia res recentissimæ memoriæ est, & satis nota omnibus: sed vt ad posteros insignium malorum nostri temporis non superflua notitia styli nostri ministerio transmittatur.

CAPVT XV.

NOVENNIS ergo puer post auunculum in regno Ierosolymorum vnctus in Regem, paulo post rapitur ex hac vita, infectus, vt putatur, arte venenata tutoris proprij, Comitis scilicet Tripolitani: Qui nimirum cum esset vir magnus & potens, & propinquus Regum priorum, aspirabat ad Regnum, quod scilicet sublato, quem nutriebat, puero facile sibi cessurum sperabat. Verum Patriarcha & pars Optimatum terræ, cum militia templi & hospitalis, matri extincti pueri, filiæ scilicet illustrissimi Regis Amalrici, tanquam propinquiori & iustiori hæredi regnum dederunt, indignum tamen matrimonium eius causati. Nam tempore fratris Regis voto proprio secundas contraxerat nuptias cum homine peregrino, Guidone scilicet quodā Pictauiensi, qui a facie Regis Anglorū Henrici secūdi de Aquitania fugerat, & Regi Ierosolymorum egregie militabat. Illa vero munitionibus vrbibusque potita, Templariis cum Patriarcha annitētibus, viro proprio diadema Regium tradidit. Vnde supra modum indignati sunt Optimates, nec æquanimiter pati potuere hominem peregrinū, & qui nō esset de stirpe Regū, leuari supra capita sua, cum de semine regio suppeterent, a quibus regnum (vt credebant) decentius & magnificentius regeretur. Eorum quidem plurimi, dissimulata pauide vel callide ira, pro tempore siluere, & Principi extraordinario specie tenus paruere, sub exspectatione apti tēporis, quo a suis ceruicibus iugum eius excuterent. Verum comes Tripolitanus, quē ira fortior stimulabat, propriis vel viribus, vel artibus fretus, manifeste obstitit, & iugū eius vel ficte suscipere cum ceteris recusauit. Cumq; a regia potentia impeteretur fortiter, & subdi cogeretur, propter virium insufficientiam propriarum implorauit, & facile impetrauit auxilium Saladini, callide inter partes fouendo discordias, vireis frangere molientis Christianas. Mox mense Maio a parte Tyberiadis, quam ipse tunc possidebat, immisit Turcorum copias finibus Christianis. Qui congressi cum quadam parte militiæ templi, facta nostrorum strage non modica, onusti spoliis victores abiere. Verum multo post idem Comes simulatā, vt postea claruit, amicis mediātibus cum Rege pacē fecit. Nā & ipse, & fere vniuersi terræ Optimates ex multa indignatione occultum cū Saladino fœdus percusserant, cui etiā (vt dictum est) pacti fuerant, quod Regem Christianum in manus eius traderent, quibus ipse vicissim pactus esse dicitur, quod hoc facto non inquietaret eos, quo minus liberam regni Ierosolymitani dispositionem haberēt. Percusserant plane fœdus cum morte, & cum inferno fecerant pactum, per hoc putantes flagellum mundans, cum transiret per ceteros, super se non venturum. Verum consequentia docuerunt, sacram illam in eis egregie Prophetiam impletā. Delebitur fœdus nostrum cum morte, & pactum nostrum cum inferno non stabit: flagellum mundans cum transierit, eritis ei in conculcationem, & sola vexatio dabit intellectum.

CAPVT XVI.

IGITVR Saladinus cum LXXX. vt fertur, milibus equitum, & eo amplius, solito fiducialius fineis Christianos ingressus, ciuitatem Tyberiadem mox irrupit, & munitionem Castri, quo se domina loci cum militibus paucis receperat, oppugnauit. Quibus Rex cognitis, cum summa celeritate Christianum vndecunque contraxit exercitum. Et quidem Reges priores processuri ad prælium vrbibus & Castellis sufficientia munimina relinquebāt, ne scilicet regnum ancipiti periculo exponerent, si eius ossa medullis propriis, id est Vrbes & Castella necessariis præsidiis vacuarent. Inde est quod cum

sæpius fuerint ab hostibus prælio superati, nunquam tamen vsque ad regni exterminium periclitati fuisse noscuntur. Rex autem ad Christiani regni excidium institutus a fœmina, ne ab hoc tam grandi malo esset innocens fœmina, fortissimo præcepit edicto, vt omnis populus quasi vir vnus egrederetur ad prælium, in tantum, vt executores a Rege directi, cum sanis ægros tanquam ad absterrendum numero Saladinum exire compellerent. Itaque egressis omnibus ad victimam magis quam ad pugnam, cum pauci languidissimi, cum mulieribus & paruulis in vrbibus remanerent, ad vnius prælij euentum, totum præclarum illud regnum Ierosolymitanum pendebat. Comes autem Tripolitanus, cum esset exercitui Christiano præuius, tanquam gnarus locorum duxit eum de industria, vt creditur, in locum saxosum, tantasque angustias; vt mox periclitari inciperet. Cumque hostes ita coartatis vndique imminerent, de Procerum consilio statuit Rex quocunque modo erumpere, & prælio cum hostibus decertare. Primis ergo ictibus militiæ Templi concessis, exercitum, prout oportuit, per turmas ad prælium ordinauit. Templarij vero robustissimo in hostem impetu procurrentes, primorum hostilium turmarum densitatem ruperunt, & earum vel stragem, vel fugam fecerunt. Verum tunc demum nostrorum nephanda proditio, & nefaria cũ hoste collusio claruit. Comes enim Tripolitanus, ceterique Optimates, cum turmis suis, spreta dispositione regia, præclaram illam Templi militiam, hosteis fortiter proterentẽ, dum non sequerentur, periclitari fecere, atque ita Templarij, consertissimis hostium cuneis nullo sequente immersi, illico vel victima, vel præda fuere. Cumque exercitus noster in loco inaquoso æstu & siti deficeret, de castris sex sceleratissimi milites ad Saladinum transfugerunt, & abiurata lege Christiana nostrorum mysteria prodiderunt. Quibus agnitis Saladinus nostros, quos locorũ magis expugnabat malitia, modis omnibus censuit impetẽdos. Qui cũ pæne vsq; ad internecionẽ cæderẽtur, Rex tandẽ fugã arripuit: Quem Tokedinus Saladini nepos persequens, cum cruce ligni dominici comprehendit. Cæsus est vel captiuatus fere totus exercitus Christianus, paucis fuga elapsis. Milites templi & hospitalis, quos in campo non vorauerat gladius, ab aliis segregatos captiuis, Saladinus coram se decollari præcepit, atq; hac exoptatissima voluptate proprios pauit aspectus. In Reginaldum quoque de Castellione, virum Christianissimum, & tam armorum gloria, quam animi nobilitate celeberrimum, qui Principatum olim Antiochenum strenue administrauit, & tunc finibus in Arabia Christianis egregie præsidebat, odium proprium tyrannus declarauit, quem scilicet ferocissime interrogatum & constantissime, prout tantum decebat virum, respondentem manu propria trucidauit, voluptati suæ plurimum æstimans deperire, si alius etiam coram se tam pretiosum effunderet sanguinem. Comes autem Tripolitanus cum suis complicibus fugit e prælio; Turcis eos, vt dicitur, nec attingere curantibus.

CAPVT XVII.

Cvm ergo victor exercitus cædibus satiatus, post bellum ad prædam conuersus, ingentia peremptæ vel captiuæ multitudinis spolia diripuisset, tyrannus cruẽtissimus cũ omnibus copiis florentissimam ciuitatem Ptolemaida, quæ nunc Acra dicitur, adiit, quam præsidiis (vt supra dictum est) vacuatam, & frustra imbelli vel ætati, vel sexui creditam, illico obtinens, noua ex cædium satietate clementia inuentam in ea multitudinem illæsam abire permisit. Tunc conuersus ad reliquas vrbeis & oppida, omne robur terræ Ierosolymitanæ, præter ipsam sanctam ciuitatem, & Tyrum, & Ascalonam minimo & incruento negotio in potestatem redegit. Nam quoniam vniuersa vrbium & castellorum præsidia vnius belli casus abraserat, in obtinendis præclaris, & sola fame expugnabilibus Christianorum munitionibus, nulla se fortunatissimo tyranno difficultas opposuit. Sanctam quoque ciuitatem idem furoris diuini Malleus adiit. Patriarcham, & populum metu languidum ad deditionem coegit, vita & libertate indulta, vt titulo se clementiæ insigniret: armis & pecuniis nudatos dimisit. Ciuitatem pompatice ingressus ecclesias spoliatas profanauit, formam vexilli dominici ludibrio habitam & fustigatam confregit, templum vero Domini, quod & ipsis Saracenis semper venerabile fuerat, solemniter aqua rosea, tanquam Christianis sordibus expians, sacrile-

sacrilegis ritibus dicauit. Sepulchri vero dominici aliquantulam reuerentiam habuit, quod omni quidem aureo vel argenteo ornatu sublato, Syros illius terræ indigenas Christianos custodire præcepit, edictum adiiciens, Ne quis alienus irreuerenter accederet. Debilium quoque in famosissimo illo hospitali sancti Ioannis decumbentium, siue humanitus, siue pro gloria misericordiam habuit, eorumque donec vel morerentur, vel conualescerent, curam haberi voluit, quibusdam ex fratribus hospitalariis hāc operam secure & libere committens. Hæc Ierosolymis prouenisse noscuntur a diro illo prælio, quo populus Christianus interiit, tribus fere mensibus elapsis. Quippe infra octauas beatorum Petri & Pauli Apostolorum factum est illud Christianæ plebis excidium, & circa solemnia beati Archangeli Michaelis facta est deditio sanctæ ciuitatis. Ascalona quoque vrbs nobilis, in quam post prælium, propter excellentem eius firmitatem, multi cofluxerant, & armorum siue victualium copiam frustra congesserant, potestatem tyrannicam non euasit, quam scilicet infelicissimus ille Rex Ierosolymorum, qui captus in prælio fuerat, pro sua liberatione resignauit. Iamque sola vrbium Palestinæ vrbs insignis Tyrus dominationem aspernabatur hostilem, olim assueta summis resistere Regibus. Nam vt produnt historiæ: antiquum illum fortissimumque Regem Nabuchodonosor prius, & postea Magnum illum Alexandrum multo labore exercuit. Quę nimirum ea facilitate, qua vrbes ceterę in manus incidisset hostiles, nisi cælestis quædam prouisio intentioni tyrānicæ obuiasset, iuxta illud Esaiæ: Quomodo si inueniatur granum in botro, & dicatur, ne dissipes illud, quoniam benedictio est, sic faciam propter seruos meos, vt non disperdam totum. Plane Dominus propter seruos suos, vt scilicet Christianis in terram illam venturis aptum non deesset receptaculum, totum, licet & hoc excrescentia temporis nostri peccata exigerent, dissipare vel disperdere noluit, sed vrbem hanc tanquam granum botri modicum pro benedictione non modica Christianis seruauit. Modum autem quo seruata est, Christo propicio satis notum præsentibus, nostra propter posteros non debet narratio præterire.

CAPVT XVIII.

MARCHIO ergo de monte Ferrato, vir inter primos Romani Imperij magnus & potens, Ierosolymam orandi studio venerat, terra possessionis proprio filio Conrado commissa. Cumque ibidem pia deuotione per multos dies consisteret, & Omnipotenti Deo in defensione sanctæ terræ propriis sumtibus ministraret, in bello, quo eadem terra tradita est in manus Imperij, cum aliis nobilibus captus est ab Agarenis. Ipso tempore memoratus Marchio iunior, & ipse oraturus, patrique astiturus, cum agmine virorum fortium Ierosolymam properabat. Factum est autem die tertia post captam Ptolemaidem, vbi naues Christianæ applicare consueuerant, vt idem Marchio cum suis appropinquans, ex alto pelago immutatam aduerteret, & caute notaret faciem ciuitatis. Nam nec Christiana insignia, quæ mox abominatio hostilis abstulerat, ex templorum vel turrium fastigiis procul aspicientibus refulgebant, nec campanæ (vti mos fuerat) peregrinis portui appropinquantibus, concrepabant. Vnde intellexit vir prudens eandem ciuitatem in manus incidisse hostiles: Flexo ergo cursu Tyrum adiēs, ibidem applicuit, inuenitque omneis Tyrios mœstitudine atque formidine ita attonitos, vt animis labefactis tyranno mox affuturo, exemplo Ptolomaïdensium, ciuitatem tradere cogitarent. Verum ad tanti hospitis ingressum, resumto aliquantulum spiritu, cum & miserabilem Christianorum cladem indicassent, eius tanquam ad tantillarum reliquiarum diuinitus directi solatium, salubri se consilio crediderunt. Ille vero, cum esset prudens atque magnanimus, omneis a minimo vsq; ad maximum sacramento astrinxit, quod ei omnium curam gerenti fideliter parerent in omnibus, sapienter allegans, nihil agi posse, nisi sub Principe vno & prouisore cuncti essent vnanimes. Quo facto, ciuitatem cooperantibus omnibus sollicite muniebat. Sequenti die Comes Tripolitanus, & Reginaldus Sydonias aduenientes, cum fuissent intra mœnia cum paucis admissi, & frustra vel sollicitare populum, vel arcem præoccupare niterentur, mature deprehensi ægre effugerunt, suorum aliquot in vrbe relictis, quos zelus Marchionis, tanquam Christiani nominis manifestos proditores, suspendio damnauit.

Cum autem memoratus Comes,& complices eius,viderent Saladinum rupta fide pactorum Ierosolymitano regno incumbere,idque expulsis indigenis populo proprio diuidere in possessionem,tunc demum vexatione dante intellectum intelligere potuere, fœdus,quod cum morte percusserant, iudicio Dei deletum, & pactum quod cum inferno fecerant eadem iudicij seueritate non stare,seque flagello mundanti & transeunti iuste fieri in conculcationem. Idem ergo Comes seram agens pœnitentiam, ad vrbem propriam est reuersus, & ex doloris vehementia in amentiam versus horrenda morte defecit. Complices quoque eius,vt dicitur,non morbus aut senium,sed confusionis & doloris intolerantia,de terra quam prodiderant in breui erasit. Ciues autem Tripolitani matura propter dies malos deliberatione Boamundum Antiocheni Principis filium,laudatæ fortitudinis & prudentiæ iuuenem,Dominũ sibi delegerunt, sub cuius regimine Tripolitana regio remissius noscitur infestata a Turcis. Dicitur enim & creditur Saladinus,cum alias totis viribus debacchatus sit,Tripoli & finibus eius pepercisse,propter iusiurandum,quod fuerat inter ipsum & Comitem Tripolitanum.

CAPVT XIX.

IEROSOLYMA ergo ceterisque vrbibus, præter Tyrum,celeri deditione receptis, Saladinus eandem vrbem sub Conrado Marchione fiducialiter agentem obsedit. Quę nimirum iuxta fidem historiarum veterum olim insula,nunc autem Alexandri Magni arte simul & opere continens,tota fere mari ambitur, portu gaudens tutissimo. Quapropter tyrannus,ne mare peruium esset obsessis, classe circa vrbem disposita modis eam omnibus, qua parte maris non prætendit obicem, studuit oppugnare. Marchio vero & sui,cauentes,ne forte Italicarum nauium, quibus a Sicilia & Apulia vrbi subsidia inferebantur,interciperetur commeatus, præparatis opportune nauibus, quas in proprio portu habebant,nauali prælio statuerunt cum hostili classe confligere. Quod & factum est Deo propicio, & cæsa vel submersa multitudine hostium naues nonnullas ceperunt. Ceteri vero spectante Saladino,naueis,vt euaderent,littoribus alliserunt. Quo casu ita est consternatus, vt incensis machinis, & soluta obsidione discederet, nihil vlterius contra eandem vrbem ausurus. In fineis mox Antiochenos debacchantem conuertens tyrannidem, Principem Christianum in tantum attenuauit atque fregit, vt capta Laodicea reliquisque vrbibus iuris eius, raram illi possessionem extra muros Antiochenos relinqueret. Ipsam quoque maximam ciuitatem ita coarctauit,vt ab exterritis ciuibus pactum extorqueret, quod ad diem certum vrbem resignarent, *nisi forte* maior ex Europa exercitus subueniens id fieri prohiberet. Porro nostri apud Tyrum sub Marchione prosperabantur, & roborabantur indies confluentibus ad eos plurimis Christianis Transmarinis. Rex quoque Siciliæ competens illis subsidium direxit. Vnde factum est plerunque,vt ad prædam longius excurrerent,rebusque fortiter & prospere gestis,onusti manubiis remearent;& cum forte in præda captiuus insignior Marchioni obtigisset, eundem laudabili prouidentia patre mutauit, qui,vt dictum est,captus in in prælio maximo infeliciter apud hostes viuebat. Rex vero Ierosolymorum,modo superius memorato, de captiuitate reuersus, nostris impedimento magis quam solatio fuit. Cum enim Tyrum tanquam ius Regium a Marchione reposceret, & Marchio vrbem,tanquam ab ipso,æque vt cetera,hostibus expositam,a se autem cum multo labore seruatam,modis illi omnibus denegaret,secessit Tripolim, & aggregatis sibi plurimis, Marchioni erat infestus. Illis itaque hoc modo disceptantibus, & aliis quidem pro isto, & aliis pro illo æmulantibus, res Christianæ in Syria minus procedebant. In qua re aduertere est,quã subtili astutia Saladinus, immo in Saladino diabolus, eũdem Regem,qui ab initio totius turbinis & cladis occasio fuerat, de captiuitate emiserit; Christianis procul dubio sub specie recti profectibus opponendum. Quod cum in illa disceptatione ex parte claruerit,in his certe quæ consecuta noscuntur magis claruit.

CAPVT XX.

DVM in Oriente circa populum Christianum talia gererentur, Vrbanus Papa Romanus

manus extremæ sorti subiacuit, & succeßit ei venerabilis Albertus, eiusdem Cancellarius, dictusque est Gregorius, vir plane & sapientia & vitæ sinceritate conspicuus, æmulationem Dei habens in omnibus secundum scientiam, & superstitiosarum consuetudinum, quarum in ecclesia per quorundam rusticam simplicitatem citra scripturarum auctoritatem multitudo inoleuit, reprehensor acerrimus; vnde a quibusdem minus discretis putatus est per nimiam abstinētiam cerebro delirare. Sane cum in Oriente illud Christianæ plebis exterminium, atque irruptio sanctæ ciuitatis sub Pontificatu Vrbani contigerint, eidem tamen datum est, tantæ infelicitatis fama minime sauciari. Rerum quippe, infra octauas Apostolorum Petri & Pauli infeliciter gestarum, nuntij circa festiuitatem beati Lucæ Euangelistæ ad Apostolicam sedem venerunt, Vrbano paulo ante ex hac luce subtracto, & mature substituto Gregorio. Qui venerabilis Pontifex tristi nuntio perculsus ingemuit, & vi doloris anxius, tam enormem Christiani nominis iacturam inconsolabiliter deplorauit. Aliquod tamen remedium adhibere, & tanto malo, ne latius serperet, pia prouisione occurrere satagens, hanc illico in orbem Christianum direxit epistolam.

Epistola Gregorij Papæ.

GREGORIVS, seruus seruorum Dei, vniuersis Christi fidelibus, ad quos litteræ istæ peruenerint, salutem & Apostolicam benedictionem. Audita tremendi seueritate iudicij, quam super terram Ierosolymitanam diuina manus exercuit, tanto sumus nos, fratres nostri, horrore confusi, tantis afflicti doloribus, vt non facile nobis occurreret, quid dicere aut facere deberemus, nisi quod Psalmista deplorat, & dicit Deus, Venerunt gentes in hęreditatem tuam, & cetera. Ex occasione quippe dissensionis, quę suggestione diaboli facta est, nuper in terra accessit Saladinus cum multitudine armatorum ad parteis illas, & occurrentibus Rege & Episcopis Templariis, & hospitalariis baronibus, & militibus cum populo terræ, & Cruce dominica, per quam ex memoria & fide passionis Christi, qui pependit & genus humanum in ea redemit, certum sibi contra Paganorum incursus solebat esse tutamen; facta est congressio inter eos, & superata parte nostrorum capta est crux dominica, trucidati Episcopi, captus est Rex, & vniuersi fere aut cæsi gladio, aut hostilibus manibus deprehensi, ita vt paucissimi per fugam dicantur elapsi. Ipsi quoque Templarij & hospitalarij in eiusdem sunt oculis decollati. Nos autem licet cum Propheta dicere habeamus, Quis det oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos populi mei, non tamen adeo nos deiicere debemus, vt in diffidentiam decidamus, & credamus Deum ita populo suo iratum, vt quod communium faciente multitudine peccatorum fieri permisit iratus, non cito per misericordiam pœnitentia placatus alleuet, & post lacrymationem exsultationem inducat. Quisquis sane in tanta lugendi materia non luget, non tantum fidei Christianæ, sed ipsius etiam humanitatis videtur oblitus, cum ex ipsa periculi magnitudine & feritate barbarica Christianorum sanguinem sitiente, ac totam suam in hoc ponente virtutem, vt prophanet sancta, & cultum Dei auferat de terra, quod nos tacemus, discretus quisque valeat æstimare. Sane cum prius, ac postmodum Apostoli laborauerint, vt diuinus cultus esset in terra illa, & ad omnia climata mundi ex ea difflueret; immo quod maximum & ineffabile est, Deus, qui ibi voluit salutem operari, per seipsum ad hoc dignatus sit laborare, nec lingua dicere, nec sensus cogitare potest, quātum nobis & vniuerso populo dolendum sit, quod nunc id perpessa est terra illa, quod sub veteri populo legitur pertulisse. Nos autem credere non debemus, quod ex iniustitia ferientis iudicis, sed iniquitate potius populi delinquentis ista prouenerunt. Terra illa deuorauit habitatores suos, & nec diu habere quietum statum, nec transgressores legis diuinæ potuit retinere. Porro in tanta contritione terræ illius, non solum peccatum habitatorum eius, sed & nostrum, & totius populi Christiani debemus attendere, ac vereri ne quod reliquum est terræ illius depereat, & in alias etiam potestas infidelium desæuiat regiones, cum ex omnibus partibus inter Reges & Principes, ciuitates & ciuitates, dissensiones audiamus & scandala, & cum Propheta dicere valeamus; Non est veritas, non est scientia Dei in terra, furtum & mendacium, & homicidium, &

adulterium inundauerũt,& sanguis sanguinem tetigit. Cogitate itaque, filij, qualiter transeant vniuersa,& pariter transeatis & vos,& date vestra, & date quoque vos ipsos, non in exterminium,sed in conseruationem ei, a quo & vos & vestra omnia recepistis, nec dicimus dimittite,sed permittite in cęleste horreum quæ habetis,& reponite apud eum,apud quem erugo non demolitur aut tinea, nec fures effodiunt aut furantur, laborantes ad recuperationem terræ illius,in qua pro salute nostra veritas de terra orta est,& sustinere pro nobis patibulum crucis non despexit: & exemplo vestro alios exhortamini, vt ad ponendas pro fratribus animas confortentur, & a vobis addiscant,qualiter in obsequium creatoris sui & personas & substantias suas impendant, recolentes non esse nouum quod terra illa iudicio diuino percutitur, sed nec esse insolitum, vt flagellata & castigata misericordiam consequatur. Poterat quidem Dominus sola eam voluntate seruare, sed non habemus ei dicere cur ita fecerit. Voluit enim forsitan experiri, & in notitiam ducere aliorum, si aliquis sit intelligens aut requirens Deum, qui oblatum sibi tempus pœnitentiæ hilariter amplectatur, & animam ponendo pro fratribus consummetur in breui & compleat tempora multa. Eis autem qui corde contrito & humiliato spiritu laborem itineris huius assumpserint, & in pœnitentia peccatorum,& fide recta decesserint, plenam suorum criminum indulgentiam, & vitam pollicemur æternam. Siue autem superuixerint, siue mortui fuerint; de omnibus peccatis suis,de quibus rectam confessionem fecerint, impositæ satisfactionis relaxationem de Omnipotentis Dei misericordia, & Apostolorum Petri & Pauli auctoritate,& nostra,se nouerint habituros. Bona quoque,ex quo crucem acceperint, cum suis famulis sub sanctæ Romanæ ecclesiæ,nec non Archiepiscoporum & Episcoporum,atque aliorum Prælatorum Ecclesiæ protectione consistant, & nullam de his,quæ in susceptione crucis quiete possederunt, donec de ipsorum reditu vel obitu certissime cognoscatur, sustineant quæstionem, sed bona eorum integra interim maneant & quieta. Ad dandas quoque vsuras si tenentur alicui,reddere non cogantur. Nec eant in vestibus pretiosis & cum canibus siue auibus aut aliis quæ ostentationi potius aut lasciuiæ,quam necessariis videantur vsibus deseruire, sed modesto apparatu & habitu, in quo pœnitentiam potius agere, quam inanem affectare gloriam videantur. Data Ferentini IIII. Cal. Nouembris.

CAPVT XXI.

HAC igitur Epistola in orbem directa,idem reuerendus Pontifex,piæ sollicitudinis instinctu, Pisas contendit,Pisanos & Ianuenses iugi & inueterata discordia dissidentes Deo auctore reconciliaturus, vel ferales illas inimicitias protensioribus saltem induciis suspensurus,vt sublatis, vel ad tempus sepositis studiis partium, vterque populus, quorum & opes amplissimæ,& vires erant terra marique ingentes, in Christianæ expeditionis communiter accingeretur negotium. Pisas quoque ingressus primos Ianuensium euocauit, & secundum datam sibi sapientiam, cooperante Pontificali reuerentia,feroces hinc inde animos sedare curauit. Cumque per religiosam illius operam opus pacis procederet, iamque arripiendi melioris propositi meditatione inueteratæ illæ ferocium populorum languescerent simultates, febre correptus post dies paucissimos apud Pisas valedixit huic mundo,bonis pastoribus, vt de tali viro credi fas est, sociandus in cælo. Cui successit Clemens,ibidem electus & inthronizatus,qui iacta semina pio studio fouit & ad fructum perduxit.

CAPVT XXII.

SANE tristis ille rumor rerum in Oriente male gestarum, orbem peruagatus, omnium quidem Christianorum cordibus stuporem & horrorem inuexit, multorum autem idipsum tanquam præclara quædam exercendæ virtutis occasio ad æmulandũ animos erexit. Ex quibus Richardus Comes Pictauiensis Regis Anglorum filius,& successor futurus,nuntium forte huiusmodi inclinato iam die accipiens, absque vlla deliberatione laudabile propositum toto mox pectore combibit, & summo, vt dicitur, mane in argumentum futuræ peregrinationis & expeditionis characterem dominicum

solem-

solemniter acccepit. Quo audito pater siluit vsque ad filij aduentum. Et cum adesset, post dies aliquot, me, inquit, inconsulto rem tam arduam arripere debuisti? pio tamen proposito tuo nequaquam aduersabor, sed ita illud prosequar vt a te egregie impleatur. Erat autem tempus hiemale, & nullus adhuc magnorum Principum signum Domini acceperat, sed omnes circa hæc ancipites fluctuabant, cum tamen adhuc diuini timoris stimulos assidue paterentur. Tandem vero Archiepiscopus Tyrius a partibus veniens Orientis, & duriora nuntians, tam præsentes quam etiam imminentes orientalis ecclesiæ miserias ita in auribus publicis deplorauit, vt duo magni Reges Francorum & Anglorum tractandi gratia quidnam facerent, terræ Ierosolymitanæ ab hostibus liberandæ, in terrarum suarum confiniis cum Episcopis & Procerum suorum frequentia conuenirent. Et quidem paulo ante, vti superius expositum est, hostiliter discordauerant, nec finierant inimicitias, sed induciis ad tempus suspenderant. Verum in illo colloquio, dum religiosa intentione non sua sed quæ Christi sunt quærerent, nulla vel admodum languida pristini rancoris irrepsit memoria, sed omni propter Christum simultate & quæstione ita sopita, vt sepultam crederes, paribus votis & studiis Christiano negotio intenderunt. Itaque in multo deuotionis feruore surgentes, signum Regis Regum in eius mox militiam accingendi per manum memorati Archiepiscopi acceperunt, & non tantum sua sed etiam seipsos eidem claræ militiæ deuouerunt. Quorum exemplum Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ, & Comes Campaniæ, cum aliis quampluribus vtriusque regni nobilibus atque ingenti virorum militarium numero, hilari deuotione amplexi, ipsi quoque signo Domini proprios insignire humeros, seque pro ipso laboribus periculisque exponere gloriosum duxerunt. Statuto mox tempore, quo iter arriperent ad necessariam prouisionem & præparationem tanti itineris atque negotij, de communi consilio ista sanxerunt, & redacta in scriptis Episcopis per omneis vtriusque regni prouincias direxerunt.

Statuta Regum in susceptione crucis.

AD audientiam Romanæ ecclesiæ totiusque Christianitatis peruenit rumor ille miserabilis de destructione terræ Ierosolymitanæ, & captione dominicæ crucis: Vnde dominus Papa & ecclesia Romana volens huic miseriæ subueniri, optimum remedium omnibus qui crucem acceperint, de consueta sedis Apostolicæ clementia ordinauit, videlicet quod a die, qua quislibet crucem acceperit, totius pœnæ sibi iniunctæ habebit de peccatis suis, de quibus pœnitens fuerit & confessus, & similiter de oblitis, relaxationem. Ordinante igitur prouidentia Dei, domini Reges Francorum & Anglorum cum immensa multitudine Archiepiscoporum, Episcoporum, Baronum vtriusque terræ crucem Domini susceperunt, & de communi consilio statutum est, quod vnusquisque tam clericus quam laicus decimam omnium reddituum suorum vnius anni & mobilium suorum, quæ nunc possidet, excepto Blado istius anni, dabit ad subuentionem terræ Ierosolymitanæ, & de Blado futuri anni dabit similiter decimam. Excipiuntur libri & vestimenta, & vestes & tota Capella clericorum, & equitaturæ eorum, & ornamenta ecclesiarum, & similiter vestes, & equi, & armatura militum, & lapides pretiosi vtrorumque. Quicunque autem clericus aut laicus crucem acceperit, nihil dabit, & de hominibus terræ suæ decimam habebit, exceptis burgensibus & rusticis, nisi assensu dominorum suorum crucem acceperint. Omnibus ergo hanc decimam legittime reddentibus, de misericordia Dei confisi medietatem sibi pœnæ iniunctæ condonamus, remissionem nihilo minus facientes de decimis hucusque legittime non datis, & de peccatis oblitis. Si autem de aliquo dubium fuerit, quod legittimam decimam non dederit, per septem legales homines de vineto suo veritas inquiretur, & hoc legittime fieri sub anathematis vinculo præcipietur. Statutum est etiam a dominis Regibus, & ab Archiepiscopis & Episcopis & Baronibus concessum, vt quicunque clericus vel laicus crucem acceperit, si redditus suos ante inuadiauerit, exitus huius anni integre habeat, & transacto anno creditor redditus rehabeat, ita quod fructus, quos inde acceperit, in solutionem debiti computentur, vsuris non currentibus super debitis ante crucem contractis, quamdiu debitor in peregrinatione erit. Omnes

etiam tam clerici,quam laici,qui in hac peregrinatione proficiſcentur,licite poterunt inuadiare redditus ſuos,ſiue ecclaſiaſticos ſiue alios, vſque ad tres annos, ita quod creditores,quicquid de debitoribus contingat,inde ſecuri eſſent. Sed & omnium eorum, qui in hac peregrinatione deceſſerint, pecunia ſua quam ſecum attulerant ad ſuſtentationem ſeruientium ſuorum,& auxilium terræ Ieroſolymitanæ, & ad ſuſtentationem pauperum,iuxta conſilium diſcretorum virorum , qui ad hoc ſtatuentur, diuidetur. Statutum eſt etiam vt nullus enormiter iuret, & quod nullus ad aleas vel detios ludat, & quod nullus vario vel griſo vel ſabellinis vel eſcarletis vtatur, & quod omnes tam clerici quam laici duobus ferculis ſint contenti, & quod nullus aliquam mulierem ſecum in peregrinatione ducat,niſi lotricem peditem,de qua nulla ſuſpicio habeatur,& quod nullus habeat pannos deciſos vel laceratos.

CAPVT XXIII.

Solvto ergo cœtu, in quo Reges ſumto charactere dominico de aſſenſu omnium qui aderant Epiſcoporum atque nobilium ita decreuerunt, illuſtris Rex Anglorum in proprium ſub celeritate regnum tranſuectus, celebrem loco opportuno conuentum inſtituit,& ea quæ in partibus placuerant Tranſmarinis, Præſulum & Procerum Angliæ fauore promtiſſimo roborauit. Tunc Archiepiſcopus Cantuarienſis,Epiſcopi Dunelmenſis & Norvvicenſis, multique nobiles regni regio accenſi exemplo ſignum ſacrum ſolemniter ſuſceperunt ; plures quidem mera deuotione, quidam vero minus ſincere,id eſt,vel regia iuſſione, vel vt ſe Principi propenſius commendarent, iuſſionem eius præueniendam arbitrantes. Nec non & multitudo copioſa clericorum, & militum Burgenſium atque ruſticorum,Regis & nobilium in cunctis Angliæ finibus ſequi curauit exemplum,cum in prouinciis eadem fierent Gallicanis. Exigebantur autem decimæ iuxta formam præſcriptam, tantæque peregrinationi ſumtus neceſſarij ſtudio peruigili præparabantur. Fredericus quoque Imperator Romanus non diu paſſus eſt memoratis regibus in hac parte,vel indeuotior, vel ſegnior inueniri. Conuocatis itaque primis imperij,ingentis animi propoſitum declarauit,ornanſque ſolemniter ſigno dominicæ humilitatis imperialis apicem maieſtatis, ſubditis ducibus & gentibus formam efficaciſſimam præbuit. Tantus enim repente ad ſuſcipiendum pro Chriſto peregrinationem periculoſam in magnis Ducibus, ferociſſimis Germaniæ populis fidei & deuotionis feruor incanduit, vt dicere fas eſſet, digitus Dei eſt hoc. Itaque fere cunctæ nominis Chriſtiani prouinciæ ad maturandum iter propoſitum immenſis apparatibus ſtudiiſque feruebant.

CAPVT XXIIII.

Verum ita feruente fidelium deuotione Principum & populorum, antiqui hoſtis tam bona initia corrumpere geſtientis malitia non quieuit. Cum enim illuſtris Rex Anglorum in regno proprio quietus conſiſteret, & prout tantum decebat Principem ad futuram expeditionem modis ſe omnibus præpararet, Rex Francorum neſcio vnde ſtimulatus rupta fide fœderis,ſolemniter inter ipſos ſanciti,vſque ad reditum vtriuſque a partibus Orientis,& nulla ſigni dominici,quod ſocialiter ſuſceperant, reuerentia habita,ſubito furore excanduit, & caſtrum nobile quod Rodulphi dicitur, eratque poſſeſſio Regis Anglorum, quorundam,vt dicitur, nequiſſimorum proditione improuiſis vſurpator intrauit. Quo ſucceſſu elatus, mutato vel potius ex ſufflato expeditionis Ieroſolymitanæ propoſito grandiora moliebatur. Quibus celeriter agnitis Rex Anglorum ſuſcepti pij propoſiti gratia mitius agere ſtuduit, & mature transfretaturus viros honoratos cum verbis pacificis ad præuaricatorem præmiſit. Verum ille ad omne blandimentum inflexus,& rigidus, effrenatiore ſuperbia peſtilentibus cœptis incubuit. Cumque Rex Anglorum transfretaſſet, bonorum ſtudio virorum ad colloquium ſolemniter venerunt, Rex quidem Anglorum querelam rupti fœderis & illatæ ſibi iniuriæ propoſiturus, Rex vero Francorum, tanquam de his rationem redditurus. At ſub hac quaſi fiducia rectitudinis, myſterium operabatur iniquitatis, vt i ex eo, quod conſecutum eſt, dedit intelligi. Richardus enim, Pictauienſis tunc Comes, Regis An-

glorum filius, qui signum Domini (vt supra dictum est) prius acceperat, Francorum, vt creditur, astutia abstractus atque illectus, in ipso solemni Regum colloquio a patre deficiens, ad parteis transiit hostiles. Quo casu consternatus pater, cum causæ malorum ingrauescerent, verbis pacificis cum his qui oderunt pacem aëre inaniter verberato discessit, nesciens penitus cui se crederet, cum tam infilialem iam filium expertus esset. Illico bellum vtrimque instruitur, sed viribus animisque disparibus. Idem enim Richardus, quem pater ducatui Aquitanico præfecerat, parentem sibi militiam ad parteis Regis Francorum traduxit. Plurimi quoque potentium Normanniæ, & Andegauiæ, siue Britanniæ, fide exufflata, manifeste iam a patre deficientes ad filium, in eius gratiam Francorum auxerunt exercitum. Vnde factum est, vt Regi Anglorum præter stipendiarios parcior assisteret numerus, & ipse quoque circa eum mutabundus. Itaque Rex Francorum, cum Comite Pictauiensi & infinitis copiis, terram Regis Anglorum nullo obsistente ingressus, ad vrbem Cenomannensem, vbi idem Rex cum suo exercitu morabatur, pertendit. Quo ille cognito, cum & instructu copiarum ad subeundum belli discrimen se longe imparem cerneret, & obsideri ab hostibus formidaret, incensa vrbe, & multa suppellectile abiecta profugit, & quidem in tutiora se loca recepit. Porro exercitus, qui eum sequi videbatur, defluxit. Tunc Ioannes filiorum eius minimus, quem tenerrime diligebat, recessit ab eo, ne fratribus dissimilis & minus frater videretur. Hostes autem vrbe Cenomanensi cum arce potiti, vrbem quoque Turonicam cum arce eius procurrente impetu expugnarunt; de obsidenda quoque vrbe Andegauensi consequenter tractantes. Tot malis Rex Anglorum anxius, & maxime ex iunioris filij defectione animo saucius; quem dum specialiter amplecteretur affectu, eiusque immoderatius promotioni intenderet, seniorem filium irritasse videbatur; vexatione dante intellectum, manum Domini contra se attendit extentam, eoque auctore ad castigationem malorum, quæ fecerat, tantam rerum mutationem repente circa se factam. Denique ex multa mœstitudine febrem accersiuit, qua inualescente post dies aliquot apud Chinonem vitam finiuit. Hunc finem habuit inclitus ille Rex Henricus inter Reges terrarum nominatissimus, & nulli eorum vel amplitudine opum, vel felicitate successuum paulo ante secundus. Hostes vero audito eius incommodo mitius agere cœperunt, & maturatis induciis bellum suspenderunt: cum ecce clarissimi olim syderis occasus nuntiatur. Turbatus nuntio Comes Pictauiensis ingemuit, & ad expiandum, quod viuenti patri minus officiosus exstiterat, in officio paterni funeris vel sero se filium comprobauit. Hostes quoque, qui excellenti gloriæ eius & virtuti semper inuiderant, extinctum lamentasse & laudasse dicuntur, omniumque sensibus expositum erat, quanta sit vanitas, atque fallacia gloriæ temporalis, cum illum, qui tantus paulo ante in orbe refulserat, tam miserabilis subito casus absumsisset. Corpus eius, prout ipse in extremis pia deuotione dictauerat, ad illud famosum & nobile monasterium fœminarum (quod fons Ebrandi dicitur) deportatum, ibidem præsentibus filiis, atque assistente nobilium multitudine, iuxta magnificentiam sepultum est. Idem namque monasterium, celeberrimæ religionis titulo inclytum, specialiter viuus coluerat, & tantis præuenerat beneficiis, vt in eo potisimum iuxta meritum votumque proprium corpori suo locum requietionis, sub exspectatione finalis resurrectionis, deberet accipere. Silendum vero non arbitror, quod a quodam venerabili viro audisse memini, asserente se idipsum accepisse a quodam religioso eiusdem monasterij fratre, ita narrante. Quædam nostræ congregationis persona laudabilis abundantiorem Regi Anglorum, tanquam præcipuo monasterij nostri patrono, affectum impendens, pro eius salute Omnipotenti Domino propensius supplicabat; cumque desideraret nosse, quæ vel de misericordia, vel de iudicio superni moderatoris eidem essent Regi euentura; ante tempus, quo Reges signum dominicum susceperunt, tale a Domino de Rege dilecto in somnis responsum accepit: Signum meum super se leuabit, sed in tormento tormentum portabit, iam vterus vxoris suæ contra eum intumescet, & ad vltimum cum velatis velabitur. Huius nimirum responsi veritas declarata est in eiusdem Principis deuotione, qua dominicum sibi signum imposuit, & in his, quæ hāc eius

deuotionem consecuta sunt vsque ad eius inter velatas, prout superior narratio patefecit, sepulturam.

CAPVT XXV.

Sane idem Rex & pluribus, quæ personam ornant regiam, fuisse noscitur virtutibus præditus, & quibusdam nihilominus vitiis obnoxius, quæ Christianum Principem plurimum dedecerent: In libidinem pronior coniugalem modum excessit, formam quidem in hoc tenens auitam; sed tamen auo huius intemperantiæ palmam reliquit: Regina pro tempore sufficienter vsus ad sobolem, ea desinente parere, sectando voluptatem spurios fecit: venationis delicias æque vt auus plus iusto diligens, in puniendis tamen positarum pro feris legum transgressoribus auo mitior fuit. Ille enim, vt suo loco dictum est, homicidarum & fericidarum in publicis animaduersionibus nullam vel paruam esse voluit distantiam. Hic autem huiusmodi transgressores carcerali custodia, siue exilio ad tempus coercuit. Gentem perfidam & Christianis inimicam, Iudæos scilicet fœnerantes, propter largiora, quæ ex eorum percipiebat fœnerationibus, commoda, plus iusto fouit, in tantum, vt in Christianos proterui & ceruicosi existerent, plurimaque eis grauamina irrogarent: In exquirendis pecuniis paulo immoderatior fuit, sed temporis sequentis supra modum excrescens malitia iustificauit eum in hac parte, & decentem modum ab eo innuit esse seruatum, excepto eo, quod vacantes Episcopatus, vt prouenientia perciperet commoda, diu vacare voluit; & ecclesiasticis potius vsibus applicanda in fiscum redegit. Hoc tamen opus minus regium tali excusatione, vt dicitur, tueri nitebatur; Nonne melius est, vt pecuniæ istæ impendantur necessariis regni negotiis, quam in Episcoporum absumantur deliciis? Nostri enim temporis Præsules veterum in se formam minime exprimunt, sed circa officium remissi & languidi totis mundum brachiis amplectuntur. Hoc dicens, infamem quidem notam nostris Præsulibus inurebat; ad sui vero defensionem inanem ratiunculam texebat. Sane in Ecclesiam Lincolniensem, quæ ob ampliora commoda vacasse diutius noscitur, grauius deliquit; verumtamen ante sui obitus annos aliquot, ad hoc ipsum expiandum delictum, eidem Ecclesiæ religiosi pastoris sollicitudinem studuit prouidere. Clarissimos ex Alienora Regina filios habuit, sed, vt digesta superius relatio declarauit, in filiis clarissimis infelicissimus ipse pater fuit. Quod vtique Dei iudicio ex duplicis causæ merito creditur accidisse. Eadem quippe Regina Regi Francorum olim coniuncta, cum eiusdem pertæsa copulæ, ad illius nuptias adspirasset, causas quæsiuit diuortij; solutamque a lege prioris viri in facie Ecclesiæ, quadam, vt ita dicam, illicita licentia, ille mox suo acciuit coniugio. Vnde factum est Deo subtiliter cuncta librante, vt ex ea in propriam perniciem præclaram sobolem procrearet. Iustum quoque erat, vt qui filios nimis tenere diligens pluribus nocuisse noscitur, dum filiorum plus iusto promotioni intenderet, eorum vel improbis moribus, vel immaturis mortibus vapularet. Hoc autem totum accidisse manifestum est, superni vtique examinis ordinatione pulcherrima. Porro quia nondum, vt credo, satis defleuerat illius infelicissimæ obstinationis rigorem, quem aduersus venerabilem Archiepiscopum Thomam habuerat, tanti Principis tam miserabilem fuisse exitum arbitror, vt dum ei Dominus in hac vita non parceret, in alia illi vita, sicut pium est credere, misericordiam præpararet. Fuit enim in illo regni fastigio tuendæ & fouendæ pacis publicæ studiosissimus, in portando gladio ad vindictam malefactorum, quietem vero bonorum, Dei minister multum idoneus, rerum & libertatum ecclesiasticarum, sicut post mortem eius claruit, defensor & conseruator præcipuus: Pupillorum, viduarum, pauperum, in suis præceptionibus multam curam habuit, & locis pluribus insignes eleemosynas larga manu impendit: Viros religiosos specialiter honorauit, & res eorum æquo cum suis dominiis iure conseruari præcepit. Antequam inhumanam circa naufragos consuetudinem in ipsis regni sui initiis eximia pietate correxit, atque huiusmodi hominibus, ab æquoreo discrimine liberatis, humanitatis officium exhiberi præcipiens, graueis in eos pœnas sanxit, qui forte illis in aliquo molesti esse, vel de rebus eorum quippiam vsurpare præsumerent. Nullum graue regno

Anglorum, vel terris suis Transmarinis, onus vnquam imposuit, vsque ad illam nouissimam decimationem, causa expeditionis Ierosolymitanæ, quæ nimirum decimatio in aliis æque fiebat regionibus: Tributum more aliorum Principum sub cuiuslibet necessitatis obtentu ecclesiis siue monasteriis nunquam indixit, quibus etiam ab Angariis & exactionibus publicis religioso studio immunitatem seruauit. Discrimen sanguinis & mortes hominum exhorrescens, armis quidem cum aliter non potuit, sed libentius pecuniis, cum potuit, pacem quærere studuit. His aliisque bonis personam ornans regiam, multis, tantum ad sola eius mala oculos habentibus, gratus non fuit. Ingrati homines & conuersi in animum prauum proprij mala Principis assidue carpebant; bona vero nec audire sustinebant, quibus vtique sequentis temporis sola vexatio iam dedit intellectum. Quippe præsentium malorum experientia bonorum eius induxit memoriam, atque hominem, in diebus suis fere omnibus tam inuisum, egregium & vtilem fuisse Principem declarauit. Salomonem quoque Regem pacificum, qui populum Israëliticum ad summi honoris fastigium & præclaras diuitias extulit, eidem tamen populo minus placuisse, verba illa ad filium eius satis insinuant, Pater tuus aggrauauit iugum nostrum, tu alleuia iugum nostrum, & seruiemus tibi. Porro quod idem filius conquerenti populo puerili leuitate comminando respondit: scilicet minimus digitus meus grossior est lumbis patris mei: Pater meus aggrauauit iugum vestrum, ego addam iugo vestro: Pater meus cæcidit vos flagellis, ego cædam vos scorpionibus; quod inquam ab illo leuiter dictum est, ad tempora nostra non leuiter redundat, & nostris aptissime temporibus cōgruit, & tamen populus insipiens cum minori nunc querela scorpionibus cæditur, quam ante annos aliquot flagellis cædebatur. Obiit autem illustris Rex Anglorum Henricus II. anno regni sui xxxv. anno ex quo signum Domini suscepit secundo, biennio Christianæ in Oriente debellationis exacto.

CAPVT XXVI.

Sane cum iuxta digestam superius narrationem memorati inter se reges contenderent, & fœdus, quod cum Christo paulo ante pepigerant, minus obseruarent, licet ille excusabilis videatur, qui a prosequendo pio proposito non voto est proprio sed vi externa deflexus, Fredericus Imperator Romanus tantæ vecordiæ iure succensens, eosdem non expectandos censuit, sed filio seniori, quem Regem Longobardorum constituerat, imperij cura commissa, cum filio Sueuorum Duce per Pannonias Thraciasque iter facturus tempore congruo peregrinationem arripuit, ducens secum maximas atque fortissimas Germanicarum gentium copias. De regno quoque Francorum Iacobus de Aueniis vir fortis & nobilis, cum aliis plurimis, nec non & ex aliis regnis Christianis armata manus non modica, Imperatore Latino propter Greci Imperatoris perfidiam per subditas illi regiones morose transeunte, liquidi itineris compendio Tyrum venerunt, atque annitente Marchione, qui eidem vrbi pro tempore præsidebat, cum Templariis & hospitalariis Ptolemaidem, quæ nunc Acra dicitur, valido obsederunt exercitu. Et ne vrbem a facie habentes, hostilis exercitus impetu a tergo premerentur, vallum sibi firmissimum circumduxerunt. Saladinus vero mox cum infinitis Turcorum copiis affuit; fixisque circa vallum tentoriis, quotiens nostri vrbem impetebant, Turci in vallum impetum faciebant: vnde factum est, vt cum summo nostro labore atque periculo diutius obsidio traheretur, dum & nostri, maris beneficio, subsidia caperent, & Turci virorum, armorum & ciborum copia vrbem captata flatuum opportunitate munirent. Quomodo autem eadem ciuitas tandem expugnata sit, postquam Christianum exercitum diu multumque exercuit, quæ minimo negotio in manus hostiles inciderat, suo loco dicetur.

CAPVT XVII.

Eodem tempore aggrauata est manus Domini super nostros in summis angustiis constitutos, præcipuum illis subtrahendo patronum, illustrem scilicet Siciliæ Regem & Apuliæ ducem Guillelmum, cuius vtique religiosa & potenti opera pauperculæ illæ

Chriſtianitatis in Syria reliquiæ potiſſimum conſeruatæ noſcuntur: quas profecto ab initio deſolationis, competentibus ſubſidiis ſubleuare curauit, cum nec a regnis remotioribus quicquam poſſent percipere, & Saladini, ob recentem victoriam, vehementius excandeſceret feritas. Et quidem illius ſublatio tolerabilis vtcunque fuiſſet, niſi poſt eum exitialis de regni ſucceſſione altercatio emerſiſſet, qua nimirum regiones clariſſimæ ita turbatæ ſunt, & deſolatæ, vt Chriſtianis in Syria laborantibus nihil poſſet exinde ſolatij iuxta morem priſtinum miniſtrari. Huius autem turbationis cauſa noſcitur exſtitiſſe, quod idem Rex vxore ducta Regis Anglorum filia, & ex ea ſobole non ſuſcepta deceſſit. Porro eius conſobrina, cui eo mortuo regni competere videbatur hæreditas, Regi Longobardiæ Teuconici Imperatoris filio nupſerat: Verum Siculi Apulique Alemannicam execrantes ditionem, virum nobilem de ſtirpe Regum priorum Tancredum, cum fauore ſedis Apoſtolicæ, Regem ſibi creauerunt. Vnde motus Rex Longobardiæ bellum eis indixit, & paulo poſt patre ex hac vita rapto, vt ſuo loco dicetur, ad apicem ſublimatus imperij, Italicum atque Teutonicum furore implacabili immiſit eis exercitum. Qualem autem hæc imperatoria expeditio exitum habuerit alius exponendi locus erit. Rerum igitur Sicularum Apularumque tanta turbatio, Chriſtianis in Oriente reliquiis vberrimum conſueti fructum præcidit auxilij. Et noſtræ quidem hiſtoriæ librum hic tertium terminamus, vt in ea quartus cum regno illuſtris Regis Richardi liber incipiat.

LIBER QVARTVS.

CAPVT PRIMVM.

ANNO a plenitudine temporis, quo veritas de terra orta eſt M. C. LXXXIX. ſedi Apoſtolicæ præſidente Clemente, Henrico autem Frederici filio arcem Romani imperij tenente, & Francis imperante Philippo, Richardus illuſtriſſimi Regis Anglorum Henrici II. filius defuncto patri ſucceſſit. Hic patre ſepulto hæreditati mox tranſmarinæ incumbens, nobilium ſimul & plebium ſolemnibus votis gaudiiſque excipitur, rebuſque trans mare mature diſpoſitis, in Angliam, quæ eius cum deſideriis pręſtolabatur aduentum, oportune tranſuehitur, cunctis ex eius edicto cuſtodiis per Angliam relaxatis, vt ſcilicet ad introitum noui Principis eſſet lætitia generalis. Quippe æſtuabant tunc carceres reorum multitudine, ſub exſpectatione vel diſcuſſionis vel ſupplicij, ſed eo regnum ingrediente peſtes illæ carcerum per eius clementiam ſunt egreſſæ, confidentius fortaſſe de cetero graſſaturæ. Statuto die vnctionis regiæ, conuenit Lundonias pæne vniuerſa regni nobilitas, de partibus quoque Tranſmarinis copioſa virorum ſpectabilium multitudo. Richardus igitur primus, ſolus Regum a ſeculo ita nominatus, Lundoniis eſt conſecratus a Balduino Cantuarienſi Archiepiſcopo, tertio Nonas Septembris, qui dies ex priſca gentili ſuperſtitione malus vel Ægiptiacus dicitur, tanquam quodam Iudaici euentus præſagio. Dies enim ille Iudæis exitialis fuiſſe dinoſcitur, & Ægiptiacus magis quam Anglicus, cum Anglia, in qua ſub Rege priore felices & inclyti fuerant, repente illis in Ægiptum, vbi patres eorum dura perpeſſi ſunt, Dei iudicio verteretur. Res quidem recentis memoriæ eſt, nullique ignota præſentium, ſed operæpretium eſt pleniori relatu tranſmittere ad poſteros tam perſpicuum circa gentem perfidam & blaſphemam ſuperni iudicij monumentum. Conuenerant ad ſolemnem Chriſtiani Principis vnctionem ex cunctis Angliæ finibus, non tantum nobiles Chriſtiani, verum etiam primi Iudæorum: Cauentes enim, idem hoſtes veritatis, ne forte habita ſub Rege priore felicitas minus eis arrideret ſub nouo, eius decentiſſime honoranda primordia, & fauorem non diſparem amplitudine munerum redimendum duxerunt. Verum ille

vel

vel minus iam eos acceptans quam pater, vel nescio quid præcauens, superstitiosa quadam de consilio quorundam cautela, edicto, vt dicitur, interdixit eis ingressum vel ecclesiæ, dum coronaretur, vel palatij, dum post coronationis solemnia conuiuaretur. Expletis igitur missarum solemniis, Rex fulgens diademate cum pompa magnifica ad conuiuium intrauit. Contigit autem eo discumbente cum omni frequentia nobilium, populum circa palatium obseruantem tumultuari: Iudæi siquidem turbis immixti, fores sic regias introibant. Vnde indignatus, vt fertur, quidam Christianus, Iudæum palma percussum ab ingressu ianuæ arcere curauit, regium obiectans edictum. Quo exemplo plures accensi, Iudæos cum contumelia repellebant. Factoque tumultu indisciplinata cum turbine turba accurrit, credentesque Regem talia mandasse, tanquam freti auctoritate regia in multitudinem Iudæorum ad fores regias obseruantium pariter irruerunt. Et primo quidem percutiebant pugno impie, mox vero vehementius efferati sustulerunt ligna & lapides. Porro Iudæi fugam inierunt, in fuga nonnulli cæsi vsque ad mortem, quidam etiam protriti perierunt. Venerant autem illuc cum ceteris duo nobiles Iudæi Eboracenses, Ioceus scilicet & Benedictus, quorum prior euasit, sequẽs vero, dum plagis impositis segnius fugeret, comprehensus, vt mortem differret Christum coactus est confiteri, ductusque in ecclesiam illico baptizatus est. Interea rumor gratissimus, quod scilicet Rex omneis Iudæos exterminari iussisset, totas incredibili celeritate percurrit Lundonias, moxque infinitus indisciplinatorum populus, tam ex ipsa ciuitate, quam ex illis quos illuc ex prouinciis plurimis vnctionis regiæ solemnitas traxerat, armatus accurrit, spirans prædarum & cædis in populum, Dei iudicio cunctis inuisum. Porro ciues Iudæi, quorum multitudo Lundoniis habitare dinoscitur, cum illis qui vndecunque confluxerant, in domos se proprias receperunt. Circundantur a feruentibus populis, fortiterque oppugnantur ab hora nona vsque ad solis occasum eædem domus. Quæ quoniam propter fabricam firmiorem effringi non poterant, & furentibus machinæ deerant, igne tectis immisso horrendum cito colluxit incendium, quod & laborantibus Iudæis exitio fuit, & furentibus Christianis in nocturno opere lucis adiutorium præbuit. Nec solis Iudæis specialiter in eos accensus ignis nocuit, quia discretionis nescius nonnullas quoque proximas Christianorum ædeis corripuit. Videres repente clarissima vrbis loca flammis ciuilibus, tanquam hostilibus, mirabiliter conflagrare. Iudæi vero vel in propriis torrebantur ædibus, vel egredientes excipiebantur ensibus: Multum sanguinis in breui fusum est. Verum cito satietatem cædium induxit fortius excandescens cupido prædarum, vicitque auaritia crudelitatem. Denique omissis cædibus, expilandis ædibus & diripiendis opibus rabies auara incubuit. At hoc Christianos versa vice Christianis fecit infestos, dum alius alij, quod forte rapuerat, inuideret, & prædandi studio ne amicis quidem & sacris impia æmulatrix auaritia parceret. Nuntiantur hæc Regi festiue in palatio cum omni procerum frequentia conniuanti, mittitur a latere eius Ranulphus de Glanuilla, regni procurator, vir potens & prudens, cum aliis æque nobilibus, vt vel flecteret vel frænaret audaces: At id frustra. In tumultu enim tanto nullus eorum aut vocem auscultauit, aut faciem honorauit. Quin potius quidam indisciplinatiores fremere aduersus eos cœperunt, & vt maturius recederent terribiliter denuntiauerunt. Illis igitur effrænatam rabiem consulte declinantibus, tanta licentia quanta & audacia vsque ad sequentis diei horam secundam desæuiere prædantes, & tunc sæuiendi magis satietas vel lassitudo, quam vel ratio, vel reuerentia Principis prædantium sedauit furorem. Hoc eatenus inaudito regiæ ciuitatis euentu, & egregie inchoato perfidæ gentis exitio, & noua Christianorum contra inimicos crucis Christi fiducia, insignitus est regni illustrissimi Regis Richardi dies primus, plane non tantum iuxta regulam, qua iubentur ambigua in melius potius quam in deterius deriuari, verum etiam iuxta significationem aptissimam Christianæ in diebus eius promotionis præsagus. Quid enim aptius portendit, si quid protendit, quod regiæ consecrationis eius diem pariter & locum blasphemæ gentis nobilitauit exitium, quod in ipso regni eius exordio hostes Christianæ fidei cœperunt iuxta eum cadere & infirmari?

Non ergo sic moueat quemquam vel vrbis in quadam eius parte incendium, vel insulsus ille feruor indisciplinatorum, quo minus præclari euentus bonus fiat piusque interpres, cum & huiusmodi supernæ moderationis ordini militent, impleatque Omnipotens plerumque voluntatem suam valde bonam, per hominum etiam nequissimorum voluntatem, & actionem valde prauam. Sane rex nouus, cum esset ingentis animi & ferocis, indignatus & dolens quod in suæ coronationis solemnis regnique primordiis sub eius præsentia talia contigissent, æstuabat, anxius quid nam super his esset agendum. Tantam quippe & sine exemplo Maiestatis regiæ læsionem dissimulare, atque inultam dimittere, & Regi nimis indecorum, & regno quoque noxium videbatur, cum tantæ atrocitatis dissimulatio, per impunitatis fiduciam, improborum ad attentanda similia nutritura foret audaciam. Porro in infinitam reorum multitudinem censuræ regiæ vigorem exercere prorsus erat impossibile. Nam præter nobiles cum Rege conuiuantes, quorum tantus erat numerus, vt regij amplitudo palatij angusta videretur, fere totum ciuitatis populum, & fere totas nobilium familias, quæ cum ipsis nobilibus ad vnctionis regiæ solemnia venerant, odium Iudæorum, & prædarum illecebra, ad memorati operis patrationem contraxerant. Dissimulari ergo oportuit, quod vindicari non potuit, Deo nimirum ordinante, vt qui diuinæ in perfidos & blasphemos vltionis ministri exstiterant, humano propter hoc iudicio minime sisterentur. Superni quippe examinis ratio exigebat, vt blasphemi illi, qui tempore superioris Principis supra modum ceruicosi & proterui in Christianos fuerant, successoris eius primordiis humiliarentur. Benedictus vero ille, qui, vt dictum est, lauacrum Christianum coactus acceperat, corde quidem non credens ad iustitiam, sed inani tantum oris confessione aërem verberans, in crastino perductus ad Principem, interrogatus est ab eo, an esset Christianus: Qui respondit se a Christianis baptizari coactum, sed animo semper fuisse Iudæum, & talem se malle mori, cum iam non posset viuere, plagis enim pridie acceptis vrgebatur ad mortem. Eiectus ergo a facie Principis Iudæis est redditus apostata Christianus, factusque filius Gehennæ duplo quam prius, post dies paucos defecit, ad hoc tantum Christianus factus, vt apostata moreretur. Princeps autem post cladem Iudæis pacem sanciuit edicto; qua tamen, vt suo loco narrabitur, non diu sunt fruiti, superno vtique iudicio exigente blasphemæ gentis superbiam seuerius castigari.

CAPVT II.

IN primis sane Rex nouus studium habuit, vt quoniam plures in Anglia Cathedrales vacabant ecclesiæ, propriis ad eius instantiam eædem gauderent Præsulibus. Richardus ergo Eliensis, thesaurarius Regius, sedem accepit Lundoniensem: Godefridus Luciensis cathedram Wintoniensem: Guillelmus de longo Campo, Cancellarius Regius, Episcopatum Eliensem: Hubertus Eboracensis Decanus, ecclesiam Salesbiriensem. Porro Gaufrido fratri suo, qui ad Linconiensem ecclesiam olim electus, annis, vt suo loco dictum est, plurimis eidem Ecclesiæ ad metenda eius carnalia incubuerat, concessit Rex Metropolitanam sedem Eboracensem, cum iam vacasset annis fere decem. Cuius Gaufridi electionem talem fuisse cognouimus. Patre defuncto, noui Ducis adhuc in Normannia constituti litteræ, arte, vt dicitur, quorundam eiusdem Gaufridi elicitæ, ad capitulum Eboracense manarunt, Gaufridum fratrem suum in Archiepiscopum eligi postulantes, atque obsistentibus Regij metus periculum comminantes. Quibus litteris territi atque præstricti Præcentor, & ceteri qui aderant, nam Decanus & alij plures aberant, ad solam futuri Principis gratiam respicientes, memoratum Gaufridum solemniter elegerunt. Verum cum idem sumto diademate regno præsideret paterno, eidem electioni succensuit, litterisque illis, quibus præstricti fuerant eligentes, tanquam vel non suis, vel certe surrepticiis derogans, pro necessitate tamen Ierosolymitanæ expeditionis ingentis summæ promissione placatus, tandem assensum præbuit. Qualia vero circa eundem electum postmodum prouenerunt, suo loco exponetur.

CAPVT III.

Praeterea circa Ioannem fratrem ſuum vterinum Rex proprium egregie declarauit affectum. Nam præter paternæ in Hybernia adquiſitionis plenitudinem, & Comitatum in Normannia Moritanenſem, de quibus ſcilicet paternam donationem ratam habuit, in Regno Anglorũ tanta illi adiecit, vt quaſi Tetrarcha videretur. Denique Cornubiam, Deueneſiram, Notigamſiram, & Lõcaſtrum, cum adiacente prouincia, atque alia plurima de Regio dominio contulit, & nihilominus illi Glouceſtrenſis Comitis filiam propriam, ſcilicet in quarto gradu conſobrinam, cum integritate iuris paterni, quod eſſe ampliſſimum noſcitur, minus quidem legittima, & plus iuſto fraterna prouiſione deſpondit. Verum hæc in eius fratrem immoderata atque improuida largitas multa & grauia mala ſequenti tempore peperit, & profuſum largitorem profunda pœnitudine caſtigauit. Indulta enim Ioãni tetrarchia fecit eum ambire monarchiam, vnde & factus eſt de cetero fratri infidus, & ad vltimum manifeſte infeſtus: quod nimirum plenius exponendi ſuum in ordine hiſtoriæ locum habebit.

CAPVT IIII.

Erat autem idem adhuc regni procurator, qui fuerat tempore Regis prioris, Ranulphus ſcilicet de Glanuilla, homo præclaræ prudentiæ; qui cum eſſet grandæuus, & videret a Rege nouitio multa minus conſulte & prouide actitari, huius officij onere expediri voluit, vt ad Ieroſolymitanam ſe profectionem, nam ſignum Domini ſub Rege Henrico ſuſceperat, commodius præpararet: Solemniter ergo renuntians officio minus legittimos habuit ſucceſſores: Idem quippe officium Dunelmenſi Epiſcopo, nec obluctanti, a Rege commiſſum eſt, qui nimirum cõſultius proprio contentus officio, diuini iuris multo decentius quam humani miniſter exſtitiſſet, cum nemo poſſit vtrique, prout dignum eſt, deſeruire, atque illud dominicum ad Apoſtolos; Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ, maxime ſucceſſores Apoſtolorum reſpiciat. Si enim velit Epiſcopus, vt cæleſti pariter & terreno Regi placeat, ad vtrunque ſe officium diuidere, certe Rex cæleſtis, qui ſibi vult ex toto corde, tota anima, tota virtute ſeruiri, miniſterium dimidium non approbat, non diligit, non acceptat. Quid ſi Epiſcopus nec ſaltem dimidius, quę Dei ſunt, & decent Epiſcopum, exequatur, ſed vices ſuas indignis & remiſſis executoribus committat, vt terreno vel palatio, vel foro totus ſeruiat? nam nec terreni Principis ratiocinia quiſquam dimidius ſufficienter adminiſtrat. Quamobrem memoratus Pontifex, cum iam eſſet grandæuus officio ſeculari ſuſcepto, in Auſtralibus Angliæ partibus ad publica totus negotia reſidebat.

CAPVT V.

Tunc idem Rex Anglorum, qui primus potētum, cum Comes adhuc Pictauienſis diceretur, dominicum ſignum acceperat, circa Ieroſolymitanam profectionē ſtudioſius ſatagens, inſtante maxime Rege Francorum, vt tempore congruo iter ſimul arriperent, & moram quam interpoſuerant apparatu propenſiore purgarent, ſumtus idoneos modis cœpit omnibus præparare. Neque enim theſauros patrios, & quæcunque pater ſpecialiter ad illam profectionem congeſſerat, ſufficere iudicauit, ſed ſuam quoque induſtriam & operam in hoc ipſo expendens, citra patris vel in hoc conſiſtere gloriam duxit inglorium. Euocauit igitur mandatis vrgentibus Regem Scottorum, inueterata laborantem triſtitia pro Caſtellis, bellico (vt ſuperius dictum eſt) ſibi caſu ablatis, ſcilicet Rokeſburch & Berevvyck. Nam tertium, quod dicitur Caſtellum puellarum, ſub Rege Henrico receperat: cũ coniugem eius voluntate & conſilio de partibus acciperet Tranſmarinis. Veniens itaque ad Regem Anglorum, pactus eſt ei decem milia marcas argenti, pro reſignatione Caſtellorum, remeanſque ad propria eandem a ſubditis eminentia Regiæ poteſtatis ſummam corraſit, qua Regi Anglorum ſoluta, cum multa lætitia Caſtella recepit. Dunelmenſem quoque Epiſcopum, quem pecunioſum eſſe credebat, Rex nouus aſtute pellexit, vt emeret a ſe proprij Epiſcopatus prouinciam, eſſetque eiuſdem prouinciæ Epiſcopus ſimul & Comes, annexo Epiſcopatui Comitatu. Quod & factum eſt, quam excogitato aſtu Principis, vt pecunias Epi-

ſcopi tolleret, tam immoderato ambitu grandæui Epiſcopi, Epiſcopatu, qui opulentiſſimus noſcitur, in illa ætate non contenti, nec reputantis illud propheticum, immo per prophetam Dominicum, Ne qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis; vt Comitatum ad Epiſcopatum coniungeret, quod vtique maius non eſt curaret. Dedit ergo Regi pro emendo Comitatu, quicquid pro Ieroſolymitanæ profeſectionis apparatu congeſſerat, & quicquid inſuper corradere poterat de Epiſcopatu. Et ipſe quidem de huiuſmodi mercimonio glorians iocabatur. Rex vero facetias inde conficiens ita iocabatur; De vetuſto Epiſcopo nouitium Comitem mirus ego artifex feci. Cum autem idem Epiſcopus hoc modo ſe nudaſſet pecuniis, quas ſacræ propter Chriſtum peregrinationi deuouerat, illud quoque conſequenter ſtuduit irritare, quod in ſolemni crucis ſuſceptione Omnipotenti vouerat Domino. Cumque apud Romanum Pontificem non diceret, Comitatum emi & ideo Ieroſolymam proficiſci non poſſum, rogo te, me habe excuſatum; quod quidem vere dixiſſet; ſed potius fatiſcentem cauſaretur ætatem, ſeque tam laborioſæ peregrinationi minus ſufficere allegaret, quippe conſcientiæ relictus, illico ſignum ſacrum ſolemni deuotione ſuſceptum irreuerenter & infirmiter abiecit, & inuentæ apud Regem pretioſæ Margaritæ, pro qua tanta dederat, poſſidendæ iucubuit, quæ tamen, vti nunc cernere eſt, non ſolida, ſed pro rerum & temporum mutatione breuis & perfunctoria poſſeſſio fuit. Sane Rex eadem arte, qua huius Epiſcopi ſacculos exhauſit, alios quoque plures pellexit, vt effuſis pecuniis certatim dignitates ſiue libertates quaſlibet, vel publica officia, vel ipſa etiam prædia regia compararent. Diſtrahebat itaque propria mature profecturus, tanquam animum redeundi non habens. Cumque ab amicis propter hoc familiari auſu increparetur, reſpondiſſe fertur; Lūdonias quoque venderem, ſi emtorem idoneum inueniſſem. Denique in hac diſtractione deſipere videbatur, eoque procliuius emebant plurimi, quo nunquam repatriaturus credebatur. Præmaturo namque, & immoderato vſu armorum, quibus ab ingreſſu adoleſcentiæ plus iuſto indulſerat, ita iam fractus & languidus dicebatur, vt Orientalis labore expeditionis cito abſumendus videretur. Alij vero dicebant eum quartano incommodo, quo diu laborauerat, ita corruptum & tabidum, vt diu non poſſet in illo maxime tam grandi labore ſubſiſtere: Huius rei argumentum eſſe indecentem quandam, quæ in eo apparebat cum pallore faciei, membrorum corpulentiam. Aiebant etiam quidam, quod pluſquam centum in corpore haberet vſturas pro euaporanda corruptione humorum. Tales de Rege per aures, & fere per ora omnium volitabant rumores, quibus vtique fidem dabant indiſcretæ atque immoderatæ eius vel donationes, vel diſtractiones, & credebatur, tanquam cito ſe finiendum intelligens, minus de regno curare, quod ita vel ſcinderet, vel diſſiparet. Verum quam ſubtili hæc aſtu, vel fecerit, vel finxerit, vt omnium qui pecunioſi videbantur ſacculos exhauriret, poſtea claruit. Menſibus autem aliquot in Anglia demoratus, regni adminiſtratione Cancellario ſuo, Epiſcopo ſcilicet Elienſi, relicta, ante Dominici natalis ſolemnia in Normanniam transfretauit. Succenſebant fere omnes, quod Rex nobilis peregre profecturus in regiones longinquas, minus ſolemniter regnum proprium reliquerit, & remiſſiorem, quam oportuit, eius curam, cum egrederetur, habuerit, & quod homini peregrino obſcuri nominis, & minus probatæ vel fidei vel induſtriæ, abſque conſilio & voluntate Optimatum, rerum ſummam crediderit. Vtrum vero recte, an ſecus, in his Regiæ fuerit ordinationi derogatum, ſequentis eſt temporis euentibus declaratum.

CAPVT VI.

Nec ſilentio prætereundum eſt ſtupendum nimis terribileque prodigium, quod circa hæc tempora in Anglia viſum eſt a multis, qui vſque nunc ſunt teſtes eius ad eos qui non viderunt. Eſt ſuper ſtratam publicam, qua Lundonias pergitur, vicus haud ignobilis, Dunſtapela nuncupatus, ibi dum forte quidam hora poſtmeridiana in cælū ſuſpicerent, viderunt in ſublimitate ſereni aeris formam vexilli Dominici lacteo candore conſpicuam, & cōiunctam ei formam hominis crucifixi, qualis in eccleſia, ad memoriam Dominicæ paſſionis & deuotionem fidelium, pingitur. Stabant autem

ſtupe-

ſtupefacti, genibus fixis rem mirabilem intuentes: Quorum ſtuporem & erectos in cœlum vultus plurimi ſtrata publica gradientes mirati, ipſi quoque ſuſpicere, & viſa rei nouitate pariter ſtupere cœperunt. Cum ergo terribilis hæc ſpecies diutiuſcule appareret, & curioſe intuentium vultus animoſque ſuſpenderet, viſa eſt forma crucis ab eo, qui affixus videbatur, recedere, vt medium aeris ſpatium inter vtrumque moraretur, & paulo poſt res ſtupenda diſparuit, ſed cauſſa ſtuporis ſublata effectus remanſit. Denique late vulgatum eſt verbum iſtud, reique prodigioſæ rumor & ſtupor pariter cōcurrerunt. Interpretetur quiſque vt voluerit ſignum mirabile, cuius vtique didici ſimplex narrator eſſe, non etiam præſagus interpres. Quid enim diuinitas eo ſignificare voluerit neſcio.

CAPVT VII.

Dvm igitur (vt ſupra dictum eſt) illuſtris Rex Anglorum Richardus regno, vt volebat, diſpoto in Normanniam transfretaſſet, ſolemne cum Rege Francorum colloquium habuit, vbi ambo inter ſe mutuæ ſocietatis iura firmantes, & germanam alterutrum compromittentes charitatem, Orientali ſe expeditioni cum viris nobilibus, qui ſignum Domini acceperant, fortius aſtrinxerunt, & tempus profectionis æſtatem proximam ſtatuerunt. Quibus ſolemniter actis, vterq; ſe Princeps pro ſua negotij magnitudine præparabat. Sane dum hæc in Galliis agerentur, Chriſtianorum aduerſus Iudæos in Anglia zelus, Lundoniis, vt dictum eſt, paulo ante accenſus, vehementer excanduit, non quidem ſyncere, id eſt, cauſſa fidei tantum, ſed eorum vel æmulando felicitatem, vel inhiando fortunis. Arbitrabantur audaces & cupidi obſequium ſe præſtare Deo, dum ſpoliarent, vel perderent homines Chriſto rebelles, & agebant ſine vllo vel minimo conſcientiæ ſcrupulo hilari furore propriæ cupiditatis negotium, Dei quidem iuſtitia talia minime approbante, ſed decenter ordinanre, vt hoc modo gẽtis perfidæ coerceret inſolentiam, & linguas frænaret blaſphemas. Apud vrbem commeatu & commerciis nobilem, quæ Linna dicitur, vbi eiuſdem gentis plurimi habitant, & ſua multitudine, & opum magnitudine, & tuitione regia feroces, primus (vt accepimus) aduerſus eos motus eſt factus occaſione huiuſmodi. Cum forte quidam ex eorum ſuperſtitione ad Chriſtianam fidem eſſet conuerſus, eius tanquam deſertoris & præuaricatoris ſanguinem ſitientes, quærebant opportunitatem malitiæ conſummandæ, raptiſque quodam die armis aggreſſi ſunt tranſeuntem, porro ille in Eccleſiam proximam ſe recepit: nec quieuere ſæuientes, ſed peruicaci furore, & impetu eandem Eccleſiam oppugnare cœperunt, vt effractis foribus profugum ad pœnam extraherent. Ingens eorum qui erant in Eccleſia clamor attollitur, Chriſtianum ſonoris vocibus auxilium flagitatur. Clamor & fama Chriſtianum populum accendunt, qui cominus erant, ad clamorem, & qui eminus, ad famam armati accurrunt. Et loci quidem incolæ propter metum regium remiſſius agebant, potro peregrini iuuenes, quorum illuc multitudo negotiandi gratia venerat, ſuperbos belligerantes fortius impetebant. Illi vero dimiſſa oppugnatione eccleſiæ, cum Chriſtianorum impetum ferre non poſſent, fugam inierunt. Cæſis in fuga nonnullis domus eorum expugnatæ, atque expilatæ a Chriſtianis, flammis tandem vltricibus conflagrarunt, & eorundem plurimi hoſtilem, vel ignem, vel gladium cruentarunt. Sequente die ſuperueniens quidam Iudæus inſignis medicus, qui & artis & modeſtiæ ſuæ gratia Chriſtianis quoque familiaris atque honorabilis fuerat, cædem ſuorum paulo immoderatius deplorauit, & quaſi vltionem prophetans, ſpirantem adhuc furorem inſtigauit; quem mox Chriſtiani correptum, vltimam ibidem Iudaicæ veſaniæ victimam fecerunt. Peregrini iuuenes præda onuſti repetitis nauibus, ne quam forte a miniſtris regiis ſuſtinerent quæſtionem, celeriter abierunt. Loci vero incolæ, cum propter hoc diſcuterentur a regiis, in peregrinos, qui iam abierant, factum refuderunt.

CAPVT VIII.

Post hæc apud Stanfordiam noui aduerſus Iudæos turbaminis motus ſurrexit. Cum enim ibidem quadrageſimali tempore ſolemnes nundinæ agerentur, iuuenum,

qui signum dominicum Ierosolymam profecturi susceperant, ex diuersis prouinciis multitudo superuenit, indignans quod inimici crucis Christi, ibidem habitantes, tam multa possiderent, cum ipsi ad tanti itineris sumtus minus haberent, & ab eis tanquam iniustis possessoribus extorquendum duxerunt, quod susceptę peregrinationis necessariis vsibus applicarent. Arbitrantes itaque obsequium Deo se præstare, si hostes impeterent, quorum bonis inhiabant, audacter irruerunt in eos, nemine, vel ex loci incolis, vel ex his qui ad nundinas venerant, tantis se ausibus opponente, nonnullis vero cooperantibus. Cæsi sunt aliquot ex Iudæis, ceteri vero intra Castellum recepti ægre euaserunt. Expilatæ sunt domus eorum, & magna vis pecuniæ capta. Prædones cum sui operis emolumento abierunt, nullusque eorum propter hoc studio disciplinæ publicæ sustinuit quæstionem. Quorum vnus Ioannes nomine, audacissimus iuuenis, Hamtonam diuertens, partem pecuniæ suæ deposuit apud quendam, a quo etiam eiusdem pecuniæ ambitu occulte necatus est, corpusq; eius per noctem extra vrbem proiectum. Quo inuento, & a quibusdam forte agnito, clandestinam iniit fugam auarus homicida. Mox somniantibus vetulis atque apparentibus ibidem fallacium signorum præstigiis, martyris illi meritum & gloriam simplices tribuerunt, sepulchrum eius solemnibus excubiis honorantes. Fama excitum vulgum insipiens, primo ex locis finitimis, dehinc etiam ex diuersis prouinciis curiosa deuotione confluebat, nullusque noui martyris cupiens vel intueri miracula, vel promereri suffragia, ad sepulchrum eius vacuus veniebat. Ridebatur quidem hoc a prudentibus, sed tamen erat gratum Clericis, ex eadem superstitione prouenientium gratia commodorum. Res defertur ad Episcopum eximiæ virtutis virum, qui accedens ad locum in spiritu fortitudinis, concinnata studio simplicium & cupidorum falsi martyris insignia prophanauit, & superstitiosam mortui hominis venerationem Pontificali auctoritate, sub anathematis interpositione, inhibuit. Sic pia & efficaci opera boni pastoris tota illa extincta est atque euanuit operatio spiritus illusoris.

CAPVT IX.

LINCOLNIENSES vero audientes qualia circa Iudæos agerentur, occasionem nacti, & animati exemplis, aliquid audendum duxerunt, & conglobati in cohabitantes Iudæos motu subito exarserunt: Porro illi agnito suorum in locis diuersis vel pauore, vel exitio, cautiores effecti, paucis discrimen expertis in munitionem regiam, cum pecuniis, mature secesserunt. Itaque non multa re acta, sed multa per officiales regios quæstione subsecuta, inanis ille motus cito quieuit. Verum Eboracensibus non metus ferocissimi Principis, non vigor legum, non ratio, non humanitas obstitit, quo minus cohabitantium perfidorum generali exitio furorem proprium saturarent, atque in sua ciuitate totum illud genus abraderent, quod nimirum, quia valde memorabile est, pleniori ad posteros oportuit relatu transmitti. Eboracensium igitur Iudæorum (vt supra dictum est) primi fuere, Benedictus & Ioceus homines locupletissimi, & late fœnerantes. Ædificauerant autem in medio ciuitatis profusissimis sumtibus domos amplissimas, regalibus conferendas palatiis, ibique tanquam duo suæ gentis Principes, & Christianorum tyranni, habitabant, cultu fastuque pæne regio procedentes, & duram in eos, quos vsuris oppresserant, tyrannidem exercentes. Qui cum essent Lundoniis in solemnitate vnctionis regiæ, Benedictus (vt supra memoratũ est) infelicissimum Dei iudicio sortitus exitum maledictus apparuit. Ioceus vero egregie ad tempus subductus discrimini Eboracum rediit. Et quoniam Princeps post turbinem Lundoniensem pro pace Iudæorum legem posuerat, cum ceteris per Angliam Iudæis iuxta morem pristinum fiducialiter agebat. Rex vero postmodum cum esset in partibus transmarinis cõstitutus, coniurarunt aduersus Iudæos Eboracenses prouinciales plurimi, eorum, cum ipsi egerent, non ferentes opulentiam, & sine vllo Christianæ cõscientiæ scrupulo perfidum sanguinem, prædarum cupidine, sitientes. His auctores ad audendum fuere quidam nobiliores, impiis fęneratoribus in multam summam debitores, quorum nonnulli, cum pro accepta pecunia prædia illis propria apposuissent, grandi inopia premebantur, quidam vero cautionibus propriis obligati ad satisfaciendum regiis fęneratoribus

a fisci

a fisci exactoribus vrgebantur. Quidam etiam ex illis, qui signum dominicum acceperant, iamque in procinctu Ierosolymitanę profectionis erant, tanto facilius impelli potuere, vt ex præda hostium Domini suscepti pro Domino itineris sumtus iuuarent, quanto minus propter hoc quæstionem aliquam arrepto iam itinere formidarent. Cumque vrbis pars non modica nocte intempesta, vel fortuito, vel potius, vt creditur, a coniuratis immisso conflagrauit incendio, scilicet vt occupatis circa ædes proprias, propter ignis periculum, ciuibus, impedimentum non esset prædantibus, armata coniuratorum manus domum dicti Benedicti Lundoniis (vt supra memoratum est) infeliciter mortui, in qua vxor eius & filij cum aliis pluribus habitabant, vi magna, & ferramentis ad hoc præparatis irrupit, cæsisque omnibus, qui in ea erant, ignem quoque tectis immisit: Et dum morose vireis incendium sumeret, corrasis opibus ardentem domum reliquere, & in suum, tenebrarum beneficio, secretum onusti se recepere prædones. Quo casu consternati Iudæi, & maxime clarior ceteris Ioceus, arcis regiæ custode exorato & conniuente, in eandem pecuniarum suarum ingentia pondera tanquam gazas regias conuexere, & vigilatiorem de cetero suimet cautelam habuere. Post dies vero aliquot nocturni illi prædones cum maiori fiducia atque ferocia redeunt, & aggregatis sibi plurimis domum Iocei, cōstructionis magnitudine & firmitate arces non ignobiles æmulantem, fortiter oppugnantes, tandem captam expilatamque incendunt, cunctis, quos in ea sinister casus offenderat, flamma ferroue absumtis. Ioceus autem paulo ante hoc malum caute præsagiens, cum vxore & filiis in arcem migrauit; Similiter & ceteri Iudæi, paucis ad victimam foris remanentibus. Prædonibus autē cum tanti ausus emolumēto dilapsis, facto mane vulgus promiscuum irruit, diripuitque in diuersis speciebus, & multiplici suppellectile, prædonum ignisque reliquias. Tunc demum, qui Iudæos prius inuisos habuerant, cum cōiuratis multo publici vigoris respectu habito, manifeste & profusa licentia in eos debacchari cœperunt, nec eorum substantiis iam contenti, cunctis extra arcem inuentis, aut sacri Baptismatis, aut extremi discriminis optionem dederunt. Denique Baptizati nonnulli, ficte se, vt mortem euaderent, Christianis aggregarunt; sine misericordia vero trucidati sunt, qui sacramentum vitæ vel ficte recipere detractarunt. Dum hæc agerentur, multitudo, quæ in arcem confugerat, in tuto agere videbatur. Porro arcis præpositus ad quoddam forte negotium egressus, cum regredi vellet, a multitudine intus excubante, incerta iam cui se crederet, non est admissus, ne forte & eius circa se fides nutaret, & corruptus quos tuendos susceperat, hostibus exponeret. Ille vero prouinciæ Præsidem, qui forte tunc ob regia negotia cum frequentia prouincialium aderat, statim adiit, commissæ sibi arcis a Iudæis fraudatum se custodia conquerens. Indignatus Præses contra Iudæos fremuit, illis maxime, qui coniurationis auctores exstiterant, eum inflammantibus, & meticulosam illam miserorum cautelam, superbam esse turris regiæ occupationem, atque in Domini Regis iniuriam hoc ipsum redundare allegantibus. Cumque multi homines perfidos modis omnibus impetendos, arcemque illis regiam extorquendam decernerent, iussit Præses cōuocari populum, arcemque oppugnari. Excurrit irreuocabile verbum, plebis Christianæ zelus accenditur, immensæ armatorum, tam ex vrbe quam ex prouincia, circa arcem glomerantur cateruę. Tum Pręses iussionis pœnitentia stimulatus, frustraque conatus reuocare sententiam, arcis oppugnationem voluit inhibere: sed accensos semel animos, quo minus persequerentur incœptum, nulla rationis vel auctoritatis pondere valuit cohibere. Sane vrbis nobilitas, & ciues grauiores, metus regij periculum formidantes, tantam væcordiam caute declinarunt: porro omne genus opificum, atque vniuersa iuuentus vrbana, cum plurima prouincialium turba, & militaribus viris non paucis, cum tanta alacritate aderat, instabatque cruento negotio, tanquam singuli proprium maximumque compendium quærerent. Clerici quoque plures non deerant, inter quos etiam quidam eremita, ceteris feruentior videbatur. Par omneis Zelus accenderat, arbitrantes grande se obsequium præstare Deo, si gentem Christo rebellem abraderent, dum ad illud Dauidicum, immo Dominicum, quod vtique in persona saluatoris dicitur, cæcato animo caligarent; Deus ostendit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, nequando obliuiscantur populi mei. Quippe eadem

Christianę vtilitatis ratione perfidus Iudæus, Domini Christi crucifixor, inter Christianos viuere sinitur, qua & forma crucis Dominicæ in Christi ecclesia pingitur, ad continuandam scilicet cunctis fidelibus saluberrimam Dominicæ passionis memoriam, cum tamē in Iudæo impiam execremur actionē, in sacra vero forma illa diuinā deuotione debita veneremur dignationē. Itaq; Iudæi inter Christianos debent quidē pro vtilitate nostra viuere, sed pro sua iniquitate seruire. Porro Iudęi, in Anglia sub Rege Hērico secundo consistentes, ordine prępostero super Christianos felices & incliti fuerant, & ex multa felicitate impudentius tumendo contra Christū plurima Christianis grauamina irrogarant, propterea diebus noui Principis, vitæ, quam de Christi habebant clemētia, eius iudicio periculum pertulerunt, cuius tamen iudicij ordine pulcherrimo nequaquam excusantur, qui motu incondito cladem illis intulerunt.

CAPVT X.

IGITVR Iudæi obsidebantur in turri regia, deeratque obsessis sufficiens escarum apparatus, sola procul dubio inedia mature expugnandis, etiam si nemo foris vrgeret: Sed nec sufficientem, siue pro sui tutela, siue ad hosteis propulsandos, armaturā habebant, quos nimirum imminentes saxis tantummodo interiori muro detractis arcebāt, oppugnatur turris fortiter per dies aliquot, & tandem paratæ admouentur machinæ. Vrgebat opus furens tum præ multis aliis memoratus illę ex canonico Præmōstratensi Heremita, qui fama excitus nuper in vrbem venerat, arcemque oppugnantibus in veste alba seclusus aderat, hosteis Christi proterendos sæpius cū clamore valido repetens, & suæ quoque cooperationis exemplo bellatores accēdens. Dicitur autem, quod diebus obsidionis processurus ad opus cruentum, hostiam incruentam (erat enim sacerdos) mane immolauerit, in tantum sibi cæcata mēte persuaserat, quod aliis persuadere nitebatur, religiosum scilicet esse negotium, quod agebatur. Cumque admouerentur machinæ, feruenti animo cooperabatur pro viribus. Vnde factum est, vt incautius appropinquans muro saxum grande desuper veniens nō caueret. Deniq; conquassatus procubuit, & sublatus continuo exspirauit. Declaratumque est, quod ratione, vel professionis, vel ordinis, maior in eo petulantis facti reatus exstiterit, quem solum ex nostris ibidem infeliciter occumbere contigit. Admotis itaque machinis certa erat turris expugnatio, nec iam erat ambiguum horam obsessis imminere fatalem. Nocte vero sequenti quieuere oppugnanres, vicinæ victoriæ certitudine hilares. Porro Iudæi sola iam desperatione fortes & rigidi, requiem minime habuere, tractantes inter se, quid in tali articulo esset agendum. Erat autem ibi senior quidam, iuxta litteram, quæ occidit, famosissimus legis doctor, qui ad docendos Iudæos Anglicanos (vt dicitur) ex partibus venerat transmarinis; hic erat honorabilis omnibus, & tanquam vni ex prophetis obtemperabatur ei ab omnibus. Cum ergo ab eo consilium pro tempore quæretur: respondit. Deus, cui dici non debet cur ita facis, iubet nos pro lege sua mori modo. Et ecce mors nostra in ianuis est, sicut videtis, nisi forte (quod absit) pro breuitate vitæ huius sacram legem deserendam putetis, atque eligatis, quod bonis & virilibus animis omni morte est durius, de misericordia scilicet impiorum hostium, cum summo dedecore apostatice viuere. Cum ergo mortem gloriosam vitæ turpissimæ præponere debeamus, honestissimum plane atque facilissimum mortis genus eligendum est. Nam si inciderimus in manus hostiles, pro eorum arbitrio, cum ludibrio moriemur. Itaque vitam quam nobis creator dedit, cum eam ipse iam repetat, propriis illi manibus sponte & deuote reddamus, nec ad reddendum quod repetit, ministerium crudelitatis exspectemus hostilis. Hoc enim multi nostrorum in diuersis tribulationibus laudabiliter fecisse noscuntur, formam nobis decentissimæ electionis præstruentes. Hæc cum dixisset, exitiale consilium amplexi sunt plurimi, quibusdam vero durus visus est hic sermo. Tunc senior, quibus, inquit, consilium tam bonum piumque non placet, sedeant seorsum, ab hoc sancto præcisi collegio: nobis enim præ charitate legis paternæ vita hæc temporalis iam viluit. Secesserunt igitur plurimi, hostium potius clementiam experiri, quam hoc modo interire cum sociis eligentes. Mox ad arbitrium insanissimi senioris, ne suis opibus hostes ditarentur, vesteis

pretiosas in conspectu omnium ignis absumsit, vasa vero cōcupiscibilia, & cetera, quæ poterant per ignem transire, artificiosa inuidia pudenda repositione damnauit. Quibus actis & igne tectis immisso, qui in solidiori materia, dum res horrēda fieret, morose nutriretur, eorum quoque qui ab eis vitæ amore secesserant, vitam iuxta correpturus, iugulos ad victimam præparabant. Dictante vero inueterato illo diem malorum, vt viri quibus constantior esset animus propriis vxoribus atque pignoribus vitam adimerent, famosissimus ille Ioceus, Annæ vxori charissimæ, cultro guttur incidit, & propriis quoque filiis non pepercit. Cumque hoc & ab aliis viris factum esset, infelicissimus senior Ioceum, eo quod honorabilior esset cæteris, iugulauit. Absumtis mox omnibus vna cum magistro erroris, immisso (vt dictum est) a morituris igne interiora turris ardere cœperunt. Qui vero vitam elegerant: incendio a suis, vt & ipsi vel inuiti commorerentur, concinnato, prout poterant resistebant, quædam scilicet sibi turris defendentes extrema, in quibus minime vrerentur. Stupendus plane irrationalis ille rationalium in semetipsos furor. Verum qui Iosephi de Iudaico bello legit historiam, satis intelligit ab antiqua Iudæorum superstitione, cum forte tristior casus incumberet, illam nostri temporis manasse vesaniam. Mane autem facto cum populus frequens ad expugnandā arcem cōcurreret: miseræ illæ Iudæorum reliquiæ stātes ad propugnacula nocturnam suorum cladem voce lachrymabili declararūt, & ad oculatā tanti piaculi fidem extincta cadauera muro deuoluentes: talia proclamarūt. En corpora infelicium, qui mortem sibi furore nefaria conciuerunt, & vt nos idem facere detrectanteis, Christianamq; potius clementiam experiri volenteis, viuos incenderent, ignem interioribus turris huius morientes immiserunt. Sed seruauit nos Deus, & a fratrum nostrorum vesania, & ab ignis periculo, vt a vobis vlterius in religione minime discrepemus. Vexatione enim dante intellectum, Christianam cognoscimus veritatem, & requirimus charitatem, parati, quod a nobis soletis exigere, sacro Baptismate ablui: & pristinis ritibus abdicatis, ecclesiæ Christi vniri. Suscipite fratres ex hostibus, vt vna vobiscum in Christi fide & pace viuamus. Talia illis lachrymose loquentibus: nostrorū plurimi, & extinctorum vesaniam, cum ingenti stupore horrebant, & cladis reliquorum miserabantur. At coniuratorū Principes, e quibus erat quidā Richardus, vero agnomine Mala bestia, homo audacissimus, nulla super miseris illis misericordia mouebantur. Mitia tamen cū eis in dolo loquentes, & speratam gratiam sub fidei testificatione pollicentes, vt egredi minime vererentur: mox vt egressi sunt, hostiliter cōprehensos, & Baptismū Christi constanter postulantes, lanistæ crudelissimi peremerūt. Et de his quidē, quos ita plusquā belluina illa cōfecit immanitas, incunctanter dixerim, quia si in petitione sacri Baptismatis fictio defuit, eius nequaquā effectu fraudatos sanguis proprius baptizauit. Siue autē ficte, siue non ficte, sacrū petierunt lauacrū, inexcusabilis est execranda illa crudelitas lanistarū. Quorū procul dubio primū scelus est, quod ordinatam potestatē non habentes, humanū (quasi aquam) sanguinem effundere præsumserunt: secundū, quod liuore magis malitiæ quam zelo iustitiæ sæuierunt: tertiū, quod Christianam gratiā petentibus inuiderunt: quartū, quod miseros vt egrederentur ad victimā mentiendo fefellerunt. Horrenda plane & fœda tunc rerū erat facies in vrbe, & circa arcem passim iacentibus tot miserorum cadaueribus inhumatis. Cæde vero completa coniurati continuo Cathedralem ecclesiam adeuntes: monumenta debitorum, quibus Christiani premebātur, a Iudæis fœneratoribus regiis ibidem reposita, ab exterritis custodibus violenta instantia resignari fecerunt, & tam pro sua quam pro aliorum multorū liberatione eadem profanæ auaritiæ instrumenta, in medio ecclesiæ flammis solemnibus absumserunt. Quibus actis, illi ex coniuratis, qui signum Domini acceperant, ante omnem quæstionem iter propositum arripuerunt, ceteri vero in prouincia, sub quæstionis formidine remanserunt. Sane tempore Dominicæ passionis, pridie scilicet ante Dominicam Palmarum, talia Eboraci contigerunt.

CAPVT II.

RES Eboraci acta mature trans mare defertur ad Principem, qui Iudæis post motum Lundoniensem, pacem & securitatem in regno suo lege sanciuerat. Indigna-

tur & fremit, tum pro læſione Regiæ maieſtatis, tum pro tam magna fiſci iactura. Fiſco enim competit, quidquid Iudæi, quos fœneratores conſtat eſſe regios, in bonis habere videntur. Mox dato mandato ad Elienſem Epiſcopum, Cancellarium ſcilicet Regium, & regni præpoſitum, vt tanti auſus patratio condigna plecteretur vindicta: idem Epiſcopus homo ferocis animi & gloriæ cupidus, circa Dominicæ Aſcenſionis ſolemnia Eboracum ciuitatem cum exercitu adiit, & fortiſſimam ciuibus intulit quæſtionem. Porro principales & famoſi rerum geſtarum auctores relictis omnibus quæ habebant in prouincia, a facie eius transfugerunt in Scotiam. Ciuibus vero conſtanter proclamantibus, ea, de quibus inuidiam ſuſtinebant, ſuo neque voto, neque conſilio, vel opere accidiſſe, neque per ſuam mediocritatem effrænatum indiſciplinitatæ multitudinis impetum impediri potuiſſe: tandem Cancellarius multa pecuniaria ſingulis iuxta modum fortunarum impoſita, ſatisfactionem, ne ſeuerius plecterentur, accepit. Vulgus autem promiſcuum & infinitum, cuius Zelus inconditus dirum illud maxime patrarat negotium: in iudicium vocari, aut diſcuti minime potuit. Itaque Cancellarius amoto illo, qui prouinciæ adminiſtrationem habuerat, cum non poſſet efficacius de iure mandatum exequi regium, abiit incruentus, nec vſque ad hunc diem, pro illo Iudæorum exitio aliquis ſupplicio eſt addictus.

CAPVT XII.

SEQVENTI æſtate anno a partu virginis M. C. nonageſimo, illuſtres Francorum & Anglorum Reges iter Ieroſolymitanæ profectionis ingreſſi: cum apparatu congruo, & exercitu copioſo conuenerunt Maſſiliam, factaque ibidem mora neceſſaria, Rex quidem Francorum autumnali tempore, prior cum ſuis copiis, ſecundis flatibus in Siciliam nauigauit: Rex vero Anglorum poſt diſceſſum Regis Francorum, diebus aliquot Maſſiliæ demoratus, tandem claſſe ſoluta, cum parente ſibi exercitu mari ſe credidit, flabriſque arridentibus in inſulam eandem deuenit. Verum qui prior aduenerat: Meſſanam vrbem clariſſimam, cum gaudio exceptus a ciuibus, ad hiemandum elegit. Sequens vero, expoſitis copiis propter eiuſdem vrbis amplitudinem, & multimodam opportunitatem, ipſe quoque ibidem ſocialiter hiemare voluit. Cumq; huius rei gratia quoſdam ex ſuis præmiſiſſet: ciues vnius ad ſe Regis ingreſſu contenti, & duorum regum magnorum grauari hoſpitio, renuētes præmiſſos a ſuperueniēte, paucis eorum in tumultu extinctis, cum contumelia vrbe extruſerunt. Motus ſuper hoc Rex Anglorum: a Meſſanenſibus, vtrum de illata iniuria ſatisfacere dignarentur, duxit quærendū. Illis vero, tam propriarum conſcientia viriū, quam inſignium fiducia hoſpitum ſuperbe detrectantibus ſatisfactionem: accenſus eſt Princeps ferociſsimus ad vltionem. Itaque armari copias, vrbemque oppugnari præcepit. Cumque in hoc opere ſuos nō tantum vrgeret imperio, verumetiam animaret exemplo, vrbem aliquamdiu a ciuibus ſimul & a Francis fortiter defenſam tandem potenter irrupit. Quam paucis ſuorum amiſſis victor ingreſſus: decentem tamen in vltione modum tenuit, & motum animi triumphalis gloriæ voluptate molliuit. Ciuium ergo vel ſera ſatisfactione, & coacta deuotione placatus, frænauit impetum, & minas remiſit. Moxque pro reuerentia Regis Francorum vrbe egreſſus: eiuſdem illi, & ſuis libenter ceſſit hoſpitium, ipſe vero munitione extra vrbem conſtructa caſtriſque diſpoſitis, ibidem cum ſuis copiis in omnium rerum copia hiemauit. Porro Rex Francorū vrbis hoſpitæ irruptionem ad ſuam trahens iniuriam, & pro nihilo ducens indulti hoſpitij gratiam implacabilem contra Regem Anglorum concepit, totiſque imbibit medullis rācorem, qui nimirum occultatus pro tempore, erupit ſuo tempore, claruitq; orbi terrarū, vt ſuo loco narrabitur. Sane Regibus in Sicilia hiemantibus ex plurimis quoque regionibus ingentia vernum tempus cum deſiderio præſtolantium agmina in Dalmatia, Hiſtria, Venetia, ſub charactere dominico hiemabant.

CAPVT XIII.

INTEREA Fredericus Imperator Teutonicus, qui anno præterito cum filio ſuorum Duce, & germanicis copiis iter fuerat (vt ſuperius dictum eſt) Ieroſolymitanum ingreſſus:

ingressus: lęto propter obstacula plurima gradu, per superiores ducebat regiones exercitum. Prætergressus enim Pānonias, & progressus ad Imperatoris Cōstātinopolitani prouincias, cum eiusdē Christiani Principis in negotio Christianissimo fauorem optaret eum paulo secus, quam Saladinum inuenit. Deniq; Græcus ille, nā Græci cum sint Christiani, non secus, immo plerumque etiam ferocius, quam Saracenos abominari Latinos noscuntur. Græcus inquam ille (vt dicitur) post captam Ierosolymam fœdus cum atrocissimo Christiani nominis hoste Saladino pepigerat: pollicens quod in terra vel mari ditionis suæ Latinorum in Syriam transitum inhiberet. Cumque Imperator Latinus a Græco, Christianus scilicet a Christiano per nuntios peteret, quod olim Israel sub Moyse petierat ab Edom Rege Amoreo, obsecro te, inquiens, vt transire mihi liceat per terram tuā & cetera: Græcus ille impio Regi simillimus, & Saladino, quam Christo fidelior, concedere noluit, vt Christianus exercitus simpliciter transiret per fineis suos. Quamobrem Latinus Imperator ad suos, hostem inquit, Christi Saladinum quærimus, & ecce par Saladino, vel potius plus quam Saladinus hic: qui zelando pro Saladino, zelantibus pro Christo palam resistit. In ipsum ergo arma contra Saladinum sumta vertamus, ferro nobis viam aperientes, cum aliter nequeamus. Placuit hoc omnibus, ingressique hostiliter terram ditionis Constantinopolitanæ: Thessalonicam vrbem nobilissimam, fortiter expugnatam ceperūt, & redacta in potestatem adiacente prouincia, ibidem hiemandum duxerunt. Sane Christianorum, qui arma sumserant contra Paganos; hunc motum & impetum contra Christianos, licet minus fraterne agentes, approbandum nequaquam censuerim: sicut nec illud, quod Christiani Christianis innoxium concedere transitum noluerunt. Denique hoc antiquis, & de lege sacra sumtis probatur exemplis, quod forte Imperator ille noster, cum suis exemplum attendens pro negato transitu, Græci Imperatoris terram inuasit, cum aliud potius (vt credo) attendere debuisset. Scriptum quippe est. Misit nuntios Moyses ad Regem Edom qui dicerent, Hæc mandat frater tuus Israel. Obsecramus vt nobis transire liceat per terram tuam & cetera, cui respondit Edom, Non transibitis per me. Dixeruntque filij Israel. Per terram gradiemur vestram, & si biberimus aquas tuas, dabimus quod iustum est. Nulla erit in pretio difficultas, tantum velociter transeamus. At ille respondit, non transibitis. Quamobrem diuertit ab eo Israel. Ecce filij Israel sub magno propheta Moyse agentes, a fratribus suis filiis Esau, in simplicis transitus modestissima petitione repulsam bis passi, nec cum tāto excessu fraterno ad vltionem vel transitum ferro parandum impulsi, sapienter, & tanquam immemores iniuriæ, ab ingratis fratribus diuerterunt. Postea vero ab Amoreo, qui non erat de genere Abrahæ, in re non dissimili vnam passi tantum repulsam, in vltionem iustissimam, iubente, & fauente domino exarserunt. Consultius igitur Imperator Christianus fecisset, si ab inofficioso, sed tamen Christiano Imperatore diuertens, alium in Syriam transitum, licet cum multa laboris & sumtuū iactura quæsisset, quod vtiq; sequēs declarauit euentus. Vidēs autem Græcus Imperator, contra se actum a Latinis, & ex hoc tanquā modico ferociæ eorum gustu duriora, nisi præcaueret, coniectans, fœdus cum Imperatore nostro pepigit, & concesso transitu qui petebatur, de sumtibus quoque moræ, quam propter inhibitum fecerat transitum, ei dictante iustitia satisfecit. Itaque Latinus Imperator cum exercitu per Constātinopolim transiens, fretum, quod brachium sancti Georgij dicitur, prospere transmeauit. Veniens in Asiam minorem, cuius pars quædam Constantinopolitanæ ditionis est, parti vero reliquæ Soldanus Iconij præsidet, magnis actibus ipsi Soldano Turcisque iam erat terribilis. Vnde idem Soldanus, licet esset magnus & potens, arte tamen magis quam experientia virium imminentem impetum frangere studuit, de suscipienda, vt dicitur, Christianitate simulatione callida cum eo agens, & pia simplicitate credulū per frequentes nuntios ambagibus longis suspendens. Cum ergo gentilis astutia suis præstigiis ita nostros deluderet, capta paulo ante amplissima ciuitate Iconio, & locupletissima præda direpta, Christianus exercitus imperatoria prouisione bipertitus, in castris excubabat, amne medio interlabente discretis. Et parte quidem exercitus filio, Sueuorum duci commissa, parti vero reliquæ ipse Imperator sollicitudinem debitam impendebat, cum repente virum tantæ claritatis occulto Dei

iudicio triſtiſſimus (& quem nemo vereri poterat) mundo occaſus ademit. Cum ego ſedens filium viſendi & alloquendi ſtudio, cum paucis amnem vellet medium tranſmeare, diſſuaſus a comitibus, ne ſe vir tantus petulanter in amnem daret incognitum, extrema eum ſorte vrgente non adquieuit, ſed imperialis oblitus grauitatis in gurgitem fallaci breuitate contemtibilem equo ſtimulato proſiliens, intuentibus comitibus, nec ſubuenire valentibus, in momento ſuffocatus interiit. Quidam autem dicũt, quod in æſtu refrigerij vel lauacri gratia, incautius in flumen deſcenderit, & ſubito ab aquis imperialis reuerentiæ neſciis abſorptus ſit. Sed ſiue hoc verum ſit, ſiue illud, conſtat quod in illo flumine modico intrauerunt aquæ vſque ad animam eius. O abyſſus multa iudiciorum Dei, vir tantus & qui diuino quodam feruore relictis deliciis opibuſque imperij, mille ſe expoſuerat propter Chriſtum periculis, tam ſubito miſeroque caſu abſumitur. Peccatum tamen eius tantum & tale elucet, quod forte in Imperialibus non potuerit deliciis expiari, atque ideo oportuerit, ne æternaliter plecteretur, pia diuinitatis prouiſione in hac vita ſeuerius caſtigari. Siquidem nefarij ſchiſmatis ſub venerabili Papa Alexandro principalis fautor exſtiterat, & pacis eccleſiaſticę per imperialem potentiam, multo tempore perturbator. Tãdem vero perſpicue dans palmam veritati, minus tamen in deliciis palatij piaculare malum defleuerat. Porro ne propter hoc grauia poſt mortem ſupplicia lueret, ſed potius tam grande malum momentaneę mortis caſus acerbus perfecte dilueret: illa inſigni deuotione, qua propter Chriſtum relicto imperio tantis ſe immerſit periculis, actum credo. Sane exercitus Chriſtianus ita ſtupuit doluitque de raptu Principis, vt collapſis animis matura immaniſſimorum præda hoſtium fore videretur. Verum reſumto pauliſper ſpiritu, loco extincti patris præſenti Sueuorum Duci adhæſit & paruit. Qui paterni corporis, quod poſt caſus infeliciſſimi dies aliquot ægre inuentum ereptumque aquis dicitur, oſſibus aſſumtis, in multo laborum & periculorum experimento cum exercitu progreſſus eſt. Denique tantus exercitus per viam longiſſimam morbis belliſque confectus, atque imminutus, ita tandem laboris intolerantia ſumtuumque penuria elanguit, atque defluxit, vt nulla re memorabili facta contemtibiles ex eo reliquiæ in Paleſtinam cum duce memorato veniſſe dicantur. Qui paternis oſſibus apud Tyrum cum decenti honore ſepultis, militiæ Chriſtianæ, quæ Acram obſidebat, cum omni comitatu adiũctus, ibidem poſt modicum morbo defecit. Hunc finem occulto Dei iudicio habuiſſe noſcitur famoſa illa Teutonici Imperatoris expeditio.

CAPVT XIIII.

REFLECTENDVS nunc ab Oriente in noſtrum occidẽtem videtur ſermonis procurſus, atque exponẽdum qualis regni Anglici in Regis abſentia ſtatus exſtiterit. Idem Rex, vt ſuperius dictum eſt, ad Orientalem egrediens expeditionem, Elienſi Epiſcopo Cancellario ſuo vices ſuas in adminiſtratione regni commiſerat, cum eiuſdem regni oſſibus, i. munitionibus regiis. Qui Epiſcopus cum eſſet audaciæ aſtutiæque pæne ſingularis, graui ſumma Romam tranſmiſſa vices quoque ſedis Apoſtolicæ petiit, & tali interceſſione facile impetrauit, Quod aſtute diſsimulans, tanquam pro regni negotiis conuocauit Epiſcopos & regni maiores, ingerenſque incautis indultæ ſibi legationis inſtrumentum, cum faſtu ſolemni ſedis Apoſtolicæ legatum oſtentauit, multis quidem ægre ferentibus, ſed obſiſtere nequaquam valentibus. Denique vt ad ſummum euectus videretur, & tam regno quam eccleſiæ conſpicuus apparẽs, æmulantium oculis dolorẽ iniiceret, generale ex Anglia Conciliũ terrore maximo Lundoniis congregatum, quanto glorioſius tanto & vanius celebrauit, ſub ſpecie ſcilicet religionis, & obtentu quaſi eccleſiaſticæ vtilitatis, agens propriæ negotiũ vanitatis. Quod vtique tanto fortius tutiuſq; agebat, quanto Metropolitanis nõ exſtãtibus infirmiorẽ cõtra ſe Epiſcoporũ æmulationẽ vel indignationẽ videbat. Quippe ſedes Eboracenſis fere iam per decenniũ vacauerat, & nouus eiuſdẽ ſedis electus, in tranſmarinis partibus conſtitutus, ipſo impediente nondum canonicæ poterat conſecrationis munus promereri. Porro Cantuarienſis Archiepiſcopus, qui iuxta ſedis prærogatiuam Apoſtolicis in Anglia vicibus præditus, ſignum Domini ſub Rege Henrico ſuſceperat, & poſt coronationem

Regis

Regis Richardi iuxta deuotionis suæ debitum in parteis abierat Orientis, Tyrum deueniens, ante Regium aduentum ibidem hominem exuit. Itaq; homo ille sublato omni obstaculo, quo minus ambularet in magnis & mirabilibus super se, fretus duplici, i. Apostolica simul & regia potestate, Clero pariter & populo arrogantissime præsidebat. Et sicut de quodam scriptum est, quod vtraque manu vtebatur pro dextera, sic & ille ad faciliorē molitionū suarū efficaciam vtraq; potestate vtebatur pro altera. Ad cogendos quippe vel exercēdos potētes laicos, si quid forte ex seculari potentia minus poterat, Apostolicæ idipsum potestatis censura supplebat. Si autē ex Clero forte quisquā voluntati eius obsisteret, hunc procul dubio frustra pro se secundū canones allegātem, seculari oppressum potentia coercebat. Non erat qui se abscōderet a calore eius, cū & secularis in eo virgā, vel gladiū Apostolicę potestatis timeret, & ecclesiasticus nulla se ratione vel auctoritate cōtra eminentiā regiam tueri valeret: deniq; de potestate in immēsum gloriās, vt Metropolitanæ ecclesiæ, quæ adhuc eius videbantur aspernari excellentiā, experirētur potentiā, ad vtramq; tremēdus accessit. Et primo quidē ad Eboracensem, cuius infestissimus erat, electo præmissoq; cū terroribus ad clericos eiusdē ecclesiæ mādato, vt sibi tanquā Apostolicæ sedis legato solemni more occurrerent, cū illi aduersus cū appellandū duxissent, appellationi ad superiorē potestatē factæ non detulit, sed appellantibus optionē dedit, vt aut iussa cōplerent, aut tanquā rei maiestatis in carcerē regiū truderentur: Territi ergo paruerunt, & ne mutire quidem vlterius contra eū audentes, tanquā triumphanti quantū voluit honoris & gloriæ, dissimulata tristitia, impēderunt. Præcētor vero eiusdē ecclesiæ paulo ante declinauerat, vt nō videret quod absque animi tormento videre non posset. Quo ille cōperto sæuiens in absentem tanquā in rebellem, motu implacabili per satellites proprios rebus eum omnibus spoliauit. Deprædato quoq; Archiepiscopatu atq; in fiscum redacto, triumphator inclytus abiit. At non multo post de Cātuariensibus, cum nemo illi iam auderet resistere, nō dissimiliter triūphauit. Vtrimq; ergo sedē Metropolitanā habens substratam, vtraq; vsus est, vt voluit. Deniq; ipsum illo tēpore in Anglia & plusquā Regem experti sunt laici, & plus quam summum Pontificē clerici, vtrique vero tyrannum intolerabilē. Quippe duplicis occasione potestatis, duplicem indutus tyrannum, solis complicibus & cooperatoribus suis innoxius, ceteris indifferenter non tantum pecuniarum ambitu, verum etiam dominandi voluptate erat infestus. Fastus fere eius in omnibus plusquam regius erat. Orientalium more regum tanquam in expeditione iugiter positus, armatorum circa cubiculum suum habere excubias voluit. Procedebat cum mille equis, & plerumque etiam numerosius. Legationis suæ nomine hospitia a cūctis per Angliam exegit monasteriis. Et a minoribus quidem quæ pondus hospitij ferre nō poterant, certa, id est octo vel quinque marcarum summa, redimi hospitia censuit, maioribus vero incumbebat velut locusta. Eliensis quidem Episcopatus redditus vberes esse noscuntur, sed quantus erat ipsorum modus ad immoderatissimas præsidentis expensas? Exhausit ergo expensarum profluuio non solum ærarium regium, verū etiam quidquid ex regno, monasteriis, ecclesiis, quacunque occasione siue per se, siue etiam per officiales proprios corradere poterat. Præfecerat enim singulis prouinciis, singulis perdendis magis quam regēdis, nequissimos auaritiæ suæ administros, qui nō clerico, nō laico, nō religioso parcerēt, vel deferrent, quo minus Cancellarij commodis inseruirent; sic enim dicebatur, cum esset Episcopus; & Episcopi quidem in illo nullum vel tepidum, Cancellarij vero nomen per vniuersam erat Angliam insigne atq; terribile. Prouinciarum vero præfectos, quo prouincialibus essent formidini, sub prætextu publicæ prouisionis, tanquam ad arcendam vel ad coercendam latronū audaciam voluit habere in ministerio oberrātes armatas immaniū barbarorum cateruas, a quibus vtique passim & impune debacchātibus innumeræ in prouinciis enormitates & crudelitates patratæ esse noscuntur. Sane quoniam regni optimatibus insolentiam fastumque eius execrantibus parum se credere poterat, propinquarū suarum cōnubiis plurimos sibi potentes & nobiles deuincire curauit. Quis enim nobiliū eo tempore vxorem non habens, vel filio suo siue nepoti vxorem accipere cupiens, oblatam sibi aliquam propinquarum Cancellarij, quarum turbam idem huius rei gratia ex Normannia

in Angliam acciuerat, obuiis manibus non acciperet, nec præclaram affinitatem sub spe magnæ promotionis optaret? Cum ergo hoc modo astrinxisset sibi nobilium plurimos, ceteros vero vel confregisset terroribus, vel arte & officiis delinisset; solum tamen metuebat Ioannem Regis fratrem, vtpote lōge potentiorem ceteris, & speratum regni successorem, si forte Rex in illa tam laboriosa periculosaque peregrinatione deficeret, cuius vtique reditus non solum incertus erat, sed etiam causis valde probabilibus desperatus. Denique ne forte Rege peregre moriente, & Ioanne succedente, propria exspiraret potestas, arte, vt dicitur, agendum putauit, vt Ioannes iam adultus non succederet, sed per successorem tenerum longi sibi temporis imperium pareret. Duobus itaque fratribus suis ad Regem Scottorum directis, petiit vt firmissimo sibi fœdere cohærerent, ad præficiendum regno Anglorum Arturum Britonem ipsius pronepotem, si forte Rex peregre in fata concederet: eo quod illi potissimum, nato scilicet ex Godefrido fratre Regis maiore, successio regni competeret, protestans, Regem litteris ex Massilia siue Sicilia ad se directis Arturum nepotem suum, si forte ipsum non reuerti contingeret, regni successorem designasse, &, vt illi, adhuc paulo amplius quam quinquenni, regnum vsque ad annos viriles seruaretur, mandasse. Hoc quidem mysterium inter duos illos potentes occultis tractatum susurris non diu latuit Ioānem; qui conceptum rancorem subtili pro tempore cautela dissimulans, suæ parti, quoscunque poterat, prudenter allicere, artemque arte illudere studuit.

CAPVT XV.

Dvm talia in Anglia per vnius hominis ausus insolentissimos gererentur, Regi in Sicilia hyemanti vniuersa fideli multorum innotuere relatu. Qui mox Galterium Rothomagensem Archiepiscopum, virum prudentem & modestum, qui cum ipso hyemabat, direxit in Angliam, cum Regij auctoritate rescripti, Cancellario per omnia in administranda rerum summa consortem, & collegam adiungens, ac nequid in eadem administratione eo non pariter disponente fieret, districte præcipiens. Hugonem quoque cognomento Bardulfum, virū prudentē & nobilem misit cum eo, Eboracensi perficiendū prouinciæ, in qua frater Cancellarij ritu barbarico grassabatur. Verum idem Cācellarius propensiore sui fiducia regia contemsit mandata, allegans optime sibi notam esse Principis mentē, cui magis obtemperandū esset, quam sine mente solis litteris, scilicet surreptione elicitis. Cumq; memoratus Archiepiscopus Cantuariā ire disponeret, vacantem ordinaturus ecclesiam, prout a Rege acceperat; Cancellarius ad eiusdem iam sedis prærogatiuam aspirans hac eum cito sollicitudine exuit, maturam ei præsumptionis pœnitudinē, si vel tentaret illuc contendere, terribiliter cōminatus. Itaque idē Rothomagensis ociosus morabatur in Anglia. Cancellarius vero in regni administratione collegæ impatiens vt singularis ferus Angliam depascebatur. At non diu homo insolentissimus quietā egit tyrannidem, malis aduersus eum paulatim succrescentibus, auctore maxime atq; incentore fratre Regis Ioanne, ob causam superius memoratam. Primi autem contra eum motus talis fuit occasio.

CAPVT XVI.

Gerardvs de Camuilla, vir diues & nobilis, summa non modica emerat a Rege castelli Lincolniensis custodiam, quæ vxori eius iure hæreditario cōpetere videbatur, nec nō & adiacentis prouinciæ præsidatum, ad tempus certum. Rege autē in orientali expeditione posito, cum fere nullus reditum eius speraret, Cācellarius fere vniuersis per Angliam munitionibus regiis, in eius potestate consistentibus, arcem quoque Lincolniensem ad suā ordinationē traducere voluit, nactusq; occasionē, vel veram, vel subornatam, prædicto Gerardo præsidatu prius spoliato, arcem mox resignare præcepit. Ille vero necessitate cogente ad Ioannem se contulit, eiusque fauore fretus iussionē spreuit. Indignatus Cancellarius eandē arcē obsessurus ex subiectis prouinciis propere cogit exercitum. Optimatum autem plurimos habēs suspectos, non frustra eos cōiiciens pronioris esse studij ad Ioannem, profusioribus sollicitatam stipendiis transmarinam accersit militiam. Cuius tamen aduentum homo feruidus & moræ impatiens

mini-

minime præstolabatur, sed ciuitatem Lincolniam cum ingentibus copiis ingressus arcem pertinaciter obsidet,& conficiendis cum festinatione machinis sumtuosum laborem impendit. Sane illo circa obsidionis negotium occupato, Ioannes cum suis super munitiones regias,scilicet de Notingeham & Tikehil improuisus irruit,easque viris & victualibus parum munitas inueniens, bidui negotio cepit. Tunc crescente fiducia superbo denuntiauit obsessori,vt vel soluta obsidione recederet, vel certe se ad excipiendum eius in proximo impetum præpararet. Sciens ille Optimatum plurimos, qui secum esse videbantur,animo esse cum Ioanne, confusus abscessit,& post dies paucos vnum ex cornibus suis resectum esse,id est, legationis suæ officium per mortē Romani Pontificis expirasse,cognouit. His territus, amicis mediantibus solemne cum Ioanne colloquium habuit, & quibus potuit conditionibus pacem cum eo fecit. Mox vero militiam illam,quam accersire curauerat, trāsmarinam in Anglia applicuisse,atque aduentare cognoscens, resumto spiritu resiluit a pactis,& protestatus est vel se, vel Ioannem ex Anglia propellendum, tantam scilicet regni latitudinem duobus tam grandibus,immo tam tumidis,significans non sufficere capiendis.Tandem tamen inter eos facta est pax conditionibus nouis,dum ille,sicut dicitur, Ioanni satisfaciens abiurata parte Arturi,& cautione præstita, quod Ioanni tanquam iusto hæredi munitiones regias redderet, si forte Rex ab Orientis partibus non rediret. His actis Ioannes pro tempore quieuit. Cancellarius vero fastu agens solito tyrannum non exuit. Solum enim tanquam alter Herodes metuebat Ioannem,& audito eo multa faciebat, & quidem non libenter, sed plane reuerenter eum audiebat.

CAPVT XVII.

INTEREA Godefridus Eboracensis electus, in transmarinis partibus constitutus, ordine præpostero ante Pontificalem cõsecrationem insigne Metropolitani,id est pallium a Romano Pontifice petiit & accepit. Consecratio vero eius post acceptionem pallij diuscule dilata est, impedientibus eum per obiectiones varias aduersariis plurimis, & maxime memorato Cancellario. Verumtamen per instantiam clerici sui Simonis Apuli, viri prudentis & litterati,tandem præualuit,& impetrato Cælestini Papæ,qui Clementi successerat, ad Archiepiscopum Turonensem rescripto, vt ei, non obstante vel appellatione vel occasione qualibet, manus imponeret,Turone solemniter est cõsecratus,anno a partu virginis M.C. nonagesimo primo, mēse Augusto. Quod vbi comperit principalis eius insectator Cācellarius, mox per satellites proprios Eboracensis Archiepiscopi tyrannice possessiones inuasit, & præter res immobiles cetera improbus dilapidator, vel potius deprædator,abrasit. Portus quoque caute custodiri præcepit, ne forte illi liber esset in Angliam ingressus, vel ad Ecclesiam suam accessus. Ille vero nihilominus adueniens apud Doueram confidenter applicuit, sed maiorem in terra quam in mari procellam inuenit.Custos enim castri Douerensis, habens in cõiugio germanam Cancellarij, appulso progressum inhibuit, atque eius ingressum citissimis Cancellario nuntiis indicauit:Qui ferocis animi motum nequaquam dissimulans, præcepit eum rebus nudatum omnibus in monasterio Douerensi custodiæ mancipari. Venientes ergo missi a tyranno satellites vehicula & clitellas, & quæcunque eius vel clericorum eius erant, diripuerunt, eumque in Ecclesia inuenientes, nec personæ clarissimæ,nec sacri loci reuerentiam habuerunt; sed a venerabili altari violenter auulsum,& ab Ecclesia contumeliose extractum vna cum clericis suis,castello intruserunt. Et ille quidem seruabatur in carcere. Fama vero enormitatis huius discurrens, & quasi gradiens super pennas ventorum, in breui Angliam repleuit. Maiores in Cancellarium fremunt, minores eidem mala imprecantur, vniuersi votis communibus tyrannum detestantur. Ioannes maxime de fratris captiuitate doluit,atque ad eius nõ tantum liberationem,sed etiam vltionē iustissimo motu exarsit.Itaq; festinanter congregatis ex omni terra ditionis suæ,nec non & ex regione Walliarum,ingētibus copiis, præparabat exercitum.Cui mox accessere Wintonisiēs Episcopus,& Barones plurimi, Comitesque nonnulli cum militia copiosa, nec defuere Episcopi Batensis & Cestrensis,qui paulo ante principales Cancellarij complices & fautores exstiterant, sed tyran-

nicis eius moribus, & immoderato fastu offensi, cum cæteris, immo præ cæteris in eum tunc linguis simul & animis sæuiebant. Pœnitudine stimulatus, quod tantam contra se flammam petulanti ausu accenderit, præcepit captiuum relaxari Pontificem. Qui dimissus venit Lundonias, & illatæ dolorem iniuriæ abundantioribus multorum affectibus, atque officiis compensauit. At non sicut eius captione Præsulum, Procerumque zelus excitari, ita etiam eius potuit relaxatione sedari: Semel enim accensi animi per hanc quasi satisfactionem nequaquam deferbuere, sed ad confringenda Rhinocerotis illius cornua omnium vota & studia laudabili constantia conuenere. Ille cum esset animi robusti, & rigidi, necessitatem ad alacritatem trahens, amicorum & militum peregrinorum stipauit se copiis, stetitque in campo non longe a Windesora, hostes, si forte progrediendum putarent, paratus excipere; verum aduentantis exercitus numero & fiducia territus, retrogradi cœpit. Mox quibusdam potentibus, qui cum eo esse visi fuerant, transeuntibus ad parteis Ioannis, cum ei in vicina munitione regia, scilicet Windesora, tutum non deesset receptaculum, turbatus inopsque consilij, instantibus a tergo hostibus, cum suis omnibus profugit Lundonias: Quas ingressus, ciuibus, quibus paulo ante terribilis fuerat, vt sibi non deessent in illo articulo, humiliter supplicauit. Illi vero prioris fastus & ferociæ eius memores Ioanni potius fauorem præstiterunt. Itaque spe sua frustratus, quod solum poterat, a facie hostis imminentis in arcem se regiam cum omnibus suis recepit, quorum tantus erat numerus vt in vnius turris angustiis sua illis esset multo nociuior multitudo, quam hostium foris frementium fortitudo. Æstuabat turris interius compressione multitudinis inclusę, cito euomitura, quos prodendos magis quam tuendos susceperat. Denique post vnam noctem egressus ad Ioannem & obsessores ceteros ille paulo ante Rhinoceros, sed iam homo, humili alloquio abeundi facultatem impetrauit inclusis. Ipse quoque arce resignata, cum ceteris per Angliam munitionibus regiis priuatus, & inglorius, Doueram ad virum sororis suæ concessit. Cernere erat tunc hominem, modo paulo ante non contentum humano, sed pæne cogitantem supra astra cæli exaltare solium suum, & ascendere super altitudinem nubium, deiectionis suæ dedecus ita ferre, vt fere aduersariis suis condolentiam ac pudorem obiiceret. Tandem tamen cum potius ad ecclesiæ propriæ regimen Episcopus debuisset accedere, si sobrium vexatio dedisset intellectum, apud Doueram nonnulla mora facta, tanquam in Anglia confusionem suam non ferens, vel certe liberius trans mare pro vltione propria aliquid moliturus, transfretare voluit. impediri autem metuens, miri acuminis, qua omne impedimentum eluderet, artem inuenit. Olim enim animo & merito exutus, Episcopum habitu quoque exuens, membris non tantum virilibus, more effeminatorum, sed etiam Pontificalibus, quod a seculo non erat auditum, vestem ineptissime aptauit muliebrem, caput quoque & maiorem faciei partē, velut delicata muliercula, peplo obuolutus, inter plurimos deambulabat in littore, læuo brachio telam lineam, tanquam venalem, vlnam vero manu dextera præferens, scilicet vt hac arte non obseruatus ab aliquo, nauim, cum ceteris transfretaturus, absque impedimento intraret. Verum a quodam forte agnitus proditusque, abstracto peplo tanquam manifestus effeminatus ignominiose multumque inepiscopaliter a concurrentibus est indisciplinatis pulsatus. Dehinc magistratui loci exhibitus, seruatusque est, quousque sciretur, quid super hoc decernerent regni potentes. Ioannes quidem agnito, quod acciderat, hostili animo exsultauit, atque aliquid in eum, quo magis dehonestaretur, sancire voluit. At vero Episcopi iusto rubore suffusi, quod in persona Episcopali tam fœda res accidisset, vigore ecclesiastico, vt dimitteretur, egerunt. Dimissus ergo, & foris quantum poterat dissimulans quod intus vrebatur, transfretauit.

CAPVT XVIII.

Tyranno igitur, qui Regnū turbauerat, propulsato, Episcopi & optimates cum Ioanne Lundoniis congregati de regni ordinatione tractare cœperunt. Et primo quidem ab omnibus Regis Richardi propter Christum peregrinantis fidelitate iurata, regni administrationem Rothomagensi Archiepiscopo, quem ad hoc ipsum idem Rex

a Sicilia

a Sicilia in Angliam miſerat, decreto communi tradiderunt, amotiſque miniſtris tyrannicis prouinciarum regimen melius ordinari voluerunt. Quibus actis, Anglia in cunctis finibus ſuis pacem recepit, & decenti ſub nouis cœpit rectoribus moderamine gubernari, malis plurimis, quæ ſub tyranno pullulauerant, atque viguerant, pariter cum ipſo eliminatis. iuxta illud Salomonis. Eiice deriſorem, & exibit cum eo iurgium, ceſſabuntque cauſæ & contumeliæ. Sane illi, quorum laudabili opera hæc regno Anglorum ſalus influxerat, molitionum illius hominis non ignari, quod ſcilicet Regem etiam longiſſime poſitum concinnatis præuenire atque inflammare curaret mendaciis, integram rerum veritatem regi per litteras ſignificandam duxerunt, cum acceſſionibus ſignorum appendentium plurimorum. Præterea Rothomagenſi Archiepiſcopo, cui rerum principaliter ſumma fuerat commiſſa, regnique Epiſcopis viſum eſt, vacanti primæ ſedi, ad quam tyrannus aſpirauerat, & forte adhuc aſpirabat, maturius, quo eius ſpes fruſtraretur, prouidendum eſſe paſtorem. Inuitati igitur ad celebrandam ex more futuri Metropolitani electionem Cantuarienſes, Bathenſem Epiſcopum ſolemniter elegerunt. Verum is haud multo poſt, nondum intronizatus deceſſit, ſpemque Cancellarij, ſua forte electione mortuam, moriendo reſuſcitauit. Qui nimirum in tranſmarinis poſitus, ſuam, tanquam ad Domini Regis propter Chriſtum peregrinantis iniuriam & dedecus pertinentem expulſionem, regnique a Ioanne inuaſionem, per nuntios in auribus Domini Papæ Cæleſtini deplorauit, redditiſque ſibi vicibus ſedis Apoſtolicæ, quas ſub Papa Clemente habuerat, pro coërcendo Ioanne, & reuocando in priſtinum ſtatum regni Anglici, reſcriptum fortiſſimum impetrauit. Verum idem reſcriptum quadam Epiſcoporum Angliæ cautela deluſum viribus caruit. Videns ergo nihil a ſe agi poſſe Ioanne aduerſo, per clandeſtinos nuntios colluſit cum eo, ingentique ſumma illi vel præſtita vel promiſſa, fauorem eius emeritus, confidenter in Angliam venit. Applicans autem apud Doueram, mox vt male ſibi notum littus attigit, tanquam ad detergendum dedecus, quod ibidem incurrerat, erectis ſuæ legationis inſignibus glorioſus refulſit. Non tamen progreſſus eſt, ſed apud Germanæ virum ſedit, vt agnoſceret, vtrum eum metu vel regio, vel Apoſtolico inclinati reciperent aduerſarij, cum iam placauiſſet maximum omnium Ioannem. Huius rei gratia miſſis Lundonias nuntiis litteriſque ad Reginam matrem Regis, quæ nuper a Sicilia venerat, & tunc forte cum Rothomagenſi & Eboracenſi Archiepiſcopis, & Ioanne filio aliiſque compluribus, tam Epiſcopis, quam Optimatibus Lundoniis conſiſtebat, ſecus quam ſperabat, inuenit. Cum enim Ioannes, colluſionem, quanta poterat cautela diſſimulans, mollius tum agendo deprehenderetur, atque obiurgaretur a matre & ceteris, tandem flexus generali ſubſcripſit decreto. Itaque vniuerſi cum Regina directis ad Cancellarium viris honoratis, eum tanquam regni turbatorem hoſtemque publicum Angliç finibus mature excedere cum interminationibus præceperunt. Denique territus & confuſus receſſit, ſiluitque gemens vſque ad tempus. Quia vero quales, Rege peregrinante, res Anglicæ fuerint ſuperiori narratione perſtrinximus, nunc ad eiuſdem peregrinantis acta, prout ab eis, qui interfuere accepimus, explicanda veniamus.

CAPVT XIX.

IGITVR illuſtribus Francorum Anglorumque regibus in inſula Sicilia ſub expectatione vernæ expeditionis hiemantibus, regina Alienora anilis oblita ætatis, nec reputans longitudinem ſeu difficultatem itineris, aut rigorem temporis hiemalis, dum materno duceretur vel potius traheretur affectu, a finibus terræ in Siciliam venit ad filium, ſecum adducens nupturam illi Regis Nauarrorũ filiam, famoſæ pulchritudinis & prudentiæ virginem. Et quidem tam ineptum quam & inuſitatum videbatur, vt in præcinctu bellorum de voluptate cogitarent, & quam vxorem duxiſſet, mox ſecum ad prælia duceret. Attamen hoc in regnante iuuene non tantum vtilitatis, verumetiam ſalubritatis ratio honeſtabat. Nam & in illo articulo ſobolem quærere, cum filium qui ſuccederet non haberet, vtile fuit, cumque eſſet pro ætate & vſu deliciarum lubricus, bellorum propter Chriſtum pericula ſubiturus, contra maximum fornicationis periculum competẽti remedio ſalubri vſus conſilio ſe muniuit. Adductam ergo virginem

duxit vxorem. eandem per maris Martiſque diſcrimina ſecum ducturus, vna cum nobili vidua, propria ſcilicet Germana Guillelmi illuſtriſſimi olim Regis Siculorum relicta. Quæ nimirum præclari coniugij ampliſſimam in Sicilia ſiue Calabria, dotis nomine habens mercedem, eadem dote Regi Tancredo abſolute vendita, vt fratrem Regem ſequeretur, eius in immenſum auxit theſauros. Adeſt tandem longis expectatus deſideriis menſis Martius; tranquillatur mare, arridet cælum; Chriſtianorum ingens numerus, qui relictis ante hyemem propriis, in diuerſis prouinciis, trāſiturus in Syriam egerat, cum ſolemni lætitia & alacritate naueis aſcendit. Memorati quoque Reges cum ſuis copiis claſſem ſoluunt. Rex Francorum ſpatio dierum aliquot Regem Anglorum mox ſecuturum prçcedens, & ſecundis flatibus circa octauas Paſchę in Syriam veniens; Chriſtiano exercitui ciuitatem Ptolemaida, vt ſuperius dictum eſt, iam fere biennium obſidenti, totis viribus iungitur. Huius autem exercitus tanto tempore ſub diuo excubantis ad tantum negotium tam laudanda quam miranda deuotio eſt, & illa nullis caſibus ſiue periculis, nullis incommodis, ſiue laboribus laſſata conſtantia, quo minus hoſtes atrociſſimos vſque ad exterminium debitum coartarent. Ciuitas olim a Chriſtianis ad ſummam claritatem & præcipuum robur euecta, poſtquam in manus impiiſſimi Saladini quanto minori negotio tanto maniſeſtiori Dei iudicio incidit, per eiuſdem tyranni prouidam & ſumtuoſiſſimam operam mœnia longe firmiora, & multiplex, tanquam primos Chriſtianorum impetus expertura, munimen accepit. Vniuerſi eius defenſores electi, nulluſque in ea remiſſus vel languidus. Et ſi forte quemquam debilitari contigiſſet, mature multabatur. Nam propter portum, quo vrbi adiuncto potiebantur Pagani, inhibere non poterāt obſidentes Chriſtiani, quin captata flatuum & temporum opportunitate quæque neceſſaria ciuitati inferrentur. Fiebant autem ab obſeſſoribus diuerſi generis machinæ, arte & ſumtu inani. Muris enim admotæ, incendebantur ab hoſtibus, quodam ignis genere, quem Græcum dicunt. Deniq; hoc genus arte confectum miræ eſſe potentiæ dicitur: nec contrario cedere elemento. Cumque vrbs abundaret ſubſidiis, grani plerumque penuria noſter exercitus laborabat. Non enim poterant noſtri ad agendas prædas & comportandi exercitui neceſſaria egredi in regionem Turcorum, iugiter hanc procul obſeruante exercitu, atque omnem illis inhibente excurſum, ſed marino tantummodo commeatu, tantus Chriſtianus exercitus alebatur, & cum forte parcius adueheretur ſubſidium, famis incommodo tabeſcebat. Tantus autem numerus per ſingulos dies, vel inedia, vel morbis abſumebatur, vt exercitus ita ſenſim deficiens in breui totus abſumendus videretur, niſi diuina quadam prouidentia tantis & quotidianis defectibus, in ſingulos dies affluxiſſent, quorum acceſſione deficiens exercitus ſupplebatur. Præterea quædam mala interna, auctore diabolo, quantum inter noſtros ſerpebant, tantum & hoſtem iuuabant. Guido enim olim Rex Ieroſolymorum, & Marchio de Monte farrato, cauſſa ſuperius memorata diſſidentes, ad exercitum venerant, atque in ipſa obſidione ita locis diſtincti, vt animis, multam poſt ſe turbam trahebant, dum potentum plurimi parteis oppoſitas diuiſis proſequerentur fauoribus, in tantum vt religioſa hoſpitalis Ieroſolymitani militia in duo collegia pro ſtudio partium ſciſſa videretur. Principibus itaque in diuerſa nitentibus, exercitus minus agere poterat, & Chriſtianum lente negotium procedebat, nonnullos quoque Principum noſtrorum, vt dicitur, auaritiæ tabes infecerat, clandeſtinis a Saladino pecuniis, cum plurimum poſſent, vt remiſſius agerent, expugnatos. His igitur cauſis propoſitum impedientibus, exercitus noſter multo tempore circa vrbem expugnandam caſſo labore ſudauit. Verum cum noua militia Rex Francorum adueniens, feſſorum auxit fiduciam, & de cetero fortius atque efficacius negotio inſtabatur. Denique idem Marchio propenſius fauorem accommodans, atque eo, qui regnum Chriſtianum perdiderat, illum qui reliquias ſaltem paruas ſaluauerat, eidem regno aptiorem pronuntians, partem Guidonis pro tempore infirmauit.

Quomodo Rex Anglorum adquiſiuit inſulam Cyprum.

IGITVR Rex Anglorum diebus aliquot poſt Regis Francorum profectionem in Sicilia demoratus, tandē ipſe cum ſuis copiis & longe maiori apparatu non ſatis fidis

ſe flati-

ſe flatibus credidit, habens in ſuo comitatu naueis actuarias atque onerarias plurimas. Quippe in illo hiemali otio otioſus non fuit, ſed congerendis neceſſariis exercitui ſubſidiis, & conficiendis machinis bellicis tempus imbelle impenderat. Dei autem ordinatiſſima prouiſione, vt conſequenter claruit, oborta tempeſtas fatigatam compulit claſſem in Cyprum diuertere, tanquam Chriſtianorum incolarum fideli ac tuto colligendam hoſpitio, atque officiis confouendam. Verum maiorem in portu optato quam in mari turbato turbinem offenderunt. Tyrannus enim, qui eandem inſulam ſæua dominatione annis iam plurimis preſſerat, & imperatorium ſibi in ea nomen vſurparat, Chriſtiani nominis hoſti Saladino federatus, ipſique quam Chriſto fidelior, licet Chriſtianus diceretur, cum exercitu affuit, & primos, fluctuum ſæuitia in portum coactus, ſæuior ipſe excipiens, indigne tractauit, & bonis omnibus ſpoliatos, vix vita dignos cenſuit. Quoſdam etiam redegit in carcerem inedia conſumendos, Regi mox affuturo non diſſimilia comminans. Quibus ille agnitis, iuſto ad vltionem zelo inflammatus, cum tota claſſe portum intrauit. Excipitur a tyranno, & totis hinc inde viribus conſeritur prælium. At non diu Grȩca mollities impetum ſuſtinuit Latinorum. Victus ergo tyrannus dum tentaret fugere, incidit in manus hoſtium, diſperſoque eius exercitu, ciuitas portui imminens capta eſt. Rex quidem primo in tyrannum mitius agere voluit, & pro ſua liberatione quicquid exigebatur pollicentem, celebratis cum eo pactis relaxauit. Verum ille libertate reddita præuaricator pactorum malis prioribus perfidiam ſociauit. Rex vero præmaturæ clementiæ pœnitens, inueſtigare perfidum, & perſequi ſtatuit. Ille vires reſumere, atque exercitum cogere fruſtra conatus, fugiebat a facie proſequentis, quem tandem Rex in quodam monaſterio deliteſcentem, prodentibus eum quibuſdam inſulanis, quibus merito exoſus erat, comprehendit, & vinculis iuſtiſſimis innodauit. Vinciri autē iuſſus, dixiſſe fertur, quod ferro vinctus cito deficeret. Ad quod Rex, bene, ait, loquitur, quia nobilis eſt, & mori eum nolumus, ſed vt viuat innoxius, argenteis aſtringatur cathenis. Mox tota inſula tyranni ſaucia moribus, ſponte in eiuſdem Principis ditionem deuotionemque conceſſit, cunctis illi vrbibus & munitionibus, nec non & opulentiſſimis tyranni theſauris cum vnica eius filia reſignatis. Quibus feliciter actis, per dies aliquot in regno nouo, cum victricibus copiis victoriam cum multa gloria celebrans, præclaras manubias ad Chriſtianæ expeditionis ſubſidium ſollicitus ordinabat. Non latuere iſta Chriſtianum exercitum, qui Ptolemaidem obſidebat, atque eius cum deſiderio præſtolabatur acceſſum. Verum præclari ſucceſſus audita felicitas, cui congratulandum, non derogandum erat, neceſſariam eius moram purgauit. Ipſe vero paulo plus duobus menſibus in Cypro exactis, & rebus magnis ſpatio tam breui patratis hilares copias in Syriam traducendas ad naueis reuocauit. Ordinata igitur, prout voluit & decuit, inſula, cunctiſque rite diſpoſitis, arridentibus quoque elementis, portu egreditur, rectoque curſu Ptolemaida properans: tricrem maximam onerariam eminus conſpicatur, quæ in mare a Saladino miſſa, obſeſſis in Ptolemaide multiplicis ſubſidij copiam deferebat. Quo ille comperto, iubet eam oppugnari. Verum cum non facile propter enormem poſſet magnitudinem & virtutem defenſorum, deſuper tanquam ex arce pugnantium expugnari, rerum, quæ in eo erant diſpendio, expugnationis eius compendium, Rege volente quæſitum eſt, Arte quidem ſub aquis perforata, mari per foramina latenter immiſſo, pondere paulatim ſubſedit, & tandem cum omni onere demerſa eſt in profundum. Et res quidem omnes, cum parte hominum nonnulla periere. Ceteri vero in naueis proſiliendo hoſtiles, conſulte hoſtibus, quam fluctubus ſe credere maluere. Claſſis vero regia cum ſalute & gaudio attigit littus optatum.

Quibus ex cauſis Reges diſſidere cœperunt apud Acram.

ILLVSTRIS itaque Rex Anglorum poſt Pentecoſten a Cypro digreſſus, paucis ante ſolemnia beati Baptiſtæ Ioannis, diebus Ptolemaida, quæ Acra vulgo nunc dicitur, cum vniuerſo comitatu ſuo applicuit, & a cunctis Principibus omnique exercitu tanto ſuſceptus eſt gaudio, quanto prius deſiderio fuerat expectatus. Porro Regem Francorum tanta eius gloria vrere cœperat, & cordis ſui æſtus tabificos ægre diſſimu-

labat, cum se intueretur viribus, & opibus longe imparem, illum vero propter virium opumque magnitudinem & successuum claritatem excellentius eminere, & propensius coli ab exercitu, & ad eius iam agenda omnia pendere arbitrium. Domine Iesu seminator nonne bonum semen seminasti in cordibus duorum Principum istorum, tanquam in agro proprio? Vnde ergo ager iste tuus tam cito habuit zizaniam? Plane inimicus hæc fecit, humani generis, plebis Christianæ tam pio studio inuidens, & tantos pro te susceptos labores cassare cupiens, bono semini sanctæ deuotionis, quod manus tua seminauerat in cordibus Principum, vt opulentissima propter te regna relinquerent, & delicias regias summis propter te laboribus atque periculis commutarent, superseminauit pestiferam zizaniam æmulationis, & contentionis, qua tam bonum semen, & tam bona manu iactum, infructuosum atque inefficax redderetur, te quidem domine, hoc ipsum iuste permittente: sed permissionis huius ratio penes te est. Cum igitur, vt dictum est, Rex Anglorum a Cypro triumphator inclitus ad obsidionem venisset, mox inter ipsum & Regem Francorum, quem eius iam mordebat felicitas manifeste dissidendi seminaria, auctore Sathana prouenerũt Rex enim Francorum ratione pacti, inter eos peregrinationem ingressuros solẽniter habiti, quod scilicet omnem adquisitionem suam æquali inter se sorte diuiderent, medietatẽ adquisitionis Cypriæ tam in immobilibus quam & mobilibus, tanquam perspicuo sibi iure competentem exigebat. Ad hoc Rex Anglorum respondebat, medietatem omnium, quæ communibus adquirerent viribus, illi ratione pacti cõpetere, se propriis Cyprũ viribus adquisisse, illum ea, in quibus nec modice laborauit, exigere nõ debere. Adiiciebat etiam, se & illum, cum peregrinationem arriperent, Saracenos solũmodo aggrediendi, & ab eis quantum possent, Deo propicio extorquendi intentionẽ habuisse, & iuxta hanc intentionem pactũ de adquisitione diuidenda cõstituisse. Porro se Christianam insulam non ex intentione adisse, sed incidenter ad eam, causa vlciscendæ atrocis & adhuc flagrantis iniuriæ diuertisse; hoc modo illi duo altercabantur potentes. Et Rex quidẽ Anglorum patratæ adquisitionis consortium Regi Francorũ modis omnibus denegabat. Rex vero Francorũ Regem Anglorum rupti fœderis, & pacti irriti arguebat. Alia quoque inter eos dissidẽdi causa emersit. Rex Francorum cum ad obsidionem prior venisset, parteis, vt dictum est, Cõradi Marchionis contra Guidonem olim Ierosolymorum Regem propensioribus iuuabat fauoribus. Et cum tãdem Rex Anglorum post factam in Cypro moram necessariam iam adesset, nisus est eum Rex Francorum ad suam sententiam trahere, allegans potiorem esse paucularum saltem reliquiarum Christianæ religionis saluationem, quam regni Christiani proditionem. Rex vero Anglorum acquieuit pronior in partem Guidonis, Aquitani scilicet hominis, cuius tota propinquitas sub Rege agebat Anglorum. Deniq; allegans pro eo; regnum, inquit, Christianum dedidit non prodidit. Non enim illud sua vel nequitia, vel negligentia, siue ignauia hostibus prodidit, sed aliis nequissime prodentibus, ipse inculpabilis dedidit, proditus simul ipse perditusque cum regno, & a suis quidem nequissime in manus hostium traditus; Deo autem propicio liberatus. Aut ergo culpa eius in hac parte declaretur, aut ei, qua nudari non meruit, prærogatiua seruetur. Ægre tulit Rex Francorum suam a Rege Anglorum, non approbari, ac per hoc & informari sentẽtiam. Et tunc quidem cum suum non posset sancire decretum, pro tempore siluit. Porro hæc dissensio maioris vel indignationis, vel odij fomitem ministrauit. Cumque iam pars Guidonis per fauorem Regis Anglorum præstare videretur; præfatus Marchio eiusdem Regis potentiam veritus, cum suis Tyrum rediit. Sane post accessum Regis Anglorum, exercitus Christianus contra vrbem obsessam inualuit, atque infra diem tricesimum, tanti temporis, tantique sudoris negotium, eiusdem maxime regis feruenti, potentique opera egregie consummauit.

CAPVT XX.

IGITVR vrbs insignis Ptolemaïs, quam nunc Acram dicunt, postquam obsidentes Christianos multo & diuturno labore exercuit, tandem expugnata est, anno gratiæ M. C. LXXXXI. Quinto Idus Iulij, anno, ex quo in manus Turcorũ inciderat, quarto.

Denique fortissimi propugnatores eius, cum iam Christianorum machinis cæderent mœnia, cernerentque irruptionem instare hostilem, suimet, quod solum poterant, prouidentiam habuerunt, pactique sunt Principibus nostris pro vitæ suæ redemtione salutiferæ crucis honorificam, hoc est, cum mille & quingentis captiuis Christianis resignationem, nec non & pecuniam copiosam. Huic suorum Saladinus necessitati, qui cum infinito exercitu non longe aberat, & subuenire non poterat, auctoritatem præstitit, & ad hæc omnia persoluenda Christianis diem constituit. Itaque resignatam mox ciuitatem ingressus est cum exsultatione, & solemni gratiarum actione exercitus Christianus. Armorum & variæ supellectilis ingens ibidem copia reperta est, escarum quoque plurimum, opumque nonnihil. Illi vero, qui fortiter diu defensam ægre tandem resignauerant ciuitatem, sub expectatione diei a Saladino constituti, seruabantur. Tunc Rex Francorum delicati sibi hominis tempore belli notam inurens, æstus causando molestiam, & quod illius terræ aërem sustinere non posset, publice protestatus, repatriare disposuit. Quod Christiano exercitui multum displicuit, & fœda res visa est personæ tanti Principis, præsertim cum plurimi aliter & forte verius eius interpretarentur discessum. Quippe illustris Flandriæ Comes Philippus, qui cum ceteris fidelibus Christo militaturus in Syriam venerat, paulo ante expugnationem ciuitatis ibidem piæ militiæ munus expleuerat. Et quoniam idem Rex vacanti Flandriæ obtinendæ inhiare videbatur, vt honestam discessionis causam prætexeret, peregrini aëris mendaciter causari molestiam credebatur. Dicitur etiam, quod Regis Anglorum, cuius propter opes longe impares non poterat æquare potentiam, non poterat, nisi oculis ægris, & animo saucio specialem videre gloriam, præsertim cum illi potissimum quod iam actum erat, asscriberetur, & ex hoc colligeret quidquid de cetero Christianis viribus in Orientis partibus erat agendum, illi potius tanquam potentiori, quam sibi asscribendum. Denique non omnino inscius, quid de illo sentirent vel dicerent homines, nihilominus obstinato animo adornabat discessum. Rex autem Anglorum propter recentes dissentiones de beneuolentia eius minus confidens, coram viris honoratis, vt dicitur, quod terris suis, & hominibus, vsque ad reditum suum foret innoxius, iuratoriam ab eo exegit, accepitque cautionem. Ita magnus ille Rex Francorum Christianum, cui serus aduenerat, præmature relinquens exercitum, infra quindecimum diem ab vrbe expugnata, cum multo suorum, id est, Francorum rubore nauem conscendit & abiit. Et eorum quidem plurimi, qui illi deesse noluere, cum illo abiere. Porro Dux Burgundiæ, Comes Campaniæ, & quique nobiliores contemplatione suæ vel famæ, vel conscientiæ, vel etiam ad abolendum proprij Principis dedecus, in terra sancta pro tempore, & in sancta militia persistendum duxere. Quibus nimirum ille, vt dicitur, discessurus præcepit, vt Marchioni assisterent, & quotiens se incidens præberet occasio, Regi aduersarentur Anglorum. Quod vtique postmodum siue Regij respectu mandati, siue etiam propria petulantia, siue malitia fecisse noscuntur. Vnde nimirum Christianum negotium minus prospere geri potuit; dum a Christianis minus sincere minusque concorditer ageretur. Cumque idem Rex digressus a Ptolemaide prosperis flatibus venisset in Italiam; Romanum Pontificem adiit, & absolui a quodam iuramento, quo se contra voluntatem suam asserebat astrictum, importune, vt dicitur, postulauit. Suspendit ad breue callide postulantem vir altioris ingenij, moxque superuenientibus a Syria quibusdam, integre rem edoctus: Illud inquit, iuramentum, quod præstitisti Regi Anglorum de pace, vsque ad reditum suum conseruanda, quam vtique Princeps Christianus absque iuramento conseruare deberes; nullatenus relaxamus, sed tanquam honestum & vtile approbantes, auctoritate Apostolica roboramus. Itaque deprehensus in astutia sua, & obligatior quam venerat, inglorius repatriauit, vulgatumque est apud Francos per quosdam concionatores mendacij, ad purgandum Regis sui reditum, quod eum Rex Anglorum insidiose, & nequiter, quærendo animam eius, premature contra propositum suum redire compulerit.

CAPVT XXI.

IGITVR Rege Francorum, vt dictum est, a Syria digresso, Rex Anglorum in vrbe

r

capta, fessum otio necessario recreabat exercitum, nec tamen in illo otio otiosus circa reficienda, quæ machinis cesserant mœnia sollicite satagebat. Affuit tandem dies a Saladino præfixus, quo sacri vexilli resignatio & compromissa captiuorum commutatio sperabatur. Verum ille cum nostros inani expectatione deluderet Rex Anglorum iusto ignitus zelo captiuorum, qui vrbe expugnata sub prætaxata pactorum forma seruabantur, nobilioribus prouida consideratione retentis, duo circiter milia & sexcentos, pactis a parte Saladini non stantibus, decollari præcepit. Quo facto, Turcorum ingens in Regem proprium indignatio efferbuit, quod electos iuuenes, qui pro ipso fortissime vsque ad proprium discrimen sudauerant, ingratus & infidus exposuisset gaudio. Denique eorum, quibus munitionum custodia credebatur, dum exemplum vererentur, ita labefactati, & collapsi sunt animi, vt tyrannus, fere cunctis pro recenti exemplo excusantibus, non habens, quibus ipsas munitiones crederet, easdem tanquam consilij inops etiam desereret. Euertebantur ergo & deserebantur indies per omnem prouinciam munitiones nulla vi, nullis expugnabiles machinis. Sane post Regis Francorum digressum, exercitus Domini paulatim cœpit imminui. Eorum quippe qui ad obsidionem Ptolemaïdis priores confluxerant, multa milia absumtis opibus, dum sumtus ad persistendum minus suppeterent, necessitate magis quam voluntate repatriandum duxerunt. Multi etiam sumtibus abundantes, vel laborum tædio, vel periculorum metu, vel solo Regis Francorum eneruati exemplo, abierunt. Tunc Rex Anglorum proprios thesauros aperiens, plurimos nobiles, Principesque exercitus cum suis militiis, qui aduectas secum opes mora productiori laudabiliter absumserant, & declarata inopia sua redire ad propria excusabiliter proposuerant; largis, vt in exercitu Domini persisterent, inuitauit stipendiis. Ex quibus fuit ex Imperio Teutonico Dux Austriæ, qui postea tanti beneficij immemor, sceleratas repatrianti Regi, cuius stipendiarius fuerat, manus iniecit, vt suo loco monstrabitur, & Dux Campaniæ, qui eximiæ virtutis titulo Christianæ postmodum acquisitionis Principatum promeruit, vt infra exponetur. Denique expugnatæ ciuitatis mœnibus instauratis, & sufficienter refectã multitudine, mense Septembri Rex Anglorum, cui iam fere totus deuote parebat exercitus, ad alias vrbeis maritimas progredi statuit. Procedebant ergo ordinate & caute agmina Christiana. Porro infinitus Turcorum exercitus Duce Saladino æquis haud procul passibus gradiebatur, ancipitem quidem præliis euentum declinans; extremos vero nostrorum raptim aggrediens, & nonnulla re acta refugiens, vt est illud hominum genus miræ astutiæ ad nocendum, nec minus arte quam viribus pugnare assuetum. Itaq; exercitus noster in multo laboris, & periculi experimento peruenit Cæsaream. Christianis olim incolentibus Metropolim inclitam, tunc vero hostili desolatione inanem & vacuam. Cumque ibidem modice respirasset, iter propositum cum alacritate repetit. Et primo quidem agmine procedente, iamque apud Assur castra metante; Saladinus captato tempore agmen extremum totis aggressus est viribus. Idem autem agmen per quatuor mox turmas dispositum irruentis impetum fortiter excipiens, Deo propicio ipsum cum tremendis suis copiis eneruiter fugere compulit, tantaque eo die, hoc est, septimo Idus Septembris, ibidem nobilium Turcorum strages facta est, quantã ab annis retro quadraginta, vt fertur, vno die Saladinus expertus non fuerat. De nostris vero occubuit Iacobus de Aueniis, vir plane optimus, & meritis præcellentibus vniuerso exercitui Christiano charissimus, qui eiusdem exercitus præclara per annos aliquot columna exstiterat, atque in proposito pie suscepto, sincere & strenue perseuerans, nec leuem vnquam maculam dederat in gloriam suam. Cuius profecto laudabili deuotioni diuino munere retributum est, vt Omnipotentis Dei obsequio gloriose occumberet, & mediante discrimine breui temporalem felicitatem, vt pium est credere, æterna mutaret. Deniq; luxit vehementer cum omni exercitu Rex Anglorũ, assumtũ tanquã emeritum a Rege Angelorũ. Indeq; progressus vsq; ad Iopen; incursione iam pridem tyrannica Christianis vacuatam ciuibus, tunc vero derelictã & desolatam ab hostibus, loci opportunitate cõspecta, eandẽ totis cœpit viribus instaurare. Audiens autem Saladinus, quod Ascalonam oppugnare disponeret, eandẽ clarissimã ciuitatẽ & Ptolemaida, quæ longo tempore exercitum fatigauerat Christianum, multo firmio-

firmiorem, subita euersione damnauit. Tantus eum post recentem suorum cladem Christianæ constantiæ terror inuaserat; atque ita Turcorum animos eorum qui apud Ptolemaidem in manus Christianorum inciderant, recens exemplum perstrinxerat. Vrbes quoque reliquas, & Castella terræ illius, præter sanctam ciuitatem, & munitiones paucissimas complanauit, totamque prouinciam, abrasis bonis omnibus inutilem reddidit. Nec iam aliquid audendum putabat aperto Marte, sed nocebat insidiis, & incessanter abscondebat tendiculas fraudium. Nostri quoque post tam læta principia, nihil iam magnum & memorabile agere poterant, propter internum discordiæ malum, quo languebant. Principes enim non cohærebant, sed mordaci æmulatione dissentiebant ab inuicem, nec poterant in commune consulere, studiis in diuersa nitentibus, contraria decernentes. Denique Conradus Marchio, & Princeps famosissimæ firmissimæque vrbis Tyri, adiuncto sibi Duce Burgundiæ & nobilibus Francorum cum subiectis copiis, Regi aduersabatur Anglorum, æmulanti pro Guidone olim Rege Ierosolymorum. Rex vero propter magnitudinem animi & virium, quos forte per mansuetudinem vnire sibi poterat, indignantis animi motibus exasperabat. Quia ergo in nostro exercitu non idipsum dicebant omnes, sed schismata pullulabant, tantę expeditionis iam stabat negotium, & non procedebat.

CAPVT XXII.

VERVM supradictorum duorum æmulorum, quanto animosior, tanto vanior pro regno incerto contentio, postquam motus in exercitu domini plurimos peperit, extremæ demum sortis beneficio conquieuit. Regina quippe Ierosolymorum, quæ, vt superius plenarie dictum est, memorato Guidoni infelicissime nupserat, sera tādem morte deficiens; illi ratione tantum Regij coniugij de regno contendenti silentium indixit. Marchio quoque nefarie a sicariis necatus, regnum ambire cessauit. Incertum a quo malignante immissi duo sicarij in eius obsequio sub schemate militantium diuscule fuerant, patrandi vel cum proprio periculo sceleris opportunitatem iugiter obseruantes. Qua inuēta, clarissimum virum solito paucioribus forte stipatum ministris, in medio propriæ ciuitatis, cum prope tanquam noti assisterent, repente aggressi, clandestinis cultris extractis mactarunt. Fertur enim esse in Oriente agens sub ditione cuiusdam potentis Saraceni, quem Senem nominant, quoddam hominum genus adeo seductibile, atque in propriam procliue perniciem, vt ab eodem, quem scilicet loco Prophetæ colunt, artificiosissimis fallacium pollicitationum præstigiis sollicitatum atque illectum, immortalia se post mortem cōmoda percepturos existiment, si illi imperanti vsque ad mortem obtemperent. Qui nimirum cum forte a quolibet præpotenti infestari metuit, siue iam infestatur, ad eius peremtionem subornatos ex illo genere emittit sicarios. Illi vero exitium tanquam ad solemne epulum cum gaudio properantes, nihil aliud ambiunt vel explorant, nisi vt arrepto tempore pro certa mandati impletione, certo se discrimini exponentes, designatum hostem commorituri interimant. Denique propter hoc maxime genus Orientales Principes prouisiori se custodia muniunt, & præter familiarissimos, nullius ad se, nisi propriis stipatoribus mediis, patiuntur accensum. Verum quoniam iidem pestilentes plerumque, dum forte minus obseruarentur, ad necem clarissimorum virorū per medias custodias irruperunt, nullus magnorum, qui sunt in terra tributum, vel obsequium quodlibet a memorato sene per potentiam exigit, vel quietē eius aliquatenus perturbare præsumit. Soli Tēplarij dum in Syria res Christianæ florerent, tanquā mortis contemtores, ausi sunt eum impetere, & fœderatū obsequia coëgerunt præstare. Sciebat enim parum actū esse, si forte per ministros proprios, quemlibet magistrorū eiusdem militiæ perderet; quæ vtiq; mox alium sibi creans, acrius pro extincti vltione sæuiret. Ex hoc sane funestissimorū satellitū genere fuisse credūntur, qui memoratum Tyri Principē astu ausuq; nefario peremerunt, cōmori non timentes. Comprehensi autem & subtiliter requisiti, quo id auctore vel incentore egissent, ad mortē prōti, & hilares nihil certū dixerunt. Itaq; latet adhuc, quis tanto viro necē fuerit huiusmodi machinatus. Verū occasione recentis discordiæ, qua dicentauerat cum Rege Anglorū, procliues fuere plurimi ad succensendum super hoc

eidem Regi, Francis maxime illum infamantibus, qui pro Marchione æmulati fuerant, multamque illi de morte viri præclari, inuidiam conflantibus, per omnem fere orbem Latinum.

CAPVT XXIII.

Sane postquam percrebuit apud Regem Francorum, quod Marchioni acciderat; de amici quidem indigno exitu doluit, sed mox hunc dolorem suscepta cum ingenti gaudio sugillandi Regem Anglorum occasio compensauit. Cumque in propriis esset tam longe finibus a Syria constitutus: illius in Oriente consistentis, vel frustra timebat, vel potius se ad augendam inuidiam, timere fingebat insidias, & tanquam ab eo subornati imminerent sicarij, præter morem maiorum suorum, non nisi firmata vallatus custodia procedebat, adeo vt quidam familiari ausu propius accedentes, non sine periculo hoc ausi dicantur. Mirantibus hanc nouitatem Regiam plurimis, vt pro ea satisfaceret, gentemque suam in Regem Anglorum accenderet, Præsulum, Procerumque suorum concilium Parisios conuocauit. Vbi allegans contra eundem Regem plurima tanquam certa, atque inter cetera, quod virum illum nobilissimum nequiter per diros satellites peremisset, litteras quoque protulit, a quibusdam potentibus sibi, vt dicebat, transmissas, quibus monebatur propensiorem suimet habere cautelam, sciēs quod Rex Anglorum insidiaturos animę suę ab Oriente iam direxisset sicarios. Quamobrem, inquit, nemo debet mirari, quod præter solitum diligentiorem meiipsius curam habeam, quam tamen si reputatis vel indecentem, vel superfluam, decernite amouendam. Adiecit etiam, cordi sibi esse de manifesto proditore proprias mature vlcisci iniurias. Adhæc plurimi adulatorie responderunt, bonum, honestumque esse, quod pro cautela faciebat, & quod pro vltione disponebat. Prudentes vero dixerunt. Cautelam quidem tuam Rex, qua tibi contra incertos casus forte abundantius prospicis, non culpamus, præmature vero vltionis propositum minime approbamus. Nam & si vera sint, quæ de Rege Anglorum dicuntur, non tamen est petulanter & præmature agendum, sed respectu honesti sustinendum, quousque ad propria reuertatur, qui propter Christum peregrinari noscitur. Denique si reuersus vel obiecta purgare potuerit, vel de excessibus satisfacere voluerit, bene actum erit: sin minus, expetendæ vltionis, iustitia comite, congruum tempus erit. Quod si nostrum consilium minus placet, Romanus Pontifex, qui de rebus modernorum peregrinantium quietem sub graui censura sanciuit, super his consulatur, eiusque, vt dignum est, sententia expectetur. Hæc dicentes viri cordati, & sobriis rationibus astruentes, sæuientis impetum ad tempus frenarunt, ne peregrinantis terras inuaderet. Quieuit ergo ad modicum, non tamen in illo extorto magis quam spontaneo otio, regno desiit, & Regi Anglorum cruentum moliri negotium, veteres scilicet Anglorum hosteis Danos ad mortuam olim querelam artificiose suscitare conatus. Verum hęc tam maligna molitio, Deo ordinante, Anglis non nocuit; auctorem vero suum næuo inexpiabili denigrauit. Famosa res est & propter claritatem personæ mundo notissima.

CAPVT XXIIII.

Igitur Rex Francorum missis ad Regem Danorum viris honoratis, germanæ eius laudatissimæ virginis nuptias solemniter expetiuit. Rex autem Danorum magnifice legatos suscipiens, petitionem quoque Optimatum suorum consilio libenter amplexus est. Et quid, inquit, Dominus vester vult sibi dari dotis nomine? Illi vero prout in mandatis acceperant, antiquum, inquiunt, ius Regis Danorum in regno Anglorum, & ad hoc assequendum classem exercitumque Daniæ in annum. Tum ille, rem, inquit, difficilem, postulat: verumtamen deliberabo an concedi debeat. Cumque super hoc regni sui inclitos seorsum consuleret, responderunt, Satis nobis negotij est contra Paganam, a nostris vicinam finibus gentem Wandalorum. Illisne ergo dimissis; hostiliter aggrediemur Anglorum gentem Christianam, atque innoxiam, duplici nosmetipsos periculo immergentes? Nam si Anglos aggrediamur, ferocissimis, qui iuxta nos sunt ... socios nostros exponimus. Porro Anglorum gens magna & valida, opibusque

famosa,propriæ vel saluti, vel libertati contra omnem vim externam tuendæ sufficere creditur.Proinde aliud petat Rex Francorum, si voluerit dotis nomine; cum tu Rex non debeas, cum propriæ gentis periculo Germanæ tuæ honorabiles nuptias prouidere. Placuit Regi sobrium consilium, iussitque Legatos aliud dicere, si quid haberent. Illi vero expirante petitione prima,decem marcarum argenti milia petierunt.Ad hęc Rex magnanimus, rem, inquit, Rex Francorum a Rege Danorum nunc petit pertenuem ratione negotij & personarum,petitionem eius grate suscipimus, & votum mature implebimus. Tunc pactis initis,& sacramento a legatis præstito pro completione pactorum,ornatam, vt decuit,cum summa postulata tradit virginem,& de suis honoratos quosdam,qui persequerentur eam, vsque in Franciam direxit. Rex autem Francorum occurrit ei Ambianis,ibique solemniter nuptiali sibi fœdere copulatam,etiam thoro acciuit. Verum post initi fœderis,vt dicitur, noctem vnam, incertum, vnde offensus abiecit eam, rem plane faciens, non tantum illicitam, sed etiam personæ regiæ multum indecoram. Causæ sane pudendæ leuitatis huius variæ assignantur. Dicunt enim quidam,quod propter fœtidum oris spiritum; Alij,quod propter latētem quandam fœditatem repudiauerit eam; vel quia non inuenit eam virginem. Indignæ procul dubio causæ huiusmodi,atque ad dirimendum coniugium Christianum inualidæ. Verum cum præcipitati repudij causa sit incerta, incertum tamen non est,eum qui fodit foueam,incidisse in eam,scilicet illum,qui sub prætextu nuptiarum gentis innoxiæ & Christianæ sitiuit impie sanguinem,perspicuo Dei iudicio ex ipsis nuptiis sempiterni dedecoris reportasse mercedem. Porro,vt infami facto honestæ speciei colorem superduceret,& vel ad homines,quod vtique ad Deum non poterat, contracti matrimonij fœdus abrumperet; Romano Pōtifici per responsales callidos insinuare curauit,surreptione quadam,propriam se duxisse affinem,postulans, a vinculo minus legitimo eximi. At ille delegauit iudices ex regno postulantis,forti tamen mandato astrictos,vti in hoc negotio iuxta integritatem canonicæ procederent sanctionis. Illi autem Regis sui iniusto desiderio plus æque fauentes, affinitate periurio Belluacensis & Carnutensis Episcoporum asserta,diuortium fieri debere decreuerunt. Et Belluacensis quidem periurus Episcopus,post non multo in manus Regis Anglorum traditus,eundem satis idoneum expertus est in seueritate vltionis Dei ministrum. Carnutensis vero, qui morum proluuie minus esse Episcopus dicitur,Dei adhuc patientia sustinet,vt tarditatem pœnæ quantitate compenset. Sic itaque Rex Francorum in facie Ecclesiæ exosi connubij lege solutus,ad alias paulo post nuptias aspirauit, quibus tamen potitus non est, vt suo loco dicetur.

CAPVT XXV.

His diebus Godefridus Archiepiscopus Eboracensis, & Hugo Episcopus Dunelmensis sua fortius,& remissius ea quæ sunt Christi,quærentes,cum multo & graui scandalo disceptarūt. Ille,vt præesset; iste ne subesset; neuter vero,vt prodesset. Ita quippe in diebus nostris pastorale decus euanuit,vt inter pastores Ecclesiasticos admodū rarus inueniatur intelligens,vel requirens Deum,dum fere omnes,quę sua sunt,quęrunt. Equidē paulo ante eiusdem Godefridi electi adhuc Eboracensis pendente fortuna,Clemens Romanus Pontifex intercedentibus obsequiis eundē Episcopum cum suis omnibus ab Archiepiscopi Eboracēsis iurisdictione exemerat. Porro successor eius Cęlestinus Eboracensis Ecclesiæ iura & dignitates redintegrās,eandē exemtionē cassauit. Godefridus itaq; de mandato Apostolicæ sedis Turone ordinatus,& ad sedem propriam cum Metropolitani honore reuersus,de memorato Episcopo, quem ante ordinationem suam infestum expertus fuerat,triumphare cupiens,Canonicam ab eo professionem instanter exegit. Ad quam ex more præstandam,cum ille nullatenus inclinaretur, sed appellationis se diffugio,& quodam enormium capitulorum obiectu tueri niterentur,idem Archiepiscopus excōmunicationis in eum sententiā præpropere, & motu magis proprio,quā prudētium cōsilio promulgauit. Verum sicut hic appellationē & obiecta,ita ille spreuit,derisitq; sentētiam. Vterq; mox ad sedem Apostolicam instructos responsales direxit. Hic pro cōfirmanda,ille pro infirmāda,euacuandaque sententia,quæ lata

fuerat. Et hic quidem cupiens experiri sinceritatem Romanam, vel potius sufficere iudicans, quod profusioribus obsequiis pro negotio promotionis suæ paulo ante placasset Romanos, simpliciter postulauit. Ille vero sagacius, prout a Romanis postulari oportuit, postulandum putauit, tantoque factus est in causa potior, quanto & pollicendo ponderosior. Denique non solum pro eo est pronuntiatum, quod sententia illa non teneret; verumetiam ei, siue pro acceptæ iniuriæ consolatione, siue etiam pro insolentis aduersarij humiliatione indultum, vt illi tanquam Metropolitano subesse vlterius non deberet. Sic ergo exemtus a iurisdictione potestatis suspectæ, victoriam quam quanto gloriosius, tanto & vanius ostentauit. Porro idem Archiepiscopus post successus præclaros, initium malorum hoc habuit, vti sequentia declarabunt.

CAPVT XXVI.

INTEREA exercitus Christianus Regi Regum in Oriente militans, in multo laborum & periculorum experimento agebat. Verumtamen Christianum negotium minus procedebat, tum propter dissentiones, æmulationesque Ducum, vt dictum est, tum propter difficultates plurimas, tanquam Deo minus propicio, obsistentes. Decernebant quidam adeundam totisque oppugnandam viribus sanctam ciuitatem, quam impij prophanabant. Aliis vero hoc impossibile videbatur, certis ex causis. Terra quippe, quæ paulo ante fertilissima fuerat, & quasi omnimodæ copiæ promtuarium, maligna & calida Saladini prouisione redacta erat in solitudinem, ne scilicet Christianus exercitus quantulumcunque ex ea subsidium caperet, vnde nec poterat a mari ad aliquod maius negotium longius progredi, cum solum ei mare nauigiis necessaria ministraret. Rex autem Anglorum exacta hyeme in montanis cum aliud non posset, vrbes maritimas, quas Turci euersas reliquerant, & maxime Ascalonam summo studio & profusis opibus instaurare cœpit, carpentibus eum æmulis, & rumores de illo pessimos per totum fere orbem Christianum spargentibus, scilicet quod Regem Francorum insidiis appetisset, quod Conradum Marchionem virum Christianissimum nefarie per sicarios peremisset, quod cum Saladino de proditione terræ sanctæ nequissime collusisset, atque ideo ad expugnandam ciuitatem sanctam accedere noluisset. Porro ille cœptis insistens præ animi magnitudine æmulantium maledicta & molimina contemnebat. Sane post memorati Marchionis interitum, cum & Guido quondam Rex Ierosolymorum, qui cum eo contenderat, vxore sublata, solo iam Regis nomine esset contentus; deliberauit Rex Anglorum cum Ducibus & nobilibus vniuersis, cuinam fineis Christianos crederent, mature ad propria reuersurus. Et concordi decreto constituerunt Principem Christianæ adquisitionis Henricum, illustrem Gallicanæ Campaniæ Comitem, vtriusque Regis, Francorum scilicet & Anglorum communem ex communi Germana nepotem, tantis condignum auunculis. Quo facto, & nouo Principi integre traditis munitionibus Christianis, ordinatisque præsidiis vrbium, Princeps & populi, tanquam expleto militiæ tempore, cum iam sumtus ad moram deficerent, certatim repatriare cœperunt, anno ab expugnatione Ptolemaïdis secundo, tempore autumnali. Verumtamen eorũ, qui post Christianæ in terra sancta plebis excidiũ, propter Christum peregrinati fuerãt; ne quarta quidem pars ad propria rediit. Cum enim ex omni fere orbe Christiano infinita hominum milia ad illam peregrinationem sanctæ deuotionis feruor accendisset, vel morbus, vel gladius, vel inedia, vel laboris intolerantia maiorem longe partem absumserat. In qua re cõsideranda est altitudo sapientiæ Dei, de suorum, quos ad vitã præordinauit æternam temporali vel salute, vel felicitate minus curantis, & eorum clades temporales ad supernæ ciuitatis completionem subtili prouisione deriuantis. Non enim est dubium eos, qui relicta patria, atque omni necessitudine carnali tãtis se periculis, laboribus & cladibus propter Christũ exponentes in hac laudabili deuotione vitam tẽporalem finire meruerunt, illis annumerandos, de quibus dicitur, Beati mortui, qui in Domino moriuntur, cum non solum in Domino, sed pro Domino mortui esse probentur. Proinde fidenter dixerim, quod multo clemẽtius superna cum illis pietas egerit, qui in illa peregrinatione vitã terminantes felici compen-

compendio ad æterna migrarunt: quam qui repatriantes cum sospitate corporali ad sordeis pristinas remearunt. Quippe eos quos ex illa peregrinatione ad propria reuersos cognouimus, etiam ad mores pristinos post tanta propter Christũ tolerata incommoda reuersos videmus. Mirum quidem videtur, quod Dominus suæ incarnationis, passionis, resurrectionis, ascensionis sanctissima loca, a gente spurcissima occupari & prophanari permiserit. Verum diuinæ permissionis huius tunc quidem occulta erat, nunc autem manifesta est ratio. Quippe occasione eius, tam dolendi, pudendique casus infinitis peccatoribus ad studium pietatis conuersis, tanta piarum milia animarum in quinquennali iam spatio ad æternam requiem superni ordinatoris manus assumsit, quanta per integritatem terrenæ Ierusalem, illa quæ sursum est, quæ est mater nostra, ad suam completionem annis retro plurimis non suscepit. Ita ergo Rex noster attingens a fine vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter, & malis quoque hominum vtens optime, dum terrenam suam Ierusalem, & fineis eius propter peccata habitantium in manus hostium tradidit: cælestis suæ Ierusalem vberiora subtiliter lucra quæsiuit.

CAPVT XXVII.

SANE repatriantibus ceteris præter eos, qui ordinati erant ad præsidia vrbium: nec illustri Anglorum Regi, qui iam proprios in sumtibus diuturnæ militiæ thesauros exhauserat, productioris moræ in Syria facultas fuit. Rebus ergo dispositis & datis nepoti, quem regni exigui Principem relinquebat mandatis, in Cyprum cum suis rediit, inde opportune profecturus. Quibus agnitis Saladinus, super Ioppen minus sufficienti munitam præsidio cum exercitu irruit, eaque celeriter expugnata, & facta Christianorum strage non modica, reliquos in arce conclusos obsedit. Tum nostri eo modo, quo poterant præcauentes, ne vsque ad internecionem reliquiæ delerentur, cum immanissimo tyranno pacti sunt dedituros se arcem, nisi ad diem certum forte Christianus superueniret exercitus. Et ille quidem, nostrorum, qui abierant, reditum non metuens, quietus iam erat, tanquam incruento negotio arcem mature ingressurus. Rex autem Anglorum, vbi sinistri euentus nuntium accepit: tristitia mox in virtutis materiam versa cum omnibus, quos eum non sequi pudebat, secundis flatibus in Syriam celeriter rediit, & Turcos inopinato, eius reditu impetuque perterritos in fugam conuertit. Qui rursum conglobati, fretique ingentibus numeris, eum in Ioppe clausum frustra conati sunt obsidere. Egressus quippe in spiritu fortitudinis, & non solum optimi Ducis, verumetiam fortissimi militis implens officium: per dies aliquot cum eis in campo conflixit, & manu longe impari tremendas Turcorum copias, tandem Christo propicio ita protriuit, vt inuictum eius animum mirantes, & nihil contra eum vlterius audendum putantes recederent. Ioppe igitur liberata: apud castellum, quod dicitur Cephas, diebus aliquot ægrotauit. Quo audito Saladinus (vt dicitur) non tanquam de hoste debilitato exsultauit, sed tanquam de inuictissimi Principis incommodo doluit. Missisque ad eum nuntiis: Scio (inquit) quod in hac terra etiam sospes prolixiorem moram facere nequeas: te autem abeunte, quod a Christianis cum tãto labore adquisitum est, certo exponetur periculo, & mediocri negotio incidet in manus meas. Verumtamen propter te, cuius egregiam magis virtutem veneror, quam animum hostilem auersor, triennij inducias Christianis indulgeo. Ascolona tamen nec mihi, nec illis sit, sed destruatur. Rex autem licet ægre ferret vrbem euerti, in cuius recenti instauratione sumtuosissimo frustra labore sudauerat, consilio tamen Patriarchæ, & noui Principis, omniumque Christianorum terræ illius, inducias amplexus est: respectu quidẽ vrbis euertendæ minus honestas, sed fortiori ratione multum necessarias. Itaque per operam Regis Anglorum solis culpandam æmulis: celebratæ firmatæque sunt inter Christianos in Palestina consistentes, & Turcos Saladino subditos induciæ, a Paschali solemnitate proxima in treis annos, treis menses, treis septimanas, treis horas. Indultum quoque, firmiterque statutum est a Saladino in gratiam Regis Anglorum, vt Christiani toto induciarum tempore, secure & libere sepulchrum Dominicum orandi studio visitarẽt, nihilque molestiæ a Saracenis in accessu vel reditu patientes: expletis orationum so-

lemnibus cum fructu deuotionis ſuæ Chriſtianis ſe finibus redderent. Quamobrem ſancitis, prout oportebat, induciis, Chriſtianorum ingens numerus ad ſanctam ciuitatem contendit, & votis potitus cum longi ſatisfactione deſiderij hilariter repatriauit. Et Rex quidem, qui vnus pro decem milibus computabatur, dum propter caſus ancipites de conſilio ſapientum propriæ cautius ſaluti proſpiceret, minus ſatisfecit deuotioni. At vero Hubertus Saliſbirienſis Epiſcopus, qui eius in illa expeditione comes indiuiduus & fidus, prudenſque cooperator exſtiterat: regiæ deuotionis vicem implere curauit. Denique (vt dicitur) pro ſe & Principe ſepulchrum Principis Principum viſitans: fuſo ibidem piarum profluuio lachrymarum, & ſacra hoſtia immolata ſuorum pariter & regiorum compos votorum ad Principem rediit. Quibus actis idem Rex repatriãdi propoſitum declarauit, inſulam Cyprum Guidoni olim Ieroſolymorum Regi viro ſtrenuiſſimo mera liberalitate donauit, dilecto nepoti, quem finibus Chriſtianis præfecerat, ſuam (Chriſto propicio) reuerſionem circa induciarum expletionem pollicitus, charactère Dominico, quo inſignitus aduenerat in argumentum propoſitæ reuerſionis retento, infidis ſe flatibus credidit.

CAPVT XXVIII.

Hvnc exitum occulto Dei iudicio habuit Chriſtiana illa tam ſumtuoſa, laborioſa, periculoſa contra immaniſſimum ſacri & tremendi nominis hoſtem Saladinum expeditio, magnorum Regum, inclitorum Ducum, innumerabilium populorum. Et quidem tantis ſumtibus, periculis, laboribus, pro recuperanda terrena Ieruſalem parum actum eſt: pro inſtauranda vero ſuperna Ieruſalem plurimum, vti ſuperius oſtenſum eſt, Deo enim melius, quam humana erat intentio, diſponente, tam multa Chriſtianorum, (ſuſcepta pro Chriſto tam laborioſa peregrinatione) occumbentium milia, quæ quidem ſecundum intentionem pro recuperatione terrenæ Ieruſalem fruſtra ſudaſſe videntur, cum fructu pij laboris tanquam viui lapides in illius, quæ ſurſum eſt Ieruſalem, ædificium tranſierunt. Verumtamen ſicut defectui temporum noſtrorum, quibus vtique abundante iniquitate, refrigeſcit charitas, imputandum eſt, quod loca ſacra, in quibus redemtionis noſtræ celebrata ſunt ſacramẽta, tradita ſunt in manus impiorum: ita & illud, quod pro recuperatione eorundem locorum tantis laboribus & ſumtibus Chriſtianum minus proceſſit negotium. Itaque propter noſtrorum defectum & dedecus temporum, oportet ciuitatem ſanctam conculcari & prophanari a gentibus vſque ad tempus, quod ſolus Deus nouit. Nam ſuo tempore procul dubio iuxta morem priſcum terra ſancta ſpurciſſimos euomet incolas, & forte per parciorem manum Chriſtianam, vt virtus diuina in negotio clarius eluceſcat. Vnde veraciter a quodam bellatore fideli dictum eſt. Facile eſt concludi multos in manus paucorum, & non eſt differentia in conſpectu Dei, liberare in multis aut in paucis, quod vtique declaratum eſt cũ vnus perſequeretur mille, & duo fugarẽt decem milia: cũ Gedeon amota multitudine per trecẽtos viros, qui aquã lamberant de innumerabilibus populis triumpharet. At non eſt tentandus Deus, vt Chriſtiani pro eo, quod Dominum potentem habent, petulanter & inconſulte contra multos aduerſarios pauci proſiliant. Ita enim ſuos Deus vult in ſe credere, vt non negligant prudenter & prouide agere. Vnde ſcriptũ eſt, quod ſancti olim Duces præliaturi prælia Domini, & futuræ victoriæ ipſo hanc pollicente non ignari, ipſo plerumque iubente, plerumque non iubente, conuocauerint multitudinem, nec ſe cum paucis vel honeſtum, vel vtile duxerunt offerre diſcrimini, non vt iq; quod Omnipotenti facilior eſſet per impetum multitudinis præſtandæ victoriæ copia: ſed quia illius ſaluberrimi præcepti, ſcilicet, Non tentabis Dominum Deum tuum, homo non debet eſſe negligens, & quia melius eſt, vt multi quam pauci Deo militẽt, non plane ex ſuo numero omnipotenti plus facultatis allaturi, ſed pro numero ab eo, qui ſibi nil minuit, quantiſlibet diſtribuat, militię præmia percepturi. Sane paulo poſt exercitus Chriſtiani ex Syria digreſſum, ſtillauit Dominus ſuper populum ſuum miſericordiæ modicum, tanquam arram quãdam gratiæ plenioris. Virga quippe furoris Domini, formidabilem Chriſtiani nominis malleum confregit Saladinum. Qui nimirum cum in multa lætitia & ſecuritate ageret, tanquam eluſa omni fortitudine magnorum

Regum Occidentis, repente incidit in manus Dei viuentis, magnumque illud imperium, quod ex regnis opulentiſſimis homo non Regij ſanguinis, ſed aſtutia & virtute conflauerat: cum ingenti rixarum, bellorumque materia delicatis hæredibus moriens dereliquit. Denique eo mortuo iuxta numerum ſuccedentium ſciſſum eſt imperium eius, ipſiſque inter ſe diſſidentibus facta eſt ſumma confuſio in domo eius. Chriſtiani vero ſub Principe Henrico in ſuis vrbibus quiete commorantes expletionem induciarum præſtolabantur.

CAPVT XXIX.

IGITVR Rex Anglorum a Syria digrediens, duabus Reginis, ſorore ſcilicet vidua, & cōiuge cum omni fere familia præmiſſis: ipſe cum paucis expeditioribus agiliori nauigioſe quebatur. Impatientior quippe tædij, dum lentum & moroſum latiſſimi aſperneretur pelagi tranſitum: tutiorem grauioris nauigij, & ſuo pondere minus timentis ſpiritus procellarum, euectionem recuſauit, quod vtique factum eſt illi in ſcandalum. Et quidem Reginæ cum omni comitatu ſuo, lento ſed proſpero curſu in Siciliam venientes, ibidem ſub Tancredo in tuto pro tempore ſubſtitere. Porro Rex naui, qua vehebatur inclementioribus auris abrepta, tractus eſt ad partes Iſtriæ, atque inter Aquileiam & Venetiam naufragium paſſus, ægre cum paucis æquoreum diſcrimen euaſit. Vbi propriam pro tempore propter caſus incertos naufragos cælans perſonam; didicit Regem Anglorum hominibus regionis illius ob necem Conradi Marchionis, quæ ipſi imputabatur, eſſe inuiſum, nec poſſe ſe ibidē tutum habere hoſpitiū. Quamobrem imminens inani ſtuduit illudere cautela periculum. Nā cito percrebuit inſignem naufragium latere vel aberrare in terra illa, mox nobilibus ſimul & populo ad veſtigādam eum intentis quidam Comes Mamardus nomine, ipſo latenter per fugam elapſo, octo de comitibus eius comprehendit. Deinde in Archiepiſcopatu Salsburgenſi, loco qui vocatur Friſcarium, ſex de comitibus eius a quodam Frederico detentis, cum tribus tantum comitibus noctu ad parteis Auſtrię properauit. Humboldus vero Dux Auſtrię, qui (vt ſupra dictum eſt) ſtipendiarius eius in exercitu Domini fuerat, profuſam eius circa ſe largitatē, cum egeret, expertus: oblitus beneficij, atque in vltionem cuiuſdam læſionis exiguæ ſæuiens, magis autem opum Anglicanarum, homo auarus & perfidus ſitiens, cautiſſimos per omneis viarum tranſitus & diuerticula, vt inſigni profugo euadendi locus non eſſet, cuſtodes diſpoſuit, quem tandem in ſuburbano quodam, indicio (vt dicitur) cuiuſdam ex comitibus eius, dum eſcas lautiores emeret, caute notati, & ad prodendum cuinam peregrino talia procuraret, intentata morte coacti, inuētum, per immiſſos ſatellites captiuauit. Denique ingreſſi ad eum ſollicite occultantem ſe directi a Duce armati, aue, inquiunt, Rex Anglorum, fruſtra perſonam tuam pallias, facies tua manifeſtum te facit. Cumque vir ingentis animi gladium arriperet: noli, inquiunt, Rex, vel timere, vel temere agere, non enim morieris, ſed potius a morte ſeruaberis in medio hoſtium tuorum, propinquorum ſcilicet Conradi Marchionis, quærentium animam tuam, in quorum vtique manus ſi forte etiam centum vitas habens incideres, ne vna quidem earum ſalua tibi eſſe poſſet. Captus igitur Rex nobilis a Duce nequiſſimo anno gratiæ M.C. nonageſimo II. menſe Decembri, citra decus Regium in vinculis ſeruabatur.

CAPVT XXX.

RES mature defertur ad Imperatorem Teutonicum, in Germaniæ tunc partibus conſtitutum. Qui nimirum vel imperialis vel etiam Chriſtianæ negligens honeſtatis, & occaſione captiui inſignis, diripiendis plurimarum regionum opibus inhians, gauiſus eſt valde. Moxque Regem Francorum ſuæ lætitiæ fieri volens participem, gratiſſimum illi ſuper aurum & topazion quinto Calendas Ianuarij a Rinhuza nuntium deſtinauit. Ille vero lætatus ſuper infelicitate aliena, ſicut qui inuenit ſpolia multa, ſiniſtrum Principis euentum ad frangendos ſubditorum animos mox late vulgauit, animumque hoſtilem declarans, vt perpetua captiui eſſet deiectio, modis omnibus agendum putauit. Denique magnis pollicitationibus ſollicitare atque allicere ſibi curauit

Ioannem, captiui Regis Germanum, in Anglia, Hybernia, Normannia, multarum viriũ opumque virum. Quem profecto facile ad ſuas potuit parteis traducere, iam pridem quātum regni fraterni, tantum & fraterni periculi cupidum. Accepto ergo idem in Anglia conſtitutus fraternæ captionis nuntio, illico transfretauit, & nutanti regno ſperans facile ſe poſſe intrudi, ſi Francorum ſibi vireis adiungeret, inito cum eis fœdere, & fratris in periculo poſiti fidelitate exuffla ta eius ſe hoſtem inuerecundiſſime declarauit. Rex quoque Francorum Imperatorem Teutonicum, ad cuius fortuna Regis captiui pendebat arbitrium, affinitate ſibi cupiens deuincire, conſobrinæ eius, vnicæ ſcilicet filiæ Palatini Comitis, miſſis ad eum nuntiis connubium expetiuit. Petitionem Imperator gratanter amplexus, eius complendæ gratia Comitem Palatinum, virum (vt dicitur) in imperio ſummæ poſt Imperatorem amplitudinis, accerſiuit, nec latuit ea res matrem puellæ. Quæ vnicam ſobolem ſecreto conueniens, vis, ait, honorabiles nuptias, & thorum regium? Rex enim Francorum te comparem poſtulat. Tum illa, audiui, inquit, a multis de Rege hoc, quomodo fœdauit atque abiecit puellam nobiliſſimam, ſcilicet Regis Danorum germanam, & vereor exemplum. Ad quam mater, & quis, ait, in votis tuis eſt potior? Tum illa, ſi mea, inquit, vota proſperentur, ab eo certe, cui me didici in annis infantiæ deſponſatam, nunquam diſiungar, Henrico ſcilicet Ducis Saxonici filio. Et mater, confide, ait, filia, quia per maternam operam formidato liberata exemplo, optato potieris connubio. Mox eundem Henricum elegantiſſimum & ſtrenuiſſimum iuuenem, Regis Anglorum ex ſorore nepotem, virago mirabilis ſecretis litteris accerſiuit. Qui feſtinus occurrit, & votis promtiſſime concurrentibus dilectam virginem tradente matre accepit, qua nimirum propter euentus ancipites accelerante negotium, illico ritu ſolemni celebratæ ſunt nuptiæ, vt quos Dominus iam coniunxiſſet, homo ſeparare iam non poſſet. Interea nouæ nuptæ pater ab Imperatore inductus, vt regiis filiam nuptiis honeſtaret, actæ rei repente famam accepit. Imperator quoque rem audiens, credenſque hoc præter eius conſcientiam fieri minime potuiſſe, acri contra eum motu excanduit, & ad ſe vocatum mordaciter increpauit, tum quia iuuenem oderat, tum quia factum erat aliter quam volebat. Ille vero ſtomachanti atque obiurganti ſatisfaciens, per ſalutem, inquit, tuam Imperator, mea hoc neque voluntate neque conſcientia actum eſt, ſed coniugem meam, conſobrinā tuam contemplatione iuramenti, olim a me & illa, felicis memoriæ patri tuo Imperatori, Duci Saxoniæ præſtiti, abſente me credo patraſſe, vnde tua mihi celſitudo ſuccenſet. Tum imperator, vade, inquit, & nebulone illo expulſo reſcinde quod actum eſt. *Et ille*, noli ait, ſic loqui Imperator. Nam eo vſque (vt dicitur) res proceſſit, vt abſque ſempiterno filiæ meæ dedecore reſcindi non poſſit. Reuerſus autem idem ad propria, genero blande locutus eſt, adoptanſque eum, filiam egregie dotauit. Sic ille, qui propriam paulo ante cum dedecore repudiauerat coniugem, optatis ſperatiſque, Dei iudicio, caruit nuptiis.

CAPVT XXXI.

IGITVR illuſtris Rex Anglorum a Duce Auſtriæ, qui paulo ante illi in Syria contra Turcos militauerat, tenebatur in vinculis. Imperator allegans Regem non debere teneri a Duce, nec eſſe indecens, ſi ab Imperatoria celſitudine decus Regium teneretur, inſignem ad ſe trahere curauit captiuum. Et cum negari non poſſet, a Duce reſignatum in propriam auarus Imperator traduxit cuſtodiam, pactus tamen Duci competentem ex proueniente commodo portionem. Sic ergo Chriſtianus Imperator auaritia deprauatus, memorato Regi verſus in Saladinum nouo atque inexpiabili næuo Romanum fœdauit imperium. A ſeculo enim non eſt auditum, quod aliquis Chriſtianorum vel Regum, vel Imperatorum, quemlibet alium principem Chriſtianum a ſancta militia redeuntem, & per ſuos fineis ſimpliciter tranſeuntem captiuum detinuerit. Verū quid non mortalia pectora cogis auri ſacra fames? Imperator Romanus (proh pudor) præ commodi eſurie ad omne honeſtum, omne ius faſque oculos clauſit, imperiale decus neſciuit, alter eſſe Saladinus non erubuit. Princeps autem Chriſtianus, qui tam procul a propriis contra Saladinum & Turcos Chriſto militauerat, ad propria pro tempore

cum pio proposito remeans, & in argumentum conceptæ ad Orientem reuersionis, characterem adhuc dominicum gestans, in Alemannos Turcis incurrit peiores. Imperator quidem auaritiam pallians, & quod fœdissime faciebat adumbratæ iustitiæ colore obducens, illustrem captiuum concinnatis maculabat mendaciis, & gloriabatur voluntate Dei incidisse in manus suas plectendum seuerius hostem imperij, & terræ sanctæ, in cuius medio Dominus salutem operatus est, proditorem. Denique circa Dominicam palmarum solemniter sibi præsentatum, coram omni frequentia nobilium & populi, grauium obiectu excessuum terrere tentauit. Ille vero hilari fretus conscientia, constanti & libera responsione ita obiecta diluit, vt Imperator quoque non solum ad misericordiam, verum etiam ad venerationem eius flecti videretur. Multis enim præ gaudio in lachrymas resolutis, inclinatum Regem dignanter erexit, vberiorem de cetero gratiam, & fusiora solatia pollicens, re autem vera ingenti summæ, mediante Duce Austriæ ab ipso Rege pro sua liberatione promissæ, sitibunde inhians. Vnde nec relaxandum duxit, quem sic honorare voluit, nullum commodius iudicans pignus promissionis, quam corpus promissoris. Sane iam visitabatur a pluribus nuntiis, & toto detentionis suæ tempore, officiosissimam suorum experiebatur circa se charitatem. Venit autem ad eum Eliensis Episcopus, principalis ab eo, vt supra dictum est, cum ad Orientem tenderet, regni procurator relictus, & de suis expulsoribus regiis malum auribus insusurrans. Venerabilis quoque Hubertus Salesbiriensis Episcopus, qui eiusdem Regis in Syria Comes indiuiduus fuerat, cum applicuisset in Sicilia, cognito, quod ei acciderat, properauit ad eum. Quem ille mox direxit in Angliam tum pro necessaria regni cura, tum etiam pro maturãdo redemtionis suæ negotio. Quippe alium non habebat, de cuius prudentia & fidelitate tam crebra in variis casibus experimenta sumsisset.

CAPVT XXXII.

Rebus igitur ita se circa Regem Anglorum habentibus, Philippus Rex Francorum missis ad eum in Alemanniam a latere suo viris honoratis, hominium, quo videbatur sibi astrictus, solemniter refutauit, bellumque vincto indicens, hostile propositum declarauit. Indecorum plane visum est omnibus, homini vincto & sui penitus impoti bellum indicere; sed malitia nocendi auida respectum honesti non habet. Displicere visa est Imperatoriæ maiestati regiæ personę tanta indignitas, eique, vt a vincti rebus quiesceret, supplicandum putauit. Porro ille promissis ingẽtibus, & vel coæquantibus, vel etiam excedentibus summam a vincto promissam, Imperatorem tentauit corrumpere, vt eundem sibi cautius custodiendum traderet, allegans mundum componi non posse, si tantus turbator emergeret. Et Imperatoris quidem animum minus solidum forte ad hoc pellicere potuit, sed principes imperij vinctum ingenue miserantes, nefariæ molitioni obstitere. Ille vero erumpente malitia quiescere nescius, congregato exercitu inuasit Normanniã, moxq; Gisortium castellum nobile munimentis abundans, cuiusdã Gileberti, cuius fidei creditũ fuerat, proditione recepit. Consequenter ad quædam alia versus castella, neminem obsistentem inuenit. Ita quippe indigna sors Principis subditorum animos fregerat, atque omnem in eis fiduciam eneruarat, vt tanquam oues non habentes pastorem, vel sponte manus darent, vel a facie fugerẽt insequentis. Cumque iam Albemarliam, Angum atq; alia castella plurima in eius potestatem transissent, Metropolim Normanniæ Rothomagum cum exercitu adiit, minatusque internecionem, ni se dederent, vrbem resignari præcepit. At Comes Leicestrensis Regis Anglorum comes in Oriente fidissimus, præcognito eius aduentu, paulo ante vrbem ingressus, animos ciuium erexerat, atque vt cõtra hostem immanissimum viriliter agerent, egregie roborarat. Ille vero, vrbe per dies aliquot frustra oppugnata, & iactura maiori accepta, quam illata, recessit, atque ad faciliora exercitum reuocans, munitiones nobiles, Pascy & Wiery, absq; multa difficultate obtinuit. Tunc ad frenãdum eius pro tempore impetum, illi, qui res vincti vtcunq; gerebant, inducias ad tempus certum ingentis summæ pactione redimendas duxerunt, & quatuor castella electa loco pignoris tradiderunt. Nec Iohannes, regni ambitu hostis iam naturæ effectus, illis

diebus a fratris infestatione quieuit; Regis Francorum in omnibus cooperator. Quippe illo in finibus Normanniæ debacchante, hic fretus munitionibus regiis, quas fratri in Oriente constituto dolose subtraxerat, cateruis improborum vndecumque contractis, Angliæ turbabat prouincias, atque infinita in caput regis maledicta congerebat. Regni autem Optimates fide integri, animisque infracti, collecta manu valida vecordissimi iuuenis nephariis se ausibus opposuerunt, & castellum Windesoram, quod in eius ditionem diu inciderat, fortiter oppugnantes, ad deditionem coegerunt. Nam quum Ioannes videret obsessos, quibus subuenire non poterat, periclitari, pro eorum salute inducias ad tempus petiit, & castellum resignauit, traiectoque Oceano ad Regem Francorum se contulit.

CAPVT XXXIII.

Eodem tempore Rex salubri instinctu Cātuariensem ecclesiam vacare noluit diutius. Nam venerabili Balduino, qui, vt superius dictum est, sub charactere dominico in Orientem secum erat profectus Tyri decedente, scripsit, Episcopis, cæterisque, ad quos tantum spectabat negotium, vt primæ sedis pro tempore prouidentiam habentes, Metropolitani electionem maturarent. Nec propriæ prouisionis arbitrium tacuit; sed virum, in quo sibi complacebat, vtpote in multis probatum, & præclare agnitum electoris commendabat. Itaque Cantuarienses cum Episcopis conuenientes, approbata voluntate regia, Hubertum Salesbiriensem Episcopum ad primæ sedis regimen concorditer & solemniter elegerunt. Qui postulato atque accepto a Romano Pōtifice pallio inthronizatus, mox sumto apud Meretonam Canonicæ professionis habitu, religiosæ propositum mentis cultu exteriori declarauit. Cantuariensibus sane, quos prædecessoris sui feruor paulo indiscretior exulcerarat, saluo defuncti honore molestus non fuit. Ille enim Cantuariensibus (vt dicitur) monachis plus iusto infestus, proprium eligendi Pontificem ius & prærogatiuam ab eo transferre voluit. Huius rei gratia ædem maioris ecclesiæ, in qua monachi ministrant, quasi æmulam Cantuariæ fabricare adorsus, præbendas quoque clericorum instituit ibidem, vbi videlicet defuncto Cantuariensi Archiepiscopo Suffraganei conuenirent, & simul cum eiusdem clericis loci de successoris electione deliberarent. Cantuarienses vero monachi in suæ dignitatis præiudicium hoc fieri non ferentes, ingentis controuersiæ turbinem suscitarunt, & Priore proprio cum aliis pluribus emisso, sedem Apostolicam interpellarunt. Et Archiepiscopus quidem fauore Regio fortior, subactis & protritis non sine sanguine contradictoribus vrgebat opus, quod tamen aduersariis postmodum per Apostolicæ sedis iudicium, & fortia mandata inualescentibus coactus est intermittere. Denique tam fœda contentio inter pastorem, & oues proprias per annos aliquot, cum multo scādalo tracta est, dum neutra pars cedendum putaret, & vtraque palmam dare alteri ignominiosissimum iudicaret. Quamobrem cum idem Pontifex in hoc plane indiscretior, alias vero vir bonus & prudens, & religiosus, in Oriente tam procul ab Ecclesia propria defecisset, Cantuarienses cum parcioribus lamentis plangentes, opus illud quoque, quod totius dissensionis seminarium fuerat, iam pridem intermissum, subito motu cum ingenti lætitia complanarunt.

CAPVT XXXIIII.

Illvstris igitur Rex Anglorum Richardus seruabatur in Alemannia, sed placata Imperatoris auaritia, matura eius liberatio sperabatur. Contigit autem incidenti casu vacillare spem istam, & insignē periclitari captiuū hoc modo. Ducis Louaniensis germano ad Episcopatū Leodiensem electo Imperator est offensus, veritus scilicet, ne forte Dux fortis, facili occasione cōtra imperium iunctis sibi fraternis intumesceret viribus. Leodiēsis enim Episcopus numerosam habere militiam, & magnarum esse virium noscitur. Cum itaque electus, Imperatore obsistente, a proprio consecrari metropolitano non posset, nihilominus impetrato Pontificis Romani mandato ad Episcopos Franciæ, vt ei manus imponerent, ordinatus est. Et metu quidem iratæ potestatis propriam sedem non adiit, sed motum eius tempore lenitum iri sperans, in Francia pro

tempore

tēpore moratus est. Indignatus autem Imperator in indignissimū scelus exarsit. Quippe ab eo, vt creditur, subornati quidam audaces, assumta exsulum specie, eundem Episcopum adiere, suamque apud eum de natali Alemanniæ solo expulsionem callide deplorātes, ita irrepsere incauto, vt miseratione vanissima hostes teterrimos in propriam asciscerет clientelam. Illi vero patrandi facinoris opportunitatem astu peruigili obseruantes, quodam forte die spaciandi gratia cum paucissimis vrbe egressum repente aggressi, cum vno clerico peremerunt, & dum comites eius in vrbē refugerent, fuga elapsi euaserunt. Ad Ducis quoq; memorati astu consimili necem patrandam alij sicarij missi dicuntur, qui forte deprehensi, totum mysterium nequitiæ reuelarunt. Denique propter hoc tam grande piaculum, Coloniensis & Maguncienfis Archiepiscopi: Duces quoque plurimi animis effrænati, contra Imperatorem conspirarunt. Huius autem necessitatis articulo Imperator constrictus, vt sibi Francorum vireis adiūgeret, cogitauit rupta fide tradere in manus Regis Frācorum Regem Anglorū, & propter hoc, illius ad diem certum apud Vallem colorū solemne colloquium concupiuit. Verum hoc malignissimæ molitionis colloquium alio saluberrimo præuētum & dissipatum est. Viris enim sapientibus, & turbationi imperij, & periculo Regis Anglorum laudabili prouisione occurrentibus, inter Imperatorem & Optimates proprios cōcordia (Deo propicio) celebrata, vniuersa, quæ inter parteis emerserat malignādi occasio, exspirauit. Post paucos autē dies Imperator ad locū vbi Rex Anglorum seruabatur, veniens, præsentibus & mediantibus Episcopis, Ducibus atq; aliis dignitatibus plurimis, per dies aliquot cum eo colloquium habuit, & tandem in vigilia beatorum Petri & Pauli Apostolorum omni, quæ inter eos vertebatur, quæstione decisa, & summa redemtionis regiæ declarata Imperator Regem de cetero honestius, id est, sine cathena, seruari decreuit. Denique iubente Imperatore Episcopi & Duces cum vniuersa nobilitate, quæ aderat, iurauerunt in animam Imperatoris, certam Regis liberationem post satisfactionem eiusdem summæ, id est centum milium librarum argēti, cuius pars tertia Duci Austriæ, qui eundem Regem captiuauerat, competere dicebatur.

CAPVT XXXV.

EODEM tempore Rex Anglorum diutinæ detentionis oppido pertæsus, procuratores regni Anglici, cunctosque fideles, & deuotos suos, qui alicuius momenti esse videbantur, frequentibus commonebat mandatis, vt redemtionis suæ precium modis omnibus præparantes, liberationem suam maturarent. Vrgebant ergo negotium in cunctis Angliæ finibus executores regij, nulli parcentes, nec erat vlla distinctio clerici & laici, secularis & religiosi, sed omnes indifferenter, vel iuxta vireis substantiæ suæ, vel iuxta redditüum quantitatem indictum soluere modum pecuniæ cogebantur. Silebant & vacabant priuilegia prærogatiua ecclesiarum & monasteriorum. Omnis dignitas siue libertas oppilabat os suum, nec alicui licebat dicere, tantus ac talis sum; habete me excusatum. Cistercienfis quoque ordinis monachi, qui ab omni exactione regia hactenus immunes exstiterant, tanto magis tunc onerati sunt, quanto minus antea publici oneris senserant. Quippe quod illis in substantia præcipuum esse noscitur, & quod fere pro omni redditu ad vsus sumtusque necessarios habere videntur, lanam scilicet pecudum suorum, exacti coactique resignarunt. Putabatur quidem tanta pecuniarum coaceruatio redemtionis regiæ summam excedere, quam tamen non attigit, cum vniuersæ particulæ Lundoniis conuenissent ad summam, quod accidisse creditur per fraudem executorum. Denique propter hanc primæ collationis insufficientiā, ministri Regij, secundam tertiamque instaurant, quosque locupletiores pecuniis spoliant, manifestumq; rapinarū dedecus honesto redemtionis regiæ nomine palliant. Postremo, vt nulla vacaret occasio, & residuū erucæ locusta, residuum locustæ bruchus, eiusque residuum rubigo absumeret, ad vasa sacra ventum est. Et quoniam ea in redemtionem quorumlibet fidelium captiuorum expendi non tātum concessit, verumetiam monuit veneranda patrum discretio, multo fortius eadem captiui Principis redemtioni debere proficere iudicatum est. Itaque per omnem regni Anglici latitudinem traduntur calices sacri exactoribus regiis, vel indulgenter, i. paulo in-

fra pondus redimuntur. Cumque iam fere exinanita pecuniis Anglia videretur, & lassatis executoribus regiis, exquirendi quoque pecunias occasiones languescerent, tota tamen illa opum coaceruatio, vt dicitur, ad complendam regiæ redemtionis atque expensarum eius summam minus sufficere potuit. Quamobrem prætaxatæ summæ parte maiori ministris Imperatoris appensa, rex consulte, ne sua supra modum protraheretur relaxatio, pro parte reliqua Imperatori per obsides idoneos satisfecit.

CAPVT XXXVI.

Ea tempestate per occasionem captionis Regiæ, Anglia sub multiplici & quantam prius nec vereri poterat, attritione gemebat, cuius mali atrocitas recentibus, vt creditur, e cælo prodigiis claruit. Deniq; illius anni, quo idem Rex in manus hostium incidit, mense Ianuario, signum in cælo terribile vidimus, venturæ procul dubio afflictionis nostræ præsagium. Nam circa primam noctis vigiliam media inter Boream & Subsolanum cæli plaga ita rubuit, vt quasi ardere videretur, cum nec leui obduceretur nubecula, sed sydera clare micarent, eodem tamen rubore igneo, & quasi albentibus lineis interciso ita infecta, vt luce quadam sanguinea rutilarent. Cumque hæc horribilis species per cunctos Angliæ fineis duarum fere horarum spatio, oculos animosq; cum stupore intuentium tenuisset intentos, tandem paulatim euanescens, multa sui quæstione relicta, disparuit. Anni vero sequentis mense Februario, cum iam Rex Anglorum in Alemãnia teneretur, detentionis eius nondum in Anglia rumore vulgato, simillimum plaga cæli non mutata per vniuersam Angliam signum emicuit post mediam noctem, cum viri religiosi consuetis Domino laudibus concreparent. Quos nimirum in diuersis prouinciis exhorrendi ruboris repercussione per fenestras vitreas ita territos nouimus, vt plurimi casum incendij in ædificiis proximis accidisse putantes, relicta Psalmodia exsilirent, & notato signo horribili stupidi Psalmodiæ se redderent. Cumque iterati signi non parua esset quæstio, subito captionis regiæ fama percrebuit. Eodem sane anno cum iam grauis esset in Alemannia Regis detentio, & speraretur matura eius liberatio, quarto Nonas Nouembris ante crepusculum matutinum idem ipsum signum in eadem cæli plaga tertio apparens, minus quidem iam illi assuetos intuẽtium animos terruit, sed quæstionem suspicionemque auxit portenti.

CAPVT XXXVII.

Cvm igitur illustris Rex Anglorum Richardus redemtionis suæ maiori parte, vt dictum est, auaro Imperatori appensa, pro reliqua ex nobilibus, qui ad eum visitandum accesserant, obsidum exactum numerum tradidisset, tandem post diutinam detentionem certus dies relaxationis eius designatus solemniter & præfixus est. Quod vbi innotuit Regi Francorum, atque hosti naturæ Ioanni, desperantes se iam non posse ad perpetuandam insignis captiui detentionẽ animum Imperatoris corrumpere, modis omnibus nisi sunt, eam saltem in annum sequentem protelare, scilicet vt hoc spatio terras ditionis suæ nullo obsistente libere occuparent, quo facto inanis foret eius post annum regressus. Cum ergo pro hac re Imperatori per nuntios supplicarent, & non imparem acceptæ a Rege Anglorum pecuniæ summam promitterent, ille supra modum corruptibilis super hoc proprios Optimates consuluit. Qui nimirum imperatoriæ leuitati succensentes, honestioris consilij pondere obstiterunt dicentes; Sufficit domine Imperator hucusque fœdatum esse indigna nobilissimi Regis captione imperium, ne inexpiabilem imperiali maculam generes honestati. Itaq; infecto fœdissimæ molitionis negotio, nuntij redeuntes dominos suos animis saucios reddiderunt. Erat autẽ hyems, & tempus bello omnino inhabile, nec tamen erga Regem captiuum flagrantis poterant malitiæ studia deferuere. Deniq; Rex Francorũ Ioanne cooperatore, ruptis concinnata occasione induciis, quarum respectu modicum quieuisse videbatur, iterum inuasit Normanniã, & ferocissimorum olim indigenarum languentibus animis, eo quod non haberent ducem nec præceptorem, ciuitatẽ Ebroicensem cũ castellis plurimis minimo & incruento negotio occupauit. Verum post multã debacchationem quasi lassatus, suspẽsa ad tempus reuocatis induciis feritate quieuit. Sane nec in Anglia illis die-

bus pax fida vel tuta erat, cum & munitiones Ioannis gentē peccatricem, & prædarum auidam continentes, prouinciarū quietē turbarent, & prouinciales accepto ex Alemānia Regis mandato earundem munitionum oppugnationem atque obsidionē pararēt. Sane inter Eboracensem Archiepiscopum & Clerum propriū fœda illi diebus cōtentio vertebatur; nata quidem ex leui causa, tanquam ex scintillula rogus ingens. Cuius initium, progressum aque exitum exponere commodior locus erit.

CAPVT XXXVIII.

IGITVR Rex Anglorum post Alemannicæ detētionis tædium, quod iam annū excesserat, mense tandem Ianuario solemniter relaxatus est, relictisque apud Imperatorem loco obsidum Rothomagensi Archiepiscopo, Batoniensi Episcopo, & Nobilibus plurimis, siue pro expletione summæ nōdum persolutæ, siue etiam pro quorundam fide pactoram, portum, qui Svvina dicitur, adiit, inde in regnum proprium Deo propicio transiturus. Verum cum ibidem diuscule demorari cogeretur, siue necessarij apparatus gratia, siue etiam propter flatus aduersos, indultæ ei gratiæ, vt dicitur, Imperatorem pœnituit, & relaxatum ad perpetuam reuocare custodiam cogitauit. Missisque satellitibus suis, vt comprehenderent Principem, Reuocetur, inquit, ad vincula non relaxandus in secula. Non latuit nequissimæ molitionis susurrus quendam eiusdem forte Regis beniuolum. Qui tantæ malignitatis mysterium nihil tale suspicanti festino significans nuntio, cautum eum reddidit, & vt se confestim nauigio in portum daret, amica sollicitudine monuit. Quod & factum tam celeri quam salubri cautela. Mox Imperatorij, vt dicitur, apparitores affuere, atque non potentes nobilem prædam in arido non inuentam, per liquidum persequi, cum suæ frustrationis excusatione congrua ad præceptorem perfidum rediere. Qui sera sibi pœnitudine imputans irrecuperabilis captiui elapsum; præcipitem motum in innoxios obsides transtulit, ac prius apud se indulgentius liberiusque habitos arctiori custodia castigauit. Porro Regem Anglorum a facie hostilium satellitum refugientem in pelagus, secundi flatus excipientes, & quasi satisfacientes pro eo, quod illum anno præterito Alemannicæ immanitati prodiderant, saluum atque incolumen cum omni comitatu regno proprio reddiderunt. Applicans ergo apud portum Sanduicum mense martio, tempore quadragesimalis ieiunij, tunc primum captiuitate liberatum se credidit, cum naui egrediens Anglicum solum calcauit.

CAPVT XXXIX.

DIV exspectatum & iam fere desperatum Principis regressum Euro velocior fama vulgauit, qui mox a Prouincialibus cōgratulatorio exceptus occursu, venit Lūdonias. Quæ nimirū aduentu eius præcognito, sumsere oleum gaudij pro luctu, & pallium laudis pro spiritu mœroris. Deniq; ad ingressum Principis ita ornata est facies amplissimę ciuitatis, vt Alemanni nobiles qui cum ipso venerant, & redemtione regia exinanitam bonis Angliam credebant, conspecta opum magnitudine obstupescerent. Quorum vnus in ipsa Pompa solemni conuersus ad Principem dixit. Re vera si has opes Anglicas Imperator scisset, nec te nisi sub intoleranda redemtionis summa dimittendū duxisset. Sane regresso Regi Optimatum & Procerum regni admodum pauci occurrerāt, quia fere omnes de mandato regio circa oppugnandas munitiones Ioannis iusta necessitate occupati fuerant. Et quidem ante Principis ad Propria reditum munitionē de Mersebourg fortiter oppugnatā morosa difficilique opera ceperant: tūc vero Notingeham & Tikehil, castella munitissima diuerso exercitu obsidebant. Rex autem post recens captiuitatis tædium, otium & delicias aspernatus, mora exigua Lundoniis facta, Notingeham festinus conscendit. Est autem id castellum natura & manu ita munitum, vt sola inedia, si defēsores idoneos habeat, expugnabile videatur. Porro aduersus hoc malum prouisione sagaci habet in annos plurimos reposita ciborum subsidia, armorum quoque & virorum fortium copiam. Verum cum Rex, qui ab improbis nunquā rediturus putabatur, repētinus adesset, ita illorū, qui in munitione erant, illius inopinata præsentia perstricti sunt animi, vt, sicut fluit cera a facie ignis, sic eorū omnis fiducia a facie,

quasi gigantis subito apparentis, liquesceret, statimque de castri & inexpugnabilis, & nulla re necessaria ad tolerandam obsidionem diutinam indigentis, deditione, enerues & languidi pertractarent. Cumque apud ferocissimum Principem honestam non possent gratiam inuenire, pudendis conditionibus munitionē cum omni armatura, suppellectili atque subsidio resignantes, sua quoque corpora pro declinanda seueritate iudicij incertæ atque inexpressæ misericordiæ tradiderunt. Qui autem in alia munitione erant, quæ disparis esse firmitatis noscitur, paulo excusabilius in idem periculum & dedecus inciderunt. Itaque vt leui Rex negotio firmissimas munitiones obtinuit, eisque, qui se dediderant, sub spe clementiæ custodiæ mancipatis, Ioanni fratri suo, cui per immoderatam atque indiscretam largitatem cornua contra se dederat, ob enormem culpam ingratitudinis atque perfidiæ omne ius pristinum solemni iudicio Procerum abiudicauit. Sic ergo tanti turbatoris, qui paulo ante regni Anglici Tetrarcha esse videbatur, abrasa potentia, omnis in Anglia, motus hostilis conquieuit. His Deo propicio feliciter gestis, Rex ad superiora remeās, solemnitatem Paschalem Hamtonæ in multa lætitia cum Optimatum suorum frequentia celebrauit, atq; in octauis Paschæ Wintonæ regni Diademate fulgidus detersa captiuitatis ignominia, quasi Rex nouus apparuit.

LIBER QVINTVS.

CAPVT PRIMVM.

Rex igitur post redemtionem suam, non diu in Anglia demoratus, rerū statū, tanquā tunc primum Rex factus, de nouo curauit disponere, & fere quicquid illi placuisse videbatur in prima regni susceptione, mutandum atque innouandum duxit in secunda. Deniq; regnum, quod iter Orientale arrepturus, vt suo loco plenius dictū est, multifariam sciderat, ad integritatem satagens pristinā reformare, quicquid ab illo tunc fuerat vel leuiter datum, vel ponderose venundatum, sub nomine repetiit commodati. Nec cuiquam fas erat ratione cuiuslibet vel pacti, vel tituli, vel instrumenti perfunctoriū ius tueri, dū omnes magnitudinis Regiæ mole premerentur, nec quisquā auderet ei dicere, Nolo multa fortitudine contendas mecū, nec magnitudinis tuæ mole me premas. Astu tamē mollius loquebatur, regiarū dicens possessionū emtoribus; Non decet vos sublimitati regiæ fœnerari, si ergo sortem vestrā de fructibus rerū nostrarū iam percepistis, ea contenti esse debetis. Sin minus, supplebo de proprio, omnem amputās occasionē retentionis. Nouit enim prudentia vestra, rescriptū sedis Apostolicæ, quo prohibemini Regi proprio sortē vestram excedendo fœnerari, mihi suo tempore, si forte necesse sit, minime defuturū. Deniq; illi Regis imminente metu attoniti, tunc demū artem intuentes, qua eos in sumtus Ierosolymitanæ profectionis nudarat pecuniis, nec leui quidē quæstione habita de sorte minus percepta, vniuersa resignarunt. Nec Dunelmensis Episcopus, qui Comitatū, Scotorū finibus proximū graui summa comparatum iam per aliquot annos possederat, in hac parte præ ceteris priuilegiū habuit. Sed Comes esse desinens, in simplicem Episcopum rediit, sicque illi tanta opera, & tanta pecunia periit, quæ vtique non perisset, si piis aptata vsibus in cælestes thesauros abiisset. Qui nimirum animum Principis minus sibi arridentis ex vultus mutatione coniectans, non exspectata repetitione Comitatum resignauit, nec tamen, vt dicitur, commodis amplioribus insatiabiliter inhiantem satis placauit. Præterea Rex siue pro liberandis obsidibus apud Imperatorem relictis, siue etiam in sumtus belli cum Rege Francorum gerendi, tributum minus vsitatum vniuerso regno indixit, a singulis scilicet carucatis terræ indifferenter geminatum solidum exigens, vacantibus clericorum religiosorum, & quorumlibet aliorū priuilegiis. Præsentibus quoque ad congratulandum illi quibusdam maioribus Cisterciensis ordinis Abbatibus, Deuotionem inquit, vestram & liberalitatem circa nos,

qua

qua potissimum substantiæ vestræ, id est vellera ouium vestrarum redemtioni nostræ impendistis, vt dignum est, approbamus, & vberiorem suo tempore, si vita comes fuerit, rependere gratiam pro gratia ista cogitamus. Vt autem vobis perpetuo simus gratiæ debitores, oportet vt adhuc semel vestrum ad nos declarantes affectum, lanam vestram anni præsentis nobis non grauemini commodare. Nam cum ab Imperatore dimissi in multa paupertate ad propria tenderemus, confisi de vobis, vrgentissima necessitate, a transmarinis mercatoribus in vsus necessarios, eiusdem lanæ vestræ precium sumsimus, quod procul dubio ad Saccarium nostrum mensis Octobris probatæ charitati vestrę cum gratiarum actione reddemus. Hoc modo religiosos illos quasi blandiendo spolians, clarissimis monasteriis egestatem insolitam irrogauit. Rebus igitur in Anglia dispositis, & viro industrio, Cantuariensi scilicet Archiepiscopo principali procuratore regni cōstituto, exercitu quoque Anglico, qui cum eo transfretaret, ordinato, discessit ad mare. Vbi accepto de transmarinis partibus nuntio, quod Francorum copiæ irruptionem in Normanniam meditantes conuenissent, cum graui tædio transfretauit, susceptusque a suis cum gratulationibus, sua præsentia post longum torporem ad præclaram fiduciam animos eorum erexit.

CAPVT II.

INTEREA Rex Francorum Vernullum oppidum munitissimum, quod olim pater eius obsederat incassum, cum infinitis copiis paternæ in hac parte sortis hæres futurus obsedit. Rex autem Anglorū opportune suis in Normanniam redditus, cōtracto paulatim exercitu, nō longe a Vernullo, apud castellū, quod dicitur Aquila, castra posuit. Cūq; per dies aliquot ibidem consedisset, Francorum exercitus, cōserendi cum eo prælij discrimē declinās, postquā in oppugnatione oppidi multo cassoq; labore sudauerat, soluta obsidione recessit. Porro Rex eorum, tanquā ad detergendū pudēdæ recessionis dedecus, vrbē Ebroicensem, quam prius spoliarat, peruicaci furore euertit, nec celeberrimæ in illis regionibus Ecclesiæ beati Gaurini pepercit. Cum enim eandē incendi iussisset, & nullus ex tanto exercitu diuini timoris intuitu nefariæ iussionis executor existeret: ipse (vt dicitur) cum quibusdam perditis ex illo hominum genere, quos Ribaldos vocāt, ingressus, sacris ædibus ignē immisit. Deniq;, vt fertur, quod ex eadē Ecclesia sublatū est, Carnutensi ciuitati illatū, eidē clarissimę ciuitati quasi ignis fuit, quę nimirū consequenter pæne vsque ad consumtionē fuit in combustionē & cibus ignis. Bellū igitur inter duos reges magnos alternantibus, vt assolet, circa parteis dextris, sinistisque casibus agebatur. Verū Regis Anglorū, quem paulo ante & thesauris dura spoliauerat captiuitas, & integritate finiū suorū hostilis mutilarat immanitas: feliciores post tantam circa eū fortunæ malitiā successus fuere. Quippe in hoc bello nec vnius passum pedis de terra possessionis suæ perdidit: de munitionibus autem quas perdiderat, castellum nobile, quod Luches dicitur, cum quibusdam aliis bellica sorte recepit. Hostiū quoque fineis ingressus, nōnullis fortiter & prospere gestis, Vindocinum veniēs, ibidem per dies aliquot exercitū recreauit. Rex autē Frācorum, cum eum hinc abisse putaret: non longe a Vindocino castra locauit. Sed hostis vicinitate cōperta, de nocte recessit. Mane facto Rex Anglorū abeuntē exercitū persecutus, Regis fugientis plaustra & clitellas cum quibusdam arcanis & gaza multiplici, variaque supellectili comprehendit. Sane ipso tempore infestabatur etiam a quibusdam nequissimis desertoribus in Aquitania, Geofrido scilicet Ranconensi, & Comite Engolesmensi viris præpotentibus, & Francorū, a quibus instigati fuerant in eum, fiducia multum ferocibus. Sed filius Regis Nauarrorum, Germanus Berengeriæ Reginæ Anglorū, cum exercitu Aquitaniam ingressus: terra vtriusque desertoris vastata, cum forte paterni decessus nuntium accepisset, successionis gratia ad propria remeauit. Cumque post modicū fatalis memoratum Ranconensem necessitas sustulisset, Rex Anglorum cum exercitu superueniens famosissimum castrum eius (quod dicitur Tailleburg) matura deditione obtinuit, moxque impetum in alium desertorem conuertens, ciuitatem Engolesmam cruenta celeritate expugnauit, Rege nimirum Francorum, dum hæc fierent, mollius agente, quem scilicet spes induciarum, de quibus inter eos iam tractabatur, astute suspenderat.

CAPVT III.

ANNO a partu virginis M.C. nonageſimo quarto, circa feſtum Principis Apoſtolorum, quod dicitur ad Vincula, poſt multam conflictationem & caſus varios, mediantibus honoratis, induciæ, quas Treugas vocāt, inter Reges ſancitæ ſunt in annum, Regi quidem Anglorum per captiuitatem multum attenuato, ad reparationem virium admodum vtiles: licet, vt quibuſdā videbatur, parum honeſtæ, cum inter fineis iam breuiores Normanniam poſſideret. Sed præponderauit ratio vtilitatis, & rebus cum aliquantula etiam honeſtatis iactura oportuit conſuli. Quo facto modicam laborantes prouinciæ pauſam recepere. Verum in illa interpolatione malorum, exquirendarum ſtudio pecuniarum vehementius excanduit in ſubditos auaritia Principum, dum cogitarent cogitationes magis belli, quam pacis, & ad futuros motus ſe modis omnibus præpararent. Denique in hac re nulla vacauit occaſio, & vbi forte occaſio vel imaginaria defuit, mera tamen per exactores regios ad extorquendum violentia non quieuit, illis maxime onera inſolita fruſtra cauſantibus, qui de ſuperiorum religioſa indulgentia Principum ab omni exactione ſeculari immunes & liberi eſſe ſoleant, viri ſcilicet religioſi. Et memoratorum quidem Regum Chriſtianiſſimi patres, religioſorum præcipui patroni & protectores fuiſſe noſcuntur, filios vero in hac parte minus patriſſare dolemus. Et quidem Rex Anglorum, propter inquietam adoleſcentiam, in regni ſui primordiis plus formidabatur tanquam immitior Princeps futurus. Porro de Rege Francorum ob patris memoriam & ætatis teneræ mores innoxios in ſuis auſpiciis meliora ſperabantur, atque omne hominū genus imprecabatur illi proſpera. At cum a partibus Orientis (vt ſupra memoratum eſt) ad propria remeaſſet, implacabili odio Regis Anglorum in virum alterum mutatus eſt, & tanquam ſe de illo in propriis vlturus ſubditis, fere omnibus, & maxime religioſis, clericiſque grauis apparuit. Rex vero Anglorum de captiuitate reuerſus, Deo propicio mitior inuentus eſt. Vnde venerabilis Ioannes Lugdunenſis Archiepiſcopus, qui ipſo forte tempore in Angliam venerat, cum Lundoniis conſtitutus ſederet cum viris honoratis, & plurimi corā eo de proprij Principis duritia conquererentur, nolite (inquit) ſic loqui, dico enim vobis, quia Rex veſter in comparatione Regis Francorum heremita eſt. Et pauca de moribus eiuſdem Principis ſubtexens adiecit, eum ætate proxime exacta ita propriis pepercisse theſauris, vt omneis ſumtus belli, quod cum Rege gerebat Anglorum, ab eccleſiis maximeque monaſteriis extorqueret.

CAPVT IIII.

CVRRENTIBVS igitur inter Reges induciis meditationes militares, id eſt, armorum exercitia (quæ torneamenta vulgo dicuntur) in Anglia celebrari cœperunt, Rege id decernente, & a ſingulis qui exerceri vellent indictæ pecuniæ modulum exigente. Nec mouit hæc regia exactio alacritatem iuuenum, in arma flagrantium, quo minus flagrarent, atque exercendo ſtudio ſolemniter conuenirent. Sane huiuſmodi, nullo interueniente odio, ſed pro ſolo exercitio atq; oſtentatione virium, concertatio militaris nunquā in Anglia fuiſſe noſcitur, niſi in diebus Regis Stephani, cum per eius indecentem mollitiem nullus eſſet publicæ vigor diſciplinæ. Porro temporibus Regum priorum, Henrici quoque ſecundi, qui Stephano ſucceſſit, tyronū exercitiis in Anglia prorſus inhibitis, qui forte armorum affectantes gloriam exerceri volebant: transfretantes in terrarum exercebantur confiniis. Conſiderans igitur illuſtris Rex Richardus Gallos in conflictibus tāto eſſe acriores, quanto exercitatiores atque inſtructiores: ſui quoque regni milites in propriis finibus exerceri voluit, vt ex bellorum ſolemni præludio, verorum addiſcerent artem vſumq; bellorū, nec inſultarent Galli Anglis militibus, tanquam rudibus & minus gnaris. Sciendum vero huiuſmodi armorum exercitia tribus generalibus conſiliis ſub tribus venerabilibus Romanis Pontificibus eſſe prohibita. Vnde in Concilio Lateranenſi Alexander Papa, felicis memoriæ, Papæ (inquit) Innocentij & Eugenij prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, deteſtabiles nundinas, quas vulgo Torneamenta vocant, in quibus milites ex condicto conuenire ſolent, & audacia temeraria congrediuntur, vnde mortes hominum & pericula animarum ſæpe proueniunt, fieri prohibemus. Quod ſi quis eorum ibidem mortuus fuerit,

fuerit, quamuis ei poscenti pœnitentia non negetur, Christiana tamen careat sepultura. Cum ergo solemnem illum tyronum concursum tanta sub graui censura vetet auctoritas, feruor tamen iuuenum, armorum vanissime affectantium gloriam, gaudens fauore Principum probatos habere tyrones volentium, ecclesiasticæ prouisionis vsque in præsens spreuit decretum.

CAPVT V.

EODEM tempore Ioannes, frater Regis Anglorum cum multo dedecore contra fratrem militabat Regi Francorum, a quo scilicet dum frater in Alemannia teneretur abstractus erat atque illectus, vt ruptis naturæ legibus fraternis hostibus iungeretur. Qui nimirum dum plurimum potuit, Regi Francorum honorabilis fuit. Vbi vero captis munitionibus, quas in Anglia patris vel fratris profusa largitione acceperat, tanquam nihil habens ad nocendum fratri, factus est impotens; spreuit eum Rex Francorum, tanquam opera eius non indigens. Ille autem videns fratrem non modo saluum ad propria remeasse; verumetiam prosperare, tandem dignatus est ei reconciliari. Itaque mediante matre supplex ad fratrem rediit, a quo satis fraterne susceptus, ei de cetero contra Regem Francorum fideliter & fortiter militauit, priores excessus nouis officiis expians, & fraternam in se charitatem ad plenum reformans. Hugo quoque Viuantinus, Cestrensis Episcopus, vir inconstans in omnibus viis suis, qui a facie Regis Anglorum pungente mala conscientia in Franciam fugerat, eundem Regem nō modica summa placauit, & Episcopatu suo recepto, Regiis magis negotiis, quam sollicitudinis pastoralis officiis, de cetero inseruire curauit.

CAPVT VI.

ANNO a partu virginis M. C. LXXXXV. ingresso, illustri Anglorum Regi post grauium experimenta malorum fauor cœpit arridere diuinus. Cum enim plusquam viginti marcarum milia præparasset Duci Austriæ, cum multo periculo transmittenda; illi, quos eidem Duci pro satisfactione summæ exactæ obsides dederat, repente affuere, habentes mel & lac sub lingua sua, hostem scilicet immanissimum diuini pondere iudicij obrutum nuntiantes, & pro fide nuntij seipsos cum gaudio ostentantes. Referebant autem eiusdem potentis terram ante eius interitum flagello multiplici ita diuinitus fuisse attritam, vt ex his posset agnoscere, sibi quoque non lento iam pede appropinquare iudicium, nisi maturius faceret fructus dignos pœnitentiæ, homo tantorum reus malorum, quæ procul dubio in regnis Christianis prouenisse noscuntur, ex infelicissima illa captiuitate regis Anglorum. Denique, vt dicitur, ciuitates terræ illius incertam prorsus causam habentibus incendiis conflagrarunt. Danubius fluuius maximus tanquam ad vltionem egressus, adiacentia quædam loca cum ingenti hominum exitio occupauit; æstate media tota illa regio præternaturali atque insolita ariditate deficiens intempestiue, viroris sui gratia caruit; semina frugum terræ mandata cum deberent erumpere, degenerarunt in vermes; nobiliores quoque terræ illius, tanquam effusa pestis morbus absumsit. Non terruerunt ista cor nequam & auarum, quominus opibus Anglicanis inhiaret adhuc, cum plurima iam marcarum milia a Rege captiuo sumsisset. Et quidem a Romano Pontifice, pro his quæ in eundem Regem commisisset, anathemate innodatus, auaritia tantum fortius perurgēte superbe derisit sententiam. Iam posita erat diuinę animaduersionis securis ad radicem arboris malæ. Sed quia scriptum est, contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus; de insignis captiui quasi manubiis inclitus, conuocatis nobilibus terræ, Dominici natalis solemnitatem in multa ostentatione & gloria celebrare voluit. Et die quidem primo gloriosus effulsit, in crastino vero gloriam Deo dedit. Cum enim in natali beati Stephani iam pransus exisset, vt in campo cum suis militibus luderet, forte equus eius decidens, sessorem quoque deiecit, pedemque eius ita comminuit, vt ossa hinc inde confracta, rupta cute exterius prominerent. Acciti mox medici adhibuere quæ expedire credebant. In crastino vero pes ita denigratus apparuit, vt a medicis incidendus decerneretur. Quod cum ipse præ vitæ amore fieri postularet, non est inuentus vel medicus,

vel familiaris, vel filius, qui hoc patraret. Tandem accitus cubicularius eius, & ad hoc coactus pedem abscidit. Medici vero appositis medicaminibus, cum eum in crastinum visitarent, signis haud ambiguis mortem esse in ianuis cognoscentes, vultu & voce dixerunt; Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues. Desperatus igitur accitis Episcopis, qui ad solemnitatem inuitati venerant, in conspectu Optimatum a vinculo anathematis, quo eum Romanus innodauerat Pontifex, petiit relaxari. Responsum est ab vniuerso Clero, quod nullatenus posset absolui, nisi sub iuratoria cautione, quod super iniuriis Regi Anglorum illatis iudicio ecclesiæ staret, Optimatibus quoque pariter iurantibus, quod forte, si iudicium ecclesiasticum minus procederet, ipsi modis omnibus procurarent, ne quid ex his, quæ statuerent, in irritum cederet. Hac cautione solemniter præstita, absolutionis munus promeruit, moxque obsides Regis Anglorum liberari præcepit. Verum cum post modicum ingrauescente molestia exspirasset, succedens filius, paternæ quoque auaritiæ hæres esse voluit, & ne vltima patris voluntas impleretur, adiunctis sibi quibusdam nobilibus obstitit. Vnde factum est per laudabilem Cleri zelum, vt tanti Ducis corpus diebus aliquot inhumatum inobedienti filio maculam irrogaret. Qui tandem consternatus, memoratos obsides absolute relaxauit, eisque quatuor marcarum milia Regi Anglorum reportanda contradere voluit. At illi propter viarum pericula expediti repatriare maluerunt, & tanto velocius, quanto & alacrius reuertentes suæ liberationis nuntij primi exstiterunt. Gauisus rex, nuntio, gratias egit Deo, & ex eo correctior vixisse dicitur.

CAPVT VII.

ALIVD quoque ipso tempore in pago Cenomannensi accidisse fertur, quod eundem Regem non frustra territum suæ propensius salutis admonuit. Res pluribus nota est, quam nostræ simpliciter narrationi inserimus, prout nobis viri venerabiles, & fide digni tradidere, a Cenomannensi Episcopo idipsum se accepisse protestantes. Vir quidam ex eiusdem Episcopi clientela piæ deuotionis instinctu profectus in Hispanias ad memoriam beati Iacobi Apostoli, cum sospitate ad propria remearat. Qui post modicum calore fideli & deuotionis fortius ignescens, longe laboriosiori peregrinatione sepulcrum inuisere Dominicum voluit. Valedicens ergo suis iter opportune arripuit. Et cum forte solus graderetur; repente in ista via obstitit ei quidam enormi corpore & vultu terribili. Pauefactus homo, eleuata manu Christianam sumsit armaturam. Ille vero tanquam non reputans salutare signaculum: nequaquam, inquit, hoc modo tueri te poteris, quin meus sis: porro si procidens adoraueris me, faciam te locupletem & inclitum valde. Ad hæc homo pauorem fiducia superans, cum libertate respondit: Liquet te esse partis sinistræ, sint tua tibi, nam mihi sufficit omnipotentis Dei largitio, quem solum adoro. Et ille, oportet, inquit, te vel inuitum aliquid habere de meo. Et proferens tanquam pallium subtilis materiæ, iactauit super caput hominis, quod mox a tractu igneo capillis exustis cutem quoque capitis denigrauit. Prosiliensque hostis, hominem periculo anxium per brachium apprehendit. Homo vero cum tanta perurgeret necessitas, sanctum Iacobum ex recentis obsequij conscientia fortiter inclamauit. Qui beatus Apostolus in specie reuerenda manifeste mox affuit, & potenti verbo inuasorem improbum increpauit. Vt autem homo de manu inimici furentis ereptus, tuto iam auditu perciperet, quorum, vt creditur, audiendorum gratia per voluntatem Dei articulum illum inciderat; Apostolus ad nequã illum, dic, inquit, quis sis, vel quid negotij habes. Qui constrictus imperio, dæmon, inquit, sum generi humano infestus, & mille nocendi artibus instructus. Ego enim grande illud scandalum & Christianæ possessionis iacturam in Oriente patraui, ego inter Reges Christianos in terra promissionis vt nil ab eis ageretur, nec prosperaretur opus Dei in manibus eorum, detestabilem discordiam seminaui. Regem Anglorum a Syria digressum per ministrum nequitiæ meç, Ducem scilicet Austriç, captiuaui, multimodam exinde malorum occasionem regnis Christianis concinnans; eundem quoque Regem de captiuitate propria reuertentem comitatus; in partibus istis nunc consisto, cubili Regis tanquam familiaris minister frequenter assisto, & circa thesauros eius apud Chinonem repositos peruigili cautela

obseruo

obseruo. His dictis, malignus disparuit. Apostolus etiam confortato homine in suæ se claritatis secretum recepit. Homo vero ad vrbem Cenomannensem mature reuersus, Episcopo vrbisque prudentibus cuncta per ordinem replicauit, in argumentum fidei caput depilatum, & brachium manus pestiferæ contractu vstulatum indicauit. Quibus actis post dies aliquot propositum iter repetiit, nec latuit hoc Regem Richardum. Qui nimirum eius, qui tangit montes, & fumigant, timore compunctus; salubrioris instinctu consilij cubiculum suum, vt accepimus, de cetero castius esse voluit, & de thesauris suis largiores indigentibus eleemosynas erogare.

CAPVT VIII.

His diebus Hugo, Dunelmensis Episcopus extrema sorte defecit, anno sacerdotij sui quadragesimo secundo. Et quidem electorum Pontificum, quibus dignus non erat mundus, paucos raro legimus tanto tempore officio functos; nostri autem temporis Episcopis mundus non est crucifixus, sed infixus, nescientibus cum Propheta dicere. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est, quibus etiam productius, in illa excellentia tempus breue videtur, tantusque hos, cum suas vel diuitias, vel delicias deserere coguntur, torquet dolor, quantus illis, dum affluerent, hæsit amor. Dicitur autem Episcopus ille, nescio vnde deceptus, dum in prosperis ageret, tam annosam sibi prophetasse ætatem, vt audientibus plurimis pronuntiaret, se, oculis senio caligantibus, annos decem in cæcitate acturum. Quamobrem mundo securus incubans, extremis tandem ex improuiso vrgentibus huius fatuæ suæ prophetiæ certum dat experimentum. Sane vtrum in hoc aliquis eum quasi diuinando deluserit, an ipse abundans in sensu suo, ex consideratione bonæ valetudinis suæ, vitam sibi longiorem pollicitus fuerit, incertum est. Quippe vsque ad septuagesimum annum, quo decessit, sospes & vegetus vixisse perhibetur; Homo in terrenis disponendis prudentissimus, & sine multis litteris eloquentissimus, pecuniarum sitientissimus, earumque scientissimus quærendarum. Spirituali potentia siue excellentia Episcopus non contentus, secularem ambiuit, & multa Ecclesiasticæ pecuniæ religiosis potius vsibus applicandæ iactura, quæsiuit sibi nomen grande iuxta nomen magnorum, qui sunt in terra. Castellorum instructioni, atque insignium in locis plurimis ædificiorum fabricæ deditus, quo plus studuit ædificare in terra, eo remissius ædificare curauit in cælo. Hic nimirum ob solam generis nobilitatem ex secularis vitæ illecebris in ætate minus canonica ad Episcopatum assumtus, studiose impleuit illud Salomonis; Omnia quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui illis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur. Cumque opibus plerunque non parceret, sed multo studio congesta, ne quid magnis animi sui conceptibus deperiret, indiscrete effunderet, alias tamen multo plus erat congregās quam dispergens. Leprosis indulgentior, nobile illis Xenodochium, non longe a ciuitate Dunelmensi, profusa quidem, sed tamen ex parte minus honesta largitione construxit. Alieni quippe iuris non modicum huic deuotioni per potentiam applicans, dum propria sufficienter impendere grauaretur. Sane cum post plebis Christianę in Oriente excidium Christiani Principes, multusque populus characterem Dominicum susce pissent; ipse quoque eiusdem piæ deuotionis consors esse voluit. Denique in capite ieiunij signum Domini solemniter sumsit, & pro castigandis peccatis suis sub veste exteriori durum cilicium cælauit, quo tamen diu vsus non est. Porro vt abiiciendi etiam sacri characteris occasio non deesset, tepide rogatus a Principe, publicæ administrationis sollicitudinem, vt suo loco plenius dictum est, minime recusauit, ac deinde ab eodem callide inductus, appensa illi vniuersa pecunia, quam in sumtus longissimæ peregrinationis congesserat, Comitatum Northumbriæ comparauit. Quo facto & Rege in Orientem profecto, a sacro tandem charactere humerum liberauit, ac geminato honori Episcopus senior Comesque nouitius incubans, potentiam suam & gloriam vsque ad eiusdem Principis reditum magnifice ostentauit. Cum autem eius de captiuitate Alemannica in regnum regressi faciem minus sibi arridentem notasset, non aliter eum, quam resignato Comitatu, quem graui summa emerat, & spatio breui possederat, placari posse credidit. Non tamen vel sic placare eum potuit, quem nimirum

exactionibus importunis poſtmodum grauem ſenſit, credentem ſcilicet tanti Epiſcopi ſacculos non facile poſſe exhauriri, præſertim cum ille pro redimendo Comitatu, quem olim fruſtra emerat, in multa quantitate pecuniam nouam offerret. Proinde Regi in partibus tranſmarinis conſtituto, & oblatam quidem pecuniam auctoritate Regia exigenti, non tamen Comitatum reddenti, per reſponſales & munera ſupplicauit, vt vel mediante ipſa pecunia Comitatum redderet, vel non reddens ab exactione ceſſaret. Rex autem callide, vt olim, hominem palpans litteris reuerentia plenis, mandauit, vt oblatam ſummam appenſurus, Lundonias accederet, & tanquam Pater patriæ cum Archiepiſcopo Cantuariæ, totius regni moderator de cetero reſideret. Qua gratia exhilaratus Epiſcopus Lundonias iter arripuit. Veniensque ad villam propriam quæ dicitur Craet, dominica, qua mos eſt ſacerdotibus caput quadrageſimalis ieiunij ſolemni eſu carnium præuenire; ibidem ſupra virtutem corporis ſenilis ingurgitauit ſe epulis, dum miſer, cui nil ſapit venter, per ſaporum illecebram de numeroſitate ferculorum vſque ad grauamē proprium ſuſcipere cogeretur. Cumque per vomitum vitio crapulæ mederi voluiſſet, eo ipſo afflictus eſt magis. Ab illo ergo die ſenſim deficiens, obſtinato tamen animo progreſſus eſt itinere dierum aliquot vſque Doncaſtrum. Nec vlterius, excreſcente incommodo, reluctari valens, itinere liquido circa primam Dominicam quadrageſimæ delatus Houedennam, ibidem decubuit. Et cum ingraueſcente moleſtia iam deſperaretur, amicis qui aderant ſuadentibus, teſtamentum condidit, & pro tempore faciens fructus vel ſeræ pœnitentiæ, ſenſu quidem doloris modico, ſicut fatebatur, ſed defectu paulatim ſerpente, & tandem præualente, vitam finiuit. Illo autem mortuo, & Epiſcopatu illico per miniſtros regios in fiſcum redacto, iidem omnia ſecreta eius ſcrutantes, quicquid repertum eſt Regiis applicuere commodis. Sed nec miniſtri & familiares eius euaſere quæſtionem, qui nimirum iuſſione regia tanquam ſubtractores bonorum eius diſtrictæ diſcuſſioni addicti, pro viribus quiſque ſubſtantiæ ſuæ ſatisfacere ſunt compulſi.

CAPVT IX.

Sane memoratus Epiſcopus dum adhuc Eboracenſis Eccleſiæ eſſet Theſaurarius, paulo ante Epiſcopatum diuerſis ex matribus tres ſpurios fuderat, nec tamen hoc vel ipſum diuini reſpectu iudicij ab Epiſcopatu ambiendo terruit, vel electionem eius, quod & canones remiſſius, & homines indiſcretius agerent, impediuit. At enim beatus Gregorius ſcribens Clero & nobilibus ciuitatis Neapolis; Ioannem Diaconum, qui ab altera parte electus eſt, paruulam habere filiam quorundam relatione cognouimus. Vnde ſi rationem voluiſſent attendere, nec alij eum eligere, nec ipſe debuerat conſentire. Nam qua præſumtione ad Epiſcopatum audet accedere, qui adhuc longam ſui corporis continentiam, filiola teſte, conuincitur non habere. Si ergo iſte propter vnam filiolam ad Epiſcopatum non debuit aſpirare, vel eligi; multo minus ille propter tres filios. Epiſcopatum tamen nactus, ſuſceptam quidem ante Epiſcopatum ſobolem per illecebram carnis affectus ſtuduit ad diuitias & nomen grande prouehere. Porro in Epiſcopatu ſobolem minime procreauit. Primogenitus eius nobiliori matre procreatus, ſecularem militiam plus amauit. Sequens vero cum Archidiaconatu Dunelmenſi eccleſias plurimas ad vſum magis deliciarum, quam vtilitatem animarum paterna prouiſione poſſedit. Tertius autem, quem pater tenerius diligebat, multa eius opera & impenſa Regis Francorum Cancellarius, immatura morte paternum verberauit affectum. Medius quoque filiorum patri ſuperſtes relictus in multa felicitate terrena, ab eius deceſſu menſe ſexto eiuſdem felicitatis vanitatem atque fallaciam, patrem ſequendo, probauit. Sane anno a morte eiuſdem Epiſcopi expleto, & Epiſcopatu per officiales regios multifariam ſpoliato, accepit eandem ſedem nutu regio Philippus, genere Aquitanus. Cum enim eſſet idem circa Principem multo tempore ſedulus, laborum particeps, & conſcius ſecretorum, tanquam de ſe optime meritum præclare remunerari idem Rex voluit. Ne autem ſumere ſibi honorem videretur, ſed potius vocari a Deo, tanquam Aaron, callide prouiſum eſt, atque intentato implacabili Regis motu, ſi quis refragandum duceret, electuris extortum, vt prælectum regium eligerent, & veritatem electionis imagine adumbrarent. Solent enim

plurimi, qui per potentum operam ad ecclesiasticos honores aspirant, vt manifestæ intrusionis euitent opinionem, terroribus elicitæ electionis, quasi honestam prætexere speciem. Id vero frustra, cum dicat Apostolus; Nolite errare. Deus non irridetur, quæ enim seminauerit homo, hæc & metet.

CAPVT X.

Defuncto igitur Dunelmensi Archiepiscopo ad placandam Regis iram, quæ aduersus eum vehementer excanduerat, in transmarinis partibus constituti, Hubertus Cantuariensis Archiepiscopus, vices, non tantum regias in regni moderatione, verum etiam Apostolicas in Ecclesiastica ordinatione per totam habens Angliam, ostentaturus gloriam vtriusque potestatis, Eboracum Metropolim abiit, Prælatos totius prouinciæ, vti solemniter sibi occurrerent atque assisterent, præmissa auctoritate imperauit, suppresso pro tempore Primatis nomine, ipsam Ecclesiam Metropolitanam nomine legati Apostolicæ sedis cum pompa ingressus, potestatem in ea magnam exercuit, & nullo obsistente vel reclamante, eo quod omnes vel terrore eius perstricti, vel Metropolitano proprio minus essent deuoti; Concilium magnifice celebrauit. Quibus actis, & seculari quoque pro tempore ibidem iurisdictione expleta, propriæ se prouinciæ reddidit. Hic commemorandum puto, qua ratione, vel occasione duo Metropolitani Anglorum per longa iam tempora de prioratu contenderint. Eboracensis quidem perspicua se beati Gregorij auctoritate tuetur. Scribens enim Augustino Anglorum Episcopo; Eboracensem, inquit, Episcopum tuæ fraternitatis dispositioni volumus subiacere, post obitum vero tuum ita Episcopis quos ordinauerit præsit, vt Lūdoniensis Episcopi nullo modo ditioni subiaceat, & adiecit; Sic vero inter Lundoniæ & Eboraci Episcopos in posterum honoris ista distinctio, vt ipse prior habeatur, qui prius fuerit ordinatus. Cantuariensis vero Episcopus, quem beatus Gregorius Lundoniensem vocat, asserit huic auctoritati posteriori tempore abrogatum, quando scilicet Romanus Pontifex doctissimum virum Theodorum, vt venerabilis Beda refert, Cantuariensis Ecclesiæ ordinauit Episcopum, quem & præfecit vniuersis Angliæ Episcopis tanquam primatem. Cuius successores per multa tempora eadem prærogatiua insignes fuisse noscuntur, vnde constat eam non personæ, sed ecclesiæ fuisse concessam. Respondetur a parte Eboracensis, quod beatus sanciuit Gregorius, manifesti & solidi esse iuris, quod nullo quidem tempore abrogatum, sed quodam tempore, ratione ipsius temporis in vsu non fuit, tanquam soporatum, & suo tempore excitandum. Anglis siquidem nuper ad fidem Christi conuersis, iuxta venerabilis Bedę historiam, rudes & indocti ex ipsa gente Episcopi præesse cœperant, quibus necessario informandis Romanus Pontifex pia prouidentia doctum præfecit Theodorum, non quidem euacuans decretum beatissimi patris Gregorij, sed tantum consulens tempori. Successores vero Theodori, aut similiter tempori consulendum duxerunt, aut temporibus melius se habentibus præsumtores fuerunt, cum Angli Episcopi Eboracensi ecclesiæ præsidentes, simplicitate quadam rustica de propriæ sedis prærogatiua minus curarent, & vsum quoque pallij a diebus Paulini Episcopi per tempora multa negligerent. Ad hæc dicit Cantuariensis, quia & postquam vsus pallij Eboracensi ecclesiæ est redditus; plures eiusdem ecclesiæ Pontifices Cantuariensis ecclesiæ, siue Pontificis, tanquam proprij Primatis iurisdictioni subiacuisse. Respondit Eboracensis, quia sicut ratio necessitatis temporalis iuri Eboracensis Ecclesiæ, quod non perfunctorium, sed solidum & perpetuum esse beatus Gregorius voluit, præiudicium generare non potuit, ita nec simplicitas siue negligentia Antistitum eiusdem Ecclesiæ. Denique ista de prioratu tam vana contentio Anglorum, Metropolitanos longo & sumtuoso labore exercuit. Vanissime autem vterque illorum se scribit totius Angliæ primatem, cum neuter habeat significatam hoc nomine potestatem. Inde est, quod memoratus Cantuariensis, vt susciperetur ab Ecclesia Eboracensi, tanquam Apostolicæ sedis legatus, supprimendum putauit nomen Primatis, quod vtique non simpliciter est suppressum, sed cum aliter non posset suscipi, quod non tanquam primas adueniret, expressum. Verum nec legationis suæ ratione facile suscipi potuisset, si Clerus eiusdem ecclesiæ priuilegio ante annos

aliquot a sede Apostolica impetrato vti voluisset, quo scilicet a iurisdictione cuiuslibet legati in Anglia instituti cum suo eximebatur Pontifice. Quem nimirum, quoniam non frustra velut terribilem, formidabant, pro eius prærogatiua tepide æmulandum duxit, & legato potius, quem amicum & patronum optabat, maluit subiici, quam illius non frænandam potentiam experiri.

CAPVT XI.

Iisdem diebus, hoc est, anno M. C. LXXXXV. a partu virginis, Christianis adhuc Regibus, Francorum & Anglorum, execrabilis in alterutrum odij morbo laborantibus, atque ægre sustinentibus expletionem induciarum, quibus eorum, vel ad modicum malitia nocendi auida frænabatur: Saracenorum ex Aphrica tremendus exercitus, Duce, vt dicitur, quodam suæ superstitionis Pseudophilosopho grandia pollicente, Hispanias intrauit, iunctusque Saracenis indigenis, Christianis se finibus perniciosus immersit. Æmulantes quippe Aphri Orientalium Saracenorum feruentem adhuc fortunam, qui sub Principe Saladino regnum Ierosolymitanum inuaserant, & Christiani nominis titulum ex Arabia funditus, ex Syria vero vsque ad cõtemtibiles reliquias exturbarant, eosque fortitudine & gloria æquare cupientes, vicinas gentes Christianas moliti sunt vel expellere, vel delere, totasque spurcissimæ sectæ suæ Hispanias applicare. Augebat autem eorum fiduciam, quod tempus eos iuuare videretur, dissidentibus scilicet inter se fere totius Europæ Principibus Christianis, atque ita circa nepharios cupiditatum suarum motus explendos intentis, vt vix aliquis eorum pro fidei Christianæ vel propagatione vel defensione in Hispaniam accingendus ad militiam crederetur. Itaque fretum, quod Aphricam Hispaniamque disterminat, transmeantes, iunctis Hispanorum infidelium copiis cruenta & effræni audacia debacchabantur in finibus Christianis. Nostri vero primo repentina infinitæ multitudinis irruptione attoniti; mox resumtis animis discrimen experiri bellicum statuerunt. Denique a Regibus Christianis eiusdem terræ, quæ nimirum adeo spaciosa est, vt extra partem sui non modicam, quæ a Saracenis possidetur, quinque non ignobilibus regnis Christianis sit inclyta, varia contra perfidos illos sorte pugnatum est. Et multum quidem vtrimque sanguinis fusum est, sed tandem Deo nostris propicio, hostilis exercitus plurima sui parte mutilatus, ad propria cum dedecore rediit, minus forte de cetero de vana sui Ducis philosophia præsumturus. Sane rumor irruptionis hostilis late discurrens, totamque in breui percurrens Europam, atrociora nuntiauit, populis Christianis alte gementibus, & Principes suos iusta querela incusantibus, qui non se, zelo igniti diuino, grassanti perfidiæ opponerent, sed iuxta Apostolum, mordendo & comedendo inuicem, consumerentur ab inuicem. Non minus enim animauit atque adiuuit contra nos hostem sacræ Religionis Saladinum propriarum fiducia vel potẽtia virium, quam nostrorum, qui terram sanctam regere videbantur, callide explorata discordia Procerum. At hoc parum est veterum respectu damnorum, quæ profecto ex nostrorum discordiis robur eneruantibus Christianum, profluxisse noscuntur. Cum enim florente olim Republica Romana tantus immo & latior esset orbis Christianus, quam orbis Romanus, qui nimirum præter Europam clarissimas, maximasque Asiæ prouincias cum tota fere Aphrica intra suos limites cohibebat, intestinis Christianorum Principum & populorum bellis actum est, vt Agarenis, qui & Saraceni dicuntur, inualescentibus, & secta nepharia replentibus mundum, Christiana Religio extra fineis Europæ modicum possideret. Quin etiam Europæ ex Aphrica prius infecta idem pestilentissimus error irrepsit, atque vsque in hodiernum diem partem Hispaniarum non modicam maculauit. De origine autem huius spurcissimæ sectæ, & quomodo in tantum inualuerit, vt tot genteis, regnaque corrumperet, propter eos, qui forte nesciunt, iuxta maiorum traditionem paucis perstringere libet.

CAPVT XII.

Post tempora Beati Papæ Gregorij cum Romanum Imperium, quod olim ab Oceano Britannico vsque ad fineis Persidis porrigebatur, tyrannicis motibus, bellisq; ciuilibus

ciuilibus ita esset attritum, vt propriæ aduersus genteis exteras defensioni iam minus sufficeret, paganus exercitus Persarum, in Christianos efferatus, minimo negotio quasdam orientales Romanæ ditionis & Christianæ religionis prouincias, militiæ vacuas occupauit. Secuta est e vestigio Ismaëlitarum, (qui proprie quidem Saraceni, sed verius Agareni dicuntur) pestis edacior, quæ nimirum, iuxta quod scriptum est, residuum erucæ comedit locusta; Christianas in Oriente reliquias fere vsque ad internecionis extremum persecuta est, agens sub Principe Mahometo Pseudopropheta. Sane hic in adolescentia negotiandi gratia plurimas peragrans regiones, crebra cum Christianis & Iudæis conuersatione, cum esset acer ingenio, vtriusque religionis ritus cultusque addidicit, & vt ad explenda, quæ iam animo cõceperat, nequissimorum sibi spirituum familiaritas & cooperatio non deesset, magicis quoque artibus imbui curauit, quibus instructus homo mire callidus & facũdus, nationi se propriæ, (nam Ismaelita erat) ausurus ingentia, reddidit, similisque illi malæ bestiæ de Apocalypsi, quæ habebat duo cornua similia agni, & loquebatur quasi draco, vt seduceret plurimos innocentiæ & simplicitatis mendaci specie, pestilentium virus adumbrabat verborum. Denique suæ gentis Dominam (quippe moris erat eam gentem regi a feminis) ita verbis ad seducendum compositis & nefariæ artis præstigiis dementauit, vt eum tanquam summum Dei Prophetam coleret, atque eius nuptias exoptaret. Cuius coniugio nactus eiusdem gentis Principatum, multo fortius populos seducebat, dum non tantum mouerentur reuerentia Principis, verum etiam motum diuinum se incursuros crederent, si summo eius Prophetæ in aliquo remissius obtemperarent. Quippe in omnibus quæ seductis vel seducendis a se populis præcipiebat, personam tanquam loquentis in se Dei assumens, fallaci verorum imitatione Prophetarum præmittebat; Hæc dicit Dominus: Et quia in traditione sacræ legis scriptum esse nouerat, locutus est Dominus ad Moysen dicens; vt scilicet diuinum, non humanum esse intelligeretur, quod per hominem tradebatur; ipse quoque suis libris inserendum putauit; Locutus est Dominus ad Mahometum Prophetam suum dicens, vt scilicet diuinæ auctoritatis pondus habere crederetur, quod ab eo seductore fingebatur. Cumque non tantum subditi, verum etiam alij plurimi ad eum sponte inclinati ad eius in omnibus penderent arbitrium, accensus libidine latius dominandi, sub prætextu propagandæ Religionis, tanquam ex præcepto Dei finitimas genteis bello aggressus est. Et Christianas quidem in Oriente prouincias primo inuasit, consequenter vero ad perfidæ ditionis terras arma conuertit, arte & astu perficiens quod armis minus potuit. Vt autem in omnibus Religiosus videretur, subactos populos patriis ritibus abdicatis in suam superstitionem quacunque ratione traducere studuit, paganis quidem, quos subegerat, idolatriam inhibens, Christianos vero vsque ad sacri nominis exterminium atterens. Hoc modo in Ægypto & Lybia, Mesopotamia & Syria, regnis clarissimis, aliisque prouinciis Orientis, in quibus olim Christianæ Religionis cultus excelluit, vsque ad reliquias modicas, præualentibus Agarenis, defecit. Cumque idem pestifer dimissus a Deo secundum desideria cordis sui iret prospere in inuentionibus suis, & iuxta formam nouissimi Antichristi dolus in manus eius dirigeretur, excogitato per seductorem spiritum modo, quo seductionis virus diffusius spargeret, & seductos a se populos, quibusdam quasi sacramentis incorporans irretiret, nouas viuendi leges nouosque sacrorum ritus astuta vanitate composuit, &, vt tanquam diuinæ sanctiones suo tanquam prophetico ministerio susciperentur, artificiosissime procurauit. Camelum nanque elegantis formæ, in secretis suis a tenero nutritum, & solis eius manibus assuetum, suspenso ad collum eius sacrilego codice ante lucem emisit. Qui nimirum insolita libertate gaudens, atque omnium accedentium contactus refugiens, spaciabatur per campos. Fama mox nuntiat apparuisse camelum speciosissimum collo gerentem mysteria: Concurrit populus ad inusitatæ rei spectaculum; ad ipsum quoque nefariæ molitionis artificem res defertur, egreditur, tanquam visurus miraculum. Animal eminus conspecto nutritore occurrit, & notissimas manus allambit. Acclamat populus clarere Prophetæ meritum, rogat codicem sacris eius manibus accipi, & quid in eo mysterij contineretur aperiri: quo aperto, Ecce, ait, hæc

t

est lex scripta non atramento hominis, sed manu Angelica, quam genti nostræ Deus omnipotens, perpetuis seruandam temporibus, per hoc animal mittit de cælo. Hic liber docebit vos, quomodo Deum colere, & quanta ab eo, seruata lege eius, sperare debeatis. Hoc modo sub nomine religionis sacrilega cordis sui commenta promulgans, diem quoque, quo hæc facta sunt, annis singulis statuit esse solemnem, qui a Saracenis, (vt accipimus) Festum cameli dicitur, atq; vnius mensis ieiunio prçuenitur. Sane quoniam Christianas pariter & Hebræas traditiones didicerat; ex vtrisque nonnulla propriis figmentis inseruit, ne scilicet omnino inusitata prædicanti vel sancienti fides difficilius haberetur. Nempe vt Iudæos mulceret, suillæ carnis esum inhibuit, & propter circumcisum suæ gentis patriarcham Ismaëlem, circumcisionis ritum admisit. Nostri quoque baptismatis quadam sacrilega imitatione crebras in aquam singulorum tinctiones membrorum, quasi pro expiatione, instituit. Illius Apostolicæ sententiæ; Non in commessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis; partem primam amplexus est & docuit, reliquam vero grata lasciuis indulgentia relaxauit. Cum enim ipse esset flagrantissimę libidinis, ne aliter videretur facere quã docere, omnem suis impudicitiam carnalis voluptatis indulsit, impudenter mentiens, Deum pro talibus non irasci, atque hac fœda pudendaque licentia animos sibi concilians gentis obscœnæ. Gulosos vero atque ebriosos orbi terrarum graueis abominatus, sobrietatem docuit, vini vsum, præterquam paucis certisque diebus solemnibus, interdixit. Inde est, quod cum Saraceni in luxu libidinum de sui, vt dictum est, seductoris indulgentia probentur esse spurcissimi, nostris (proh dolor) in frugalitate superiores esse videntur, nobisque (proh pudor) commessationum & ebrietatum sordeis improperant. Denique Malleus Christiani nominis Saladinus ante annos aliquot, cum nostrorum mores explorans, audisset, quod pluribus in prandio ferculis vterentur, dixisse fertur, tales terra sancta indignos esse. Vnde constat, quod luxus nostrorum conspectus, Agarenos, de frugalitate gloriantes contra nos incitet, animetque tãquam dicentes; Deus dereliquit crapulatos ipsos, persequamur & comprehendamus, quia non est qui eripiat. De eodem autem Saladino rem memorabilem, quam a viro veraci audiui, paucis perstringam, quo elucescat quam argutus fuerit ad propriæ sectæ commendationem nostræ religionis sugillator. Præsentati sunt ei aliquando duo monachi Cisterciensis ordinis capti a Turcis prædonibus, quos ex schemate inusitato intelligens esse de genere philosophantium Christianorum, per interpretem sciscitatus est, quinam essent, & cuius conditionis, vel professionis. Responderunt se esse monachos regulam beati patris Benedicti professos. Ille de institutis eiusdem regulæ plura percunctatus, cum inter cetera de cælibatu eorum audisset, tandem quæsiuit an vinum biberent, & carnibus vescerentur. Responderunt se omni tempore certum vini modulum habere ad vsum, esum vero carnium non nisi ratione necessitatis seu infirmitatis admittere. Tunc iussit eos indulgentiori custodiæ mancipari, & per duas decentis formæ mulierculas, ad eorum ministerium deputatas, solas eis carnes cum potu aquæ ad victum ministrari. Qui carnibus vsi & aqua madentes, exemplo beati Iob fœdus pepigerunt cum oculis suis, vt ne cogitarent quidem de turpitudine, sed sobrietate comite solliciti pudicitiæ suæ custodes orationi vacabant. Quod vbi comperit Saladinus, carnes & aquam, piscibus ac vino iussit mutari. Et quidem si hæc eo animo fecisset, quo a Salomone dictum est; Date vinum iis qui amaro sunt animo, bibant, & obliuiscantur egestatis suæ; beneuole vtique actum fuisset. At insidiabatur callidus, vt simplicitatem arte deluderet, & ex hoc religioni calumniam concinnaret. Vinum ergo sumentes, dum blandientibus mulierculis tristitiam suam paulo indulgentiori haustu lenirent, illam Apostolicam regulam, Modico vino vtere propter stomachum tuum, minime tenuerunt. Nam quod stomacho sat est, hilaritati minus est. Vbi autem in hilaritate honestatis irrepsit obliuio, Salomonicæ de vino sententiæ veritas claruit. Quippe ingressum est blande, sed in nouissimo momordit vt coluber. Denique inciderunt in fœminas idipsum molientes, mane digesto vino & reatu agnito, fleuerunt amare, & lacrymis madidi producti sunt iubente molitionis artifice: Quibus ait, cur solito tristiores estis?

Quia

Quia, inquiunt, peccauimus grauiter vino absorpti. Et ille, cum carnibus, inquit, vesceremini & aquam biberetis, propositum vestrum caute custodistis. Porro absque esu carnium vino madentes, regulæ vestræ, & propositi nostri præuaricatores inuenti estis. Ex quo apparet quod ille vestræ philosophiæ auctor Benedictus minus sapiens fuerit, esum scilicet vobis carnium inhibens, quo animi status nequaquam turbatur, & vini vobis vsum relaxans, quo etiam integerrimæ rationis vigor eneruatur, quod tam recenti vestro probatis exemplo. An non ergo prudentior philosophus noster & legislator, qui nobis animi turbatorē vini vsum inhibuit, & semper innoxium carnium esum indulsit. Sed vobis est quid expiationis apud vestros cum propositum soluitis? Et illi, pœnitentia, inquiunt, & satisfactio pro arbitrio senioris nostri. Ergo, inquit, non potestis apud nos expiari, redite ad vestros, pro ritu vestro expiandi. Dimisitque eos libere ad propria reuersuros, homo inueterata peste imbutus, & ad sugillandum, quod sapere non valebat, argutus, ita quidem cum nostris illis visus est ludere, qui tamen magis studuit sanæ doctrinæ, cuius ignarus erat, illudere, cæca vanitate carpens virum spiritu Dei plenum, de quo ait beatus Papa Gregorius, quod scripserit Monachorum regulam, discretione præcipuam, sermone luculentam. Nam re vera præcipuæ discretionis fuit, quod ad sacram militiam transeuntibus ciborum delicias, quæ animum emolliunt & resoluunt, curaret restringere, iuxta formam Apostolicam, Modicum vini vsum, quo & caro infirma refocillatur, & animus non grauatur, voluit relaxare. Sane pestifera secta illa, quæ nimirum per Spiritum erroris, & filium illum perditionis, vt dictum est, initium sumsit, cum plurimas arte & armis auctoris sui prouincias infecisset, post mortem tamē eius operatione Sathanæ fortius inualuit, orbisque partem plurimam occupauit. Siquidem pestifer ille in fata vel sero cedens, reliquit discipulos artis & potentiæ successores. A quibus postea debellati potentissimi tunc omnium gentium Persæ, cum tota imperij sui latitudine in Arabum ditionem cesserunt, eorumque superstitionem, religionis se nomine & pietatis se specie adumbrantem, subacti seductique receperunt. Processu vero temporis Agareni, qui & Saraceni, propagandæ suæ vel ditionis vel superstitionis causa alias orbis parteis hostiliter adeuntes, Constantinopolim obsiderunt, qua nimirum cum Græciæ Thraciæque prouinciis ægre defensa, in Aphricam transierunt, & amplissimas in ea Romanæ ditionis prouincias, ciuilibusque bellis exhaustas, haud multo negotio ingressi potius quam aggressi eas vsque in hodiernum diem cum sacræ religionis exterminio possident. Nam a tempore Constantini Magni late in Aphrica Christiani cultus iura viguerant, & fortissimi fidei nostræ propugnatores, gloriosus scilicet doctor martyrq; Cyprianus, & clarissimum Christianæ vas sapientiæ Augustinus, ibidem claruerunt. Nec tantis successibus contenta gens perfida, Hispaniam, quam ab Aphrica medium non multæ latitudinis fretum disterminat, peruicaci furore inuadens, partem eius nō modicam occupauit, quam spurcissimæ sectæ applicita possidet vsque in præsens. Pyrenæos quoque monteis, quibus Hispaniæ Galliæque dirimuntur, transgressa, Gallicam feritatem est aggressa, sperans & moliens procurrente fortuna totam Europam, sicut & cetera, in suum ius erroremque conuertere. At huic tam vndoso mari omnipotens Deus, cuius iudicia abyssus multa, cum voluit posuit ostia & vectim, & dixit, Huc vsque venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Grassanti quippe vesaniæ regni Francorum, deficiente Romano imperio, ad hoc ipsum paulo ante præparato, impenetrabilem opposuit obicem; ab his enim non processuri amplius, in Hispaniam sunt repulsi. Exposito igitur quomodo Agarenorum nephanda lues partibus Orientis, Aphricæ atque Hispaniæ, primo irrepserit, quorum diebus nostris obscœna progenies orientalium exemplo perfidorum aduersus Christianos in Hispania consistentes nouo motu incanduit, ad ordinem historiæ redeamus.

CAPVT XIII.

IGITVR expleto induciarum tempore, illustres Francorum & Anglorum Reges cum nulla ratione fœdera pacis susciperent, licet vtriusque regni maiores seminandæ

paci plurimum studuissent, mense Iulio totis viribus bellum instaurant. Huius autem tam infelicis peruicaciæ causa hæc fuit, quod Rex Francorum nullo vel consilio vel honestatis respectu flectebatur, vt Regi Anglorum ea resignaret, quæ de iure eius, cum in Alemannia teneretur, nullo iure gentium vsurparat, & eidem Anglorum Regi cum tanta finium suorum mutilatione pacem facere indecorum videbatur. Pace igitur in reliquum desperata, conuenere cum suis copiis in vallem, quæ Ruly dicitur. Quæ vallis non longe a Rothomago aberat, eratque de iure Regis Anglorum, sed cum eâdem fortuna Alemannica premeret, cum sua munitione inciderat, sicut & alia plurima, in manus Regum Francorum. Cumque ibidem exercitus vterque sub meditatione pugnæ per dies aliquot excubaret in castris, interuallo modico atque amne interlabente discretus, visum est Regi Francorum munitione diruta, quod difficulter defendi posse videretur, discedere, vireisque integras ad oportunioris pugnæ tempus seruare. Itaque arci & mœnibus suffodiendis die noctuque instabat, aduersæ interim partis impetum callide suspendens, tractando dolose de pace. Verum Rex Anglorum ex repentina suffossæ arcis ruina dolum intelligens, ingenti animo turmas suas ordinauit ad pugnam. Porro Francorum exercitus non expectato pugnæ discrimine abiit, compositis tamen ordinibus, vt prudenter cedere, non turpiter fugere videretur. Rex vero Anglorum cum suis copiis amne transmisso cedentibus insistendum non duxit, sed pro tempore incruenta fortuna contentus, reformādæ munitionis studium habuit. Sane Rex Francorum, vt accepimus, in hoc bello nihil memorabile gessit. Regi vero Anglorum fortunæ hilarioris fauor arrisit. Quippe Rex per stipendiariam militiam, quam Rutas vocant, expugnato & capto Isonduno, cum quibusdam aliis munitionibus, fineis suos in Bituricensi prouincia egregie dilatauit, Normanniæ damna compensans: Comitem quoq; Aluernensem, qui pridem ab ipso desciuerat, per eosdem stipendiarios captum, cum suis munitionibus in potestatem redegit. Tunc studio bonorum virorum cum vindemiales feriæ agerentur, & plurimi, qui prius in arma flagrauerant, iam mollius vterentur, bimestres factæ induciæ, vti hoc spatio deliberaretur de ipsis induciis, vel in solidam pacem Deo propicio conuertendis, vel saltem in annos aliquot protelandis.

CAPVT XIIII.

His diebus ad Europæ Principes Epistolæ senis montani venerunt; sic enim non pro ætate, sed quasi pro sapientia & grauitate per successiones se nuncupat Princeps cuiusdam gentis Orientalis, quam Hansesifios vocant. Cuius Principis vel gentis supra plenius notitiam fecimus, cum interitum Conradi Marchionis de monte Ferrato, qui ab eis interfectus creditur, exponeremus. Erant autem eædem Epistolæ scriptæ litteris Hebraicis, & Græcis & Latinis, erantque scriptæ non atramento, sed re multum inusitata, sanguine scilicet muricis, sicut ipsæ indicabant. Has nimirum se vidisse atque legisse vir fide dignus mihi protestatus est, cum Regi Francorum Parisiis solemniter fuissent oblatæ, quarum continentia hæc erat. Vetus de monte Principibus, & omni populo Christianæ religionis salutem. Quoniam audiuimus illustri Anglorum Regi Richardo necem Marchionis de monte Ferrato a pluribus imputari, tanquam eius machinatione ob quandam inter eos exortam simultatem interfectus sit, cum vterque esset in Orientis partibus constitutus, nostræ honestatis interest ad purgandam eiusdem Regis famam falsi criminis suspicione denigratam, huius rei veritatem, quæ hactenus vos latuit, declarare. Nolumus alicuius innocentiam nostri operis occasione laborare, cum nulli immerito & insonti mali quippiam irrogemus, eos vero qui in nos deliquerint, Deo auctore, non patimur diu de illatis simplicitati nostræ iniuriis gratulari. Significamus igitur vniuersitati vestræ, ipsum testantes, per quem saluari speramus, quod nulla memorati Regis machinatione Marchio ille interfectus sit, qui profecto pro eo, quod in nos deliquerat, & admonitus emendare neglexerat, nostra voluntate vel iussione per satellites nostros iuste interiit. Consuetudinis quippe nostræ est eos, qui nobis vel amicis nostris in aliquo iniuriosi exstiterint, primo vt nobis satisfaciant commonere, quod si contempserint, per ministros nostros, qui tanta nobis deuo-

tione obtemperant, vt se a Deo gloriose remunerandos esse non dubitent, si mandatum nostrum exequendo occubant, seueritatem vltionis expetere. Audiuimus etiam de prænominato Rege vulgatum, quod nos tanquam minus integros & constantes induxerit, vt de nostris aliquos Regi Francorum insidiaturos emitteremus: Quod proculdubio falsum & vanissimæ suspicionis commentum est, cum nec ipse Deo teste tale aliquid circa nos attentauerit, nec nos homini immerito malum moliri, respectu honestatis nostræ, sineremus. Bene valete. Has denique litteras cum coram se solemniter recitatas Rex Francorum audisset, dixisse fertur, Regem Anglorum de tam infami nota præclare purgatum, seque cum illo haud difficulter de cetero posse fœderari, cum in eum nulla causa alia fortius quam concepta suspicione de nece amicissimi Marchionis exarserit: Hæc dicens causam subticuit, qua nimirum propensius eo tempore ad ineundum cum Rege Anglorum fœdus mouebatur. Quippe, vt dicitur, ad germanæ eius, quæ Siculi Regis compar exstiterat, nuptias aspirabat, quibus tamen potitus non est. Plures enim fœminæ nobiles, Danæ puellæ, (cui post vnam noctem initi fœderis turpiter abiectæ cum multo scandalo libellum repudij dederat,) exemplum verentes, eius aspernabantur coniugium. Denique præter filiam Comitis Palatini, de qua superius memoratum est, etiam alterius nobilissimæ virginis, de imperio Teutonico, exoptatis expectatisque fraudatus est nuptiis, hoc modo. Cum eam alius vir potens expetisset, parentibus regiam magis petitionem admittentibus, ad Franciam pompatice ducebatur, transiensque per fineis proci prioris eius se manibus sponte iniecit: A quo volens retenta, & solemniter ducta, regia vota delusit. Præterea Rex Danorum repudiatæ sororis dedecus ægre ferens, diuortium non rite celebratum, sed concinnatum mendaciter, in gratiam Regis Francorum, per responsales idoneos in audientia sedis Apostolicæ allegauit, & digesta præcedentium temporum serie, astruens Reges Francorum & Danorum nulla se consanguinitate vel affinitate contingere, de concinnato in fraudem diuinæ sanctionis diuortio iudicium fieri pertinaci instantia postulauit. Verum id frustra, cum Regis Francorum vel metus vel gratia plus valeret. Denique postmodum idem Rex absque omni diuini timoris, vel Ecclesiastici vigoris obstaculo, cuiusdam Ducis Teutonici filiam duxit vxorem, si tamen vxorem, cum pellex potius fuisse videatur, & superducta magis quam ducta.

CAPVT XV.

Finitis igitur induciis cum corda Regum ad concordiam facile emolliri posse crederetur, causis rursum ingrauescentibus, eorum, instigante diabolo, rediuiuus furor excanduit, elanguitque omnis spes pacis. Erat autem hyems, & dominici natalis solemnis expectatio, quæ aduentus Domini dicitur, erat in ianuis. At neque rigor, neque religio temporis, quicquam aduersum malitiam nocendi auidam valuit, rapinis, cædibus, incendiis populus atterebatur Christianus, poteratque apud Dominum Dominorum de suis Principibus iustissime conqueri & dicere; Quem tu percussisti persecuti sunt, & super dolorem uulnerum meorum addiderunt. Eo namque tempore sub disciplina Domini desudabat, & nondum auersus fuit furor Domini, sed adhuc manus eius extenta. Denique famis validæ, quæ totam fere premebat Europam, annus iam tertius, duobus præcedentibus grauior agebatur. Cum ergo hinc inde hostilis immanitas debacchari cœpisset, Rex Francorum explorato, quod Rex Anglorum aliis esset intentus, Isondunum opidum obsedit, sperans se eo expugnato potiturum, antequam hostis remotior posset accurrere, sed spe sua frustratus est. Inuenit enim opidum cibis armisque sufficienter munitum. Cumque muris imminens, vt defensoribus terrorem iniiceret, se non inde nisi expugnato opido discessurum, petulanti vanitate iuraret, viri virtutis stantes super murum, clara fiducia, vt dicitur, non sunt cunctati iurare in contrarium; fit per dies aliquot expugnatio vehemens sed expugnantibus damnosa magis. Interea Rex Anglorum accepto nuntio impiger aduolat, iussas sequi copias cum expeditioribus antecedens; opidum securus ingreditur, obsessore ne tentante quidem illi prohibere ingressum, sed potius adornante discessum, mox

turmas ad pugnandum dispositas, ingenti animo educit in campum. Franci vero cum se viribus impares cernerent, animis elanguere. Poterat sane dies illa longi certaminis declarare victorem, nisi Francorum sibi prudentia cautius prospexissent. Cum enim ad dimicandum minus sufficerent, & fugam ingenue detrectarent, hostem quoque ferocem, si forte vel cum fugæ dedecore tentarent euadere, in propriis finibus a tergo vrgentem vix possent effugere, Dominum suum salubriori consilio impulere, vt vel in arcto positus certo belli discrimine declinato honestam dignaretur pacem amplecti; qui nimirum in sui exercitus, qui facies conuersas tanquam recedens habebat, extremo agmine erat, quod fortius cautiusque instructum erat contra faciem insequentis. Porro Rex Anglorum in fronte sui exercitus gradiebatur. Cuius colloquium cum Rex Francorum per viros nobiles expetisset, sicut erant armati in equis, occurrerunt sibi mutuo inter duos exercitus modico interuallo distantes, & colloquij exitum stando præstolantes. Itaque soli absque arbitris diuscule collocuti, in conspectu vtriusque exercitus capitibus exarmatis sese in mutuos dedere amplexus. Concordiam principum ingens incruentorum exercituum lætitia sequitur, pacis dulce nomen sonoris vocibus inculcatur. Facta sunt hæc Deo propicio Nonis Decembris, & populi cum gaudio rediere in sua, intentionem bellicam, ad pacis studia & Dominici natalis in proximo celebranda solemnia conuertentes. Principes vero formam pacis quam inter se secreto statuerant, apud se continebant, suo tempore declarādam. Quippe non poterant, prout decebat, ad tantæ rei confirmationem, nisi iam expletis natalis Dominici gaudiis, iterum solemniter conuenire.

CAPVT XVI.

ANNO a partu virginis M. C. nonagesimo sexto, iam ingresso mense Ianuario, iidem Principes cum magna nobilium frequentia in terrarum confiniis ad solemne colloquium conuenere. Vbi declaratum est & consensu publico confirmatum, quod inter se sub clypeo egerant. Rex enim Francorum resignauit Regi Anglorum Archas, Augum, Albemarlam, Castellum nouum, & cætera, quæ de iure eius tempore Alemannicæ detentionis vsurparat, excepto Gilortio, cum quibusdam aliis castellis, pro quibus, Rege Anglorum conniuente, retentis, Rex Francorum sponte remisit Regi Anglorum, quicquid de iure eius forte bellica occuparat, scilicet Burgum Turonense, beati Martini corpore insigne, Isondunum opidum, aliasque in Bituricensi prouincia munitiones plurimas. Statuta quoque pœna præuaricatoris pactorum, caute prouisum est, ne quod in posterum inter Principes scandalum oriretur. At omnis cautela minor fuit ad pacis propositum solidandum, vti post modicum claruit. Denique Rex Francorum pœnitentia ductus, & succensens suis, qui pacis ei consilium dederant, ad rescindēdam quam tenendam pacem procliuior fuit. Rex quoq; Anglorum pro suorum finium vel modica mutilatione, nulla compensatione contentus, irritandi Regem Francorum, vt pacem infringeret, ex ipsa, vt dicitur, præscriptæ pacis formula occasionem, artemq; inuenit. Rursus ergo bellicæ intentionis inter Principes rabies exarsit, cuius tamen motibus, vel quadragesimalis & Paschalis religio temporis, vel solito maior & diuturnior aëris inclementia, vel fames per prouincias supra modum deseuiens obstitit, vt iidem Principes amicis suadentibus refractum pro tempore furorem suspenderēt, & tempus, quo solent Reges ad bella procedere, mediantibus induciis expectarent. Acuebat autem Regem Francorum ad experiendam iterum belli fortunam tumultuantium eo tempore contra Regem Anglorum turbatio Britonum, qui puerulum sibi Arturum sub magno huius nominis omine nutriebant. Cum enim idem Rex eiusdem nepotis sui tunc decennis vsque ad annos legittimos tutelam exposceret, quo sibi Britanniam aduersus casus externos arctius obligaret, primi Britonum magis quadam suspicione, quam cautela idipsum non ferentes, & pro ipso puero fortiter æmulantes, cum eo a facie patrui imminentis ad interiora Britanniæ secesserunt. Verum huius Britannici tumultus progressus, & exitus suo loco plenius exponetur.

CAPVT XVII.

IPSO tempore Rex Richardus de partibus Transmarinis misit in Angliā Abbatem

Lundoniensem, indulta ei potestate in iis, quæ fisco cōpeterent, subtilius atque districtius exquirendis. Erat autem idem Abbas mediocriter quidem litteratus, sed in temporalibus egregie prudens & eloquens. Prudens (inquā) iuxta illud, filij huius seculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua, quippe ex claustrali disciplina assumtus ad monasterij regimen, cū iuxta Apostolū nemo militans Deo implicet se negotiis secularibus, actionem muneris secularis suffugiendo lucis esse filius debuit, quā vtique ambiendo & amplectendo, filiū se huius lucis declarauit, dum vel minus attenderet, vel nollet intelligere, vt bene ageret, quantum peccatrix illa actio a professione monachi & Abbatis officio discreparet. Denique frequentibus obsequiis nactus amicitiam Principis: sub prætextu fidei & deuotionis, vt dicitur, suggerendū ei putauit, fraude officialiū Regiorum ærario eius plurimum deperire, qua nimirum deprehensa & castigata absque omni prouincialium grauamine duplicia posse fisco accedere. Quibus verbis Princeps, aurem libenter accommodans, rogauit eum hanc operam sumere, & cum potestate in Angliam trāsfretare. Ille regiam vel petitionem vel iussionē deuote amplexus monasterij cura postposita, venit Lundonias, vbi Cantuariēsi Archiepiscopo, qui regni curā gerebat, & regiam voluntatē, & suam in executione voluntatis regiæ potestatem intimauit. Quæ nimirū licet idem Cantuariensis minus approbaret, refragandū tamen nō duxit, quo minus ille munus exequeretur iniunctū. Mādato igitur regio per vniuersam Angliā discurrente, vti prouinciarū præsides ad diem certum Lundonias occurrerent, de administrationibus suis rationē corā memorato Abbate reddituri, ipse interim gloriosus & potestatē ostentans quadragesimali tempore sedit Lundoniis, Paschalia gaudia non visurus, nec cum eis, quos euocauerat, rationē post Pascha positurus, sed ante Pascha rationē superno iudici de propriis actibus redditurus, quanto paratior ad rationem cum aliis ponendam, tanto imparatior ad rationē pro se reddendā. Paucis quippe diebus elapsis, postquam Angliam introiit, de mundo exiit. Porro illi, qui introitum eius expauerant exitum eius non fleuerunt.

CAPVT XVIII.

SANE Lundoniis inter memorati Abbatis exitum, & cuiusdam, qui nuper emerserat gaudia molientis exitium, pauci admodū fluxere dies. Neuter enim fatis vrgētibus Paschalia gaudia vidit, dum sors extrema modico interuallo diuideret, qui similitudine vel causæ, vel propositi consonare videbātur. Abbas enim, vt cōmoda regia cū quiete prouincialiū quæreret, fraudē atque effrænem auaritiam officialiū Regiorum castigandam esse censebat. Iste vero cum ciuis esset Lundoniensis, sub obtentu quasi fidelitatis Regiæ causam se agere pauperum ciuium, contra insolentiam diuitum astruebat, fortiter allegans (nam facundissimus erat) quod ad omne edictū regiū diuites propriis fortunis parcentes, pauperibus per potentiam omne onus imponerent, & ærariū Principis multa summa fraudarēt. Hic nimirū Lundoniis oriundus Guillelmus dicebatur, agnomen habens a barba prolixa, quam ideo nutriebat, vt hoc quasi insigni in cœtu & cōcione magis conspicuus appareret: qui, cū esset ingenio acer, mediocriter litteratus, eloquens supra modū, viua quadā animi & morū petulantia nomen sibi grande facere volens, moliri noua & audere ingentia cœpit. Deniq; inhumana & impudēs actio eius in proprium germanū, signum est vesaniæ nequitiæque eius in ceteris. Erat autē ei frater senior ciuis Lundoniensis: a quo, scholis dum vacaret, consueuerat ad vsus necessarios petere atque percipere solatia sumtuum. Cumque iam grandior atque in expensis profusior, ea sibi quereretur remissius ministrari, precibus, quod minus poterat, cōminationum terroribus tentauit elicere. Vbi hoc frustra tentatum, eo quod frater circa domus suæ curam occupatus, illi satisfacere minus sufficeret, tanquam in vltionem sæuiens exarsit in scelus. Post tanta quippe fratris beneficia fraterni sanguinis sitiens, proditionis regiæ crimen illi opposuit, aditoque Principe, cui se pridem vel arte, vel obsequio commendarat; quod frater suus in animam eius coniurasset coram eo proposuit, tanquam suam in hac re circa Principem deuotionem declarans: qui nec fratri pro fide eius parceret. At hoc derisum est a Principe, inhumanissimi hominis malitiam forsitan exhorrente, & tanta naturæ iniuria pollui iura non sinente. Hic nimirum fauore quorundam nactus in vrbe locum aliquem inter magistratus, cœpit paulatim concipere

dolorem, & parere iniquitatem. Quippe duobus magnis vitiis stimulantibus, superbia scilicet atq; inuidia, quarum prima est appetitus excellentiæ propriæ, secunda vero odium felicitatis alienæ, quorũdam ciuium siue optimatum, quibus se imparem cernebat, fortunas, gloriamque non ferẽs, dum aspiraret ad grandia, sub prætextu iustitiæ & pietatis in ausus impios cõspirauit: deniq; clandestina opera, & venenatis susurris apud plebem insolentiam diuitũ & potentum, per quam ipsi indigne tractarentur, sugillans, inopesque & mediocres ad immoderatæ libertatis & felicitatis amorem inflammans, adeo sollicitauit plurimos, & quibusdam quasi præstigiis fascinatos ita sibi deuinxit, vt ad eius in omnibus nutum penderent; ipsi, tanquam omniũ prouisori, quæcũque iuberet, incunctanter in omnibus obtemperare parati. Facta est igitur Lundoniis, tanquam zelo pauperum contra insolentias potentum, coniuratio valida. Fuisse autẽ fertur coniuratorum ciuium numerus, ascriptis (vt postea claruit penes ipsum nefariæ molitionis artificem) nominibus singulorum, quinquaginta duo milia; ferramentorum quoq; ingens copia, ad effringendas domos munitiores præparata, penes eũdem latebat, quæ postea reperta malignissimæ machinationis argumentũ fuit. Tanto itaq; fretus consciorũ numero, tãquam zelando pro plebe pauperũ, & nihilominus sub prætextu regij cõmodi, cœpit in omni cœtu nobilibus in faciẽ resistere, & quod eorũ fraude fisco plurimũ deperiret, potenti eloquio allegare. Cumq; propter hoc contra eum indignarentur & fremerent, deploraturus apud Principem, quod pro eius fide potentum inimicitias atque calumnias pateretur, transfretandum putauit; reuersusque ad suos, *calliditate* solita cœpit de cetero, tanquã regio fauore subnixus, fiducialius agere, & proprios complices fortius animare. Cumque iam initæ conspirationis suspicio rumorque crebrescerent, Dominus Cantuariensis, cui principaliter regnũ erat commissum, non vlterius dissimulandũ ratus, conuocatã plebem blande alloquitur, natos rumores replicat, ad omnem suspicionẽ tollendam obsides, pro fide, Domino Regi, & pace seruanda dari monet, blandiloquio eius populus placatus obtemperat, obsides dantur. Nihilominus homo illis cœptis insistens vallatus turbis pompatice procedebat, cõuentus publicos auctoritate propria faciebat, Regem se, vel Saluatorem pauperum, arroganter vocitans, & frænandam a se in breui perfidorum insolentiam grãditer intonãs. Sane ex eo, quod viri veracis narratione didici, dicentis se ante dies aliquot concioni eius interfuisse & concionãtem audisse, fastus sermonũ eius elucet: Sumto enim vel themate vel testimonio de scripturis sacris ita exorsus est: Hauriẽs aquas in gaudio de fontibus Saluatoris; quod ad se deriuans, Saluator, inquit, pauperum ego sum. Vos pauperes duras diuitum manus experti haurite de fontibus meis aquas doctrinæ salutaris, & hoc cum gaudio, quia venit tempus visitationis vestræ. Ego enim diuidam aquas ab aquis. Aquæ populi sunt. Diuidam populũ humilem & fidelẽ a populo superbo & perfido: diuidam electos a reprobis, vt lucem a tenebris. Itaque cum datum illi esset os loquens ingentia, habensque cornua similia agni, loqueretur vt draco, memoratus regni moderator de consilio Procerum euocauit eũ satisfacturum de obiectis. Qui opportune affuit turbis ita vallatus, vt euocator eius territus mollius ageret, & pro declinando periculo caute iudicium protelaret. Explorato igitur per duos ciues nobiles tempore, quo inueniri posset sine turbis, præsertim iam cum populus propter periculum obsidum quietius ageret, cum eisdem ciuibus ad capiendum eum armatã manũ emisit. Quorũ vnũ propius insistentẽ ipse arrepta bipenni mactauit. Illico cũ paucis suorũ & cõcubina inseparabiliter adhærente in vicinam ecclesiam beatæ Mariæ, quæ dicitur de Archis, cõfugit, eaque ad tempus, non tanquam Asylo, sed tanquã castello tueri se voluit, frustra sperãs populum mature affuturum, qui nimirũ etsi de ipsius periculo doluit, tamẽ vel respectu obsidum, vel metu loricatæ multitudinis ad ereptionem non accurrit. Audito enim, quod ecclesiam occupasset, militares eo copias ex vicinis paulo ante prouinciis accersitas regni administrator direxit. Iussus ergo egredi & iudicio sisti, ne locum orationis speluncam latronum facere videretur, coniuratorum accursum frustra exspectare maluit, donec oppugnata ecclesia igne & fumo cum suis egredi cogeretur. Egredientẽ autem filius ciuis, quem peremerat, prior occurrens, in vltionem paterni sanguinis cultro illi ventrem dissecuit. Captus itaque & iuri exhibitus, iudicio Curiæ regiæ prius

equis distractus, ac deinde patibulo appensus est cum sociis nouem, qui illi deesse noluerant. Sic, iuxta quod scriptum est, Qui fodit foueam, incidet in eam, & qui dissipat sepem, mordebit eum coluber; tantorum incentor, artifexque malorum dictāte iustitia periit, & nefariæ conspirationis cū suo auctore rabies exspirauit. Et illi quidem, quibus sanior, cautiorq; mens fuit, lætati sunt, cum viderent vel audirent vindictā, lauantes manus suas in sanguine peccatoris. Porro coniurati & nouarū aucupes rerū, extinctum planxere vehementer, disciplinæ publicæ circa eum vigori derogantes, & regni prouisorem, tanquam homicidam pro supplicio pestilentis & homicidæ lacerantes.

CAPVT XIX.

Qvantvm autem homo ille audendo & moliendo ingentia animos sibi conciliauerit impiorum, & quantum etiam plebem deuinxerit, tanquā pius & prouidus pro ea æmulator, etiam post interitum eius claruit. Quippe vt ab eo puniti per leges dedecus coniuratoris abstergerent, & damnatores eius impios comprobarent, arte illi martyris nomen & gloriam quæsierunt. Deniq; (vt fertur) quidam sacerdos propinquus eius cathenam, qua vinctus fuerat, febricitāti supposuit, & salutem mox consecutā impudenti vanitate confinxit, quo vulgato, populus insipiens hominē indigna passum, pro iustitia & pietate occubuisse credidit, & tanquam martyrē venerari cœpit. Patibulum quo suspensus fuerat, vt occultis honori haberetur, de loco supplicij furto nocturno sublatum est; terra quoque supposita, tanquam sanguine consecrata suspensi, veluti aliquod sacrum in vsus curationum vsque ad fossam non modicam per minutias a fatuis est abrasa. Fama mox late dispersa, stultorū, quorum, vt ait Salomō, infinitus est numerus, & curiosorum greges confluebant ad locum, quibus etiā aggregabantur, qui forte ex diuersis Angliæ prouinciis pro negotiis propriis Lūdonias aduentassent. Excubabat itaque ibidem iugiter insulsa multitudo, quātum honoris defuncto impendens, tātum etiam criminis illi, per quem absumtus videbatur, impingens. Tantumque inualuit error vanissimus, vt etiam prudentes, tanquā fascinatos rumoribus irretire potuisset, nisi ea, quæ de homine illo compererant, cautius ad memoriā reduxissent. Excepto enim eo, quod paulo ante exitium (vt supra expositū est) homicidiū perpetrauit, quod vtiq; vel solum ad hoc, ne pro martyre, propter supplicium, haberetur, cordato cuilibet sufficere debuisset; ipsius sub ipsa morte cōfessio eorum frontes, qui talem sibi martyrem fecerāt, iusto, si haberēt in corpore sanguinem, debuit rubore perfundere. Quippe vt a viris fide dignis accepimus, in ipso supplicio, quo absumtus est, cum a quibusdam moneretur, vel sero humili peccatorum confessione dare gloriam Deo, confessus est, sed ecclesiam illam, quam a facie insequentium cum propria cōcubina fuerat ingressus, in illa mora, quam ibidem sub inani exspectatione auxilij fecit, semine polluisse, & quod lōge maius est, ipsoque dictu horrendum, cum iam hostes nullo subueniente irrumperent, diabolum, vt vel ab ipso liberaretur, inuocasse. Inficiabantur quidem iustificatores eius, atq; in præiudicium sui martyris maligne conficta dicebant. Porro hanc litem diremit fabricatæ vanitatis in breui occasus. Veritas quippe solida est, & tempore conualescit, concinnata vero falsitas nil habet solidum, sed in breui euanescit: igitur regni administrator, in sacerdotem illum, qui totius superstitionis caput exstiterat, digna ecclesiasticę seueritatis præeunte vindicta, armatorum globum emisit, qui & rusticam multitudinem fugarent, & si qui forte ibidem persistendum ducerent, comprehensos Regis carceri manciparent. Armatam quoque in ipso loco custodiam iugiter obseruare præcepit, quæ non solum ad supplicationes adueniens vulgus arceret insulsum, verumetiam curiose diuertentium inhiberet accessum. Cumque hoc per dies nō multos fieret, tota illa concinnatæ superstitionis machina funditus concidit, & popularis opinio conquieuit.

CAPVT XX.

Sane Rex Anglorum paulo ante obsides suos apud Teutonicum Imperatorem relictos absolutos receperat, persoluta illi pactæ redemtionis summa. Quibus receptis dixisse fertur a captiuitate Alemannica tunc primo sibi se redditum. Liberatus itaque ab exactione tam graui, intentione integra bellicis negotiis insistebat, de reuersione in Syriam, cui se inde rediens deuouerat, nihil, vel tepide, cogitans. Sed nō illi hoc impu-

tetur. Necessitate siquidē, quam primo per Imperatorē Teutonicū, ac deinde per Regem Francorū patiebatur, apud sobrios iudices facile excusatur. Porro idē Imperator, vt quasi expiaret, quod in Christianū Principem ab Oriente reuertentem, tam fœdæ auaritiæ instinctu cōmiserat, & pecunias, quibus Angliam nudauerat, piis vsibus applicaret, Orientalis ecclesiæ miserādis reliquiis subuenire decreuit. Considerabat etiā per se actum, quod duo illi magni Reges, relictis quæ Christi sunt, sua tantum quærerent, & feralibus in alterutrum odiis debacchādo vireis more tyrānico frangerent Christianas. Cupiens ergo hanc iacturam religiosa opera compensare, anno a partu sacræ virginis M.C.X C V. circa solemnitatem beati Andreæ Apostoli, conuocatis apud Wormaciam primis imperij ecclesiasticis pariter laicisque personis, & deuotione propria cunctis declarata, ad æmulandum pro Christo sublimi exemplo prouocauit plurimos. Denique sedente eo solemniter in Cathedrali ecclesia cōtinuis octo diebus, & considente, qui ad hoc ipsum venerat, Apostolicæ sedis legato, cum omni frequentia inclytorum, his, qui sapientia, dignitate & facundia præcellebant, per dies singulos in auribus Christianæ multitudinis potenti eloquio declamantibus, tantus fidei & deuotionis in animis audientiū feruor incanduit, vt fas esset dicere, digitus Dei est hoc. Magnis Præsulibus, & præclaris Ducibus cum multitudine virorum fortium Dominicum characterem per dies singulos certatim sumentibus, ipse quoque Imperator paratus fuit eodem signo cū ceteris insigniri. Verū hoc ab omnibus altiori consilio dissuasum est, allegantibus Christianæ expeditioni conducere, vt in imperio manens de victualibus progresso exercitui pro tempore transmittendis propēsiori cura satageret, &, cū res posceret, laborantibus supplementa militiæ mitteret. Itaq; secunda in Syriam Germanicarum atque Italicarum gentium expeditio totis viribus parabatur, cum Reges nostri, nil sanum aut sobriū meditantes, proprio tantū in multorū discrimen indulgerent furori.

CAPVT XXI.

His diebus orta est dissensio inter Regem Richardū & Galterium Rothomagensem Archiepiscopum, tanto fœdior, quanto maiori prius videbantur amicitia cohærere. Idem enim Pōtifex eidē Principi & ante Regnum, & in regno deuotus semper & fidelis exstiterat, eiusque sibi animum multis & præclaris obsequiis obligarat: Denique ipso Orientalem expeditionem ingrediente, domi pro officio residere non passus, ne illi vel ad tempus deesset, animo subeundi quælibet cum eo discrimina, vsq; in Siciliam vna progressus est. Rex vero idem audiens tyrannicos mores Eliensis Episcopi, cui regni custodiam regimenque crediderat, remisit eum in Angliam, datis memorato Episcopo mandatis, vt eum in administratione regni per omnia collegam ascisceret. Verum ab homine singularem gloriam amante ad collegium non admissus, sustinuit siluitque ad tempus. Illo vero post modicum a regni nobilibus, fastum eius non ferentibus, fortiter debellato atque ignominiose expulso, iste voto & decreto generali susceptam regni curā laudabili moderamine gessit. Cūq; post diutinam in Germania detentionem, pactis tādem cum Imperatore celebratis, mature liberandus speraretur, deuotū sibi Præsulem accersendum putauit, eumque non inuitum apud Imperatorem pro summa nō modica obsidē reliquit. Rege vero in regnū regresso, bellicisque intento negotiis, idem Pontifex in gratiam eius Imperatori de proprio, vt dicitur, satisfaciens, ad propria cum gloria remeauit. Verū Princeps bellica quadam necessitate, quæ plerunque & amicis nō parcit, minorem illi gratiam, quam sperabat, impēdit, præsertim cum Eliensis Episcopus ad auriculam Principis frequenter pro officio positus (nā Cancellarius erat Regius) illi apud Principem plurimum derogaret: Infestus quippe illi erat causa superius memorata. Exasperatus ergo Pontifex propter quædā de iure ecclesiæ suæ a Rege præsumta, cum Rex bellicam necessitatē obtendens nequaquā illi ad præsens satisfaceret, sed bellis cessantibus satisfactionem promitteret, Apostolicæ sedis iudiciū appellauit, & suspensis in sua Dioecesi diuinæ laudis organis Romam cōscendit. Responsales quoque regij e uestigio secuti in conspectu summi Pontificis in faciem illi restitere: ea quidem, quæ ab eo contra Regem proponebātur minime inficiantes, sed necessitatem Regiam verbis ad deprecandū compositis excusantes. Tunc summus Pontifex actori dixisse fertur: Nota est orbi terrarum iniusta Regis Anglorum vel captiuatio ab Oriente

(vbi Christo militauerat) cum signo eiusdem militiæ reuertentis, vel spoliatio, graue & diutinum sub cathena Alemannica tædium patientis. Debuit ergo tua discretio pro tempore dissimulare, etiam si maiora, quam proponis, ratione necessitatis bellicæ attentasset. Hæc dicens Principi quidem tanquam fatigato iniuriis, & iustum bellum gerenti, morem gerere studuit: Pontificem vero alias delinitum atque placatum ad propria remisit.

CAPVT. XXII.

ANNVS a partu Virginis M. C. nonagesimus septimus vertebatur, & furor Principum minime deferuebat, tanquam iuuans manum Domini, iramque eius accumulãs super populum Christianum. Nam famis validæ, quæ Galliæ, Angliæque Regiones vehementer augebat, annus iam quintus currebat. Sane Rex Francorum, qui anno præcedenti fortius egisse videbatur, cœpit remissius agere, & fineis proprios mollius tueri. Rex vero Anglorum paulatim augebatur viribus & prosperabatur magis. Denique vicũ insignem (qui dicitur sancti Walarici) repente aggressus, potenter effregit, portum commeatibus abundantem obtinuit, opes abstulit, munitionẽ euertit, præda onustus abiit. Nec multo post in pago Belluacensi castrum, quod Miliacum dicitur, per suos expugnauit, moxque thesaurum repetit, id est successum spe maiorem. Belluacensis enim Episcopus, homo ferocis animi, & propinquitate regia inclytus, audiẽs Miliacum oppugnari, sumtis propere armis, non suis, id est, militiæ secularis non spiritualis, cum armata multitudine contra hostes audacter egressus, & fortiter cum eis cõgressus, bellicosus magis Pontifex, quam religiosus apparuit, sed fortunã non recte culpauit. Nam iudicio Dei victus, captus & vinctus, cum quibusdam aliis nobilibus, Regi Anglorum, cui tam in Orientali expeditione & Alemãnicis vinculis cõstituto, quam regresso ad propria, supra modum infestus exstiterat, gratissimum munus oblatum est. Cumque Rothomagi vinctus seruaretur, duo, vt dicitur, ex familiaribus clericis eius supplices ad Regem venerunt, postulantes gratiam, vt sibi liceret domino suo in vinculis ministrare. Quibus ille, vos, inquit, iudicate inter me & dominum vestrũ: Vt enim quæ mihi vel intulit vel molitus est mala obliuioni tradantur vsque ad vnũ, certe ab Oriente rediens, & detentus ab Imperatore Romano, respectu personæ Regię mollius tractabar, & cum decenti honore seruabar; superueniens autem idem Dominus vester vespere, cuius rei gratia venerit, & apud Imperatorem nocte quid egerit, expertus sum mane. Aggrauata est enim super me manus Imperatoris, tantoque mox oneratus sum ferro, quantum asinus vel equus vix ferre posset. Iuste ergo discernite, qualem Dominus vester habere custodiam debeat apud me, qui talem mihi fecit apud detentorem meum. Clerici vero ad hæc non habentes quod dicerent, frustrati abierunt. Bellicosus itaque Pontifex seruabatur in vinculis, & tractabatur ab hostibus mitius forte quam meruerat, sed plane durius, quam Episcopum decebat. Interpellauit autem per suos Romanum Pontificem, vt ecclesiastici vigoris instantia liberaretur de manibus detentoris. Idem vero summus Pontifex prudenter cõsiderans, quod Rex Anglorum Episcopum non prædicantem, sed præliantem cepisset, & rigidum magis hostem, quam pacificum Præsulem teneret in vinculis, vt vinctum relaxaret, illi molestus esse noluit, sed interpellanti sapienter & discrete respondit, improperans, quod secularem militiam ecclesiasticæ prætulisset, & pro baculo pastorali lanceam, pro mitra galeam, pro alba loricam, & clypeum pro stola sumsisset, & gladium ferreum pro gladio spiritus, quod est verbum Dei, negansque se pro eo imperaturum Regi Anglorum, sed opportune supplicaturum pollicens. Vinctus itaque Pontifex relaxationem suam citra Regum concordiam desperabat, atque ideo pacem, quam prius incentor belli oderat, in illo vinculorum tædio iugi desiderio suspirabat.

CAPVT XXIII.

EODEM tempore defecerunt a Rege Francorum quidam regni eius potentes, illatis ab eo iniuriis irritati, iunctique Regi Anglorum vireis eius auxerunt, & ab eo vicissim robur acceperunt. E quibus Comes Flandrensis dolens se a Rege Francorum iuris hæreditarij dimidia fere parte fraudatum, Regis Anglorum pecuniis roboratus, nobile oppidum, quod dicitur Duai, obsessum deditione recepit, quasdam etiam munitio-

nes alias occupauit. Quibus successibus confortatus crescente fiducia, ciuitatem Atrebatensem obsedit. Sane tunc Reges tanquam ex industria mutuum deuitantes occursum, locis diuersis exercebantur. Et Rex quidē Anglorum in pago Bituricensi munitiones aliquot expugnauit. Rex vero Francorū munitionem Dangu nominatam, quæ ab ipso paulo ante defecerat, castris circumdedit; qua mature dedita & euersa memoratæ vrbis obsidionem soluere festinauit. Obsessor autem eius aduentu præcognito obsidionē deseruit, hostemque superbum ad persequendum cedendo accendens, dum a tergo incautius progressi cōfractis omnibus pontibus difficilem vel illi reditum, vel exercitui eius cōmeatum facere studuit, arte quam viribus plus effecit. Cumque amicis mediantibus inter parteis de pace tractaretur, oblatam Comes pacem nec respuit, nec absolute amplexus est, ostendens se Regi Anglorum sufficientem per obsides idoneos præstitisse, atque ab eo vicissim accepisse, cautionem, quod neuter eorū sine altero bellum pace mutaret. Pactis tamen inter partes formatis, consensu Regis Anglorum pro tempore sanciendis, Rex Francorum ad propria rediit. Comes vero cum festinatione adiit inuitandum ad honestæ pacis consensum Regem Anglorum. Itaq; reges tantum iam pacis auidi, quantum bellici laboris pertæsi, cum Optimatibus suis atq; omni frequentia subditorum ad solemne in terminis colloquium conuenerunt; ubi de plena quidem pace minus actū est, eo quod animi Principū a longa inueterati odij passione difficile sanarentur, sed inducias vnius anni & quatuor mensium, tanquam arram futuræ pacis, inter se statui maluerunt, adiicientes in pactis, Vt negotiantibus regiones essent peruiæ, mutuisq; prouinciæ gauderent solatiis, & ut captiui vtrimque competēti & tolerabili redemtione relaxari mererentur. Soluto conuentu, militantibus facultas data est ad propria remeandi, & fessæ malis prouinciæ pausam modicam cum magnis gratulationibus susceperunt.

CAPVT XXIIII.

Eodem tempore illustris Rex Richardus & Gualterus Rothomagensis Archiepiscopus post longā simultatem modestiori studio veterē inter se amicitiā reformarunt, cum & Pontifex in gratiā Principis iure suo cederet, & Princeps Pōtifici satisfaciēs pro iis, quæ de iure Rothomagensis Ecclesiæ ratione necessitatis bellicæ vsurpasse videbatur, iustam cōmutationem daret. Cum enim apud vicū, qui Audelaicus dicitur, & erat patrimoniū Rothomagensis ecclesiæ, idē Rex locū notasset, castro pro tuitione Normanniæ ad Sequanam flumen cōstruēdo, aptissimū, timens ne forte idem locus ad hoc ipsum hostiliter occuparetur a Rege Frācorum, eundem duxit præoccupandū. Cœpit ergo ibidem, natura loci mirabiliter iuuante opus humanum, profusis ædificare sumtibus castrū firmissimum cōtra faciem Regis Francorū, memorato Pontifice antiquum ecclesiæ suæ patrimoniū hoc modo sibi præripi æquanimiter non ferente; Francis vero videntibus & irascentibus, & contra opus æmulum, quod impedire nō poterant, frustra frementibus. Eundem ergo Archiepiscopum Princeps postmodum digna compensatione placauit, virum scilicet litigiosum, famoso illo vico maritimo, qui Depa dicitur, Ecclesiæ Rothomagensi cōmutans. Quo facto, quanto meliori conscientia, tāto & hilariori fiducia & feruentiori studio operi deinceps inchoato insistens, quantum ex hoc muniminis propriis in reliquum finibus præparauit, tantū etiam ex hoc ipso hostilem ferociam exulcerauit. Sane in loco illo, cū magna illa ædificatio fieret, rem prodigiosam contigisse ferunt. Nam sicut quidam non ignobiles, qui se interfuisse asserunt, protestantur, mense Maio paulo ante Dominicæ Ascensionis solemnia, cum Rex adesset & opus vrgeret, (nam sæpius ad disponendū vrgendumque opus aderat, & conspectum proficiētis operis pro magna voluptate habebat) repēte imber sanguine mixtus descendit, stupentibus cum ipso Rege cunctis qui aderant, cum & in suis vestibus veri sanguinis guttam conspicerent, & rem tam insolitam malum protendere formidarent. Verum ex hoc idem Rex non est territus, quo minus operi promouendo intenderet, in quo sibi (ni fallor) ita complacebat, vt etiam si Angelus de cælo id omittendum suaderet, anathema illi esset.

FINIS.

IOANNIS FROSSARDI HISTORIARVM EPITOME,

Ab I. S. collecta, & Latinitate donata.

EX PRIMO VOLVMINE, HISTORIAE OMNES MEMORABILES, ET LECTV NON INDIGNAE.

PHILIPPVS, cognomento Pulcher, Galliæ rex, tres habuit filios, Ludouicum, Philippum, Carolum, & filiam vnam. Et illi quidem, per successionem, cum nullam haberent sobolem, administrationem regni transmiserunt ordine ad Carolum fratrem. Qui filium quidem sustulit, sed orbatus eo fuit multum adhuc adolescente.

Filiam Philippi regis, & sororem Caroli, vxorem duxit Eduardus eius nominis secundus, Angliæ rex, e qua procreauit Eduardum filium, cuius in hoc opere, plurimis locis, honorificentissima fit mentio, propter honestissimam indolem, pectus animosum & virtutes principe dignas.

Extat Homeri sententia, plerosque omnes filios, parentibus esse deteriores: vix vllos meliores. Verum in hoc rege secus euenit. Fuit enim illius pater ingenio minus honesto, propensus ad omnem luxum, & nimium auscultans delatoribus, e quorum grege præcipui erant nobiles quidam duo ex familia eorum, qui in Anglia vocantur Spensij. Hi mentem omnem regi excantauerãt, adeo quidem, vt illorum consilio rex inductus, ad supplicium raperet circiter viginti duos nobilissimos Angliæ Barones: nec isto contentus, coniugem quoque suam, vna cum filio, omni Anglia eiiceret. Sed regina tandem amicorum fide & opera, in Angliam reducta cum filio, & delatores illos patrem ac filium, atrocissimis puniuit suppliciis, & regem maritum suum, inutilem regno variis grauibusque de causis, ex populi & senatus authoritate, custodia continuit. Quo facto, Eduardus nobilissimus heros, filius optimus pessimi parentis, qui cum matre, vt diximus, exulauerat, Londini coronatus est Angliæ rex illius nominis tertius, ætatis suæ anno 16. Vxorem duxit Philippam Gulielmi, Hannoniæ comitis & Holandiæ, filiam. Hanc enim inter ceteras sorores amare cœpit, quo tempore vna cum matre profugus ex Anglia, in Hannoniam deuenerat.

Ceterum, a morte Caroli Regis, Galliæ proceres ad successionẽ regni capessendam, minime admittebant illius sororem Anglo nuptam: quod ad fœminas rãti regni molem minime deuolui, iam olim iis locis receptissimum sit. Deinde etiam Eduardum tertium ipsius filium, & Philippi regis nepotem repudiabant, tanquam a fœmina descendentem: adeoq; vno consensu sceptrum, & rerum summam detulerunt Philippo Valesio, defuncti regis Philippi cognato.

Per hanc occasionem acerbissima secuta sunt bella, Eduardo tertio, regnum Galliæ verius deberi sibi existimante, quam Valesio.

Huc accessit, quod vir quidam summe nobilis, Robertus Artesiensis, qui apud Valesium regem in summo semper precio habitus fuerat, tandẽ in odium adductus, aula fuit exturbatus, & vndique studio regis expulsus, quocunq; se recepisset. Hic igitur post multos denique errores in Angliam accessit, ibique sedem quietam inuenit: & consiliarius regis factus, non cessabat Eduardum hortari, vt bellum Galliæ regi moueret.

Eduardus rex bellũ illaturus Gallo, sollicitabat quoq; Flandros, id temporis parum

obsequentes principi suo. Gallus intellexit, & ope comitis Flandri, eum apud se commorantis, iussit muniri quædā loca Flandriæ, qua necesse erat Anglis iter facere, vēturis in Galliam. Anglus contra suas copias misit, & collatis signis cęsi, fugatique sunt Flādri.

Anglus etiam vt negotia sua melius conficeret, & Germanicorū principum animos sibi adiungeret, Antuerpiam venit: vbi cum Ducibus Geldriæ, Iuliaco, Archiepiscopo Coloniēsi & multis aliis amicitiam firmauit. Et ne quid ea re Cæsar offendi posset, placuit, Angli ceterorumque nomine, mitti Iuliacensem. Cæsar adeo non improbauit causam, vt etiam Angliæ regem constitueret Imperij Romani vicarium.

Quod autem Cæsar Ludouicus a Bauaria tanto honore Anglum augebat, pręcipua fuit causa, vt hac occasione, inter ceteros tumultus bellicos, recuperari posset Cameracum, quæ quidem ciuitas, cum sit imperio cōiuncta, tamē a Gallis fuit occupata bello.

Interim Galliæ rex cum Dauide Scotiæ rege fœdus iniit, qui cum vxore Lutetiam eo nomine venit. Et a Gallo sunt missæ copiæ in Scotiam ad impugnandos Anglos, vt ita magis frangerentur ipsorum vires, & diminueretur regis Angli potentia.

Anglus igitur cum auxiliaribus copiis Cameracum obsedit, vt Imperio rursus eam vendicaret. Sed frustra laborem sumpsit, vrbe & armis & commeatu munita. Quocirca copiæ in Galliam traductæ sunt.

Cum produceret exercitum Anglus in Galliam, Hannoniæ comes, qui nuper mortuo patri successit, & expeditioni Cameracēsi interfuit, velut ex officio, & quod Imperij negotium ageretur, noluit deinceps inseruire Anglo, ne Galliæ regem offenderet, cum existimaret, iam non Imperij, sed priuatum Angli negotium in hoc bello agitari.

Adductis itaq; in Galliam hostilibus copiis, & instructa vtrinq; acie, Gallus etsi multo potentior Anglo, vt qui supra centena hominum millia haberet, ex consilio procerum, præcipue vero deterritus literis Roberti Sicilię regis, cognati sui, insignis astronomi, prælium declinauit. Et Anglus quidem vna cum suis in Brabantiā, Gallus autem ad suos rediit. immoderate ferens, quod prælium non fecisset. Anglus deinde certior factus de fide confœderatorum in Angliam reuertit. Apud Gandauos tēporibus illis homo quidā plebeius, Iacobus Arteuillanus, tantā sibi comparauit apud vulgus æstimationem, vt tandem illius audacissimis inceptis nemo se opponeret, ne ipse quidē Flandriæ princeps. Ad cōciliandos igitur Flandrorū animos, Anglus hūc sibi adiunxit, vt in futuro bello subsidiū haberet. Huius autem Iacobi deinceps nō vno loco fiet mentio.

Anglus, priusquā in regnum suum rediret, vt paulo ante dictum est, trāsegerat cum Flandris, de subsidio præstādo, quo & ipse maioribus in Gallū viribus pugnaret, & Flandri ciuitates amissas ita recuperarent. (Gallus enim tenebat Insulas, Tornacum, & alia quædam.) Sed summā hic difficultatē ostendebant Flandri, priusquam fœdus inirent cum Anglo. Nam ante sic cōuenerat inter ipsos & Galliæ regē, ne vnquā aduersa arma ferrent. Quod ipsum si non seruarent, dependerent vicies centena millia, & hæ quidem conditiones a Pontif. constitutæ fuerant. Hortabantur itaq; Anglum, vt ipse insignia Galliæ sibi vsurparet, simul & titulum, quo facto, liberos se posse fieri a iuramento pręstito. Rex a multa consultatione sic egit, atque ita confirmatum est inter eos fœdus.

Super ea re certior factus Galliæ rex, egit per quædam cum Flandris velut nomine Pontificis vt deserto Anglo suas partes deinceps sequerentur, propositis magnificis præmiis. Quæ quidem omnia cum recusarent, illico subsecutum est fulmen Pontificium. Terruit quidem Flandros, sed ab Anglo per nuncios & literas confirmati, moderatius tulerunt. Feruebat deinde bellum inter Flandros & Gallos: & Galliæ quidem rex, filium suum natu grandiorem præfecit, qui cum ingenti hominum manu vel in Hannoniam vsque penetrauit.

Gulielmo Hannoniæ comite, ad confirmandas res suas, in Angliam, & post ad Ludouicum Cæs. profecto, Hannonia mire affligebatur a Gallis, subinde incursiones facientibus. Sed reuersus e Germania comes, qui fœdere inito cum Anglo, cū Cęs. & plerisq; inferioris Germaniæ principibus, ingentes copias collegit, adiutus & ab illo, qui captiuos tantum non habebat Flandrorum animos, Iacobo Arteuillano, hostē repulit.

Instructis ita vtrinque copiis, Hannoniæ comes vehementer optare prælium. Sed aliter visum est Brabantiæ duci, grauibus argumentis dehortanti, ne manus cum hoste,

priusquam

priusquam Anglus rediisset, quem habebat istius belli tanquam auspicem, consereret.

Vt Gallus accepit, Anglum ad suos rediisse, quibusdam negotium dedit, vt collectis nauibus, ingressi mare, expectarent illius reditum, & applicare volentem, magnis viribus adorirentur. Sed Anglus obuiam factum hostem strenue repellens, fortunæq; præsidio adiutus, in Flandriam appulit.

Robertus Siciliæ rex, cuius ante facta mentio, quod ex astrorum scientia futurum videret, vt Gallia ab Anglis dure admodum tractaretur, pro suo in hoc regnum amore, Auenionem appulit, obtestans ibi Pontificem, & Cardinalium cœtum, vt pacem inter duos potentissimos monarchas firmarent. Illi quidem operam & studium suum polliceri, modo regum animi huc inclinarent.

Sub idem tempus arctissimum fœdus inierunt simul Brabanti, Flandri, & Hannonienses: ita quidem, vt si contingeret vnam aliquam regionem vastari bello, vel aliquo modo affligi, tum ceteri in subsidium venirent. Et, vt orta inter se dissidia ipsi componerent: sin minus, vt tum Angliæ regis arbitrio, res mitigaretur, in cuius dexteram iurarunt omnes, pactum istud ratum se habituros.

Coniunctis itaque sibi copiis auxiliaribus, Anglus obsidione cinxit Tornacum ingenti exercitu. Oppugnatum est aliquoties, sed frustra, opidanis fortiter sese defendentibus, vt qui & milite, & rebus omnibus necessariis aduersus hostem essent muniti, ex mandato Galli, qui bonam consiliorum partem, quę fuerant inter hostes agitata, compertam habebat.

Durante obsidione Tornacensi, Gallus aliquot copiis in Scotiam missis, obtestabatur duces in præsidio ad defensionem patrię a Dauide rege ibi relictos, vt Anglos bello turbarent, quo hostis cogeretur, omissa obsidione, ad suos redire. Se missurũ illis præterea magnam vim hominum, quorum subsidio aduersus hostem vteretur. Scoti rem strenue egerunt, occupatis aliquot arcibus valde munitis, & vehementer afflicto hoste.

Interim Galliæ rex magnum exercitũ collegit vt Tornacenses obsidione liberaret, & suppetias Gallo ferebant Carolus Bohemię rex, dux Burgundiæ, Britonię, Borbonię, Lotharingiæ, comes a Bar Geneuensis, Sabaudiæ, Alenconius, Flander, & præter istos, reges Nauarræ & Scotiæ, hic vt confœderatus, ille feudi ratione Galliæ subiectus.

Quod Flandrię comes narratur Galliæ regi tulisse opem, ne cui mirum videatur, reputanti Flandros Anglo fuisse adiunctos. Res ita habet. Iste, cuius ante meminimus, Iacobus Arteuillanus, tam erat popularis, vt ipsi comiti periculosum esset in Flandria versari, hac igitur ratione coactus est in Galliæ regis patrocinium sese dare.

Obsidio Tornacensis durabat plus minus tres menses, quo tempore plurimum laborabat Iohanna Valesia Galli soror, eademque Comitis Hannoniæ mater, vt ad pacis conditiones veniretur, hoc tandem effecit, vt præscriberetur dies, quo conuenirent & Galli & Anglici proceres: qui deinde pacti sunt de induciis, ad anni spatium, ita vt quisque ea, quæ bello occupasset interim teneret. Sic igitur dimissus fuit exercitus. Hoc præterea statutum fuit, vt certo anni tempore venirent Atrebatum vtriusque regis, & Pontif. Clementis legati. conuentum est: Angli plurima postulare: Galliæ rex nihil offerre, præter Comitatum Ponthieu, qui regis Eduardi matri, cum in Anglia nuberet, datus fuit in dotem. Præterea nihil actum, nisi quod induciis alter est adiectus annus, & Anglus in regnum suum rediit.

DE BELLO BRITONICO.

CONSTITVTIS ita rebus, cum Dux Britoniæ reditum in suam ditionem pararet: correptus in via graui quodam morbo, vitam finiit, non relicta prole mascula, a se legitime procreata. Erãt illi duo fratres, quorum alter comes a Monteforti communem solum habebat cum eo patrem: Alter erat frater germanus, sed vitam ante finiit, relicta vnica filia, quam quidem Britoniæ dux, cum esset in viuis, nuptui dedit Carolo a Blois, Philippi Galliarum regis, e sorore, nepoti.

Etenim Brito, metuẽs futurũ, vt a morte sua, comes Montfortius, frater, Britoniam

occuparet, excluſa interim, ac velut exheredata fratris ſui germani filia legitima, per matrimonium puellæ conſulendum putauit. Itaque voluit eam nubere nepoti regis, ea ſpe, cōſilioque, vt ſi quid alter moliretur, facile poſſet illi obſiſti. Et ita quidē euenit.

Montfortius enim, ſtatim vt de fratris morte cognouit, bonam Britoniæ partem, & armis, & in deditionem receptis populis, occupauit. Deinde, pro confirmandis, atque tuendis rebus ſuis, in Angliam profectus, re omni expoſita, Ducatus inaugurationem ab Anglo ſuſcepit.

Et rex quidem Anglus, quod per Britoniam videret acceſſum longe facillimum in Galliam ſibi patere, ſtudium & opem nouo duci pollicitus eſt aduerſus hoſtem, ſiue Gallum illum, ſiue quemuis alium. Cœpit enim illi iampridem diſplicere, quod in ſocietatem belli Germanos admiſiſſet, in quos tantam vim auri profudiſſet nulla re magna perfecta. Hæc adeo eſt huius belli cauſa, & vera origo.

Carolus a Blois, certior factus de cœptis & auſibus Montfortij, grauiter apud Galliæ regem queſtus eſt. Facta conſultatione, rex iuſſit citari comitem in ſenatum Pariſienſem. Venit ille. Habitis vltro, citroque verbis, iniunctum illi fuit a rege, vt ne intra certum tempus vrbe diſcederet. Abiit tamen clanculū. Itaque iudicatum eſt pro Carolo. Vehementer autem grauabat illius cauſam, quod ab Anglo Ducatus inueſtituram cepiſſet: adeoque Gallus, Carolum declaratum hæredem, ſua voce hortatus eſt, vt armis ditionem ſibi iure debitam recuperaret, promittens illi operam ſuam, & ſimul alios proceres inuitans, vt Carolo æquiſſimam ſuſtinenti cauſam, non deeſſent.

Itum eſt ad bellum copiis auxiliaribus procerum Galliæ. Præter cetera, tandem fuit etiam expugnata vrbs Nantenſis, iis locis maxima. Captus ibi Montfortius, Lutetiam deinde miſſus ad regem: & ex huius mandato in cuſtodiam abductus, tandem vitam finiit. Interim illius vxor, plane virilem animum repræſentans, confirmabat ſuorum animos, & reliqua loca, nondum ab hoſte capta, præſidiis muniuit, & annona.

Conſtituta pace inter Anglum & Gallum, poſt ſolutam obſidionem Tornacenſem, Anglus ad ſuos reuerſus, comperit quanta calamitate Scoti interea regnū vexaſſent. Collegit exercitum. Scoti, abſente rege ſuo, neceſſitate ſumma coacti, inducias impetrarunt ab Anglo, vt ſi intra menſes quatuor non ſubueniretur a rege dederent ſe. Significatum eſt illud Scoto. Rediit, & copiis auxiliaribus adiutus, expugnauit quaſdam Anglorum munitiones, & inter ceteras vrbem Durenū, vbi prorſus nulli ordini, ſexui nec ætati parcitum eſt, quinetiam exuſta templa. Scotus deinde, cum perſequendo bello tempus tereret, certior quoque factus Anglum ingenti manu aduentare, ex conſilio ſuorum retroceſſit, pactione interim facta ſuper induciis, quas tamen Scotus noluit ſuſcipere, niſi prius rem ad Gallum, qui cum fœdus inierat, retuliſſet.

Galliæ nobiles nō alia ratione diceſſerant e Britonia, quam quod hybernum tēpus vrgeret. Sub æſtatem rurſus ſuas copias adduxerunt, occupaturi reliquam illius Ducatus partem. Qua de re certior facta Domina a Monteforti, miſſis ad Anglum legatis, auxilium implorabat, tali pacto, vt filius, quem e marito ſuo vita defuncto ſuſtulit, vxorem duceret aliquam filiarum Angli: Placuit regi cōditio, & miſſa fuerunt aliquot milia. Sed per duos fere menſes iactati procellis & fluctibus non potuerunt in optatū portum inuehi, atque interea Galli quædam loca recuperarunt. Sed dictu mirum, quā ſtrenue ſeſe dederit ipſa Domina. Nec enim ſolum munire arces, & animum addere ſuis, verumetiam armari, & comitata equitum turba, prouolare in campum, & hoſtem laceſſere. Quinetiam in arce quadam, obſidione preſſa, cum pleriq; omnes deditionem ſuaderent, ipſa adeo ſola inter viros reſiſtendum putauit, & rem extraxit, donec aduenirent Angli, qui longo tempore mari errauerant, vt narratum eſt.

Quidam Gallorū Dux Ludouicus Hiſpaniēſis in deditionem accepit Britoniæ ciuitatem Dynantū. Et ciues quidem ſuum præſidē, quod ad deditionem cōſentire nollet, interemerunt in foro. Huic vicina quædam alia ciuitas Geranda ab eodē belli duce vi capta eſt, & ne paruulis quidem atq; infantibus parcitum: exuſta quoque fana deorum ſed Duci vehementer diſplicuit illa impia crudelitas, & ſtrangulari iuſſit auctores ſcelerum. In deditionem etiam accepit ciuitatem Venetorum; repugnante præſide: & multa præterea alia loca. Summa, varie pugnatum eſt ab vtraq; parte & mari & terra,

premebatur opidũ & arx illis locis, dicta Hamibout, summis viribus: & defendebatur maioribus. Nam ibi tum agebat Domina Britoniæ, cuius ante meminimus. Galli cum tempus tererent & impenderet hyems, auctores fuerunt Carolo a Blois, vt copias dimitteret, & simul de induciis pacisceretur, relictis in pręsidio militibus. Id adeo factum est, & Domina nauigauit ad Anglum. Qui exercitũ misit in Britoniam contra Gallos.

Sub idem tempus Angliæ proceres Regi suo fuerunt auctores, vt inducias cum Scoto pacisceretur stabiles ad triennium, si fieri posset. Grauissimum enim fore, vt vndique sustineret illam bellorum molem, hinc in Scotia, hinc in Gallia. Missus ad Scotum legatus nihil impetrauit, quod Scotus Gallum prius consulendum putaret. Conscripsit Anglus exercitũ, vt Scotum euerteret: sed interea bonorum virorũ intercessione sunt impetratæ & stabilitæ induciæ. Anglicus exercitus, de quo cœptũ est narrari, in finibus Britoniæ obuiam habuit Gallorum classem bene instructam. Commissum est prælium nauale, pugnatum in noctem vsque. Sub intempestam noctem orta tẽpestas longe periculosissima, disiecit eos, sic vt plus centum miliaribus inuicem essent diremti. In hoc etiam pręlio virilem operam nauauit Domina a Monteforti. Angli tandẽ occuparunt portum non procul ab vrbe Venetorum, quã tum Galli tenebant: & oppugnarunt eam strenue. Tandẽ exercitu in tres partes diuiso, duobus locis eam noctu acriter oppugnabant, & reliquum exercitum, dum essent omnes ad defensionem intenti, loco minime aduersus hostem munito, admouentes, vrbem ingressi sunt; cæsis & fugatis omnibus. Erant duo quidam Galli nobiles relicti ad tuendam vrbem Venetorum. Illos vehementer angebat vrbem ita captam esse. Collegerunt itaque militem, & facta oppugnatione denuo illam ab hostibus extorserunt. Et in his turbis vulneratus est Robertus Artesius Anglicæ classis præfectus & belli dux. Auectus Londinum curãdi sui causa, statim obiit. Quare permotus Anglus, vt mortem tanti viri ac sibi tam chari vlcisceretur, ipse magna vi nauium in Britoniam appulit.

Tantus erat Anglorum numerus, vt eodem tempore obsiderent potentissimas ibi vrbes, Renensem, Venetos, Nantensem, vbi tum erat Carolus a Blois cum vxore: & opidum Dynantum, quod etiam per vim expugnarunt.

Carolus a Blois ad Regem Galliæ scripsit de statu rerum omnium, de Angli aduẽtu & oppugnatione opidorum, petens vt sibi in his malis posito subueniret. Gallus misit Ducem Normãdiæ filium suum. Is secũ adduxit plus minus 40. milia, & recta contendit ad vrbẽ Venetorũ, tum arctissime obsessam ab Anglis. Et nisi hybernũ tempus plurimũ attulisset difficultatis, prælio fuisset dimicatũ. Præterea duo quidã Cardinales a Clemẽte Põtifice missi, pacti sunt inter eos de induciis ad annos tres, iuramẽto interim a principibus pręstito, se ratũ istud habituros. Et Anglus quidẽ in regnum suum rediit.

Durante adhuc bello Anglus obsederat vrbem Venetorum recuperatam a Gallis: & defendebãt eam nauiter duo quidam Galli nobiles, dominus a Cliffon & Henricus dictus a Lyon. Hos contigit in leui quodam prælio ab Anglis capi: & quoniam vicissim captus erat quidam ex primoribus Anglicis, constitutis induciis, cœptum est agitari de permutandis captiuis, & Anglus quidem vt suum recuperaret, Gallis restituit dominum a Cliffon, detento in custodia Henrico. Hinc, vt verisimile est, æmuli conceperunt suspicionem de Cliffonio, tanquam Angli partibus addicto: ideoque potius ipsum dimissum, quam alterum. Summa, sic creuit suspicio, vt capitis de eo supplicium sumeretur Parisiis: Et ob similem caussam pleriq; alij nobiles viri affecti sunt capitali pœna. Miserandum profecto spectaculum, præsertim cum Cliffonius, in recuperanda vrbe Venetorum ab Anglis, functus fuisset optimi ducis & strenui militis officio.

Hoc adeo factum Galli male habuit Anglum, reputantem in contumeliam sui viros istos occisos. Liberari iussit Henricum: & manumisso iniunxit, vt ad suos rediens, nuntiaret Gallo se ita interpretari factum hoc, & existimare idcirco inducias nuper constitutas, a Gallo violatas: ideoque expectaret a se omnia hostilia. Nuncius ad Gallum delatus est, & Anglus exercitum misit in Aquitaniam, & alios præterea quosdam ad subsidium Dominæ a Monteforti.

Baionæ & Burdegalę summo applausu accepti fuerũt Angli. Oppugnatione deinde facta ad vrbẽ Bergeratum, adiacentem Garumnę fluuio, ciues in deditionẽ acceperunt

iuramentum fidelitatis Anglico duci præstantes, nomine regis. Ceperunt & plurima alia loca, partim deditione, partim vi & armis. Inter cetera occuparunt arcem egregie munitam, Auberocham: & ibi relicto præsidio Anglicus Dux cum bona exercitus parte rediit Burdegalam. Interea Galli ad xij. milia numero vehementer obsidebant arcem istam, Anglis interim, ibi stantibus in præsidio, multum afflictis. Verum Anglicus, Dux Burdegalæ certior factus, collectis plus minus nongentis hominibus, sub vesperam Gallos iamiam cœnaturos repente adortus, & prosiliens e sylua quadam viciniori fudit, fugauit, & cepit plærosque omnes, capto & grauiter vulnerato ipsorum duce, quem iis locis, vt regulum aliquem habebant.

Obsidentibus arcem quandam Anglis, ciues præsidem suum recusantem facere deditionem loci, in vincula coniecerunt, non liberaturi eum, nisi consentiret. Consensit: & postea cum Tolosam venisset, accusatus traditionis suspensus est. In deditionem quoque acceperunt opidum Riolam: sed præfectus arcem dedere necdum voluit. Angli cuniculos agere: Subruta bona parte, præfectus periculi præsentiam considerans loco cessit, & Anglis arcem reliquit. Præterea Angolismam, euoluto mense, quem optarant sibi dari ciues, ea spe, futurum, vt interim a Gallo solueretur obsidio.

Supra narratum est de Iacobo Arteuillano, qui tantus erat apud Flandros, vt etiam ipsi Comiti, non esset tutus accessus in ditionem suam. Sed tulit tandem præmium homine seditioso dignum. Iniecerat Anglo spem maximam, id se facturum, vt communi Flandriæ consensu, omnis illa regio in ipsius Angli potestatem veniret. Pro qua re conficienda, Anglus instructissima classe in portum Flandriæ appulit. Res populo fuit proposita: plærique omnes erant non male in Anglum affecti. Gandauenses vero pessime habuit incœptum hoc. Redeuntem in vrbem Iacobum minus benigne acceperunt, ædes obsederunt ac perfregerunt, ipsumque dominum per posticum conãtem euadere, occiderunt. Et inter cetera fuit ista quoque potissima accusationis pars, quod pecuniam omnem publicam, ad Anglum secreto misisset. Habebat autem Flandriæ Comes filium vnicum. Sub idem tempus Gulielmus Hannoniæ Comes, cum auxiliaribus copiis in Phrisiam, cuius se verum esse dominum asseuerabat, nauigans, occubuit ipse in prælio cum multis aliis nobilibus. Ab illius morte Margarita Hannoniæ princeps, Ludouici a Bauaria Cæsaris vxor possessionem accepit huius comitatus. Gallus maxime cupiebat, Ioannem Hannonię, virum nobilissimum & strenuum bellatorem, qui egregiam semper operam præstitit Anglo, sibi adiungere. Variis modis negotium fuit tentatum. Et cum aliter fieri non posset, inuenta est hæc vna ratio, vt persuaderetur Regem Angliæ nolle suas illi pensiones & annua salaria persoluere. Credidit: & protinus ab Anglo fuit alienatus, Gallo suam operam addicens. Gallus postquam intellexit Anglos depopulari Aquitaniam, & occupatas iam ab illis plurimas tam vrbes quam munitiones, collegit militem, & excreuit numerus ad centena milia. Ducem belli constituit filium Ioannem Normanniæ Principem. Opem tulit Gallo Odetus Burgundiæ Dux, & illius filius Philippus Artesiæ & Boloniæ Comes, vterque instructissimus. Recuperarunt vrbem Angolismensem. Obsidebant arcem, qua non alia munitior, Aguilonum, per deditionem ante receptam in Anglorum potestatem. Variis modis oppugnatum est ibi. Sed nemo credat quantis & animis & viribus defenderint se Angli, stantes ibi in præsidio. Consultus Galliæ Rex, quid faciundum existimaret, nuntiauit filio, vrgeret obsidionem, donec inedia coacti sese dederent.

Anglus certior factus, in quanto essent discrimine sui, exercitum illico coegit numero ad milia quatuordecim. Comitatus inter ceteros filio suo Eduardo principe Wallensi, & Gallo quodam nobili Godefrido ab Haricurto, qui regno pulsus a Gallo ad Anglum se contulit, ad tuendum se, ad vlciscendum iniuriam. Gallus enim omnia illius occupauerat. Hic adeo auctor fuit Anglo, vt in Normanniam cursum dirigeret, cum alioqui Rex nauigationem in Aquitaniam instituisset. Exercitum in tres diuisit partes: quarum duæ iuxta maritima loca deprædabantur agros, expugnatis aliquot opidis & abductis captiuis, ne quid postea molirentur, collectis viribus. Tertia, mediam regionem tenebat, in qua Rex: deuastantes omnia, sub noctem reuertebantur omnes ad castra Regis.

Gallus interim conscribi iussit exercitum, quo non fuit alius in Gallia multis annis visus potentior. Scriptum est pro auxiliis, ad Regem quoque Bohemiæ valde tum studiosum Galli. Occuparunt Angli oppidum Normanniæ opulētissimum S. Lupi, post ad oppugnationem properarunt longe opulentioris, Caen vocant, a fluuio præterlabente. Ciues, acie instructa volebant confligere cum hoste: quem vbi vidissent, homines insueti bello, fugerunt ad vrbem. Gallici duces in munimenta se receperant, sed vastam stragem in vrbe videntes (nam occuparant Angli) dediderunt se. Inter captiuos erat Connestablius: quem ipsum Rex Anglus postea vna cum sociis, ab eo qui ceperat, redemit viginti millibus aureorum. Progressi sunt etiam Angli vltra Sequanam versus Rotomagum. Velites excursionem fecerunt ad vicina loca Parisiis, & cū obuiam haberent ciues Ambianos, Lutetiam ex mandato Regis properātes benè instructos, quod dudum nihil militare subiissent, facto in eos impetu, diripuerunt illorum impedimenta.

Interim Gallus Lutetia cum suis copiis discessit ad S. Dionysium (quamuis deprecantibus Parisianis) quo reliqui principes conuenerant. Anglum miro quodam ardore persequens, venit Ambianum. Exercitum suum conatus est hostis per Sommiam traducere, sed neque vadum nouerant vllum, neque pontes a Gallis valido præsidio obsessos occupare poterant. Ab adolescente tandem forte comprehenso (cum esset propositum captiuis Gallis præmium & promissa liberatio) vadum fuit demonstratum. Id cum suspicarentur etiam Galli, futurum, vt ea parte traiicerent, magnis viribus ibi se obiecerunt, & in fluuio acriter pugnatum. Sed tamen peruadebant Angli in fugā conuersis hostibus. Gallus interim accessit in vrbem Abbeuillam: & Anglus quidem illum in planicie exspectabat collaturus signa.

Sub prælij tempus Deum orabat, vt felicem victoriam donaret, exercitum omnem in tres partes diuisit. erat in prima filius illius: vltimam ipse tenebat. Summis viribus vtrinque certatum, sed tandem Angli victores extiterunt; quod mirum videri posset, præsertim aduersus tantam hostium multitudinem. Succubuit in hoc prælio Henricus a Lutzemburgo, pater Caroli Bohemiæ Regis. nā etsi captus erat oculis, in hostem tamen voluit pugnare. Inter pugnandum rex Anglus, qui necdum ingesserat se turbæ dimicantium, exspectans occasionem, certior factus, filium suum, versantem in prima acie, grauiter vrgeri ab hoste, nunciis respondens, Ne subsidium, inquit, hodie postuletis a me, quandiu filius meus adhuc superstes est. Volo enim vt hodie suæ virtutis specimen edat, vtque victoriæ laus penes eum sit omnis, & eos qui in custodiam ei sunt adhibiti. Gallus sub noctem paucissimis comitatus e prælio discessit. Iussu Regis Angli censa sunt capita Gallorum qui succubuerant in prælio. Inuenti vndecim Principes, octoginta Barones, mille ducenti equites, & plus minus triginta millia. Ex mandato Regis nobiliores omnes sepulti in vicinis oppidis, & datæ tridui induciæ ad sepelienda cadauera.

Parta contra Gallos victoria, Anglus recta contendit Caletum, & obsidione oppido circumdato requiescebat, exspectans vt inedia tandem ad deditionem compellerētur. Interim Gallus duci Normandiæ filio, oppugnanti arcem Aquillonum, nunciauit vt relicta obsidione copias suas in Galliam adduceret, quo Anglis omnia passim occupātibus resisti posset. Priusquam hæc ad exercitum essent delata, prælium fuit inter Gallos & Anglos. huic interfuit Philippus Burgundionum Ducis filius: qui collapsus cum equo, non ita multo post vita functus est. Cum obsideretur Aguillonum, cui præerat Baro quidam Anglicus, apud Burdegalam erat Comes Derbij, quem Anglus in Aquitaniam præmiserat. hic adeo cum intellexisset arcem obsidione liberatam, & abiisse Normandiæ Ducem, collectis plus minus sex millibus, bonam Galliæ partem iis locis peruagatus, tādem Pictauium vi cepit: ac deinde Burdegalam reuersus exercitum dimisit, sed nullum, ob vastitatem vrbis, Pictauij reliquit præsidium.

In obsidione apud Caletum occupato Anglo, Scotiæ Rex Dauid, & sua sponte, & Galli precibus incitatus, quod militem omnem Anglicum in expeditione crederet esse cum Rege, vel maximam saltem partem, collectis plus minus quadringenta millibus, in Angliam properauit. Interim Angliæ Regina viriliter sese dedit, consilium

captans cum Angliæ proceribus & Epiſcopis. Conſcriptus eſt ſubito exercitus,pugnatum acriter;& interfuerunt prælio aliquot Archiepiſcopi & Epiſcopi Angli. Obtinuerunt autem victoriam, tametſi numero multo inferiores Scotis. In pugna captus eſt Rex Scotus cum plurimis aliis. Occiſorum numerus ſurgebat ad quindecim millia,reliquis in fugam verſis. Facto prælio, Angliæ Regina, traiecto mari, Regem maritum inuiſit.

In pugna,cuius ante facta mentio, periit etiam inter ceteros, Flandriæ Comes, qui propter factionem Iacobi Arteuillani coactus erat Gallo ſeſe in clientelam dicare. Reliquit filium Ludouicum, id temporis quindecim annorum. Anglus induſtria & ope Iacobi Arteuillani ſperabat ſe poſſe efficere apud Flandros,vt rerum ibi potiretur, vtq; filius ſuus princeps Wallenſis omnem Flandriam illorum conſenſu teneret: ſed interfectus eſt autor tam impij conſilij, vt narratum. Nolebant enim exhæredaret ſui principis filium. Itaque Anglus cœpit tractare de matrimonio inter iuniorē Flandriæ Comitem,qui tum erat in aula Galli, (nam eo cum patre profugerat, rebus male conſtitutis in Flandria,) & filiam ſuam Iſabellam. Hic ſeſe oppoſuit Brabantiæ Dux. nam & is filiam tunc habebat. Excogitatus eſt modus a Flandris vt Comitem ſuum abducerent a Gallo. venit in Flandriam iniecta ſpe recuperandæ poſſeſſionis paternæ. Interim Anglus rem ſuam diligenter agere apud proceres. Per illos de matrimonio propoſitū eſt Ludouico. recuſauit modis omnibus,quod illius filiam ducere nollet qui parentem ſuum interemiſſet. Cum ita perſtaret in ſententia,nec aliud reſponderet,Flandriæ cōſiliarij in cuſtodiam abduxerunt,non futurum liberum niſi conſilio ſeniorum pareret. Ita perſuaſus eſt,conſtitutus dies, cōuentum ab Anglo, illius vxore,& Flandriæ primoribus: tractatum negotium: conſenſit ille,& ſimul fidem dedit:rediit in Flandriam,nec tam arcte cuſtodiebatur quam ante. Sub tempus nuptiarum,comitatus quibuſdam ad venationem abiit. ibi ſimulans ſe perſequi ſuum falconem, quem in ardeam emiſerat, paulatim magis ac magis progreſſus, euaſit ex illorum conſpectu, & ſic ad Gallum rediit. Quo tempore Anglus oppidum Caletum obſidebat, exactum erat tempus induciarum,quæ per Cardinales quoſdam erant conſtitutæ inter Carolum a Blois, & Dominam a Monteforti: vt ante dictum eſt. Itaque rurſus ad arma deuentū. Anglus mediocrem equitum numerum eius exercitus, qui Caletum obſidebat,ſubſidio miſit Dominæ. Occupantes Anglos arcem quandam & vrbem,Carolus a Blois arctiſſime obſedit: ſed Angli quidam alij a Domina repente miſſi, prima luce præter exſpectationem irruentes in caſtra Gallorum, qui propter pridiani cuiuſdam conflictus benigniorem fortunam negligentius excubias agebant, bonam illorum partem fuderunt, & ipſum adeo dominum Carolum a Blois imparatum ceperūt. Anglus interim acriter obſidione premebat Caletum. Gallus, vt ſolueret obſidionem, copias ingentes collegit. Qua de re certior factus Anglus,& loca maritima & campeſtria,quibus acceſſus erat Gallis, ita pręmuniuit vt nuſquam pateret illis iter. Gallus optabat ab Anglo ſibi fieri poteſtatem pugnandi. videbat enim præcluſum ſibi omnem aditum. Anglus,quod per anni fere ſpatium oppidum obſediſſet, magna vi auri profuſa, compendium hoc retinendum ſibi putauit. Et ſub idem tempus a Clemente miſſi duo Cardinales pro conciliandis principibus, per triduum habita collocutione cum vtriuſque Regis delegatis proceribus,nihil egerunt. Itaque Gallus omnem exercitum ſtatim dimiſit. Caletenſes omni ſe deſtitutos & ſpe & præſidio cum viderent,de deditione agebant. Anglus illam recuſare,niſi de fortunis & illorum ſalute pro ſuo arbitrio ſtatuendi libera ſibi permiſſa poteſtate. Diſſuadentibus hanc illius pertinacem iram conſiliariis, quod peſſimo fieret exemplo,tandem eo res deducta, vt ex omni ciuium numero ſex potentiores, nudi caput & pedes, laqueum collo,& claues oppidi manibus ferentes, libidini ſuæ & arbitratui dederentur.

Hoc nuncio in ciuitatem illato, ſummus repente luctus ibi natus. In hac animorum conſternatione,cum quidam minime plebeius,pro ſalute patrię,inedia pene confectę, mortem ſe nō reformidaturum palam diceret, quinque deinde alios in ſimilem rapuit affectum.

Hos ad eum modū productos quo voluit is qui tum vitæ neciſq; poteſtatē in eos ha-

bebat,

bebat, & eiusdem mandato iam capitis pœnæ destinatos, cum frustra nobiles viri omnes intercessissent, vix tandē ipsa Regina, consumptis in eam rem multis rationibus, morte eripuit. Missis deinde qui arcem & oppidum occuparēt, iussu Regis coloni veteres migrare coacti, & ex Anglia familiæ eo traductæ. Postea super induciis, opera cuiusdam Cardinalis, ad biennium transactum est.

Caletum Anglus commisit Itali cuiusdam tutelæ & fidei. Porro nobilis quidā Gallus, ad sanctum Odomarum in præsidio relictus, quod sciret nationem hanc præ ceteris valde cupidam auri, tacite cum hoc egit vt arcem sibi venderet. precium erant viginti aureorum millia.

Certior factus Anglus, qua nescio ratione, & dissimulans omnia, vocato ad se Italo, percontari de facto. Ille, cum aliud non liceret, fateri, & veniam orare, qua impetrata, discedenti Rex iniunxit vt quod instituisset, non prætermitteret. Ad cōstitutum diem, pridie Rex bene instructus, quam potuit occultissime Caletum venit. Gallus, qui aurū dependit, rerum omnium ignarus, præmisit equites ad occupandam arcem. Intromissi, repente, cum nihil eiusmodi suspicarentur, ab Anglis comprehensi. inde sub lucem Anglus extra vrbem prouolans, & reliquos ibi Gallos exitum rei manentes adortus, fugauit & cepit, cumque his eum qui proditionis caussam dedit.

Valesius Rex id temporis alteram duxit vxorem, Philippi Nauarræ princis filiam. Quin & ipsius natu grādior filius Ioānes, matrimonio sibi adiunxit per idem fere tempus, Iohannam Boloniæ dominam: vxorem quondam Burgundionum Ducis filij, illius qui ad oppugnationem Aguilloni vitam finiit, anno 1346.

Philippo Regi vita functo successit Ioannes, qui non multo post coronationem Lutetiæ capitis pœnam sumpsit de Connestablio, nuper ex Anglorum custodia liberato. Rex illum proditionis reum agebat.

DE IOANNE PHILIPPI VALESII FILIO, GALLIARVM REGE.

CREATO Rege Ioanne, Clemens, Auenione desiit esse apud superos. Ab hoc electus est Cardinalis Ostiæ, natione Gallus, ante quidem vocatus Stephanus Albertus, ab electione autem, Innocentius Sextus, Bohemiæ principem, & Ducem a Lenclastre ob conuicia mutua exacerbatos, iamque paratos μονομαχεῖν, Gallus, negotio composito diremit. Iussu Regis necato Connestablio, vt diximus, Carolus ab Hispania, cui Rex Angolismensem ditionem dederat, in vxorem ducta filia Caroli a Blois, ad hanc dignitatem euectus, a Carolo Nauariæ Rege, cum ad quietem se composuisset, necatus est. Eo facto multum, vt credibile est, fuit Galliæ Regis animus perturbatus, at certæ conditiones illum reconciliarunt. Huic sic interempto successit Iacobus Borbonius. Et induciæ, inter Gallum & Anglum, ad mensem Aprilem constitutæ, in solstitium æstiuum extractæ sunt. Vtriusque enim Regis legati, Auenione, apud Pontificem, cum pacis inter eos rationes coire non possent, inducias eousque protraxerūt.

Princeps Wallensis exercitum in Aquitaniam adduxit. Anglus, bellum facturus in Gallia, Caletum venit. Huc misso nuncio, Gallus detulit μονομαχίαν, Anglus recusare. Gallus ecclesiæ proceres, nobilitatem omnem, & ciuitatum primores, Lutetiam per literas euocauit, gerendi belli necessitatem exponens. Actum est ibi de conferendo tributo, nec in ea re quisquam immunitatem obtinere potuit.

In arce Rotomagensi, Rex Nauarræ, Ioannes Comes ab Haricurto, multique alij inter prandendum a Galliæ Rege, qui subito illuc nemine quicquam suspicante venit, capti sunt. Rex Lutetiam abductus in custodiam, Haricurtus in cœtu nobilium, maledicta nescio quæ profuderat in Regem, absentem, grauiter contendens, imperatum nuper tributum minime pendendum esse, & simul inhortans reliquos, vt eam sententiam

obstinate sequerentur. Hinc accusationis initium, hinc supplicium. Nam capite truncatus ex mandato Regio, postea suspensus est.

Angli filius, qui nuper in Aquitaniã, vt diximus, aduenit, Burdegala discedēs, vicinã regionē omnē, puta, Pictauiensem, Turonensem, Berriamque depopulatus est: & collectis ibi rebus necessariis, quod reliquũ erat, perdidit, effusis vinis, exustis frugibus, vt ne in hostiũ vsus transferri possent. Interim Gallus apud Carnutenses magnã vim militũ habens collectã, summa festinatione, & hostili prorsus animo persequebatur Anglum. Et cum non procul abesset Pictauio, resciuit hostem prope posuisse castra. Illico habita consultatione, exercitum omnem in tres ordines partitus, in primo, Ducem Aurelianensem, in altero, filiũ Carolum natu maximũ, collocauit: tertium ipse tenebat. Hostium numerus admodum erat exiguus. Vt per exploratores intellexit Gallus, qua ratione essent ad prælium instructi, & simul, versari eos in loco, natura, & ipsorum industria munito, præcepit, vt pedites pugnarent omnes, trecentis, aut eo amplius ex equis pugnaturis, qui sagittarios impetu facto dissiparent. Aderant quatuor ipsius filij, Carolus, Ludouicus, Ioannes, Philippus. Hi cum res male ageretur, & ad Anglos inclinaret victoria, in munitiones lõginquiores abducti sunt. Innocẽtius, qui Clementi successit, duos in exercitũ misit Cardinales de pace acturos, sub ipsum tẽpus quo stabant hinc & hinc suo ordine firmatæ acies. Variis modis res agitata fuit. Gallus videbatur aliquanto duriores proponere cõditiones. Ab altero Cardinale multũ fuit desudatũ: sed accepto nũcio a Rege, vt, nisi de vita periclitari vellet, omnē pacis mentionē abiiceret, discessit. Ventũ est ad manus, pugnatũ acerrime, nunc huc nũc aliquandiu inclinãte fortuna. Sed strenuã hic operã nauarũt sagittarij Anglici, tum, si quãdo alias, inuictis plane animis & robore: ita quidē vt ipsorum virtute solum fractis hostium viribus, a minimo exercitu parta sit eo die victoria insignis, qua nescio an vetustas vllam proferre possit clariorem. Vt de numero cæsorum nihil dicam, inter quos multi potentes viri, captus adeo Rex ipse fuit vna cum Philippo, natu minimo filio, quem prælium commissurus apud se esse voluit. Et quoniã ea tũ fuit Regis fortuna, quiuis facile intelligat quo in loco fuerint cetera turba. Princeps captiuũ Regem secũ abduxit Burdegalã. Dũ hæc apud Pictones gererētur, Nauarrij (quem in carcerē supra diximus abductũ) frater, auxiliaribus copiis multum auctus, Normanniam rapinis & incursionibus vexare.

Galliæ ordines, de tuendo regno cõsultaturi, Lutetiã conuenerunt, quandoquidem & Rex in hostium erat potestate, & filij per ætatē non satis prospicere poterãt. Ex omni numero triginta sex cõstituti sunt, quibus rerũ administratio, donec solutus esset custodia Rex, committebatur. Sub proximũ ver Angli filius traiecto mari, Gallũ & cum eo filiũ in Angliã abduxit, pactione interim super induciis facta per Cardinales, qui ipsi deinde, inter Anglũ & Scotum vt pax coiret, plurimum laborabant, adiuuãte illos in hoc tam pio negocio, Episcopo sancti Andreæ apud Scotos. Sunt autē hæ conditiones initæ susceptæq; pacis, primum, vt ne Scotus vnquã aduersus Anglum inceptaret bellũ, imo vt suos in Angliã volentes facere excursiones, pro sua virili cohiberet. Deinde vt in regnum reuersus, id ageret apud populũ, vt Scotia esset Angliæ subiecta deinceps, ratione feudi, quod vocant, & inaugurationis. Quod etiamsi populus recusaret, Scotus ipse nihilominus perpetuã & firmã cũ Anglo concordiã seruaret. postremo, dependeret Anglo intra decenniũ quingenta aureorũ millia. Cuius quidē rei gratia daret obsides aliquot regni principes viros, in Angli potestate futuros, donec depenso auro fidem suam liberasset. His ita peractis & literis fide dignis in eam rem conscriptis, Rex Scotus, qui nouem annos, & eo plus captiuus in Anglia fuit, ad suos reuertit.

Plerique omnes Galliæ nobiles & ciuitatum primores optabãt Nauarrium (qui Lutetia in Picardiam abductus erat) custodia liberatum. Per ipsos adeo ordines ad Carolum Regis filium relatum est. Ille, quod caussæ esset ignarus propter quam Rex eũ voluit captiuum, nihil audebat statuere. Tandem quorundam auxilio, qui miris technis in arcem, vbi detinebatur, erant recepti, exemptus, Lutetiam venit: vbi coram omni populo, suum in Galliam amorem & voluntatem exposuit, ita vt magna pars, in eum quam Normanniæ Ducem essent propensiores. Imprimis autem illi fauebat, cuius ad Parisianos non leuis est auctoritas, vrbis præfectus.

Gallo apud hostem capto, miri fuerũt motus, & magna scelerum impunitas, vt fieri solet, dum qui facinora cohibeat, & sontes plectat, vix vllus extare creditur. Collecti grassatores vexare omnia rapinis, obsidere vias, deprædari quosuis. Quin & inter ipsos proceres non satis conuenire, cœpitque nobilitati displicere triginta sex virorum Imperium, qui regno præerant. Sed omnium maxime horrenda fuit illa seditio & colluuies rusticorum, qui vndequaque collecti in Campania, & circum, paulatim magis augeri, sic vt ad centum millia surgeret ipsorum turba. Putabant hi nobilitatem omnem regni interficiẽdam. Proinde, facto impetu, diripere nobilium ædes, religare dominos ad postes, & in illorum aspectu violare coniuges atque filias, totam deinde familiam mactare crudeliter, & domos exurere. Cumque esset tanta illorum immanitas, vt fœminæ potentiores, ni vellent impurissimorum hominum libidini esse expositæ, cogerentur sese abdere: contracto exercitu, pugnatum in eos. Ad Meldã oppidum oppressi omnes, aut in Matronam præcipitati.

Regis filius, inter Nauarrium & vrbis prefectum tacitã esse conspirationem videns, Lutetia cessit, collectis copiis, & spectabat res ad tumultuosum exitũ. obsidebat enim vrbem. Sed Episcoporum quorundam intercessione, reconciliati sunt principes.

Ceterum præfectus vt misceret omnia, nocte quadam statutum habuit eos, qui sequerentur aduersas partes, opprimere: iamque transegerat cum quibusdam, foris expectantibus prædam, qui certo noctis tempore vrbem inuaderent. Sed patefacta traditione deprehensus ipse noctu, cum clauibus vrbis, oppressus est, & cum eo sceleris cõscij. Præfectus hic, rebus ita turbatis, Lutetiam primus omnium cinxit muris, fossis atque portis. Nauarrius de huius nece & oppressione certior factus, quod plurimum amasset, ob beneficiorum acceptorum magnitudinem, indignitate rei, tũ quod & ipse facinoris auctor haberetur vulgo, & sua sponte, & instigante fratre Philippo (qui Normanniam prius infestarat bello, & nihil optabat vehementius, quam ægre facere Galliæ) bellum denunciauit, & acriter gerebat, multis ad Sequanam & Matronam factis incursionibus, apud Ambianum etiam & Attrebatum expugnatis aliquot oppidis, & munitionibus. A præfecto, cuius facta mentio, magnam auri vim accepit, itaque commodum erat illi militem alere. Quinetiam plurimi fauere illius instituto & rebus omnibus. Hinc adeo factũ, vt non paucas arces & oppida, citra magnam difficultatem, sæpe occuparit, adeo quidem, vt Ambiani aliquot ciues potentiores, certa noctis hora militi illius oppidum patefecerint, vbi tum præter arcem nihil restabat expugnãdum. Sed bona quadam fortuna super irruentes equites Galli, cœptum interturbarunt, fugato hoste, & proditionis auctoribus ad supplicium raptis. His malis, vt fieri solet, adiunxit se rerum pene omnium maxima caritas, adeo vt tenuiores ægre vitã tueri possent. Et durauit hæc pestis annos quatuor. dum enim fortunæ omnium ordinum militis rapacitati expositæ sunt, dum agricolis tutum non est vacare labori, dum mercatores, nisi maximo facultatum suarum, & vitæ periculo, cõmeare non possunt, quid aliud inde, quam commune malum, quodque ad singulos redundet, oriri potest?

Nauarrij, certo tempore, tantum non intercepti, cum existimarunt necessario sibi cum hoste confligendum, occupato colle editiori, quandoquidem turba vincebantur, calcaria omnia in vnum aceruum deferentes, erigebant sursum rotulas, vt in adeundo hostem impedirent. Sed superueniens hesperus Gallos cohibuit a pugna. Noctu, magno silentio se receperunt in vicinum vicum, & extructis ignibus quasi pernoctaturi, præter Gallorum spem illico discesserunt, frustra eos persequẽte hoste. Inter cetera tenebant Meludunum ad Sequanam. Ad obsidionem huius misit Normanniæ Dux quatuor millia equitum. Sed intercesserunt Cardinales quorum ante facta est mentio, qui pacem inter eos firmarent. Philippus autem Nauarrij frater, noluit vnquam in conditiones pacis assentire. obiiciens germano, quod præstigiis & incantationibus deluderetur. Itaque contulit se ad munitiones maritimas, Anglo subiectas.

Firmata pace inter Gallos & Nauarros: iam exactum erat tempus induciarum, quæ Ioanne Rege in Anglia capto, per Cardinales ad triennium erant constitutæ, inter Anglum & Gallum. Itaque omnes qui sub Nauarra militauerant, ad Anglicos Duces se contulerunt: sic malum vnum plurima alia ordine secum traxit. Sed Angli tunc duri-

ter a Gallis excepti fuerunt, quanquam non ſine magno detrimento miſerorum, qui vel ruri, vel in oppidis non ita munitis habitabant. In hos enim quicquid lubitum eſſet deſignabant Angli, externo milite comitati. Finito induciarum tempore, vt diximus, Anglus, filius illius natu grandior, Gallus, & Iacobus Borbonius priuatim inter ſe Londini egerunt de pace, cuius formulas ad Ducem Normanniæ miſerunt. Ille retulit ad tres ordines. Habita conſultatione vehementer diſplicuerunt, & nunciis reſpōſum eſt, malle ſe multo aduc duriora ſuſtinere, quam illas admittere. Reſponſum hoc male habuit & Gallum captiuum & Anglum, adeo, vt hic ſtatim iuſſerit conſcribi exercitum, qualem nemo vnquā ex Anglia prodeuntē vidit. appulit Caletum vna cū quatuor filiis. Et priuſquam ex Anglia decederet, exponebat coram omni exercitu ſuas rationes atq; conſilia, nimirū, ſe expeditionē deinceps facere in Galliam, ea ſpe & animo, vt illos adigeret ad ſuſcipiendas cōditiones, quæ quidē ſibi & honori, & vſui, & dignitati eſſe poſſint. Nec prius finem facturum ſe neque reuerſurum quam ex voto rem geſſiſſet.

Proinde ſi quis eſſet omnium, cui hæc ratio non placeret, vt is domi ſe cōtineret: ſed conditionem libenter omnes acceperunt.

Caleto Anglus venit Remos, & cum videret vrbem pro ſua magnitudine bene munitam, nunquā oppugnare voluit, ne temere faceret iacturā ſui exercitus, quē ad maiora ſeruabat. Poſtquam obſediſſet ad menſes duos, & eo plus, cōtendit in Burgundiā. Ibi Dux miſſis legatis, orauit ne ſineret deprædari militem ſuam ditionē. Exoratus eſt Anglus, vt erat ſumma humanitate, ſed ea lege, vt Burgundus depēderet centū aureorum millia. Interim Gallia miſere vaſtabatur partim ab Anglo, partim a reliquo illius exercitu, apud Picardos relicto, partim a Rege Nauarræ, qui denuo concitatus erat in Ducem Normanniæ.

Auenione, quidam Frāciſcanus, futurum prædixerat, vt & eccleſiaſticus ordo multa pateretur, propter ambitionem, auaritiam, atque ſuperbiam, & Gallia duriſſime affligeretur exterorum incurſionibus, adeo quidem, vt nulla illius pars ab hoc malo tuta eſſet futura.

Pontifex hunc in vincula coniecit, quod minus grata denunciaret. Anglus Normanno prælium ſeſe commiſſurum ſignificarat. Sed iſte fortunam experiri metuens Lutetiæ ſubſtitit.

Normannus conſiderans præſentem rerū ſtatum non diu poſſe conſiſtere ſine maximo & exitiali damno Galliæ, legatos ad Anglum miſit, ex cōſilio procerum, qui de pace agerent. Actū eſt varie, & vix videbatur poſſe coire inter eos cōcordia. Nam Anglus hoc ſibi plane propoſitum habebat, iure ſibi deberi Galliam.

Dū ita conſultaretur, prope Carnutenſes ſubito coorta tēpeſtas, quæ & homines & equos proſtrauit, ita cōmouit Regem, vt votum faceret ſe velle animum ad pacē adiicere: atq; deinde Caleti expeditum eſt negotiū, cuius hæc fere eſt ſumma: Vt Rex Anglus & illius deinceps hæredes atq; ſucceſſores tenerent comitatus, vrbes, arces, munitiones, dominia, inſulas, reditus atq; prouētus Aquitaniæ, item vrbē, arcem, comitatū, & omnem ditionē Pictauienſem, vrbem & arcem Roſchellæ, Lemouicū, vna cum omni regione. Ad hæc tam vrbem Angoleſmenſem, quam arcē cū vniuerſa ditione: item Caletum, & multa præterea alia, quorum vt ingens eſt numerus, ita faſtidioſum ſit, illa recenſere. Vt Gallus renunciaret his omnibus, & ſimul feudis atq; iuri quod vel ipſe vel illius heredes atq; ſucceſſores, vllo modo requirant, vtq; hæc omnia Anglus teneret libere, nec opus haberet Regem Galliæ aut illius ſucceſſores, vt ſuperiores in hoc agnoſcere. Item vt viciſſim Anglus, pro ſe, ſuis hæredibus & ſucceſſoribus renūciaret nomini, titulo, & iuri, quod vel ipſe vel illius poſteri prætendant in regnum Galliæ. vt renunciaret etiam portioni, quam poſtulabat ex Ducatu Normanniæ, Andegauenſi, & Turonenſi. Item omni iuri Britoniæ. Hæc & alia multa, quæ copioſius apud auctorem, vterque Rex ſancte iurarunt, & eorum filij. Porro, ad maiorem confirmationē, dati ſunt a Gallo obſides, Dux Aurelianenſis, Andegauenſis, Berriæ, Borbonius, plus minus duodecim Comites atque Barones: item potentiſſimæ Galliæ ciuitates, aliquot maxime præſtantes viros mittebant ſingulæ. Et his quidem omnibus Londinum adductis, Gallus Lutetiam rediit, magno ſuorum deſiderio. Et ſtatim ad omnes officiarios, præ-

ſides

fides vrbium, munitionumque suarum, quas Anglo cesserat, scripsit, vt migrarent. Sed dictu mirum, quam hoc ægre fecerint plerique omnes. Nimis enim durum & insolens videri illis, ferre iugum & imperium Anglorum. Præcipue vero Rochellenses impense deprecari. Sed Gallus æqui & honesti studiosus, a pactis & iureiurādo minime discedendum existimauit. Ideoque iuxta formulas cōtractus agi per omnia mandabat. Vicissim ab Anglo missi sunt, qui certas arces & munitiones bello partas, Gallicæ ditioni restituerent. Liberatis ad hunc modum oppidis atque munitionibus, milites iam olim assueti rapinis atq; prædis, cum reditum ad suos, & inutilem sibi & minus etiam tutum esse iudicarent ob admissa facinora, fortunam deinceps experiendam putarūt. Itaque collecti grassabantur per Campaniam, & loca vicina, depopulantes omnia, aucto indies numero, vt fieri solet. Gallus certior factus de ipsorum improbitate & nequitia, Iacobum Borbonium misit cum exercitu. Inuenit eos considentes in altissimo monte, cuius ea fuit forma, vt numerum copiarum nemo posset omnē contemplari. Et cum essent ad sedecim millia, non videbantur exploratoribus excedere quinque. Conserto prælio, acriter pugnatū est, sed deteriorem partem fortuna iuuit. Multi perierūt in eo prælio clari viri. Vulneratus grauiter ipse Borbonius vna cum grandiori suo filio Petro. Abducti Lugdunum, triduo post obierūt. Parta victoria, facinorosi isti recta tendebāt Auenionē: qua re pontifex & Cardinaliū cœtus summo repente metu sunt perculsi. Nam tāta erat sæuitia & improbitas, vt nemo se illis oppponeret. Ceterum in his angustiis positi, quo repellerent immanissimam gentem, quæ nullū nō malefici) genus perpetrabat, crucē prædicari iusserunt, concessa admissorū omniū remissione. Conuenere plurimi. Sed cū salarij nulla fieret mentio, subduxerūt se omnes. Hoc ipso tempore Marchio Montferratensis in Duces Mediolanenses bellū gerebat. Egit igitur Pontifex cū isto, vt hanc colluuiem omnem secū in Insubriā abduceret. Atq; ita euenit. Acceptis enim a Pontifice & Collegio Cardinaliū sexaginta milibus aureorū, propositis etiā a Marchione salariis, illum secuti sunt, & strenuā ei operā nauarūt. Gallus per Ducatum Burgundiæ (qui tū morte iunioris Ducis ad eum fuit deuolutus) venit Auenionem, salutatum Pontificem, qui non multo post obiit. Et cum de electione non conueniret (duobus quibusdam maxime ambientibus) electus est abbas quidā sancti Victoris apud Massiliam, vir doctus & pius, vocatus deinde Vrbanus papa. Rex Cypri Auenionem appulit, vehementer obtestans & Pontificem & Gallum, vt expeditionem facerent aduersus Sarracenos & hostes fidei Christianæ. Pontifex in concione rem proposuit. Suscepit crucē Gallus cū bona suorū nobiliū parte. Postea Cyprius in Bohemiam abiit, ad Cæsarem id temporis, inde per Germaniā, Brabantiam, & Flādriā venit in Angliam, idē rogans Eduardū regem, sed is honeste se excusauit. Ex Anglia rediit Ambianum, vbi tum Gallus erat. Post in Aquitaniā accessit ad Principem Wallensem. Et sub idem tempus principi natus est filius, Eduardus nomine.

Obsides pro Gallo datos male habuit, tam diu detineri se custodia. Rex Eduardus, vt erat facilis & humanus, permiserat illis adire Caletū animi recreandi caussa, tū etiam vt Galliæ viciniores, negotiū suum eo cōmodius tractarent. Subinde miserunt ad regem & Normanniæ ducem. Gallus, quod esset occupatus in adornanda expeditione contra Sarracenos, deinde etiam quod bello vexaretur a rege Nauarræ, nō commode potuit illos expedire. Itaq; factum est, vt dux Andegauus regis filius, relictis sociis obsidibus, in Galliam reuerteretur.

Gallum incessit mira quædam cupiditas reuisendi Angliam, quod benigne esset ibi tractatus. Dissuasum illi fuit, perstitit tamen in sententia, vt filium suum etiam propter abitionem excusaret. Abiit, receptus est honorifice. Non multo post aduersa valetudine correptus Londini, obiit. Relatus in Galliam, in sancti Dionysij oppido sepultus est, præsente Rege Cypri.

Rex Nauarræ, existimans sibi datam meliorem belligerandi occasionem, collegit militem vndecunque potuit, & commissum est prælium satis acre, in Normannia.

Ioanni Regi successit filius Carolus, ante dictus Normanniæ Dux, eodem anno coronatus Remis, vna cum vxore filia Petri Borboniæ Ducis. Coronationi interfuerunt inter ceteros, Rex Cypri, Wenceslaus a Bohemia, Dux Lutzēburgi & Brabantiæ. Cum

Parisios reuertisset nuper coronatus Rex, fratrem suum Philippum natu minorem, qui cum patre Ioanne fuerat in Anglia captus, declarauit ducem Burgundiæ. Rex Ioannes priusquam in Angliam nauigaret, erat hoc ipsum filio Philippo pollicitus.

DE CAROLO, EIVS NOMINIS QVINTO.

NONDVM erat Gallia prorsus purgata rapacibus istis, quorum supra meminimus, & in Normannia vicinisque locis, pleriq; coniuncti Nauarris, mire infestabant illam, belli Dux erat, Ludouicus a Nauarra. Carolus Rex fratrem Philippum, Burgundiæ Ducem nuper factum, præfecit, vt in hostem confligeret: hic pleraq; omnia recuperauit. Sub idem tempus, comes a Montepeliardo, adiutus a quibusdam Germanis confœderatis, prope Vesontium irrupit in Heduos. Huc Burgundus statim adduxit suas copias, sed migrarant hostes.

In cõditionibus pacis, inter Anglum & Gallum, quorum capita breuiter retulimus, exceptum erat negocium Britonicum, & promiserant vterque Rex, daturos se id operam, vt dissidiũ æquabiliter componeretur. Sed parũ diligenter tractatum fuit negociũ, & contigit Regem Ioannem mori, vt diximus. Quo magis incruduit bellum, Gallus subsidio misit Carolo a Blois, (qui datis filiis obsidibus e custodia fuit exẽptus) mille equites. Ioannes comes a Monteforti auxilia impetrauit, cum ab aliis, tũ ab Anglis, id temporis Aquitaniam occupantibus. Paratis iam ad dimicãdum exercitibus, nobilis quidã Britonicus, captiuus, cui armari non licebat, intercessit, suppliciter orans vt amice transigerent, neq; finerent rem ad manus venire. Credibile est, illum potuisse exorare. Sed Angli quidã nobiles tacite orabãt comitẽ Montfortium, qui copiis præerat, ne pacis vllæ rationes cũ Carolo susciperentur. Isti enim, quod omnia fere sua profudissent, cupiebant armis vel iacturã omnem recuperare, vel id si non contingeret, reliquũ amittere. Itaq; commissum est præliũ multũ acre, sed Angli, virtute superiores, in fugam conuerterunt hostem. Carolus in pugna succubuit, id plerique tum credebant ex cõposito factum, quod alia ratione finis imponi bello non posset. Montfortius videns illum vita spoliatum, etsi hostis erat, lacrymas tamen non continuit.

Fuso hoste, & parta victoria, Mõtfortius breui tẽporis spatio cœpit complures alias Britoniæ vrbes. Galliæ rex, de statu rerũ certior factus, misit fratrem suũ, ducem Andegauorum, vt & viduam, vxorem Caroli, mirabiliter afflictam consolaretur, & præterea confirmaret eorũ animos, qui nomine illius durabant in præsidiis. Sed cum iam bona Britoniæ pars in potestatẽ Montfortij redacta esset, Gallus, habita consultatione, misit legatos ad eũ, qui de pace agerent. Ille rem ad Anglum retulit, qui cum non dissuaderet, conditiones propositas nõ exclusit. Nimirum, vt omnem Britoniæ ducatum teneret. Vt, si contingeret ipsum mori, nõ relicta sobole, tũ Ducatus deuolueretur ad filios Caroli vita defuncti, qui quidẽ in Anglia tum, vt diximus, detinebantur obsides. Item, vt viduæ, vxori Caroli, cederet comitatũ quendam iis locis, cuius annui reditus, atque prouentus, surgebant ad viginti Francorum millia. Deinde, vt a Galliæ rege vocatus, præscripto tempore adesset, accepturus ab eo sui Ducatus inaugurationem, & reliqua omnia facturus ex more. Postremo, ipse adeo sua sponte promisit, daturum se operam, vt sui cognati, obsides in Anglia, liberarentur.

Ludouicus Nauarræ, sub hoc tempus in Italiam abiit, despõsurus reginam Neapolitanam. Galliæ rex in hunc vsum illi mutuatus est sexaginta francorum millia, pignori ab eo susceptis aliquot ipsius arcibus. Cum Neapoli res fere suas peregisset, non multo post vita defunctus est.

Cõposito bello Britonico, simul & Nauarrico, passim omnia plena erãt milite prædone & rapinis assueto, qui Galliã potissimũ infestabant. Videbat Galliæ Rex, illos aut opprimẽdos, aut aliis rationibus e regno deducẽdos. Hungariæ rex tum aduersus Turcam bellum gerebat. Is itaque petiit, hãc colluuiem ad se traduci: sed veterani, quibus

regio non incognita erat, dissuadebant profectionem. Cogitata fuit igitur alia ratio, & simul Galli negotium iuuabat Vrbanus Pontifex, Auenione degens. Nam & is pro suo in Galliam amore, cupiebat alio traduci perditum genus hominum. Regnabat id temporis in Castilia quidam dictus Don Pietro, homo impius & tyrannus insignis. Nam & complures honestissimos viros ad supplicium rapuit, & sua ipse manu plerosque intéremit: & inter hos etiam vxorem suam ex familia Ducum Borboniorum. Proceres ecclesiæ in vinculis detinebat, exutos omnibus facultatibus. Dicebant illius familiares, conspirasse eũ cum Rege Granatæ, Christianorum perpetuo hoste. Patrem habuit Alphonsum Regem, qui ad aliam quandam allusit: e qua tres filios sustulit, quorum natu maximus Henricus, vir strenuus in bello, & honesti erat ingenij. Tyrannus iste subinde apud Pontificem ob varia crimina accusatus, concitauit omnes in sui odium. Habita consultatione, Pontifex Vrbanus Henricũ istum illegitimũ, & Arragoniæ Regẽ, Petrum, (cui perpetuum erat cũ tyranno bellum, vt qui spoliatus erat suis aliquot ditionibus ab eo) Auenionem venire iussit. Ibi legitimatus Henricus, declaratus est Castiliæ Rex, excommunicato & reiecto tyranno. Arragoniæ Rex promisit se patefacturũ suam ditionem omnem & suppeditaturum annonam copiis, quæ in Castiliam deducerẽtur aduersus tyrannum: quo & ipse sua posset ope militum recuperare. Ad hanc expeditionem conuenerunt plurimi nobiles viri. Hac igitur ratione, milites isti, Galliæ iam olim graues, in Castiliam abducti sunt. Tyrannus certior factus de exercitu aduẽtante, fugit cum vxore, cum duabus filiabus & nobili vnico. Nam populus odio illius, nolebat sumere arma contra venientem hostem. Sic destitutus erat ab omnibus. Ventum in Castiliam. Hẽricus summo applausu omnium, regni administrationem suscepit. A coronatione, acceptis, a plerisque omnibus nobilibus & ciuitatibus, iuramẽtis, discessum est a nobilioribus, quorum ope regnum obtinuit. Iam enim res confecta videbatur. Sed tamen militem illum prædonem non dimisit: quod statutum haberet, bellum inferre regi Granatæ. Tyrannus in his angustiis positus, ex consilio nobilis, qui vnicus apud eũ substitit, misit ad principem Wallensem literas miserationis plenissimas, de suo statu & infortuniis, petens cõsilium simul & opem. Non multo post ipsemet, quod suis in regno non fideret, Baionam appulit. Consiliarij principis putabãt non esse ei subueniendum propter scelera & impietatem maximam, neque suscipiendum periculum vllum ipsius gratia. Princeps contra iudicabat rem indignam, filium illegitimum occupare regnum: fieri hoc pessimo exemplo, & præiudicio ceterorum regum atque principum. Itaq; aduenientẽ tyrannum in vrbem Burdegalam, humaniter excepit, opem illi suam promittens. Misit tamen in Angliam ad regem parentem suum, re omni exposita, cõsilium & auctoritatem ab illo petens. Anglus, quod fœdus sibi cum Hispano iam olim intercederet, filium hortatus est literis vt eum restitueret. Itaq; statutũ fuit inter eos de profectione. Sed obstabat vnica res: faciundum erat iter per regnum Nauarræ: & Nauarra pridem fœdus susceperat cum Henrico nuper Hispaniæ rege. Baionæ simul ventum est, & certis quibusdam conditionibus placatus est Nauarra, sic vt studium, amorem atque pacem promitteret. Henricus rex nouus certior factus de rebus omnibus, misit ad Gallum pro auxiliaribus copiis.

Princeps egit apud Duces eorum militum qui Galliam prius infestarant, & qui tum sub Henrico merebant, vt eos ad se traduceret. Erant circiter duodecim millia. Cumque profectionem in Aquitaniam instituissent, in Arragoni[illegible]gno plurima perpessi sunt, præclusis & obsessis vndiq; viis, sed tamen perruasẽrũt: & cum abessent aliquot miliaribus a Tholosa, recepti sunt in Montem Albanum ditionis Aquitanicæ. Galli certiores facti, obsidebant vias, ne Tholosam aut in vicina loca penetrarent. Vẽtum est ad manus. Strenue pugnatũ a Gallis, ita quidem, vt hostem in oppidum vsq; profligarent, sed succedentibus in locum recentioribus, repulsi Galli, magna ex parte vel interempti fuerunt vel capti. Quorũ ex numero tum erat comes Narbonæ Tholosanis opem ferẽs, & præter hunc plurimi alij Galliæ, prouinciæq; Narbonensis viri nobiles.

Princeps Wallensis, ne populũ exactionibus premeret, ad alendum militem, nõ mediocrem auri vim a patre Eduardo mutuatus est: quinetiam aurea sua argẽteaq; pocula in nummos redegit. Milites, ferro sibi patefacta via, peruenerunt quo optabant.

Ex captiuis multi, bona fide, vt fieri solet, dimissi sunt. Vrbanus, odio militum istorũ, auctor fuit comiti Narboniæ, & aliis, custodia liberatis, ne pro sui redemptione, vel teronciũ dependerẽt: eximens eos omni nexui, & obligationi. Dum apparatũ bellicum faceret princeps, Burdegalam venit rex Maioricæ, grauiter querẽs apud principẽ de rege Arragoniæ, qui patrem suũ in vinculis necasset Barcelonæ. & vi armorum teneret omnem suam ditionem. Cupiens igitur vlcisci acceptã iniuriam & in hæreditatẽ paternã restitui, principẽ implorabat. Vxorem habuit Neapolitanam reginam. Expositis querelis, princeps illi promisit, facturũ se, confecto prius negocio Hispanico, vt aut æquis conditionibus, aut armorum præsidio in regnum suum restitueretur.

Priusquam discederet princeps, natus est illi filius Burdegalæ, pro quo ad sacrũ fontem fide iussit profugus Maioricæ Rex. Vocatus est Richardus, postea factus Angliæ Rex, mortuo Eduardo, principis natu maximo filio.

Sub mensem Februarium, Burdegala discessit: paulo post ferebatur incertus rumor de Rege Nauarræ, puta, quod nouum fœdus iniisset cum Hẽrico Rege, itaq; futurum, vt principi & ipsius copiis non pateret via per illius regnum. Scriptum est super ea re ad Nauarrium, sed ille suis rationibus diligenter expositis, amorem erga principem, & exulantem tyrannum declarauit. Princeps sui exercitus tres fecit partes, quarum aliæ alias sequerentur. Primam tenebat Dux a Lenclastre, nuper ab Anglo in subsidiũ missus, secundam ipse princeps vna cum tyranno, tertiam Rex Maioricæ administrabat. Facientibus iter per Nauarram, ipse adeo Rex, per bonam sui regni partem, itineris comitem atque ducem se præbuit, vt faciliorem haberẽt accessum. Pampelunæ, quæ potissima est in regno Nauarræ, conuiuio illos excepit Nauarrius, plerique omnes sperauerant, vt arcerentur, postquam in regnum aduenissent. Sed prçter illorum opinionem Rex in amore, & fœdere perstabat.

Henricus Rex certior factus de exercitu Aquitano, conscripsit copias in Hispaniis, ad sexaginta hominum millia. Nam vnice illum amabant, parati pro eo etiam quæuis subire incõmoda. Deinde per nuncium publicum misit literas ad principem, cupiens cognoscere, qua de causa bellum sibi moueret, cũ nulla vnquam ipsum iniuria affecisset, princeps deliberatione facta, nuncium apud se detinuit. Et longius productis copiis, prope vrbem Victoriam consedit vterque exercitus. Ex Gallia venerunt in subsidium Hispano regi tria millia.

Angli montẽ quendã occupabãt. Hispano fuit consultũ, si victoria vellet potiri, sine cæde & sanguine, nõ esse opus alia ratione, nisi vt vndequaq; præcluderet vias, ne quis cõmeatus ad hostẽ perferri posset. Nã erãt Angli tanquã in angustiis positi, & minimo negotio potuissent intercludi itinera. Sed Hispanus pugnæ cupidus, ꝙ exercitus ipsius iam surgeret vltra cẽtena millia hominũ (nã augebatur indies) manum voluit cõferere.

Postquã aliquot dies in hac parte consedisset Anglus, ob loci sterilitatẽ alio deduxit exercitũ: & cum non procul abesset, a castris hostiũ, per nunciũ, quem ad tres fere hebdomadas apud se detinuit, literas dedit ad Hispanũ, in quibus breuiter respõdit, se grauibus de caussis fugato regi opem ferre, libenter se quidẽ velle componere dissidiũ, verum esse necesse, vt abdicet regni administrationem atq; omnem titulum, quẽ iure sibi vsurpare non posset: quod si recuset, iam se paratum in quamuis partem. Quẽ in modum Angli suas acies instruxerint, supra diximus. Hispani quoq; exercitum omnem in tres partes diuiserunt: primam tenebat insignis quidã belli dux e Gallia, & erãt circiter quatuor millia: secunda habebant duo fratres Henrici, plus minus viginti quinq; millia tam equitũ quam peditũ: tertiam ipse Rex Henricus, & surgebat illius exercitus omnium longe maximus, ad septem millia equitum & sexaginta millia peditũ, quorum magna pars balistas ferebant. Inter Nauarram & oppidum Nauarretam simul ventum est. Vix vnquam maioribus pugnatũ viribus. Hispani fundis vtebantur, quibus trãsuerberabant galeas hostium, crudeli certe pugnandi genere. Angli contra sagittandi peritissimi, obruebant eos multitudine telorum. Frater regis Henrici, qui alteram partem exercitus tenebat, vt diximus, illico, vt vidit principem cum suis copiis signa contra se ferre, discessit e prælio, nec vnquã in hostem pugnauit. Ea res animos plurimorum fregit. Sed Rex Henricus, quacunque parte videbat languentem fractumve exercitum, illuc

illuc sese ingerere, acclamare suis, hortari, & commonefacere honoris & officii: atq; adeo ter vno die suos, iamiam ad fugam spectantes, voce sua cohibuit, & in ardore continuit. Neque solum a milite, verumetiam ab ipsis principibus omnium acerrime pugnatum est. Tyrannus profugus regem Hēricum sibi dari cupiebat obuiū in prælio. Sudatum est nauiter & plus quam hostilibus animis. Tandem Hispani, cum Anglorū simul & Aquitanorum vires impetumq; ferre non possent, in fugā sese dederunt: neque potuit eos reuocare auctoritas vel clamor Regis Henrici: qui simulatq; vidit se magis & magis iam destitui a suis, fugit & ipse. Habebat enim hoc sibi persuasum, futurum vt si caperetur in prælio, morti daretur. Angli fugientem hostem persecuti sunt. Ibi vero mira fuit facta strages eorū qui occidebantur, & qui se ipsi præcipites in fluuiū quēdam insignem iis locis dabant, ne in hostiū manus deuenirent. Commisso prælio perlustratus fuit cæsorum aceruus. Inuēti plus minus sexcenti equites occisi, & septem fere millia peditum, non numeratis interim iis qui ad pontē occisi fuerunt, & flumine absumpti. A pugna principes couenerunt Burgis, Hispaniæ oppido. huc accesserūt ex Toleto, Lissebona, Galitia, Sibilia, & ex plurimis aliis Castiliæ locis, vt fidem præstarent tyranno iam restituto. Videbant enim tantæ multitudini non posse obsisti. Anglus postea egit cū tyranno, colligeret pecuniam, vt militibus, quorū opera restitutus esset, satisfieret. Ille in Sibiliam abiit pro colligendo auro in hunc vsum, ab aliquot hebdomadis ad Anglum reuersurus, quo omnibus persolueretur. Nam cū eiectus regno, primum venisset Burdegalam ad principem, obtestās opem, vt diximus, promiserat se, vt primum esset restitutus in regnum, liberaliter persoluturum omnibus. & ita se hoc nomine obligauit principi, vt hic fideiussionē suam pro eo interponeret apud nobiles, & reliquos iamiam ad expeditionem paratos. Abiturus in Sibiliam fidem dedit principi, se breui vna cum auro adfuturum. Princeps cum vltra præstitutum tempus expectasset ad aliquot menses, misit qui cognoscerent caussam: Tyrannus respondit, se amandasse aliquot suos, qui perferrent aurum: sed a prædonibus in via fuisse interceptos: rediret adeo ipse in suam ditionem, relictis aliquot officiariis in Castilia. se numeraturum illis abunde. responsum quidem male habuit principem, sed aliud tum obtinere non potuit.

Rex Henricus e pugna fugiens, Valentiam Arragoniæ ciuitatem venit, calamitatē suam apud Regem exponens. Inde Montē pessulanum, ad Ducem Andegauorū, summe infestum Anglis, post Auenionem ad Pontificem Vrbanū, recensens infortunia & miserias, & parabat Pontifex id temporis abitionem inde Romam. Adiutus tacite a Duce Andegauensi Henricus, collectis militibus, inuasit ditionē principis. Cuius vxor indignitate rei perterrita misit ad Gallum, vt is compesceret hostem: sed ille dissimulare. hinc adeo princeps, cum intellexisset de statu rerū, coactus est ad suos, nondū pensa pecunia a tyranno, redire. Cum in Arragoniam venisset, inuenit obstacula, neque patebat transitus. Verum constituto die res inter eos transacta est amice.

Princeps Wallensis in ditionem suam reuersus, quod magnam pecuniæ vim profudisset in bellum Hispanicum, conscripsit nobiles Aquitaniæ, & primores ciuitatum. Ibi in cœtu proposuit de communi quodam tributo ab omnibus conferendo, per omnem ditionem, idque solum ad quinquenniū, propter magnum æs alienum: (nondum enim militi satisfactum erat) deinde etiam, quod præter hæc omnia, thesaurum fere suum in expeditionē Hispanicam omnem profudisset. Pleræq; omnes ciuitates assenserunt. sed potentiores aliquot principes opponere se, in hanc sententiam, se nullo vnquā tempore, quo regibus Galliæ subiecti fuissent, grauatos eiusmodi exactionibus, & potius quam dēt, malle se quiduis perpeti. Principe nihil remittente de suo ardore & proposito, Nobiles, qui contra dixerant, recta se contulerunt Lutetiam ad Gallū, & ibi in cœtu consiliariorum, molestiā exposuerunt, grauiter conquerentes de principe, & simul Gallum obsecrantes, vt in ipsius patrocinium reciperentur.

Gallus respondit, Acturum se ex consilio, & iuxta formulas pacis inter patrem suum & Anglū constitutæ. Aquitani interim proceres commorabantur Lutetiæ. Tributum sic erat, vt singulæ familiæ per annum penderent francum vnum: quæ quidem summa creuisset ad duodecies centena francorum millia, in singulos annos.

Henricus rex, certior factus de rebellione Aquitanorum, iudicans optimum esse, frui aliena calamitate, noluit hanc tantam occasionem negligere. Collegit igitur exercitū ad decem millia hominum, adiutus ab Arragonio. Quacunque tenderet, recepit vrbes & arces in suam ditionem. Tyrannus Sibiliæ tunc commorans, intellecto nuncio, misit illico ad regē Lusitaniæ, ad regem Granatæ, pro subsidiis: Impetrauit, & habuit collecta circiter quadraginta millia: inter quos multi etiam Sarraceni.

Rex Henricus, videns consilio magis & arte, quam viribus agēdum, (tyrannus enim illum superare multitudine) ex consilio cuiusdam ducis, primo diluculo, præter opinionem repente adortus est hostem, & fœliciter pugnauit, ita quidē vt tyrannus in vicinam quandam arcem confugeret. Hoc vt resciuit Henricus, omnem exercitum illuc adduxit. Tyrannus periculi præsentiam videns, nocte intempesta, arcem tacite egressus cum paucis quibusdam, sperabat euasurum se. Verum incidit in præfectum excubiarū: a quo captus, illico ad Henricum Regem adductus est, qui statim asperrimis verbis in eum cœpit inuehi. Tyrannus illi vicissim obiicere matrem meretricem. Breuiter, Henricus tyrannum humi prostratum, ipse superincumbens, gladio confodit; & ab illius morte, omnem Hispaniam facili momento recuperauit. Lusitaniæ Rex mortem tyranni cognati sui parabat vlcisci bello, sed pacatus fuit.

Quo tempore Aquitaniæ principes Lutetiæ commorabantur, Gallo natus est filius, eiusdem nominis. Interim subinde fuit supplicatum Gallo ab Aquitanis, vt se contra principis iniquitatem defenderet. Quod si non fieret, cogi se necessitate summa, solicitare alium dominum, cuius patrocinio quiete sua possideant: atque ita futurum vt Galliæ Reges deinceps excidant dominio & iure totius Aquitaniæ. Rex molem atque periculum belli considerans, diu multumque deliberauit. Ex consiliariis Regis pleriq; omnes hortabantur ad bellum, contendentes vehementer, pacis cōditiones ab Anglo violatas. Tandem visum est citare ipsum adeo principem in Senatum Parisiensem, & missi sunt qui citationem perferrent. Princeps, vt audiuit, tandem respondit, vēturum se quidem Parisios, postquam Rex ita iubeat: sed galea capiti imposita, & comitatum sexaginta millibus. Nuncij Burdegala discesserunt, & in itinere comprehensi, ex mandato principis coniecti sunt in carcerem.

Hic obiter cōmemorādum est de obsidibus in Anglia. Dux Andegauus, vt supra dictum est, subduxerat se, priusquam Rex Ioannes in Angliā rediret. Dux Berriæ, facilitate Regis Angli, impetrarat anni spatium quo posset in Galliis commorari. Et eadem ratione pleriq; alij dimissi sunt. Vnus & item alter, depensa pecunia, sese redemerunt. Qui sic a Rege fuerant dimissi, orto iam bello, non redibant.

Gallus Anglo denunciare bellum. Et Galli quidem negocium, puta, belli tractationem, agebant duo illius fratres, vndiq; colligentes militē, sic vt numerus ad cētena hominū millia surgeret. Incursum est subinde a Gallis in Pictauiensem agrum, & alias ditiones principis. Et huius vicissim milites incursiones fecerunt in ditiones eorum, qui belli dederant occasionem, quique apud Gallum de se conquesti fuerant.

Gallus caussam suam, & belli necessitatem, diuersis locis, per disertos viros ita euidenter exposuit, vt nemo non iudicaret iustissimas illius esse rationes. Idem Anglus faciebat, nimirum eo consilio, vt expositis belli causis, faciliorem haberent populum ad pendenda tributa, & subeunda onera quæ imperarentur.

Ludouicus Flādriæ comes filiam habebat vnicam. Angliç Rex modis omnibus cupiebat hanc vxorem dari filio suo natu minimo, & super ea re laboratum adeo fuit per totum triennium. Quantum ad comitem, nihil desiderabatur: verum pontifex Vrbanus nullis rationibus permoueri poterat vt assentiret. Erant enim consanguinitatis ratione sibi coniuncti. Ludouicus igitur, videns non posse fieri vt iis locis nuptiæ coirent, cœpit agere per amicos apud Philippum Burgundiç ducem, Galli fratrem germanum, vt inter hunc & filiam suam confirmaretur matrimonium. Id adeo factum est, & hac ratione Burgundia & Flandria simul vnitæ sunt.

Anglus, considerans per connubium hoc futurum, vt Burgundus Flandro succederet, egit apud regem Nauarræ (cui simultas erat cum Gallo propter aliquot ditiones) vt Gallo denunciaret bellum.

Maximam vim nauium Gallus instruxerat, missurus fratrem suum Burgundiæ ducem cum lectissimis copiis, vt in Anglia bellum gereret. Anglus, re cognita, bellum & ipse adornauit, excepturus venientes illos; filium præterea suum, Ducem de Lenclastre, cum copiis misit Caletum. Quod vt Gallus accepit, ex consilio suorum mutauit sententiam, melius esse iudicans, pugnare in hostem, sua iam sponte transgressum mare. Missus itaque fuit Burgundus, bene instructus: qui, cum propius hostem consedisset, etsi multo potentior, manus tamen conserere noluit, nisi ex mandato regis, fratris germani.

Recenset auctor, quendam belli ducem Anglum, virum & animo & consilio præstantem, & multum præterea in suis rationibus fortunatum, voluisse quodam die, nactum occasionem pulcherrimam, ferire hostem: quoque negotium melius conficeret, orasse comitem quendam Anglum, vt certo numero equitum sibi ferret suppetias. Quod cum ille haberet in animo, commonefactum a suis ne omnino succurreret, quod ille, si res feliciter caderet, omnem rei gestæ laudem solus esset habiturus: ageret negotium ipse suum, & aliquid moliretur, vnde solidam gloriam obtinere posset. Hac ratione impeditum illum, quod maxime optabat perficere non potuisse. Nimirum vbique dominatur inuidia & ambitio: ac sæpenumero fit, vt, dum alter in alterius gratiam nihil vult suscipere molestiæ, omittantur præclarissimæ rationes, & aduersarij hoc ipsum deinde in vsum suum transferant.

Vbi per aliquot dies ita consedissent aduersi exercitus, Burgundus ex mandato regis militem omnem dimisit; Lenclastre Caletum rediit. Et cum aliquot ibi dies reficiendi sui gratia commoratus esset, collectis denuo copiis, tẽdebat in Galliam: vbi exustis aliquot opidis, propter impendẽtem hyemem, dimisso exercitu, in Angliam reuertit.

Bellum istud diuturnum male habebat nobiles quosdam Galliæ, quorum aliquot, collectis rebus, alio se contulerunt, expectantes auræ serenitatem, ne, si aut ab armis quiescerent, aut alteri se adiunxissent, puta, vel Gallo vel Anglo, rebus ipsi suis obessent. Nam talis erat multorum ratio, vt cum in vtroque regno possessiones retinerẽt, neque hunc iuuare, neque illum destituere, citra facultatum iacturam, possent. Plurimi contra Aquitani principes, derelicto Angli filio, ad Gallum transibant.

Eduardus Rex, vt erat ingenio moderato & summa prudentia, videns discessionem illam nobilium a filio suo tendere ad magnum malum, misit in Aquitaniam literas in hanc fere sententiam: Delatum ad se, plerosque omnes implacate ferre nuper imperatam pecuniam a filio suo. Velle propterea se huic malo subuenire, & ea omnia prorsus tollere quæ ad odium vllo modo spectare possent. Adeoque statuere & mandare se, vt filius omnem hanc rationem imperandæ pecuniæ omittat, vtque damnum & impensa rependatur iis, qui vel a filio suo, vel illius officiariis nimium se grauatos iudicarent. Ad hæc, condonare se illis, qui ad Gallum transiissent, modo intra mensem reuertantur in Aquitaniam: precari se hoc solum, vt ne seditionem vllam excitent, vt memores fidei præstitæ, atque iurisiurandi, præsentem imperij formam sequantur. Se paratum eos placare qui ex æquo docere possent grauatos se nimium fuisse. Hanc suam esse mentem, hanc etiam consiliariorum suorum omnium voluntatem.

Hæ literæ fuerunt passim per Aquitaniam publicatæ. Sed parum attulerunt momenti: nam multos erat videre quotidie deficientes a principe ad Gallum. Vt satis appareat nullam esse virtutem ad retinendos homines in amore efficaciorem lenitate. Etenim Angli filius, alioqui vir eximius, rebus secundis, vt fieri solet, elatus, parum comiter tractare cœpit nobiles sibi subiectos: hinc adeo factum, vt amare eum non possent. Gallus vero, quod pręter singularem prudentiam, benignus etiam esset, insinuauit se hominum animis. Qua quidem ratione Galliam plurimum locupletauit, dignus qui inter prudentes reges annumeretur.

Galliæ rex, habita cõsultatione cum fratribus, duce Andegauensi, duce Berriæ, Burgundię, & aliis regni proceribus, ingentem exercitum misit in Aquitaniam. Et dux quidem Andegauus, Tolosa copiis suis eductis, quidquid iis locis erat munitionum & opidorum ditionis Anglicæ, facili manu, vel deditione facta, vel armis recuperauit. Dux Berriæ, Lemouicensem agrum inuasit. Andegauorum Duci adiunxerant se qui-

dam Aquitaniæ nobiles, illi nimirum ipsi quorum delationibus & querelis incitatus Galliarum rex, bellum hoc susceperat. Berriæ principem sequebātur Borbonius, Alenconius, & plurimi alij. Quacunque tendere, facilem inuenere viam. Sub hoc tempus, cum Nauarro transegit Gallus. Erat enim ille placandus, ne per Normanniæ partem, oramque maritimam, Anglis in reliquam Normanniam, Galliæ subditam, iter patefaceret. Transactio fuit eiusmodi, vt Nauarrius, simulatq; rediisset in regnum suum, Anglo bellum denunciaret. Ab Hispanis etiam auxiliares copiæ Gallis accesserunt, voluntate & beneficio Henrici regis. Interim Angli filius, partium suarum haud immemor, militem vndecunque collegit. Et Anglus, quo belli molem facilius perferret, inducias cum Scoto pactus est nouennales, ita quidem vt Scotis integrum esset vtrobiq; militare. Alium præterea misit exercitum, qui Picardiam depopularetur. Huic præfecit Robertum quendam Canollium, Anglici nominis mire studiosum, alioqui natione Britonem. Surgebat militum numerus ad decē circiter millia. A Caleto cum per Artesiam iter faciens, Atrebatum venisset, abstinuit quidem ab opidi oppugnatione, sed igni in suburbia coniecto, studebat opidanos ad eruptionem permouere: quæ tamen nulla fuit. Quacunque vadebant, omnia vastare flammis & direptionibus.

Andegauorum princeps, compluribus locis ab hoste recuperatis, communicato cum suis consilio, dimisit exercitum, quod pro tempore satis putaret gestum, & simul in præsidia militem distribuit. Berriæ dux, post multam obsidionem, Lemouicum vrbem in deditionem accepit. Qua quidem re adeo fuit offensus Angli filius, vt repente conscripto milite, opidum cingeret, addito iureiurando, se non prius conquieturum quam opidanis in suam potestatem redactis. Porro, cum ab exploratoribus accepisset, nimis arduum fore insultu eam capere, cuniculis actis, & ad extremum deductis, immissa deinde vi ignis, bonam muri partem prostrauit, aditumque militi fecit.

Sed quis miserabilem illam & vastam commemoret stragem? Non mulieribus, non infantibus, ad Angli pedes misere procumbentibus, & salutem orantibus, parcitum est. Tantus erat viri ardor, tam vehemens ira. Post hanc tam immanem hominum stragem, post direptas ciuium fortunas, & perpetratum omne sceleris ac inhumanitatis genus (quæ militum est rabies) principis mandato incensum opidum solo fuit æquatum. Berriæ Dux, vrbe potitus, exercitum suum, exemplo fratris, dimiserat.

Hinc adeo factum est vt & dissipato milite, & paucis quibusdam, vt suspicari licet, ibi stantibus in præsidio, ciuibus minime fuerit subuentum.

Copiæ Roberti Canolli, quæ per Galliam in Andegauensem agrum penetrarant, cæsæ tandem fuerunt a Connestablio Regni: fuga dilapsus Robertus, in Britoniam reuertit.

Sub hoc tēpus, e vita migrauit Vrbanus Pontifex, nuper Auenionem reuersus. Huic suffectus est Gregorius vndecimus, multum in ea re solicitante Galliæ Rege, qui magnum in hoc Pontifice præsidium sibi paratum videbat.

Angli filius, medicorum inductus consilio, relicta Aquitania, in patriam discessit. Etenim quo tempore bellum in Hispaniis pro tyranno exulante gerebat, morbum quendam & grauem, & vix curabilem, ibi collegit: qui cum sic incrudesceret indies, vt equitationem ferre non posset, & lectica veheretur, medici auctores illi fuerunt vt in Angliam se reciperet, solum natale: futurum vt illic commodius haberet.

Abiturus inde, fratrem suum germanum, ducem a Lenclastre, qui totum belli tempus communem Martis aleam cum illo expertus erat, gubernationi rerum iis locis præfecit, obtestans Aquitaniæ principes, Burdegalæ collectos, vt imperium fratris non impatienter susciperent.

Supra narratum est de rege Maioricæ: qui contumeliam & iniuriam illatam vlcisci cupiens, principis Wallensis fidem atque promissa per temporis aliquod spatium sequebatur, vt hostem suum Arragoniæ regem, tunc Hispano confœderatum, profligaret. Ceterum, Henricus Hispaniarum rex, vt ditionis suæ pleraque omnia recuperauit,

rauit, Maioricæ regem in quodam Hispaniæ opido valetudinis causa relictum ab Anglo offendit, &, quod hostium secutus esset partes, in custodia per annos aliquot detinuit. Ope tandem amicorum, & depensis aureorum centenis milibus, liber factus, militem aduersus Arragonium collegit, & acris erat haud dubie futura dimicatio, nisi in aduersam valetudinem relapsus, vitam finiisset. Hac igitur ratione bellum quieuit.

Tyranni illius Hispani, de quo supra, filias duas, Constantiam & Isabellam, nobiles aliquot Hispani, de morte patris illarum certiores facti, statim in Aquitaniam per mare deduxerunt. Ex his natu maiorem Constantiam, dux a Lenclastre, suorum auctoritatem & consilium secutus, vxorem duxit; nam & puellarum calamitas, & succedendi aliquando spes ampla, huc impellebant. Qua re intellecta, Hispanus, futurum timens, vt tertius Angli filius alteram sibi matrimonio coniungeret, missis ad Galliæ regem legatis, arctissimo se fœdere cum illo adstrinxit, pollicente Gallo certissimum præsidium aduersus quemlibet hostem: præterea nullas vnquam se pacis rationes cum Anglo suscepturum, quæ non & Hispano essent vtiles futuræ, atque honestæ.

Dux Lenclastre paulo post nuptias, conuocatis loci primoribus, & expositis ibi suis rationibus, quinetiam constitutis per omnem ditionem qui pręessent absente se, in Angliam vxorem abduxit.

Anglus, habita consultatione, statuit filium Lenclastre mittere adiunctis copiis, vt deuastata Picardia, per Galliam deinceps grassarentur. Ad hæc natu minimum filium in Aquitaniam cum exercitu præmisit bellum iis locis facturum, vt hinc illinc Gallis negotium exhiberetur. Sed Galliæ rex per Anglos aliquot certior factus, præsidiis muniuit omnia Picardiæ loca: &, quandoquidem ex Anglorum indicio compertum habebat, Anglicam classem in Aquitaniam appulsuram, tacite hoc significabat Hispano, recens cōfœderato; fecit ille ex officio, missis 40. maximis nauibus, & 13: aliis non eadem magnitudine, vt venientem Anglum exciperent: quem non procul a Rochella, cum aduenisset, magnis viribus adorti sunt, totum fere diem durante prælio. Rochellenses, otiosi spectabant, & rogati a suis præfectis vt laborantibus Anglis subuenirent, in excusationem adduxerunt nescio quæ. Nam Anglorum imperium impotentissime ferebant, vtcunque dissimularent. Postridie renouata pugna, fuit multo omnium asperrima: tandem ad Hispanos, quod nauium & numero & magnitudine, deinde, quod etiam turba superarent, victoria declinauit, cæsis aliis, & captis quamplurimis, & inter hos, regis iuniore filio, cum bona ducum parte. Nauis insuper illa quæ maximam vim auri vehebat, in alenda tria hominum millia, fluctibus absorpta fuit. A pugna Rochellam aduenerunt ex Aquitania iustæ copiæ, sed sero, nimirum rebus infeliciter gestis.

Hinc adeo factum est vt paulatim omnem ditionem Anglus amitteret, partim discedentibus populis, partim in facilem se deditionem dantibus.

Dum hæc agerentur, principis cuiusdam Anglici filius (Iuonem vocant) apud Galliæ regem miserabiliter questus est de insigni iniuria sibi ab Anglo facta, qui & patrem suum Ammonem, principem Wallorum, necari iussisset, ac deinde totam illam ditionem in filium suum contulisset. Gallus igitur & naues illi instruxit, & plus minus quatuor millia adiunxit: quorum auxilio iste quandam Angliæ insulam ingressus, manu conserta hostem profligauit ac fudit. Reuocatus inde a Gallo, in Hispaniam missus est, vt ibi collectis nauibus Rochellam obsideret.

Rebus feliciter gestis in Anglos, tam ab Hispanis quam ab Iuone, Gallus, prospiciens futurum vt reliquæ ditiones facili momento ad defectionem impellerentur: præsertim si vel semel præterea infeliciter pugnarent, aut durius affligerentur: misit Connestablium, & cum eo magnam potentissimorum principum manum, vt bellum ibi redintegrarent. Vt in agrum Pictauiensem ventum est, quicquid circum erat opidorum atq; munitionum, facile recuperarunt. Ipsi adeo Pictauienses, parum inter se concordes, missis ad Connestablium literis, & declarata voluntate sua, portas illi sub diluculum, ita vt conuenerat, patefaciunt: hoc exemplum pleraque alia opida sibi imitandum proposuerunt.

Interea is de quo diximus, Iuo, comitatus Hispanici maris præfecto, cum instructissima

sima

sima classe ex Hispaniis appulit Rochellam, quæ tamen nihil hostile sustinuit, quod ciues & Anglum haberent exosum, & Gallicum imperium modis omnibus expeterent. Desciuissent pridem ab Anglo, sed obstabat arx ibi posita, & Anglicis munita præsidiis. Inito igitur consilio pro tempore satis callido, simulantes delectum se habituros tam ciuium quam eorum qui ad loci præsidium erant relicti, præfectum arcis, hominem minime vafrum, hac ratione cum suis foras produxerunt: quo perfecto, statim ex insidiis magna pars ciuium in arcem impetu facto, eos qui se conabantur opponere, per paucos quidem illos, repulerunt. Galliæ proceres, id temporis apud Pictauuium collecti, certioresque facti, cupiebant ab opidanis Rochellensibus recipi. Quod isti quidem minime recusarunt, sed certis quibusdam conditionibus, puta, vt liceret arcem, e qua diuersis temporibus multa fuerant perpessi, prorsus demoliri & æquare solo: vt Galli sancte promitterent nullis vnquam temporibus arcem ibi structum iri: vt Rochella perpetuo maneret ditionis Gallicæ, neue ad alium dominum transferretur, quocunque tandem modo id fieri posset, vt sunt varij rerum humanarum euentus. Cum hæc a Gallorum rege (nam proceres ad eum retulerant) probarentur, haberenturque rata, Galliæ denuo cessit Rochella: cuius quidem defectio, plurima circum loca, vt idem facerent, concitauit.

Galli duces, vtendum esse fortuna iudicantes, ita se comparabant vt breui tempore Pictauiensem agrum omnem & finitimum recuperarent, non citra accessionem & opem Britonum, qui in Galliam mire inclinabant, etsi Anglo esset addictus ipsorum princeps, vt cuius opera Ducatum obtinuisset. Euenit non multo post, vt Angli, simul atque in Britoniam accessissent, in portu quodam exurerent septem Hispanorum naues insigniter magnas. Illico nata est suspicio, factum id Britoniæ Ducis auctoritate consilioque. Gallus, per Britoniæ nobiles quosdam intellecta re, misit Connestablium, vt Britoniam subigeret: cuius principem iudicabat omni iure iam excidisse, quod cum Anglo fœdus contra se feriisset, a quo suæ ditionis inaugurationem accepisset, præstito ex more iureiurando. In his angustiis Brito, suis etiam diffidens, in Angliam profugit. Connestablius Britonum auxilio, plurima in suam potestatem redegit.

Dauid Scotiæ Rex, non relictis vllis liberis vitam morte commutauit: Iure successionis, regni administratio deuoluta est ad Robertum.

Supra diximus, Anglum statuisse, filium suum Lenclastre, postquam vna cum vxore in Angliam reuertisset, mittere in Picardiam, vt ibi bellum faceret. Sed res fuit extracta. Nam hoc primum anno Caletum appulit, & cum eo 13. millia, ipseque adeo Britoniæ Dux profugus. Grassari per bonam Picardiæ partem: omnia vastantes igni & depopulationibus, ab vrbium oppugnatione abstinuerunt, quibus multo ante fuerant a Gallo imposita præsidia. Galli, vastantes illos omnia, sine intermissione persequebãtur: & tamen ad manus nunquam ventum est, imo, legatis Pontificiis intercedentibus, actum est de induciis, & constitutum tempus quo Brugis, Flandriæ opido, rursus conuenirent, de grauioribus tractaturi.

Priusquam nunciarentur induciæ, Dux Britonum adiutus ab Anglo, quædam recuperauit, plura forsan recuperaturus, nisi de induciis interuenisset nuncius. Itaq; dimissis copiis in Angliam reuertit, præsidiis firmãs loca omnia. Sub Calendas Nouembris, vtriusque Regis legati Brugas venerunt, vt intercessione Pontificiorum, de matrimonio ageretur inter principis Wallensis filium Richardum, & Mariam Galliarum Regis filiam. Variis modis agitata re, coire tamen concordia nequibat. Eo Pontifex Gregorius offensus, Auenione relicta, Romam petiit.

Eduardus princeps Angli filius, vir fortissimus, Londini, sub hæc tempora, vitam finiit. Anglus deinde, congregatis & filiis & regni proceribus, exposuit in concione, Richardum ex filio vita defuncto nepotem, esse eum, qui sit a morte sua regni moderationem suscepturus. Et quoniam, multo ante, super ea re, cum optimatibus & reliquis filiis transactum erat, priusquam in Gallias expeditionem postremam faceret, haud difficulter omnibus persuasit, vt etiam iureiurando præstito, ratum se habituros illud affirmarent. Non multo post, Anglus ipse diem supremum obiit, non sine plurimorum dolore summo. Tam enim fuit Princeps laudatus, vt etiam Galliæ rex, intellecta

illius

illius morte, dignum eſſe diceret qui inter ſapientes reges connumeraretur. Huic ſucceſſit, vt conſtitutum ante fuit, Richardus nepos, coronatus Angliæ Rex, ætatis ſuæ anno vndecimo: regni quidem adminiſtratio erat penes Ducem a Lenclaſtre, iam electi Regis patruum. Interim Rex, aulico cuidam proceri formandus traditur, communibus omnium ſuffragiis ad hoc conſtituto.

Narratum eſt ſupra, Gallum, quo felicius atque commodius bellum Anglicum ſuſtineret, fœdus iniiſſe cum Nauarrio: ſed euenit poſtea vt duo quidam nobiles familiæ Nauarricæ, cum Nauarrij filiis apud Gallum commorantes, de veneficio apud Regem haberentur ſuſpecti. Et cum palam, audiente populo, flagitium agnoſcerent, ad ſupplicium rapti ſunt. Gallus illico miſit exercitum in Normanniæ partem illam maritimam ditionis Nauarricæ, quam Conneſtablius, facili manu, omnem occupauit. Ad hæc Hiſpanus, nuper Gallo confœderatus, bellum etiam Nauarrio inferre, qui quidem in his anguſtiis poſitus, a Richardo Angliæ Rege opem implorauit, nec id quidem fruſtra.

Dux Britoniæ, in Anglia commorans, auxilium ſubinde flagitabat a nouo Rege: ſed ſurdas hic ſemper aures præbere. Etenim princeps a Lenclaſtre, ſperans, ditionem Britonis occupare ſe poſſe, contractis copiis, cum appuliſſet, oppugnare quædam. Sed Gallicus exercitus, duce Conneſtabiio, diſcedere illum coegit.

LIBER SECVNDVS.

SVPERIORI volumine expoſitum eſt quomodo Galli magnam Aquitaniæ partem ab Anglis recuperauerint. Erant nihilominus plerique alij iis locis Anglo pertinaciter addicti. Princeps igitur Andegauorum eo profectus cum copiis, quicquid erat reliquum fere ſubegit. Aquitani pridem in Angliam miſerant pro impetrandis auxiliis: verum, quod in regno turbę & ſeditiones pullularent, nihil profuit legatio. Dux enim a Lenclaſtre, qui rebus præerat, inuiſus erat populo: quæ res deinde magnum malum in Angliam inuexit. Cum itaque nullæ mitterentur auxiliares copiæ, Aquitani præſidio deſtituti, vt deditionem facerent, hoſtemque reciperent, adacti fuerunt.

Galliarum Rex, vir ſumma prudentia, retinebat in amore omnes a quibus opem atque ſubſidium ſperabat. Videns adeo Regem Anglum adoleſcentiæ annos nondum egreſſum, videns etiam ortas ibi turbas atque ſimultates, Robertum Scotiæ Regem literis obſecrauit & commonefecit, vt in hac tanta occaſione bellum moueret Anglis, vt ea ratione impeditis non eſſet integrum in Gallias traiicere. Scotus & his inſtigationibus, & ſua etiam ſponte commotus, quod veteres iniurias vlciſci cuperet, præſertim adoleſcente adhuc Rege Anglo, conſultatione habita, mandauit ſuis, vt ad certum diem, inſtructi omnes rebus neceſſariis, conuenirent in finibus qui Scotiam ab Anglia ſeparant. Cum eo ventum, Scoticus quidam nobilis, cupiens dare fortitudinis & inſitæ audaciæ documentum, adiunctis aliquot, abſque magno molimine, noctu, ſomno oppreſſis omnibus, vrbis Beruici arcem occupauit. Qua re intellecta, prefectus opidi, ſummo diluculo, ſtipatus agmine ciuium ſuorum, pontem arcis primum demoliens, qua ſolum patebat exitus, reliquam deinde arcem omnem obſidione cinxit, adeo quidem arcte, vt hoſtis loco ſe mouere non poſſet. Vicini præterea certiores ab eo facti de rerum ſtatu, ad decem hominũ millia adduxerunt. Quo nuncio accepto, Scoti, vt ſuos obſidione liberarent, caſtra mouerunt. Sed Anglici exercitus multitudine timidiores facti, nolebant periclitari fortunam. Tunc demum facta oppugnatione, recuperata fuit arx, necatis, qui intus erant, omnibus, & vnico duce, cuius authoritate cœptum iſtud fuerat, ſeruato.

Capta iam arce, viſum eſt Anglis non inconſultum, retrocedentem hoſtem per

sequi. Id adeo factum est, quanquam exitiali ipsorum detrimento, fortuna ad Scotos inclinante.

Pontifex Gregorius, aliquando sancte promiserat, si quo vnquam tempore ad Pontificiam dignitatem proueheretur, non alio se loco quam Romæ commoraturum. Sed hoc ingratum erat Cardinalibus quibusdam in Romanos non satis æquis: ingratum erat Gallo, qui viciniorem sibi Pontificem optabat. Missus ab eo frater, Andegauorum princeps, Auenionem, nequiuit Pontificem ab instituto retrahere. Venit ille Romam, locum optatum: paulo post obiit diem. Cardinalibus ad eligendum alium ex more congregatis, populus Romanus in curia grauiter tumultuari, interminans haud obscure, ni Pontificem eligant, genere & familia Romanum, se dira facturos adeoque irruptione facta, in cœtum Cardinalium ferocientes ingressi, id effecerunt vt vir quidam annos circiter centum natus, crearetur. Hunc Romani albæ mulæ impositum per vrbem magna ostentatione circunducebant. Sed decrepitus senex, equitatione & molesto illo officij genere delassatus, triduo post expirauit. Ibi tum nouæ turbæ Romanis etiam aliquanto atrociores voces iactantibus. Tandem electus est homo Romanus, vocatus deinde Vrbanus Sextus.

Regina Nauarræ, Galliæ Regis soror, e viuis hoc tempore discessit: huius interitu, Normanniæ quædam ditio ad Nauarræ filios, Carolum & Petrum, quos Gallus educabat, deuoluta fuit. Gallum hortari plerique, vt quicquid esset ditionis Nauarricæ in Normannia, ipse occuparet, tueretur que, donec adulti essent liberi. Nauarrius & ipse futurum hoc suspicans, denuntiauit vt sibi remitterentur filij, quod natu maiorem Hispaniarum Regis filiæ matrimonio esset adiuncturus. A Gallo responsum est, filios honestiori & meliori loco esse non posse, quam apud se. Educaturum se illos in rebus omnibus ita vt Regios filios, & consanguinitate sibi iunctos, educare deceat. Nauarrius indigne ferens responsum, Normanniæ loca aduersus Gallorum vim muniuit. Cæterum, variis grauibusque de causis in Nauarrium erat concitatus Galliarum Rex, potissimum vero propter veneficij confessionem illam de qua supra. Missis igitur copiis, Montempessulum, & vicinam regionem, tunc Nauarrio subditam, occupauit.

Ad eum modum afflictus Nauarrius, & in Regni & Normanniæ finibus, (nam & huc Gallus exercitum miserat) per legatum egit cum Anglo, cupiens in illius amicitiam recipi. Anglus renunciauit, videri sibi necesse, vt si quid grauiter & serio vellet cōstituere, super rebus adeo non contemnendis, veniret in Angliam ipse. Quod cōsilium secutus ille, cum eo deuentum esset, infortunia sua commemorans, ab Anglo consultatione facta, in fœdus & amicitiam receptus est, his fere cōditionibus: nimirū, vt Anglicas partes perpetuo sequeretur, vt integrum illi non esset, vllas pacis conditiones inire cum Gallo Hispanove, præter suam consiliariorumque volūtatem: vt arcem Chirburgum in Normannia positam, præsidiis ad triennium firmaret, in vsum Angli: vt, si contingeret Anglum illis locis ab hoste Gallo recuperare vlla opida, cederent eadem in Angli commodum, proprietate interim penes Nauarrium manente. Ceterum, Anglis hoc erat lōge optatissimum, quod inde semper facillimum essent habituri in Galliam accessum. Ad hęc vt Anglus quamprimum in Nauarram mitteret quatuor equitum millia, qui bellum mouerent Hispano, neve integrum illis esset ante confectum bellum, destituere Nauarrium. idque non Angli, sed huius impensis. Per quosdam ex familia Nauarrica, Gallus certior factus, futurum vt in Angliam iret, egit apud Hispanum; vt is regnum illius interim graui bello infestaret. Copiis in Normaniam a Gallo missis, præerat artis militaris peritissimus princeps a Coucy. Is, absente Nauarrio, & apud Anglum negotiorum caussa cōmorante, plurimas ibi arces & opida recepit, eoque facilius quod in ipsius comitatu inter ceteros etiam esset Carolus Nauarrij filius natu grandior, in cuius gratiam vt plerique acceperunt hoc bellum susceptum, non admodum restiterunt. Sola arx Chirburgensis restabat expugnanda. Henricus Castiliæ Rex, Baionam ditionis Anglicæ maximis viribus obsidens, ad deditionem illos haud dubie compulisset, ni pestilentia militem afflixisset: nec tamen frustra copias eduxit, plurimis circum opidis occupatis. Quin etiam ad oppugnationem Pampelunæ (quæ potissima est Nauarræ ciuitas) magna pars exercitus traducta est. Supra narrauimus

uimus

timus de quodam Iuone Britannico, qui post necem sui parentis Wallorum Principis, iam inde a puero fuit educatus apud Regem Philippum, Ioannem & Carolum. Grandior iste factus, & vindictæ ardens, nullam prætermisit occasionem turbandi Anglos: & in omni re militari ita se dabat, vt plurimi fieret a Gallo. In agro Burdegalensi quosdam obsidione premens, eo redegit, vt inedia compulsi, ad nihil aliud quam deditionem faciendam spectarent. Ibi tum in ipsius familiaritatem quidam, nobilitatis se titulo venditans, insinuauit: a quo tandem, nihil tale ratus, certo die, cum semotus a suis, ociose spectaret arcem, & capillum pecteret, crudeliter confossus est. Reliqui duces, quanquam indignissima strenui viri morte plurimum perturbarentur, vrgebant tamen obsidionem. Sed Anglis, magno numero per mare aduentantibus, necesse fuit Gallos, & his coniunctos Britones, infecta re, castra mouere. Per hanc occasionem Angli, in ditione Burdegalensi multa recuperarunt. Inter cetera, cinxerãt Britoniæ quoddam opidum (sanctum Malonem vocant) tunc in Gallorum potestatem redactum. Subinde oppugnatum est, & acriter quidem. Sed a Galliæ Rege, tunc apud Rotomagum commorante, missus exercitus, hostem ab incepta ratione & insultandi ardore reuocauit. Cuniculis igitur actis, vrgere cœptum. Quod vbi persentiscerent opidani, tempus opportunum adepti, nocte quadam, magno silentio (parum vigilantibus qui in excubiis erant) vrbem egressi, perfregerunt cuniculos, ita quidem, vt qui in opere desudabant, concussa mole succumberent. Turbatis ad eum modum consiliis, Anglis visum fuit e re sua futurum maxime, si patriam repeterent. Anglici regis patrui duo, rebus istis omnibus præerant. Pampelunam cingebant Ioannes Regis Hispani filius (infantem vocant) & Hispaniarum Connestablius. Anglorum auxilio fretus atque subnixus Nauarrius, acriter sese defendere, collaturus etiam signa cum hoste: sed reuocato, certis de caussis, a patre filio, solutus est exercitus: retrocedentem Hispanum, permisti Nauarrensibus Angli persecuti sunt, exustis atque direptis aliquot finitimis opidulis. Ea re vehementer offensus Hispanus, collectis circiter quadraginta milibus, Tudellam, vbi tum Nauarrius hybernabat, oppugnare statutum habuit. Sed intercessione bonorum virorum, inuentæ sunt rationes pacis, puta, vt Hispani filius vxorem duceret Nauarræ Regis filiam, & vt Carolo Nauarræ filio nuberet Hispani filia. Carolum quidem istum, Gallus, vt ante diximus, aliquot annos apud se detinuit. Sed cum de connubiis ageretur, Henrici Regis precibus incitatus Gallus, parenti illum honeste remisit. Ab istarum rerum tractatione, vitam finiit Hispanus: cui successit Ioannes, omnium ordinum voluntate & consensu. Negotium hoc ita fuisse transactum, implacatissime ferebant Dux a Lenclastre, & huius frater germanus, qui vxores duxerant tyranni exulantis, & ab Henrico necati, filias. Dolebat illis noui Regis coronatio. Quin etiam Lusitaniæ Rex & ipse molestissime tulit, regni successionem ad hunc deuolutam: vt plenius deinceps cognoscetur.

Galliæ Rex, insigni prudentia & rerum vsu præditus, vt commodius bellum Anglicum sustineret: in Scotiam ablegauit quendam e suis, qui Scotum in officio retineret. Hic, vt in Flandriæ portum quendam appulit, inde prosequuturus incœptum iter: adductus est ad loci Principem. Vbi cum minus prudenter quædam loqueretur, conuiciis & iurgio acri fuit exceptus, tam a Comite, quam Britoniæ Duce, in huius generis homines transferente omnium perturbationum caussas. Alij præterea quidam iniecerunt illi metum, si mari se committeret, futurum vt ex insidiis interciperetur ab Anglis. Mutato igitur consilio, rebus infectis, in Galliam rediit, & re omni explicata, Gallus, missis literis aliquanto vehementioribus, Flandrum hortari & commonefacere, si consultum sibi vellet, Britonem hostem suum vt ne foueret. Habita consultatione, nemo fuit omnium qui non suaderet, omnibus modis iuuandum esse fugitiuum & exulantem principem, iactantibus plerisque, Flandriam posse Galli vires atque potentiam, si bellum suscipiatur, propulsare. Sed Brito sua tandem sponte in Angliam se contulit, animis atque studiis suorum iam aliquanto magis in se propitiis quam ante.

Cõmemoratũ est supra, Cardinales, a morte Gregorij Põtificis, vt Pop. Romanum

tumultuantem placarent, vi metuque compulſos elegiſſe Vrbanum ſextum. Porro, cum iſte propter faſtum & animi impotentiam fere diſpliceret omnibus, Cardinales magno conſenſu elegerunt Robertum, Epiſcopum Cameracenſem, vocatum poſtea Clementem. Erat id temporis in finibus Romanorum Robertus quidam Budeus, genere nobilis, natione Brito, vir ſtrenuus, & cum eo circiter duo Britonum millia. Sollicitauit hunc Clemens vt ſuas partes defendendas ſuſciperet. Id cum minime recuſaret iſte, in arcem tacite cum ſuis intromiſſus eſt, e qua Romanis negotium faceſſeret. Et hi quidem Germanum militem atque Italicum, pro ſuarum rerũ tuitione collectum, ſubinde in Britones immiſerunt: qui crebris & ſine intermiſſione repetitis oppugnationibus vexati, arcis deditionem facere coacti ſunt, ſaluis capitibus & vita.

Robertus, qui his rebus minime interfuit, ſed foris, non procul ab vrbe, caſtra metatus erat, accepto nũcio factę deditionis, vbi cognouiſſet per exploratores, quo tempore Romani in arcem conſultandi gratia conuenirent, ſub noctem, vias ſecretiores ingreſſus, vrbemque petens, tempore omnium maxime opportuno, cum e ſenatu progrederentur, inuaſit inermes, nihilque tale ſuſpicantes. Ibi tum erat videre potentium virorum atque ciuium vaſtam ſtragem. Quo facinore edito, per otium ipſe deinde ſuas copias reduxit.

Rex Gallus, vt cognouit de altero Pontifice creato, collectis aliquot ordinibus, & inter hos potiſſimum Theologico, percunctari, in hac diuerſitate, vter agnoſci deberet. Variabant, vt fieri ſolet, ſententiæ. Proceres eccleſiaſtici, Regiſque fratres, & bona Theologorum pars, Clementem approbandum exiſtimare. Placuit Regi cenſura: quæ per omne regnum illico denunciata fuit, vt certum, quod ſequerentur omnes extaret. Idem ſentiebant Hiſpaniæ Rex, Sabaudiæ comes, Dux Mediolani, & Regina Neapolitana. Carolus Bohemiæ, Romanorum Imperator, omnia diſſimulare, quanquam Imperij pars magna ſequerentur Vrbani partes. Scotus etiam ad Clementem inclinare. Lodouicus Flandriæ Comes, vim & iniuriam Vrbano fieri dictitabat. Hannonienſes, nec huic nec illi ſe dare. Clemens, vt cauſſam ſuam firmaret, Cardinalem Pictauienſem miſit in Galliam, & huic vicina loca, explicantem quemadmodum Vrbanus, vi & metu, inuitis Cardinalibus fuiſſet pene extortus. Facile perſuaſit in Gallia, nimirum ante iudicata cauſſa. Hannonius & Brabantus, in illo quidem humaniter tractando nihil prætermiſerunt: ſed præterea nihil obtineri potuit. Flander multo ante nunciauerat, ſe non expetere ipſius colloquium, habere ſe Vrbanum vt ſummum dominici gregis paſtorem: ab eo ſe nunquam receſſurum. Auenionem præterea miſit Clemens, qui curiam & reliqua omnia adornarent. Sub id temporis, Regina Neapolitana, de maximis rebus tranſactura, venit ad Pontificem. Ceterum res ita habet.

Ludouicus a Sicilia, Dux Apuliæ & Calabriæ, in extrema valetudine conſtitutus, filiam hanc ſuam, ad ſe deductam, ſic allocutus eſt: Tu quidem, filia mea chariſſima, hæreditatem nunc adibis longe florentiſſimam, adeo vt exiſtimem futuros principes viros non paucos qui te propter luculentam iſtam & ſplendidam ſucceſſionem, vxorem ambiant. Conſilium igitur meum ſecuta, nubas potenti & opulento, qui te tuaque commode queat tueri. Et, ſi contingat te nullam ſuſcipere prolem, transferre debes omne patrimonium tibi relictum, ad Pontificis arbitrium, qui quidem tum præerit. Hoc nimirum parens meus Robertus, æger decumbens mihi iniunxit. Ego itaque vt ab impoſito munere ſubleuer, tibi viciſſim illud præcipio. In hanc ſententiam pleraque alia diſputanti patri, filia, in conſpectu multorum, ſancte promiſit ſe non defuturam hic officio ſuo. Poſt mortem patris, illa nupſit Andreæ ab Hungaria, fratri Hungariæ Regis Ludouici: ſterile fuit illis connubium hoc, ipſo multum adhuc adoleſcente e viuis migrante. Nupſit deinde Carolo, principi Tarentino, & filiam vnicam ſuſtulit. Hungarorum Rex Carolo bellum mouit, ademta illi vi armorum Apulia & Calabria, capto etiam inter pugnandum ipſo & in Hungariam abducto: vbi & e vita diſceſſit. Ab hoc nupſit Maioricæ Regi miſſis in Galliam legatis ad Ludouicum a Nauarra, (cuius ante facta mentio) quem filiæ ſuæ maritum expetebat: Et is quidem huius rei gratia iter ingreſſus, vitam finiit. Maioricæ Rex, hæreditatem paternam recuperaturus, occupatam ab Arragonio, acre bellum parabat. Diſcedentem maritum vxor

retinere

retinere cupiens, & ab expeditione dehortans; quod satis amplum & florens haberet regnum, ad omnem etiam luxum, exorare non potuit. Itaque permittens illi suos affectus, abeuntem hortari, vt apud Carolum Galliarum Regem prudentissimum, re omni exposita, & commemoratis iniuriis, rationes suas ex illius consilio temperaret. Verum ipse nescio quod maius præsidium aliunde sperans, opem implorauit ab Angli filio fidem & studium pollicente. Dum hic militiæ esset, vxor misso legato, Gallum obsecrare, vt sibi in eligendo genero, prudenti quidem illo, & illustri orto familia pro summa humanitate sua prospiceret: vt ne tam opulentæ ditiones tandem in alienas manus dilaberentur. Gallus æquissimis precibus inductus, misit cognatum quendam suum, cui & desponsa fuit Reginæ filia. In expeditione suscepta, Maioricæ princeps, vt ante narratum est, diem suum obiit. Vxor itaque quarto nupsit. Ea re perturbatus Hungariæ Regis nepos: nomine Carolus, bellum intulit nouo Regi, & oppugnata quadam arce maritima, deditione facta, cepit vtrunque coniugem, filiam insuper & huius maritum: quos non ita multo post mori contigit. Rex vna cum vxore liberatus, ea conditione vt Apulia Calabriaque cederent. Quæ cum teneret, firmatis viribus, & initis vndequaque fœderibus, inhiabat etiam regno Neapolitano, Siciliæ & Prouinciæ. Regina igitur metuens, adeoque futurum videns vt a morte sua, Carolus in ista omnia totis viribus irrueret: apud Pontificem re omni exposita, rogare illum & obtestari, vt sui patrocinium hic susciperet. Itaq; Siciliam, Neapolim, Calabriam, Apuliam & Prouinciam, facta libera & spontanea donatione, in Pontificem contulit: vt ipse, cui vellet, ea omnia deinceps largiretur. Pontifex donationem acceptam & gratam habuit, perscriptis & rite super ea re perfectis literis. Pontifex non multo post, vt Auenionem venit, ditiones istas omnes contulit in Ducem Andegauiæ, qui Tholosa illuc venerat salutandi Pontificis caussa. Donationem & iste ratam habuit, pro se suisque hæredibus.

Brugenses magnis operis & sumptibus conabantur ad se deducere a Gandauensibus Lysam flumen. In eam rem alebant quingentos circiter fossores. Certiores autem facti Gandauenses, tumultuari & impatienter ferre: quod magnum inde viderent detrimētum ad se redundare. Erat tum Gandaui quidam mire factiosus & popularis, (Ioannem Leonem vocabant) qui studium & cogitationem omnem huc conferebat, vt populum aduersus Principem suum inflammaret. Is rogatus a vulgo & consultus quid facto opus esset: oratione & vultu composito respondit, cœptum hoc a Brugensibus minime tolerandum: sed veterem quendam morem ciuitatis, laudatissimum quidem illum, sed abolitum, esse renouandum: puta, vt qui libertatis veteris essent cupidi, pileo candido insignirentur. Etenim habere Gandauos plurima & eximia præ ceteris priuilegia, paulatim antiquari illa & supprimi, magno ciuium malo & iniuria: futurū adeo vt si conniueatur, nulla tandem supersint. Olim ita floruisse ciuitatem vt plerique potentes etiam viri, bene secum & feliciter actum putarent, si ius reliquorum ciuium aut gratia, aut largitionibus, aut merito suo impetrassent. Nunc eo deuenisse rem, vt nullo beneficio vel commodo proposito, nemo omnium magnopere in communem societatem fortunamque ciuium recipi velit. Eiusmodi sermone complurium animos erexit: & pessimum quenq; facile illi fuit ad se pertrahere: ferebant singuli pilea candida, & certo die collecti, sumptis armis ibant oppressuri fossores. Et hi quidem intellecto nuncio super illorum aduentu, non perfecto opere fugerunt. Exaggerabat odium præterea quod ciuem quendam suum iussu Principis captum, Gandauenses liberari volebant. Nam & in eo ius suum violari clamabant. Repetitum igitur illum a prætore missis legatis, cum non obtinerent; Principem solicitarunt vt vinculis eximeretur. Quod ille quidem non grauate facturum se promisit, adiiciens præterea, nihil se commissurum quod ipsorum libertatem aliquo modo labefactare posset: adhæc denunciaturum se Brugensibus, vt cœptum opus plane intermitterent, impletis etiam, quas inchoauerant, fossis. Interim rogare, vt morem illum gestandi pilea reiicerent, quod materiam ea res præberet factionum perpetuam. Id ad ciues relatum vehementer eos alienare, præsertim exasperante, factionis auctore, Leone: qui futurum asseuerabat vt hoc more sublato, rursus in veterem seruitutem adigerentur. Porro, etsi

Flander obsecrare populum, vt pilea deponerent: misit tamen circiter ducentos, qui Gandauum præter expectationem ingressi, Leonem & certos quosdam alios in custodiam abductos, populo subducerent. Verum istud adeo non potuit esse clam, vt etiam Leoni suppeteret otium & cõuocandi & inhortandi suos oratione graui, vt, si quando alias, hoc potissimum tempore, libertatis retinendæ studio, fortiter pugnarent. Abductis igitur sui ordinis hominibus circiter quadringentis in forum, præfecti manibus erepta Principis signa & discerpta, pedibus protriuit, ipsumq; adeo præfectum interemit. Quam hoc facinus animum Principis perturbarit, quid attinet commemorare? Opidani & ciues, quibus honestior mens inerat, & intelligendi vis maior, prospicientes ad tristem exitum spectare omnia, cõsultatione facta, miserunt ad Principem splendidiores aliquot, facti veniam deprecaturos. Flander initio quidem durius illos accipere: sed tamen, vt ne malum hoc importune tractatum & incommode longius serperet, culpam illis omnem condonauit. Dum hi Reipublicę causam agunt, Leo, pręter turbas aliud nihil expetens, vt certum suæ factionis numerum videret: produxit eos extra vrbem, & comperit ad decem fere millia. Ibi tum in concione varia multaque de asserenda libertate locutus, auctor illis fuit demoliendæ cuiusdam arcis, nuper a Flandro ædificatæ, propterea quod ex ea plurimum incommodi inferri posset ciuitati. Facile persuasum est seditiosæ turbæ. Leuiter ceperunt præsidio destitutam, spoliatamque incenderunt, simulante interim Leone dolere sibi factum, & tanquam fortuito casu euenisset, quod studio & maleuolentia perpetratum erat, interpretãte. Nuncius ad Flãdrum perlatus, ita illum turbauit vt legatos populi, hoc etiam nomine veniam orantes, non sustineret audire, grauibus adiectis interminationibus. Ingentem enim pecunię vim in eam structuram impenderat, vt de contumelia nihil dicam, quæ generosum animum vehementius multo stimulabat.

Insulis, opido Flandriæ, in cœtu nobilium & equestris ordinis, grauiter questus de superbissimorum ciuium intolerabili fastu, & iniuria sibi facta, sic eos permouit vt studium & operam illi polliciti omnes, in omnem euentum paratos se dicerent. Ab hoc statim in præsidia distributo milite, cœptum est bellum, cuius quidem ea, quam diximus, vera est origo.

Exacerbato in Flandros animo Principis, Leo, maiorem nactus occasionem, cum in concione, & aduersæ partis ferociam mentemque obstinatam esset calumniatus, & eo nomine peropus esse diceret vicinorum amicitiam ac fœdera conciliare: censuit capita suorũ, ad duodecim circiter millia. Inter confœderatos erant ciues opidi cuiusdam, (vocant Dammas) in eo, non citra veneni suspicionem, expirauit Leo repente. Erant & Iprenses: quod opidum ingressi, permittente populo, nobiles aliquot ibi stantes in præsidio necarunt. Leone mortuo, Gandauenses, creatis nouis ducibus, adiuti a Brugensibus & multis præterea sociis ciuitatibus, cum ad ingentem numerum creuissent, Teramondam, in qua tum Flander erat, diu frustra oppugnarunt. Motis igitur castris, & cõiunctis armis cum reliqua exercitus parte, Audenardam acriter obsidebant, strenue se defendentibus qui intus erant. Sed cum nulla ratione commeatus adferri posset obsessis, Flander prospiciens, futuram ex penuria deditionem, tacite optare pacis conditiones. Huc mire etiam inclinabat ipsius mater, Artesiæ Domina, quę pridem missis ad Burgundum Flandri generum, amicissimis literis, obtestari vt in tractando pacis negotio diligentem operam nauaret. Huius rei caussa Tornaci quindecim diebus insumptis (ferocientibus nonnihil Gandauensibus) tandem ita fuit transactum, vt Audenardæ obsidio solueretur, vt Gandauenses arcem nuper destructam, ab euoluto anno restaurarent, vt Princeps iniuriæ præteritæ deposita memoria, Gandauum se commorandi caussa reciperet.

Brito, ne Flandriæ principi vllum odium importunitate aliqua sua concliaret, in Angliam se contulit, vt supra diximus. Ibi acceptis ab omnibus fere suę ditionis ordinibus, longe suauissimis literis, quę illum in patriam reuocabant, ex Angli consilio reuertit, non citra militem Anglicum, subsidio datum.

Flander Gandauum vbi venisset ex pacto, coram omni multitudine, luculenta oratione suum in eos affectum declarans, obiter & illorum ingratitudinem reprehendit & simul

simul benigni Principis munere fungens, hortari eos ad concordiā & tranquillitatem in Republica deinceps retinendam. Ita se comparaturum rationes suas, vt ne ullius turbæ caussam dedisse videri possit. Orare se, quam possit vehementer, hoc solum, vt eorum qui candidis pileis insignirentur, factio aboleretur. Ad reliquam omnem concionem patienter auscultatum est, pileorum autem deponendorum facta mentione, vidisses mutari vultus & ora plurimorum. Flander, animis illorum perspectis, vt suspicari libet, ac discordiæ semina longe lateque sparsa considerans, dimissa concione, Gādauo discessit. Gratissimū hoc erat spectaculum seditiosis: cōtra, honestioribus dolere plurimum, simultatem & dissidium hoc intestinum in dies magis atque magis augeri.

Postquam Gandauorum vrbem reliquisset Flander, quidam genere nobilis, vlcisci cupiens necem prætoris cognati sui, nuper a seditiosis oppressi, vt narratum est, indicto Gandauensibus bello, per occasionem inuasit mercatores aliquot, frumenti conuehendi caussa Scaldam nauigantes. Comprehensos mutilauit manibus, & simul exoculauit. Dicebant plerique omnes, auctore Flandro istud perpetratum. Factiosi, velut aperta sibi fenestra quiduis audendi, ad quinque circiter millia collecti, ceperunt Audenardam nullis munitam præsidiis, (nihil enim metuebatur, nuper firmata pace) deiectis aliquot portis, item turribus & muri parte, quæ Gandauum respiciebat. Tum Princeps intolerabili superbia illorum velut expugnatus victusque, legatis in vrbem ad populum missis, & ipsorum maleficia, & suam moderationem, vbi sermone ob oculos posuisset, bellum eis & hostilia omnia denuntiauit. Interim ciues qui pacem expetebant, reliquis fuerunt auctores, vt ad mitigandum Principis animum restituerent captum opidum, & scelerum auctores aliquot relegarentur. Leniuit ea res Flandrum vtcunque. Et, vt exemplum statueretur, Iprensis oppidi plebeios aliquot, propter concitatas seditiones, ad supplicium rapuit. Quo quidem nuncio accepto, qui Gandaui erant factiosi & scelerum duces, aduersa omnia metuere. Secuti deinde cuiusdam sui ordinis consilium, existimantis, libertatem parari non posse nisi concussis magnatum & nobilium fortunis, quicquid circum erat munitionum & honestiorum ædium, demoliri & diripere, spoliis inter se diuisis. Nobiles tam insigni iniuria affecti, & damno aucti, post querimonias, Principis sui permissu, bellum atrox intulere Gandauensibus. Qui, veriti ne Flander a Gallo subsidium flagitaret, missis in Galliam legatis, obsecrare Regem ne contra ipsorum Rempublicam arma sumeret. decertare se & belli incommoda sustinere, non aliqua pertinacia, sed amore vindicandæ libertatis. Galliæ Rex, propter Britonem, alioqui parum propitius Flandro, facile assensit, erectis illorum animis. Quin & Clemens Pontifex, quem Flander minime voluit agnoscere, videbatur occasione data non prætermissurus quin illi vicissim ægre faceret.

Britoni, suorum literis reuocato, vt supra diximus, inque ditionem suam reuerso, Anglus, ex promisso, certum numerum copiarum subsidio misit. Isti vero tempestatum violentia compulsi, in Angliam redierut. Brito interim, ignarus rerum omnium, & miratus morę causas, denuo solicitauit opem Anglicam. Missus itaque fuit Eduardi Regis natu minimus filius, & cum eo ad sex hominum millia. Facto itinere per bonam Galliæ partem, vbi propius hostē Burgundiæ Ducem, Regis fratrem, deuentum esset: optare quidem ille prælium, sed Rex iustis & grauibus de causis vetuit, existimans futurum vt ipsi inter se dissiparentur. Et vt erat magna quadam ingenii felicitate præditus, quam potuit secrete cum Nantensibus (iis locis florentissima ciuitate) per literas egit, officij illos commonefaciens, & rogans, vt ne hosti contra se opem ferrent. Illi pro suo in Galliam amore, fidem, studium & operam polliciti, animum regis omni dubitatione liberarunt, &, quo facilius hostem repellerent, militem ad se mitti cupiebant, qui præsidio esset. Angli, tandem magnis itinerū difficultatibus & molestiis, in Britoniam aduenerunt. Narrat auctor, Anglos hunc obtinere morem, vt belli gerendi causa profecturi ad exteros, Regi suo sancte promittant: primum, tacita se habituros & quam maxime secreta consilia omnia, & initas belli suscepti rationes; deinde, nullas se pacis conditiones cum hoste firmaturos, præter Regis & procerum voluntatem.

Anglis per mediam, vt diximus, Galliā petētibus Britoniam, Carolus rex, omnium suæ ætatis prudentissimus princeps in aduersam incidit valetudinem. Supra comme-

moratum est, a quibusdam Nauarrij familiaribus præbitum illi fuisse venenum, non quidem tunc Regi, sed Normannię principatum obtinenti. Cuius quidem veneni tanta fuit vis, vt & capilli & vngues illi exciderent: & ipse adeo factus aridus, vt vix hominem repręsentaret. Missus autem a Cæsare medicus quidam Germanus, veneni vim fregit, adeo quidem vt & vngues & capilli vna cum valetudine paulatim redirent. Destillabat ea pestis per brachium, eruptione facta. Discedens ab eo medicus, futurum dixit vt exarescente illa defluxione, non multo post viueret. Itaque Rex, animaduersa imbecillitate sua, fratres germanos, Burgundiæ & Berriæ Duces, item Borbonium, accersitos ita compellauit: (Andegauię Ducem, quod nimium videretur cupidus & auarus, adesse noluit) Sentio equidem, germani optatissimi, rebus humanis me non posse diu superstitem esse. Carolum igitur filium vestræ fidei committo, & simul obtestor, vt illi vestro consilio & prudentia, in rebus omnibus adesse velitis, quemadmodum patruos decet adesse & consulere nepoti, maximam quidem sustinenti functionem, sed in ea posito ætate, vt sibi prospicere ipse non possit. A morte mea, id agite vt statim illi consecretur regnum. In vos omnem fiduciam meam repono. Videtis adolescentem plane tenerum. Itaque peropus illi fuerit bona institutione, & sana disciplina. Curabitis adeo doceri illum & educari, in rebus omnibus ad Regis officium pertinentibus; vt vestro possitis videri officio functi. De vxore, cum tempus requiret, illi prouidete, potente quidem illa & honesto loco nata, vt per hoc connubium bene etiam sit regno. Multus mihi fuit vsus cum Astronomo quodam, viro non imperito, qui futurum ait, vt iuuenilibus annis plurimum ei molestiæ & negotij exhibeatur, & vt variis fortunæ casibus elabatur. Equidem super eo diu multumque cogitaui mecum, vnde queant eiusmodi rerum occasiones oriri. Nam habetis regnum hoc tempore, beneficio Dei, satis tranquillum. De Flandria nescio quid suspicor. Britonum Dux vafer est, Angli studiosus, & nobis infestus: Quapropter opus est vt potissimas Britoniæ ciuitates in amore retineatis: hac nimirum ratione concident illi sua consilia. Laudandos ego sane Britones arbitror, & amore complectendos. Nam fidelem mihi semper operam, in tuendo regno, hosteque profligando, nauarunt. Mittite in Germaniam qui filio meo iis locis de vxore ptospiciant, quo firmius sit amicitiæ & fœderis inter nos vinculum. Accepistis, Anglum hoc ipsum moliri, & vxorem illinc sibi petere, vt hac via rationes suas firmiores habeat certioresque. Regnum hoc nostrum ab illo plurimum, vt vobis constat, inquietatur, & multa sustinet incommoda. Tollite, quæso, omnem eiusmodi occasionem belligerandi. Nam etsi ego videri possim aluisse bellum: tamen odi hoc genus omne, & plurimum hoc tempore ea me cura pungit sollicitatque. Multa deinde alia in hanc sententiam loquebatur. Et aberat quidem, vt paulo ante diximus, Andegauiæ princeps: verum per internuncios haud difficulter omnia resciuit, & quosdam alios in Regis aula versantes: & quo die Rex vitam finiit, aderat Lutetiæ. Cumque de morte illius accepisset, statim inuolauit in ornamenta Regis, in gemmas et quicquid erat excellentium ibi rerum. Iam enim profectionem in Neapolim animo conceperat, in quam multis erat opus, præsertim auctiore iam illo facto ex donatione Clementis, vt supra commemoratum est.

Cæterum, etsi voluntate Regis statutum fuit penes quos administratio rerum esset futura, tamen Andegauus in eam se ingessit, forsan ob maiorē ætatem: non admodum repugnātibus fratribus. Decretum inde fuit a regni primoribus (pares vocant) vt coronatione Regis quamprimum facta, moderatio rerū esset penes patruos, donec ad vicesimumprimum annum Rex nouus peruenisset. Ad Regis consecrationem vocati sunt inter cæteros, Albertus Bauariæ, Comes Sabaudiæ, Duces Geldriæ, & Iuliacēsis. Interfuerūt præter alios, Wenceslaus Brabantiæ Dux, Lotharingus, Sabaudus, Marchię Comes. Flander excusare sese. Natus tum erat iunior Rex annos duodecim. Fratrem germanum habuit Ludouicum, & sororem Catharinam. A coronatione grauiter consultatum est de rebus ad regni dignitatem & confirmationem pertinentibus. Tandem ita placuit, vt Berriæ Dux omnem prouinciam, quæ vulgo Languedocia vocatur: vt Burgundus Picardiam & Normanniam administraret: vt Andegauus, Regi adiunctus, summam regni gubernationem obtineret.

Carolus Rex ea fuit prudentia, vt togatus ipse, Parisiis in otio & tranquillitate, consiliorum suorum exactissima ratione, plurima quę maiores ipsius armati & totis in hostem viribus, ipsi adeo pugnantes amiserant, recuperarit. Quinetiam Eduardum Angliæ Regem postrema, quam in Britoniam instituit, nauigatione, suos ab obsidione liberaturus, cum vi tempestatum impeditus retrocederet, inter ceteras molestias hoc vnum male habuit, quod cum hoste tantum non inermi, & qui nunquam ipse prodiret, bellum gereret: adeoque dixisse illum ferunt, cum nullo vnquam hoste sibi rem fuisse, qui & minus armaretur, & plus negotij facesseret. Etenim postquam in regni successionem venit, nunquam ipse arma sumpsit: verum consiliis & ratione gubernans omnia, rerum tractationem fratribus commisit.

DE CAROLO SEXTO GALLIARVM REGE.

NARRATVM est supra, Eduardi Regis filium natu minimum, per Gallias in Britoniam cum suis copiis, vt Duci opem ferret, penetrasse: qui etsi reuocatus erat a suis, vt ante diximus, tamen astutia Galli id effectum erat, vt in multis voluntatem & fidem desideraret, præsertim in Nantensi populo, & aliis. Infortunia sua commemorantem, & hostis calliditatem, Angli filius cõfirmauit, studium & opem pollicitus. Itaque conuenit inter eos, vt coniunctis armis oppugnarent Nantenses. & ad obsidionem Anglus quidem nulla interposita mora se contulit: Brito interim solicitare suorum animos, vt in hanc curam secum incumberent, suppetiasque ferrẽt: Illi contra, se in Anglorum gratiam, agrum suum minime depopulaturos: & quandiu in Britonia hærerẽt Angli, nunquam se arma pro eo sumpturos. Hoc adeo illi impedimento fuit quo minus pacto & conuentioni staret. Anglo interim, quid rei esset, admirante secum, & subirato, maxime vero cum a Britone nullus adferretur nũcius, interceptis, qui inter vtrũque commeabant, tabellariis. A multa & diuturna deinde expectatione, puta cum obsidionem in bimestre protulisset, ratus frustra cõsumi a se omnia, ni subsidia mitterentur a confœderato, re imperfecta, ad Britonem, cuius omnino voluit sententiam cognoscere, profectionem instituit. Ille se diligenter purgare, culpam in suos transferens, quorum perfidia circumuentus, fidem ipse liberare nequisset. Ceterũ, vt amicum placaret, permisit illi cum suis copiis apud Venetos hybernare.

Dum Nantes obsidione cingerentur, Britones aliquot nobiles, quorum præ ceteris auctoritas eminebat, cum principe suo collocuti sunt in hanc ferme sententiam. Satis præ te fers, & haud obscure demonstras, Anglicæ nationi te prorsus addictum. Sed quid tandem fructus aut dignitatis ex hac amicitia consequeris? quid est cur illos tantopere obserues? Adducti per te in Britoniam, paternis te bonis & hæreditariis exuent, si quidem in Gallum victores euadãt. Exemplum te moueat Regis Nauarræ, qui summa de illorum fide concepta opinione, detulit arcem & oppidum Chirburgum: in quam semel admissi, nunquam discedent, ac velut iure sibi debitam perpetuo retinebunt. Non dissimili ratione, si tuo permissu & beneficio semel in vrbes hic recipiantur, nõ est quod existimes aliquando migraturos. facile a suis habituri sunt semper præsidia, quibus veluti recreentur. Non est quod longe petamus exempla. videsne quemadmodũ teneant Brestam oppidum, tuæ prorsus ditionis & iuris? sed quando futurum est vt restituant? Certo scias, nihil minus cogitare illos. Satis igitur hoc tibi sit, & bene tecum agi putes, amari te a populo: cuius profecto ea est mens atque sententia, vt ad gratificandum istis nunquam sint a Gallo defecturi. Quid? an vero quia vxorem habes Anglicam, idcirco te tuaque perditum ibis? An hæreditatis adeo luculentæ & amplæ, pro qua retinenda tot labores & tanta sumpsisti pericula, iacturam facies? An perpetuum ales militem? Solus quid efficias, deserentibus te tuis, & arma etiam contra te capientibus? Omitte rationes istas omnes atque consilia. Decessit Galliarum Rex aliquanto grauius in te

concitatus. huic successit filius multum adolescens, ingenio non malo.

Dabimus operam vt tibi reconcilietur, vt amicitia inter vos coeat. Ita fiet vt & tu citra molestiam & inquietationem omnem tua possideas, & isti, vbi consiliis exciderint & expectatione proposita, domum repetant. Hoc genus oratione commotus ille quidem: metu tamen ne Anglos offenderet, dissimulare omnia. Consilij auctores, minime differendum arbitrati, ad Gallum tacite arrepto itinere, tunc Lutetiæ commorantem, & ibi re omni exposita, de pace agebant. Anglus rerum ignarus, in proximum ver, statutum habuit, acceptis ab Anglia suppetiis, bellũ in Gallia facere multo acrius quam ante. Metuebant hoc ipsum Galli, & futurum videbant vt magnum aliquãdo malum ab Anglis ad se redundaret. Britones de pace cum Rege locuti, quod animaduerterẽt illud in Gallia metui, (solent enim prudentes legati, in eiusmodi difficultatibus, omnia diligenter obseruare) transferentes hoc ipsum in suum vsum, in tractatione firmandæ pacis mire id exaggerarunt, & dissimulanter quidem, adeo vt istarum rerũ iniecta mentione, faciliorem ad omnia Gallum haberent. Præerat autem Dux Andegauus, vt supra diximus. Hic, quod in animo haberet, breui post tempore in Calabriam & loca vicina, donatione acquisita, proficisci, nihil minus voluit quam nouo bello turbari Galliam, eaque ratione sibi opportunitatem adimi illius, quod pridem statuerat, perficiendi. Accepta igitur legatorum sententia, futurique belli suspicione sibi iniecta, multum expetere concordiam & pacem. Ea fuit eiusmodi, vt Britoniæ princeps, Gallo reconciliatus, fidem illi pro inauguratione præstaret, & ea omnia faceret, quæ solent ex more in talibus rebus fieri. Porro, vt Anglus, per immensas ambages euocatus a Britone, aliquo modo placari posset, voluntate regis permissum est Britoni, vt illum ad suos rediturum, nauibus & reliquis necessariis iuuaret. Anglus ad hunc modum delusus, & opinione falsus, non admissis excusationibus, indignationis plenus, vela ventis commisit.

Sub hoc tempus Flander in Gandauos mire fuit concitatus, ob non ferendam illorum superbiam. Ceterum, euenit bona quadam illius fortuna, seditionem apud Brugenses oriri, inter optimates & plebem. vocatus enim literis a magistratu, obsecrante vt in vrbem accederet: vbi venit, capitis pœnæ subiecit plus minus quingentos, vrbem in suam fidem recepit, & alia quędam viciniora loca, quorum accessione factus animosior, statuit Iprenses, qui nobilioribus aliquot e familia sua oppressis, Gandauos in vrbem receperant, plectere. Illis opem flagitantibus, Gandaui confœderati in subsidium misere ad tria millia. Flandri copiæ surgebant ad viginti pene millia, ferentibus opem Brugensibus. Auxerunt igitur & suum exercitum Gãdaui, conscriptis pręterea nouem millibus: & progressi ad aliquot passuum millia, sociis denunciarunt vt suos & ipsi producerent in aciem, quo iunctis viribus hostem adorirentur. Educta sunt circiter octo millia. In procinctu spatium aliquod itineris emensi, cum ad biuium esset deuentum, a deliberatione, ingressi tandem sunt viam, quæ a Flandrico milite ad insidias ibi posito obseruabatur. In quem vt inciderunt priusquam ad sociorum copias peruenissent, cęsis ad tria millia, reliqui fuga dilapsi fuerunt. Is vero qui ingrediendi hoc iter cõsilium dedit, proditionis insimulatus, tumultuante populo, nec vllam excusationem admittente, miserabiliter necatus est, membratimque discissus, particulam aliquam singulis auferentibus, vt animum ita suum explerent. Miser iniquum retulit pro æquo. Nam si tale scelus perpetrasset, facta cæde, non erat in illorum turbam se daturus.

Re bene gesta, Flander in hoc omnium terrore parabat acrem oppugnationem in Iprenses. Hi vero, commoti exemplo recenti, in illius fidem se dediderunt. Admissus in oppidum, e vulgo circiter septingẽtis capite punitis, trecentos plus minus e ditioribus Brugas misit captiuos. Iprenses imitati multi alij, deditionem fecerunt. Gandauos igitur, qui pene soli restabant, obsedit: verum id tam arcte fieri non potuit, quin portis aliquot libere deferretur ad eos commeatus. Est enim locus natura & duobus magnis fluuiis (Scaldam vocant & Lysam) munitissimus. ingentem igitur habeat exercitũ opus est, qui totam obsidere velit. Censa tunc fuerunt capita eorum qui per ętatem arma ferre poterant, ad octoginta millia. Et adeo non morabantur obsidionem illam, vt etiam tunc vrbem egressi, quædam Flandrica oppida diriperent. Fauebant illis impense, inter ceteros, Bruxellenses. Auxilium quoque certum attulissent Leodini, sed loci inter-

uallum

nullum obstabat. Cum tempus tereret obsidendis illis, impendēte etiam hyeme, Flander exercitum dimisit. Vt ver nouum rediit, contractis ad viginti millia, Gauram oppidum oppugnare statuit. Præfectus, ibi stans ad præsidium, Gandauos orare suppetias. Ab his illico missæ copiæ, numero ad sex millia, cū in Audenardæ milites circiter sexcentos ad principem suum ex mandato properantes, incidissent: oppresserunt ad vnū omnes. Adhæc, alius quidam, homo non ignauus, (Petrum Syluanum vocabant) acceptis a Gandauis totidem millibus hominum, pactus erat cum eo qui prior ad defendendos Gaurenses abierat, vt, nisi coniunctis armis, in Flandrum non pugnaret. Ille vero, certior factus & vicinum hostem & ad dimicandum esse paratum, accensus gloriæ cupiditate, non expectato periculorum socio, tametsi imparem numerum ad prælium adduxisset, aciem instruxit. Flander, in quinque ordines milite partito, in quorum singulis quatuor erant millia, & collatis signis, hostem nauiter quidem se defendentem, sed quod multitudine vinceretur, ad sustinendum diutius impetum minime parem, in fugam conuertit. fugientes miro persequebantur ardore equites Flandri. Cumque in monasterium vicinum fuga se recepissent, ne quis ex omni turba dilabi posset, Flander ignem in tecta omnia coniecit. E ducibus copiarum alter ad loci portam strenue pugnando, confossus est: alter e turri, quo confugerat, ignis iam omnia circum occupantis violentia coactus, in medium se hostem præcipitans, exceptusque gladiis & hastis, in ignem rursus abiectus est. Reliqua turba omnis misere conflagrauit, trecentis, qui recta in patriam fugerant, elapsis. Hic quem diximus Petrus Syluanus, cum non longe abesset, videbat quidem suos laborare, & rem infeliciter agi: sed propter interiectum flumen & paludes, tempore illis subuenire non potuit. Quo nomine, simulatq; militem reduxit Gādauum, pene fuit oppressus a vulgo. Sed excusatione probabili pacatos inhortari, vt, quandoquidem duos in eo prælio viros plane militares amisissent, crearent alium cuius industria putarēt Rempublicam melius habituram, id esse peropus aduersus ferocientem hostem.

Flander, bona exercitus parte dimissa, reliquos in præsidia, præcipue vero ad Audenardæ defensionem, misit. Interim ex pileatorum factione circiter mille ducenti, certiores redditi quo tempore nobiles quidam ex Audenarda prouolarent ad rapinas, redeuntes illos a præda ex insidiis adorti, magna ex parte interemerunt. Sed non fuit illis hoc impune. Simili enim astu circumuenti ab occisorum sociis, vix pauci euaserunt.

Opulentiores honestioresque Gandaui ciues, Reipublicæ statum prorsus labefactari & conuelli, cædi subinde duces atque militem, & se paulatim veluti consumi a Flandro, plurimum dolebant, sed tacite. Superabat enim, & potentior erat improborum turba, quorum in pace non solum nulla fuit dignitas, verum extrema etiam egestas, & quoniam in his rationibus tam turbulentis, & re & auctoritate valebāt, placere eis spectaculum hoc cruentum, seditiosum & quotidianum. Quin & Syluanus, scelerum perpetuus fomes, reputans, vitæ periculum difficulter euasurum se, quocunque tandem modo res caderet, etiamsi Gandauis Flander reconciliaretur, circumspexit quem obtruderet populo gratum & idoneum, turbis pertinaciter mouendis & excitādis bellis, auctorem. Venit illi in mentem Philippus Arteuillanus, Iacobi, de quo sæpe facta mentio, filius: qui, etsi ingenio valebat, tamen ob necatum a Gādauensi populo parentem, priuatus viuere. Passim erat audire voces optātium vel Iacobum a se prius oppressum, vel quem alium illius similem, cuius auspicio & ductu niterentur. Hoc in suum vsum applicans Syluanus, retulit ad sui ordinis homines, sed non prius quam Philippum interpellasset, quem, re omni declarata, propositisq; maximis præmiis, & dignitate summa in tali ciuitate ob oculos collocata, in sententiam suam haud difficulter induxit. Postridie ad populum cœpit commendare Philippum, laudandi occasione ab illius patre Iacobo sumpta, neminem illo fidelius administrasse Flandriam, hoc testari seniores & affirmare, quibus cognitum sit, magno semper illum studio defendisse regionis dignitatem atque commoda: iam olim extremam calamitatem, illam effugere non potuisse, nisi vnius viri prudentia fuisset conseruata. facturos igitur ciues non incōsulte, si quidem ex illa arbore tam non mala productum surculum ad Reipublicæ propagationem asciscant. Ad hunc modum inducti, Philippum sibi ducem sumpserunt.

Supra commemoratum est, Ioannem Henrici Castiliæ Regis filium, ex cōmuni prouinciarum & ordinum voluntate, in regni successionem admissum. Ea res Ferdinandū Lusitaniæ dominum grauiter offendit, puta, eum qui sit e spurio natus, in amplissimæ ditionis administrationem euectum, exhæredatis Regiis filiabus, quarum vnam Lenclastre, alteram illius frater, vt diximus, matrimonio sibi iunxerant. Commotus igitur & rei indignitate, & quod nuptis puellis esset consanguinitatis vinculo cōiunctus, bellum denunciauit Hispano, petitis ab Anglo suppetiis. qui patruum suum, Cantabrigiæ dominum, & cum eo copias, item vxorem Isabellam & Ioannem filium misit. Dux a Lenclastre in Scotiam missus est, vt de renouanda pace, aut saltem de induciis cū Scoto transigeret. Absente illo, per Angliam orta fuit longe periculosissima seditio, cuius hæc fere caussa fuit: Rustici illis locis, vt in plerisque aliis, ita sunt astricti nobilioribus, vt necesse habeāt illorum agros colere, fruges metere, colligere, reponere, triturare, & quid non? item cædere ligna, & in nobilium ædes conuehere. Porro, sacrificus quidam id temporis (Ioannem Vallam appellabant) cōcionibus populum in hoc induxerat, vt existimarent, per omnia seruandam æqualitatem, hominem homini non præstare, non nobilem ignobili, non opulentum pauperi, non doctum ignaro. Communes omnium mortalium parentes, & primos quidem illos, ad eum vixisse modum, nullo prorsus obseruato discrimine. Itaque auctor illis fuit, vt ad magnum numerum collecti, Regem interpellarent: futurum vt illi, multum adolescenti, persuadeatur. quod si non fiat, ferro se in libertatē vindicarent. Hunc præsul Cantuarensis aliquando in Carcerem coniectū, qua nescio tandem religione motus, expediuit, magno certe & exitiali suo malo. Dimissus enim, aliquanto etiam pertinacius vrgere institutū suum. Qui Londini tum erant tenuiores, odio locupletiorum, vt fieri solet, laudare factum, per literas etiam inuitatis illis, Londinum venirent, patefacturos se vrbem.

Collecti adeo ex omni vicino agro & longinquo ad sexaginta pene millia, Cātorbium vbi venissent, eiusdem factionis oppidum, diripuerūt diui Thomæ fanū. Postridie, iter ingressi, quicquid erat in itinere prædiorum, quæ quidem ad socios non pertinerēt, demoliri prorsus, & quacunq; vaderēt, in suum ordinem cogere ceteros agricolas. Deprehensum quoque nobilem, vt imperatorem turbæ se præberet, adegerunt, acceptis tanquā paternæ fidei obsidibus, ipsius liberis. A Londino cum non procul abessent, duci suo ad regem misso præceperunt, diceret, velle se grauibus de rebus cum eo verba facere: descenderet igitur ad colloquium. A consultatione, Rex factur ū se quod peterent, respondit, & comitatus aliquot proceribus, nauicula conscensa, cum ad locum venisset, ex legatis percontari quid vellent. Illi postulare, vt nauim egressus collocutioni se daret, explicaturos se populi mandata. Rex multitudini diffidens nulla habita longiori oratione, reuertit. Tum vehementius concitati, Londinum properant, direptis potentium fortunis in via. Cum non intromitterentur, dira & crudelia minari, exusturos se suburbia: &, si ferro sibi iter patefacerent, futurum id extremo omnium malo. Territi oppidani, præsertim cum magna pars ad seditionem & turbam inclinarent, admiserunt illos. Ingressi, per omnia compita statim ad epulas & compotationes ruere, nemine quicquam illis denegāte. Ceterum duces, & cum his circiter viginti millia, per mediam vrbem grassantes, curiam regis exurere, necatis, qui in vinculis ibi continebātur, omnibus. Exteros omnes mulctare ad mortem, & fœneratorū ædes diripere. Sub noctem, vno agmine collecti ad arcem, in qua tum rex erat, & cum eo ingens potentiorū ciuium turba, spargebant voces minime obscuras, nunquam se moturos inde, nisi prius a rege, quod vellent, impetrassent. Rex & plerique alij putabāt eos noctu, vino somnoque sepultos, inermes, discinctos atque dissipatos, esse opprimendos. Alij quibus hoc videbatur incerti & periculosi euentus, iudicabanr præstare, siquidem oratione blanda & comi possent mitigari. Quæ quidem sententia obtinuit. Postridie rex denunciauit, vt, qui secum essent verba facturi, certo loco adessēt, semota interim reliqua turba. Ad colloquium discedente rege, seditiosi aliquot circiter quadringenti, irruptione in arcem facta, deprehensum ibi Cantuariensem præsulē, regni, quem vocant, Cancellariū, capite truncarūt, & multos prętereа magni nominis viros, quorū capita hastis pręligata, frequentioribus locis & ponti super imposuerūt. In cōcionem vbi descendisset Rex,

placide rogauit quid postularent. Illi, Vt nos, aiebant, & liberos nostros, & posteritatē, libertati perpetuæ vindicatos & restitutos, a nomine & onere ipso seruitutis eximas. Rege, quod peterent, facturum se promittente, quinetiam notatis & acceptis in eam rem literis, bona pars erant moderatiores: verum seditionis capita, prauissimis ingeniis nebulones, quibus id studio erat vt in diuitum fortunas inuolarent, collectis & pertractis ad se circiter viginti millibus, & vulgi parte, iamiam erant direpturi quicquid erat opum. sed opportune a concione, quæ extra vrbem fuit, interueniens Rex, multitudine conspecta, vt, quid rei esset, cognosceret, substitit. Ibi vero morantem illum e facinorosis quidam proteruis & contumeliosis verbis adortus, habita deinde cū suis collocutione, præcepit vt signo dato, Regios omnes opprimerent, ipsique Regi propter ætatem parcerent. Dum ad regem petulantius loqueretur, præfectus vrbis, indignitate motus, illum confodit. Tunc autem vidisses reliquam turbam in omnes cæco quodam furore iamiam irruituram: sed compescuit eos rex, vnum se in illos inferens; quod minus prudenter ab eo factum alioqui videri possit, verum feliciter successit. Plurimorum hæc erat sententia, discedentes atque dissipatos huc illuc, persequendos. Rex contra vetuit ne quid in illos admitteretur, existimans facile sibi fore per otium de illis pœnas sumere, neque sontes erant omnes. Nam, vt in eiusmodi tumultibus fieri solet, bona pars, vt numerum augerent, in itinere a reliquis adacti fuere. & hanc quidem moderationem ita rex adhibuit, vt scelerum auctores duntaxat, a vulgo ex necessitate proditos, ad supplicium raperet, ceteris errore condonato. Flander, obsidione denuo cinxit Gandauum, ex Hannonia, & Artesia, cuius non ita pridem, a morte suæ matris, factus erat dominus, milite collecto. Interea quidam e suis, occupato ditionis Gādauicæ oppidulo quodam, (vocant Grantmont) ad vnum omnes interemit, tam infantes quam mulieres atque senes. Imo ne grauidis quidē parcitum, & lecto decumbentibus. Exusta diuorū fana, solo æquatum oppidum. Huius tam immitis & miserandi spectaculi auctor, in quodam deinde conflictu, (quales erant plurimi) cum in Gandauorum incidisset insidias, occubuit. Flander immoderatissime ferens illius mortem, quo vix vllum habuit cariorem, obsidionem soluit, vehementiori etiam ira in illos concepta. Sed intercessione procerum Hannoniæ Brabantiæque, pax denuo coiit, populo id maxime expetente. Ceterum Syluanus, & is, quem nuper crearant, Philippus, quod viderēt præsentem tranquillitatem sibi fore perniciosam, (senatus enim auctoritate fuit actum de pace) subornatis sui ordinis facinorosis quibusdam, qui tumultuarentur, postridie in concione, cum palam recitarentur firmatæ pacis conditiones, impetu repente facto, duos magni nominis senatores oppresserunt, velut de Repub. pessime omnium meritos. Eo facto princeps adeo fuit exasperatus, vt nullam deinceps pacem cum ipsis videretur suscepturus, nisi omni sceleratorum turba prorsus extincta.

Lutetiæ sub hoc tempus orta seditione, ciues nuper imperatam pecuniam & nouas exactiones omnino tolli volebāt, quod immunitatem hanc a Carolo quinto obtinuissent, & quod patris deinde voluntatem rex nouus, dum regno consecraretur, confirmasset. Rex, cui iam ingratum erat & insuaue inter simultates viuere, Meldam abiit, populus interim tumultuari, perfringere carceres, eripere captiuos, & regis officiarios aliquot opprimere. Ad placandum tumultum a rege missus e familia, nobilis quidam valde popularis, ita cum eis transegit, vt in singulas hebdomadas, ad militem alēdum, vrgente necessitate, dependerent decem francorum millia. Quin & Rotomagi nata seditio Parisianæ haud dissimilis, a rege ipso compressa fuit. Pleræq; ciuitates & Respublicæ Gandauorum imitatæ vestigia (quos egregiis laudibus efferre, quod libertatis suæ acerrimi essent propugnatores) rebellare magistratui. Vide quorsum recidere omnia potuissent, ni principum virtus interuenisset.

Cantabrigiæ Comes, de quo supra, propter ventorum flatus minime secūdos, in itinere cum hæsisset aliquādiu, fluctibus aduersis multum iactatus, Lisbonam, Lusitaniæ vrbem, tandem appulit, vna cum milite. Commoratos ibi per menses aliquot Lusitanus in præsidia collocauit, addito mandato ne quid in hostem, inscio se, factitarent. Angli, cumque his Vascones, otio inassueti, quin exercendæ militiæ cupidi magis, certo

tempore, cum a Lusitano, vt in hostem prouolarent, non impetrassent, ipsi adeo sua sponte progressi, oppida quædam Hispaniæ expugnarunt, præsidiis ibi relictis. Nihil actum præterea plurimis mensibus, quod sit memorabile, quæ res otium & tempus abunde suppeditauit Hispano comparandi se & muniendi. E Gallia missæ quoque sunt Hispano auxiliares copiæ, quibus per Arragoniam facilis erat via, propter fœdus, ratione connubij, vt supra diximus, inter ipsos reges firmatum.

Anglus, in Germaniam missis ad Carolum Bohemiæ Regem legatis, vxorem sibi dari cupiebat illius sororem: per anni spatium & eo amplius res agitata, confecta est tandem. Galliæ Rex, vt coniugium impediret, Normannis negotium dedit vt magna classe occupato mari, traiiciētem nouam nuptam & omnem comitatum illius interciperent. Sed Brabantiæ Dux, facta commemoratione, quam non esset decorum aduersus imbellem fœminarum turbam eiusmodi aliquid moliri, partim æquitate rei, partim precibus, ab incepto regem dimouit.

Inter Galliæ Regem & populum Parisiensem ita conuenerat, vt pecunia, quam in singulos octo dies erant numeraturi, seruaretur a ciuitatis quæstore, &, nisi in necessitate, ad alendum exercitum, non expenderetur quicquam illius. Porro, Gallus in Hispanias militem emissurus, denunciare quæstori, vt in eum vsum mitteret centena millia. Ille tergiuersari, & excusare nescio quæ. Dux Andegauorum, gratia multum valēs apud populum, quo commodius institutam in Neapolim profectionem perficeret, tacite id egit vt ne quicquam mitteretur ad Regem: &, quoniam penes ipsum erat rerum summa, inuenit rationes quibus id effecit, vt ea, quam Rex petiit, auri vis, citra difficultatem aliquam sibi dependeretur. Instructus igitur abunde rebus necessariis, & contractis circiter triginta hominum millibus, vt Auenionē appulit, vbi tum Clemēs erat, nobilium ibi animos in se mire propensos cōperit. Relicta deinde prouincia, per Italiam accessit in Apuliam & Calabriam: quarum accepta possessione, idque maxima populi voluntate & studio, Neapolim contendit. Et hi quidem Caroli illius, de quo supra mentio, mire erant studiosi. Carolus hic a morte Neapolitanæ principis, quæ nullum reliquit a se procreatum hæredem, vsurpabat sibi ius & dominium in has ditiones omnes, contendens, factam a Pontifice donationem, duabus potissimū de caussis inualidam esse & inutilem. Primum, in manu defunctæ reginæ non fuisse, quæ sua non essent, alienare. Quam illius opinionem Neapolitani & Siculi strenue tuebantur. Deinde, vt maxime integrum illi fuisset & licitum donare omnia, tamen, quod iis locis Vrbanum, non Clementem, a quo facta deinde fuit donatio, Pontificem agnoscerent, hoc ipso irritam esse. Carolus multo ante rebus necessariis muniuerat arcem alioqui inuictam, (Leusam dicunt) arte non humana firmatā, & cinctam vndique mari, &, nisi arte simili, non expugnabilem, vt fertur. In istam ad annos aliquot instructam se recepit ille cum sociis, cetera securus, quod sciret Neapolitanos a se nunquam defecturos, Calabriam aut deuictam, aut in deditionem acceptam, post vnum annum aut alterum facile se recuperaturum. Hostem, metu rebellionis, cogi magnum semper alere exercitum. Id minime diuturnum illi fore, laboraturum & annonæ caritate & auri penuria. Sic exhaustos, magno suo compendio profligari posse. Ceterum, impostor quispiam Andegauorum principi pollicitus, obtenebraturum se oculos eorum qui essent in arce, sic vt crederet illam ponte coniungi, & hac ratione metu facturos deditionem: instigante Sabaudiæ comite, qui tum erat in expeditione, propter maleficium olim designatum capitis pœnæ subiectus est.

Angli, & cum his Vascones, ad nouem fere menses in Lusitania, nulla re insigni peracta, commorati: statuerunt, vt qui otium illud perpetuum odissent, denuo in Hispanos prouolare. Dissuadente hoc ipsorum duce, Angli filio, ad quem retulerant, illi nihilominus rem aggressi, nec infeliciter quidem, oppida quædam subegerunt. Redeuntes deinde, conqueri de non persolutis stipendiis. Lusitanus, quod præter voluntatem & mandata sua militassent subiratus, videbatur minime satisfacturus. Ibi cum plerique censerent deprædandum agrum Lusitanum, qui inter ipsos erant saniori iudicio dissuadentibus, tandem per legatos, quod alioqui fuissent vi direpturi, impetrarunt. Lusitanus inde cogere militem ad 15. millia, præter Anglos. Hispanus exercitum habens

30. milium, hosti bellum denunciare, productæ acies. Ad complures dies erat inter eos videre leuiores conflictus. Portugallius autem, quod numero superaretur, collatis signis & iusta acie nunquam voluit pugnare. Dux a Lenclastre, fratri suo in Lusitaniam nauiganti pollicitus erat (imprimis enim ipsius agebatur negotium, vt qui natu grandiorem haberet filiam tyranni) se, rebus in Scotia perfectis, alias præterea copias illuc adducturum, huius aduentum Lusitanus expectare. Sed propter vulgi seditionem turbatis adhuc aliquantulum rebus, placuit Anglo, militem e regno dimittendum nõ esse. Quamobrem ille cum Hispano de pace egit, quantumuis inuitis & immoderate ferentibus Anglis: quorum dux non leuiter offensus, abducto secum filio, cui desponderat Beatricem Lusitani filiam, decem natam annos, in Angliam reuertit. Insequẽti post anno, vxore Hispani, Arragoniæ Regis filia, vita defuncta, Hispanus Beatricem ab Anglo pene repudiatam, vxorem duxit, Põtifice connubium hoc approbãte. Obiit deinde Ferdinandus Lusitaniæ rex, cui successit, non Hispanus, nuper vxore ducta filia, sed Regis defuncti frater illegitimus, populi & procerum ecclesiæ voluntate. Turbas ea res & maxima postea bella suscitauit. Ad Gandauos cum nullus perferretur e vicinis locis commeatus (id enim Flander egit) illi, plus minus duodecim millia numero, itinere per Brabantiam facto, cum ad Leodienses peruenissent, annona adiuti sunt. In reditu, Brabantiæ Dominam (princeps enim ipse tum erat Lutzemburgi) impense rogabant, eo saltem permoueret Flandrum, vt pateretur certo die agitari caussam inter vtriusque partis viros bonos. Non abnuit Flander: Tornaci conuentum est. Vicinorum aliquot populorum legati aderant, dirempturi litem, si qua fieri posset. Pro Gandauis eo venit Philippus Arteuillanus. Flãder autem multum expectatus, cum nec venturus ipse, nec missurus aliquem videretur: literis eorum qui conuenerant, diligenter admonitus, rogatusque ne agendi occasionem negligeret, mitigatis adeo & flexis aduersariorum animis: respondit, sibi quidem non vacare coram illic adesse, verum, ad gratificandum eo missis legatis, ab vno & item altero die per alios patefacturum se quid sentiat. Id autem eiusmodi fuit: (referentibus iis quos miserat) Cum populo Gandauo non aliter transacturum se, nisi vt pariter omnes, tam fœminæ quam viri, (modo nec quindecim annis inferiores, nec maiores etiam essent sexaginta) vrbe relicta, inermes, in aperta planicie, nudi caput & pedes, exuti vestimentis, & laqueum collo quisque suo gestantes, primum a se veniam implorarent admissorum facinorum, ac vt deinde sibi quiduis in ipsorum capita statuendi faciendique potestas permitteretur. Aliud ab eo responsum (tametsi vehementer deprecantibus amicis) obtineri non potuit. itaque discessum est.

Philippus Gandauum reuersus, postridie ad populum retulit omnia. Vidisses miserandam tunc ciuitatis faciem, in extremam desperationem adductis omnibus. In hoc publico luctu & mœrore omnium, Philippus in deliberationem tria attulit, vt aut templis inclusi, delictorumque veniam a Deo precati, vitæ ibi exitum manerent, aut vt cõditionem ab hoste propositam acceptarent: aut vt ad quinque circiter millia prodeuntes, in illum pugnarent. Obtinuit postremum hoc, facta deliberatione. Nam aut illico decertandum erat armis, aut inedia misere pereundum. Militem suum Flander iam habebat Brugis collectum ad quadraginta millia. Nam quod sciret hostem in magnis positũ angustiis, volebat omnino bellum istud honorifice & vtiliter finire: &, de aduentantibus Gandauis vt intellexit, copias instruxit. Ceterum illi, tametsi perpauci, & cõcionibus sacerdotũ, & sui ducis Philippi orationibus incitati: deinde, quod inopem, exhaustam, afflictã & miserrimam a tergo ciuitatem relinquerẽt, in qua coniuges & liberi, & quicquid omnino carum esse poterat, quorũ omnium vel salus vel interitus in eius fortuna diei tum erat, magnos ad prælium animos adferebant. Brugenses, qui miro prius ardore pugnam optarant, adeo quidem vt Flander improbis ipsorum instigationibus velut adactus, eo die, quod minime statutum habuit, prælium fecerit, postquam collata signa, quo nescio subito metu perculsi (& habebant solem aduersum) in fugam præcipites abierunt. &, cum nulla ratione possent retineri, coactus est etiam princeps fugere, & cum eo copiæ equestres. Voluit quidẽ Flãder, qui fugientes equo prçuerterat, ne hostis irrũperet, occlusisse Brugarũ portas: verum id frustra fuit, fugientẽ enim acri-

ter insecuti, vrbem occuparunt sub noctem. Et ne tunc quidẽ omnino desperans Flander, collectis ciuibus, conari hostem repellere. Sed eo loci redactus est, vt sub noctem intempestam, discurrentibus per omnem vrbem Gandauis, ille, a suis plane destitutus, nunc in hoc nunc in illud angiportum sese furtim subducens, & tandem in paupercula cuiusdam fœminæ casulam ingressus, cui vix erat domi quo miserum tegeret, magna difficultate vitam seruarit. Hic mihi vide rerum humanarum & miseriam & vicissitudinem admirabilem.

A victoria, indignis modis ab hoste tractati Brugenses, & inter cetera quæ collibuissent victori, Gandauum abducti sunt ex illis captiui circiter quingenti locupletiores. Flãder, vitæ dubius, cum aliquandiu latuisset, Insulas profugit, interim pedes, interim equa vectus, absque sella, molestissima & via & cœlo. Gandauorum ista fortuna plurimúm recreauit Parisienses, Rotomagos, Leodinos, Brabantos, & quicquid est vicinarum ciuitatum, idque & propter exemplum, & quod male cuperent Flandro, quem fastus insimulabant. Philippo plurimus vbique honos deferri: & is quidem in rebus omnibus eum adhibere luxum qui vel in principe nimius videri posset. In victoris populi potestatem abierunt pene omnes. Audenardæ ciues, vt deditionem facerent, admoniti, postquam fortiter & cõtemptim recusassent, obsidione a Philippo cincti sunt, ex omni Flandria contractis copiis. Interim subinde a Gandauis factæ excursiones, direptæ dirutæque nobilium ædes. Quin & fons sacer, in quo Flander baptizatus, & cunæ illius & nescio quę alia in arce quadam inuenta, libidinem & animũ ferocientis militis explerunt. Flander ad extrema redactus infortunia, rebus perditis, vnicũ videbat esse remedium, vt Gallum ad sui commiserationem permoueret. Huc igitur generum suum, illiusque fratrem, a quo salutem expetendam ducebat, adhibuit. Ab eo non difficulter inflammatus Rex adolescens, magna alacritate bellum hoc suscepit. Philippus, vbi resciuit, Flandri caussam intercessione Burgundionum Ducis commendatam in Galliis, populi nomine missis ad Regem literis, obsecrare vt Flandriam suo principi recõciliaret. Hæc autem non tam ex animo scripsit, quam vt hominum de se opinionem in Galliis cognosceret. Verum, vt consilio suo hic cecidit, (Gallus enim contemnere scriptum) itum est ad Anglum, a quo non modo subsidium pro Gandauis orare, verumetiam ducenta aureorum millia, quæ Iacobus Tornacum oppugnanti Eduardo mutuatus fuerat, tempore minime omnium opportuno, repetere. Sic adeo factum vt nihil obtineret. Si mutuo datæ pecuniæ nulla facta mentione, solum de fœdere egisset, credibile est illum exorare potuisse.

Flander, strata sibi iam via, & propenso in bellum hoc Regis animo, in Gallias profectus, post acceptam a Rege inaugurationem Artesiæ, rebus iam suis melius sperare cœpit, præsertim cum potentissimum monarcham videret sui causa, festinatione magna, ingentem exercitum, puta ad sexaginta millia, in hostem educere. Quod simulatque Philippus resciuit, quæ sui erant muneris, non oscitanter obiens, illico iussit pontes omnes viciniores Lysæ fluminis deiici. Porro, duobus quibusdam locis erant ab eo dispositα firmissima præsidia, quę traiicientem arcerent. Ad oppidum Cominum, Petrus Syluanus retinebat in hũc vsum circiter nouem millia. Id cum ignotum Gallis non esset, variabant inter eos, dum de rebus gerendis consultaretur, sententiæ, existimantibus aliis, apud sanctum Odomarum, vbi minor est fluuius, transmittendum: aliis vero, prope Tornacum ponte iungendum Scaldam, vt illinc Audenardam facile traducerentur copiæ. Placuit tandem vt hostis prope Cominum, vt diximus, consistens peteretur. Vt eo deuentum, cernebant deiectos pontes, & destructa omnia: rursus deliberatum est. Ibi tum animosiores aliquot iuuenes, pugnæ & lacessendi hostis cupidi, (inter quos paulo ante conuenerat, si traiectus non pateret vsquam, id se daturos operam, vt tacite, non consciis ducibus, rationem tamen inuenirent) lintribus adiuti, & religatis ad vtramque ripam funibus, paulatim in vlteriorem fluuium omnes peruenerunt incolumes, & adeo citra magnam molestiã aut discrimen, vt hostis non procul inde castra sua metatus, nihil vnquam rescisceret, nisi cum elatis signis progressos coram videret. Syluanus tũc propter impendentem noctẽ, minime ratus tam exiguã turbã ad se venisse, dimicare noluit, somno & labore defatigatos noctu potius adoriturus.

Sed illi in hac solicitudine positi, minimeq; ignari quam audax facinus, quamque magnum, præter ducum & regis voluntatem inceptassent, rerum suarum mire satagebāt. Sub lucem collatis signis, Galli, tametsi paucissimi, rem adeo viriliter egerūt, adeoque strenuè, vt cæsis penè sex millibus, fuga dilabentem reliquam turbam in oppidum vicinum persequerentur. A pugna, prope Cominum illico structo pōte, Gallus reliquum exercitum adducens, Ipram recta contendit. Oppidani, victoris haud dubie exercitus fortunam secuti, præfecto vrbis, quod deditionem non admitteret, interempto, in Galli potestatem venerunt. Id imitati viciniores omnes, & pecuniæ vim magnam regi dependebant, & simul duces rebellionem suadentes ad illum captiuos adducere. Ceterum his rebus omnibus Flander non interfuit. Brugenses aliorum exemplis moti, spectabant & ipsi ad deditionē: sed a ducibus confirmati, præsertim quod ab Anglis opem sperarent, perdurabant.

Philippus, vt accepit maximi regis copias non procul considere, productis in aciem suis ad quinquaginta millia, hortari illos oratione graui, vt pugnaturi proponerent sibi insignem illam victoriam aduersus Flandrum, quem parua nuper manu fudissent: cogitarent, se post hoc prælium, si feliciter caderet, futuros rerum dominos. Optare id omnes bene institutas & egregias ciuitates: quibus ex animo nihil magis euenire possit, quam si Gandauos pro libertate tuenda fortiter & indefesse pugnantes, virtutis suæ fructū retulisse cognoscant, extinctis illis quorum inexplebilis cupiditas & ambitio non patiatur vllius Reipublicæ statum esse in tranquillo. In hanc sententiam alia multa locutus, mandauit vt in conflictu, præterquā vni regi, nemini parceretur, interemptis ad vnū omnibus. Flandri vehemēter quidem dimicare, non immemores eorum quæ narrasset Philippus Incitabat & illud non minimum, quod tantum in se hostem cōcitassent: quem si deuinci contingeret, futurum id sibi immortali gloriæ ad omnem posteritatem. Sed circumsepti tādem duabus hostium alis, & in angustias redacti, succubuerunt. Ad horam circiter vnam pugnatum est, & tempore tam breui desiderata sunt viginti quinq; millia. Philippus fortiter pugnando concidit, & a pugna iussu Regis inter ceteros quæsitus ac inuentus, ex arbore suspensus fuit. Nimirū ingenti totius equestris ordinis bono, depugnatum est eo die. Nā si secus euenisset, qui tum passim erat rerum status, credibile est in summum fuisse adductos periculum Reges atq; Principes. Nam Parisienses iampridem seditiosi, huius prælij euentum auide expectabāt. In Campania & bona Galliæ parte, florentissimæ quæque ciuitates, vna cū agricolis tumultuari iam cœperant. Itaq; in hoc prælio pendebat principum vel salus omnis vel calamitas. Rex tum agebat annū decimumquartum. Brugenses, in hac sociorum miseria, præsidij spe omni sublata, simul & rei bene gerendæ restituēdæq; occasione præcisa, in Regis fidem sese dederunt. Flander, quod huic populo non male cuperet, ad Regem pro ipsis intercessit, vt reciperentur, depensis centum & viginti francorum millibus. Qui Audenardam obsidebant, accepta suorum clade, castra illico mouerunt. Porro, Gandauenses his tantis malis & fracti & deiecti prorsus, ad misericordiam & clementiam cogitabant solicitare victoris Regis animum. Sed Syluanus rheda vectus eo, (nam grauiter laborabat ex vulnere) hanc illis opinionem excussit, magnifica policitus. Postquam ex consilio procerum Gallus non putabat obsidendum Gandauum, distributis huc illuc præsidiis, Tornacum rediit.

Gandaui, vt supra dictū est, ad Anglum miserant pro conciliando fœdere: cuius quidem formulas Anglus, deliberatione facta, perscriptas misit per quendam suæ familiæ, vt, si Flandriæ populis approbatæ fuissent, eorum signis confirmarentur. Legatus, vt Caletum appulit, certior factus, a populo Gandauo infeliciter pugnatum, & pleraque a Gallis occupari, infecta re in Angliam reuertit. Nec admodum dolebat Anglicæ nobilitati, oppressos Gādauos: quibus si feliciter prælium cecidisset, omnium circa populorum animi fuissent erecti: &, quoniā in Anglia non ita pridem periculosissimi tumultus fuerant, minima rursus occasione concitari potuissent. Id illi cogitare Quo tempore Tornaci Rex erat, desudatum est a multis bonis viris, vt populus rebellis principi suo reconciliaretur. Illi quidem Galli imperium non detrectare, sed grauissima quæque passuri potius videbantur quam Ludouicum recepturi. Cum nihil transigi posset,

Gallus rediit,& Lutetiæ vicinior factus obuios habuit Parisienses ad viginti millia, bene armatos omnes. Mirũ id videri & nouum tam regi quam ceteris omnibus. Et, quoniam armatæ multitudini illis temporibus minime tutum erat fidere: missus est qui sententiã illorum perquireret. Responsum erat eiusmodi, vt dicerent, eo se consilio ita instructos prodiisse, vt rex coram videret quãtas e Lutetia posset habere copias, breui temporis momento, si opus sit. Id tunc quidē in excusationem adferebant: sed profecto longe diuersa cogitarant ante,&, nisi victor ille rediisset, mira contigissent. Iussi redire in vrbem & deponere arma, paruerunt. Trahebat secum rex multum exercitum, e Britonibus & Heduis collectũ. Id metum eis incussit. Per otium deinde, ex cõsilio patruorũ, cœpit eos pro meritis tractare, lor icas omnes in vnum aceruum congestas extorsit: ad supplicium rapuit consiliorũ auctores: imperauit tributa & vectigalia multa: denique emunxit ab eis plus minus quadringenta francorum millia.

Feruebant tum odia inter Clementem & Vrbanum: & ille quidem Auenione tum erat, hic autem, cum ob alia, tum vt Galliæ regi aduersario suo facilius incõmodaret, Genuam accessit. Ex Italia secum adduxit rationes quibus imperium suum firmaret, hæ autem erant eiusmodi: Cogitabat in Angliam ad archiepiscos & alios proceres ecclesiasticos missurum se diplomata, (bullas vocant ipsi) quibus delictorum omniũ veniam elargiretur in eos qui Clementinos impugnarent. idem enim in Galliis tum faciebat Clemens. Et, quandoquidem compertum habebat, se non posse vehementius turbare aut affligere Gallos, quam excitatis in eos Anglis, inuentæ sunt etiam rationes ab eo colligendæ pecuniæ, citra cuius accessionem vix vllus armari voluisset. Itaq; visum est illi optimum, si præter ea quæ diximus diplomata, permitteret Regi vt ab ordine ecclesiastico (exemptis interim primatibus) collectas decimas nobilibus assignaret, vt de stipendiis essent certiores. Ceterum ad hoc persuadendũ subornabat ecclesiæ primores, qui ceteram turbam impellerent. Hac ratione nec Regis ærariũ exhaustum est, nec populus ipse grauatus nisi quantum lubens sua sponte dabat: id quod liberalissime, vt tum erant secula, pro se quisq; faciebat, nimirũ propositis adeo non vulgaribus præmiis, quorum consequendorum occasionem nemo sibi putabat negligẽdam. Missis igitur in Angliam ab Vrbano plurimis eiusmodi literis, & passim concionibus inflammatis hominum animis, adeo vt beatos se reputarent quibus contingebat eo tempore mori: collecta sunt breui tempore, tam e decimis quam e spontanea vulgi liberalitate, circiter vicies & quinquies centena francorum millia. Et quo plus fidei haberetur, voluit Pontifex inter ceteros præesse copiis aliquem eccleastici gregis virum peritum. Quin & in Lusitaniam similes misit literas, eisdem ibi rationibus vsus, vt Hispano, qui suas partes impugnabat, ægre faceret. Ceterum Duci a Lenclastre, Hispania, & Episcopo cuidam ex familia Spensiorum, Gallia oppugnanda euenit. Sed, quod ille minus esset popularis, & auaritia magis quam animi candore inductus crederetur ad hãc expeditionem accingi: malebant pleriq; sub Episcopo militare: cui discedenti Anglus iniunxit, vt Caleti alterum collegam & belli gerendi socium expectaret. Ille vero, moræ impatiens, & nihil cunctandum ratus, in Flandriam copias adduxit. Missis a Flandro tum Insulis commorante, qui noui belli caussam cognoscerẽt, non denunciatis inimicitiis, respondit, in gratiam Vrbani Pontificis persequi se Clementinos omnes. Legati contra, Flandriam omnem Vrbano prorsus addictam. Si nulla sit alia caussa, inique susceptum bellum aduersus immerentem socium. Ideoque petere commeatum, vt in Angliam sibi liceat tuto traiicere, & colloqui cum Rege. Tum ille satis proterue, se nullam eis facere vel manendi vel eo proficiscendi copiam: si traiicere omnino velint, faciant id suo periculo. Cum aliud ab homine parum & ciuili & tractabili obtineri non posset, Flandri ad duodecim millia non procul ab oppido (Dunequerquam vocant) collatis signis depugnantes in Anglos, (quorum fœcialem ad se missum interemerant) cæsi sunt plus minus nouem millia. Occupatis deinde quibusdam ibi oppidulis, vt Ipram obsiderent, progressi sunt Angli: quoque firmiorem haberent exercitum, Gandauis, vt suas etiam copias producerent, nunciarunt. Nam & mutuum erat iam inter eos fœdus, & dolebat Anglis prælio superiori Gallos extitisse victores, adeoque inuidebant eis hanc siue laudem, siue fortunam. A Gandauis missi ad vinginti

millia.

millia. Dum Iprenses acri premerentur obsidione: Flander, intercessione Leodiensis Episcopi, statuit amice cum Anglis transigere: quos ad eam rem, vt suspicari licet, non erat habiturus difficiles, præsertim cum in Clementinos, e quorum grege Flander non erat, institutum esset bellum. Sed Anglis coniuncti Gandaui, odio sui principis, consilia perturbarũt. In Galliarum Regis potentia præsidium erat vnicum. Hic denuo instigatus a Burgundo fratre, & Flandri genero, conscripsit supra cętum millia. Porro Episcopus, vt rerum imperitus, ita mirè fastuosus, vbi contra se aduentantem exercitum accepit: illico motis castris, & obsidione soluta, contulit se ad maritima cum aliquot copiis, vt imminente hoste, ad fugam esset paratior, facilemque traiectum haberet Caletum. Erat in Regis exercitu Britoniæ Dux: quod mirum ipsis Anglis videri, quorum ope & studio sæpenumero seruatus fuit & restitutus. Verum id integrum illi tum erat, citra nominis aliquam labefactationem. primum, quod Gallo nuper esset reconciliatus: deinde, quod hoc officium deberet Flandro, cuius erga se munificentiam & fidem profugus ipse & inops abunde fuit expertus. Nimirũ ita sunt res humanæ, vt quæ istum hodie affligat calamitas, illum cras exagitet. Et tamen ille beneficiorum minime immemorem se declarauit Anglis, qui imminente Gallico robore, in vrbem quandam (Burburgum appellant) retrocedentes, obsideri in ea se patiebantur. Nam periculi præsentiam videns Brito, quod euitare non possent, nisi facta deditione, (quanquam & id incerti esset euentus) non destitit hortari illos e muro secum verba facientes, vt amice transigerent. Quod illi non modo gratum habebãt, verumetiam obsecrare Britonem, vt mentionem apud Regem iniiceret. Et hic quidem a deliberatione in suam potestatem recepto oppido, turbam omnem incolumem abire passus est: postea, dimissis copiis, humaniter agere gracias ducibus exteris, imprimis autem Friderico Bauariæ principi, quem amor perlustrandi regiones, cognoscendique militiam Gallicam & disciplinam omnem, in hoc protrusit. Quinetiam Brito, tam Angli quam Galli studiosus, ad conciliandum illos, effecit magno suo labore & industria, vt Galliæ, Hispaniæ, Angliæque Regum legati conuenirent. Nec enim cum Anglis voluit transigere Gallus, nisi & Hispani haberetur ratio. Et quoniam rebus ita dubiis, nec Galli Caletũ, nec Angli Bononiam se conferre volebant, medio inter vtrunque oppido conuentum est. Patrui Regis Galliarum ibi repetere Aquitaniam omnem, item Caletum, & arces quas tum Angli cis mare ad Garumnam vsque tenebant, tam in Normannia quam Britonia, Pictonibus & Rochellensi agro. Angli contra nihil horum offerre: & præter capita rerum de quibus iniunctum erat vt loquerentur, voluerunt etiam Gandauos in communem hanc societatem recipi. Sic enim inter ipsos Caleti prius conuenerat. Sed Flander magnis hic se viribus opposuit, contendens, nulla ratione admittendos illos in tantorum principum fœdus. Breuiter, cum aliud statui non posset, in menses decem & eo plus firmatæ sunt induciæ & terra & mari, inter Gallum, Anglum, Hispanum, Scotum & Gandauenses, quantumuis reclamante & dissuadente Flandro. Fuit & illud additum, vt sub exitum induciarum, rursus certo loco simul congregarentur legati, copiosius acturi de pace. Paulo post, vitam finiit Flãder, quem fortuna per annos aliquot mirabiliter exercuit, belligerantem in suos: adeo vt in hoc vno principe spectare liceat, quam sit insignis felicitas ita regere posse populum, vt & amet & reuereatur. deinde, quam sit periculosum, incidere in Remp. potentem, quæ, dum libertatis vult videri studiosa, permiscet omnia, quo imperium a se excutiat.

Cum discederetur a legatis, ita conuenit vt Galli statim denunciarent inducias Scoto. Ceterum id quo nescio errore fuit neglectum. Verisimile est, morte Flandri occupato Burgundionum Duce, ad quem hæreditas illa omnis iam deuoluta fuit, in obliuionem istud venisse. Nacti hanc occasionem Angli quidam nobiles, factis incursionibus, depopulati sunt hinc inde Scotiam, & ferro & igni. Scoti rerum omnium ignari, non denunciato bello, mirari factum, maxime vero quod de induciis obscurus esset ad eos delatus rumor. Vtut erat, parabant & ipsi defensionem. Cuius rei fama cum ad Gallum peruenisset, incusare se mutuo proceres ipsi ob tantæ rei negligentiam obliuionemque. &, quod restabat vnum, missi in Scotiam sunt, qui re omni exposita placarent eos. Ad pacem quidem satis in-

clinabat Rex ipse, verum proceres regni tumultuari, & vindictam expetere, adeoque vicissim in Angliam factis impressionibus, declarare, non sibi deesse animos & se & sua tuēdi. Cū esset Scoto persuasum, a legatis Galliæ missus fœcialis ad Anglū sedauit turbā. Itaq; receptis & ratis habitis hinc illinc induciis, voce præconis edictū est, ne quis in formulas illarū committeret. Vt autē Anglus facilē se daret ad hoc negotiū, summe laboratū est a Lenclastrio, qui iam olim statutū habebat Hispanias inuadere, cōiunctis cū Lusitano viribus: eoq; vehementius optabat perficere bellū istud, quod sobolem haberet e coniuge sua, cui regnum iure omni humano & naturali deberi contendit.

Expositum est supra, quantis copiis & apparatu Andegauorum princeps in Italiam abierit. Quo cū venit, præter Neapolitanos, qui nulla ratione flecti poterāt, non inuenit obstaculū. Parebāt Prouincia, Calabria, Apulia. Decessit tum e viuis Sabaudus Andegauum secutus, vt diximus. Porro cum in tertium iam annum aluisset militem, exhaustus quotidianis sumptibus, & iis quidē non exiguis, fratres orare ne sibi in his suis rationibus longe clarissimis deessent. Illi pro suo in eum affectu, minime rati deserendum in caussa tam non iniqua, copias miserunt. Quæ cum Auenionem appulissent, accepto de illius morte certissimo nuncio, redibant.

Mortuo Flandro, ad Philippum Burgundum iure successionis deuenit omnis ditio Flandrica. Atqui Brabantiæ Domina (cuius maritus Wenceslaus a Bohemia nuper obiit Luzemburgi) cupiebat vnice, Burgundiam, Hannoniam & Flandriam perpetuo fœdere & amicitia coniungi. Burgundo filius erat Ioannes. hic Margaritam, Alberti Bauariç Ducis Hannoniæque filiam, Cameraci vxorem duxit. Præterea Gulielmus Alberti filius connubio sibi iunxit Margaritam Burgundi filiam. Nuptiis Galliarum Rex intererat. Burgundus filiæ in dotem dabat centum francorum millia. Lēclastrium hæc fœdera pessime habebant, quod filiam suam Alberti filio cuperet nupsisse. Conabatur quidem impedire, cum de sponsalibus accepisset, missis ad Albertum literis: verum id frustra fuit.

Quantum attinet ad Comites Hannoniæ, sic accipiendum est: Gulielmus, huius ditionis dominus, quatuor habebat filias, Margaritā, Philippam, Ioannam, & Isabellam: item filium vnum, Gulielmum. Margarita nupsit Ludouico Bauaro, Imperatori. Philippam duxit Eduardus Anglus. Gulielmus, non relicta sobole succubuit in prælio aduersus Phrisones. Itaq; per mortē istius ad sororem natu maximam, puta Margaritam, succedendi ius venit, & illa quidem hæreditatem adiit, donec Albertus filius, quem e Ludouico Cæsare sustulit, adultus in paterna bona successit. & huius quidem deinde filius Gulielmus, Burgundi filiam duxit, vt narratum est.

Andegauiæ principi duo erant filij, Ludouicus & Carolus. quorū mater, Clementis & Galli secuta consiliū, Prouincialibus bellū intulit, nō citra Gallorū Regis auxilium, suppeditantis & militem & belli neruos. Massilienses quidē satis erant huic addicti: verum reliqua ditio omnis opponere se, nec imperium illius acceptura prius videbatur, quam Calabria, Neapolis & Apulia idem fecissent, quarum quidem possessionem vbi se declararet habere tranquillam, & se libenter in ipsius potestate futuros. Finitis hoc tempore induciis Gallum incessit mira cupiditas impugnandi Anglum. Conscriptis igitur copiis, Borbonium in Aquitaniam misit, vt hostem omni Gallia, si posset, exturbaret. In Scotiam misit alterū exercitum, duce præfecto maris, (Ammiraliū vocant) vt simul iunctis viribus Anglo negotiū facesserent. Quo cum venit, minus amice fuit exceptus. Etenim Scoti, quod se crederent satis potentes citra alienū præsidium, qui hostem inuaderēt: deinde, quod, cum agrū teneant sterilē, semper metuāt ne quid praeterea detrahatur: tū, quod aliorū inuideant bonis, indigne ferebant illorum aduentum. præterea (quod Ammiralio inter cetera cum primis erat molestum) Scotiæ Rex ægre potuit & precibus impelli & precio, vt deserta illa Scotiæ parte relicta, ad colloquium veniret: cui non prius se dedit, quam scriptis & signo suo fidem dedisset Ammiralius, non se discessurum e Scotia, nisi certa pecuniæ summa ipsi Regi depensa, nullum alioqui auxilium laturo.

Carolus quintus æger decūbens, fratres ad se vocatos orauerat, vt filio de vxore prospicerent illustri loco nata, potissimum vero peterent illam e Germania, quo firmiora

eſſent fœdera. Nimirum id adeo ſic euenit. Nupſit enim illi Stephani Bauariæ Ducis filia Iſabella, forma elegantiſſima. Ceterum, huius connubij prima occaſio nata fuit ex eo, quod Fridericus Bauarus, Galliæ Regis caſtra ſecutus eſſet proximo bello, quod geſſit in Anglos, vt ſupra narratum eſt. A morte Andegauiæ Ducis, qui res maximas in Italia moliri, vitam finiit & illius aduerſarius Carolus, cui a pace cognomen erat. Credebatur tum id factum ab Hungariæ Regina: quæ cum filias duas haberet e cōiuge ſuo Ludouico vita defuncto, verita ne Carolus hic, Ludouici ex fratre nepos, illas hæreditate omni pelleret, præſertim cum iam non obſcure ſe Regem Hungariæ diceret, illum e medio ſuſtulit, verus modo ſit rumor & ſuſpicio. Deinde ad Gallum miſſis legatis optabat illius fratrem, Ludouicum Valeſium, filiæ ſuę maritum. Id cum in Galliis non diſplicuiſſet, in Hungariam miſſi fuere qui Ludouici Principis nomine prorſus tranſigerent: poſt alij in Galliam ablegati, qui ſponſum adducerent. Interea Henricus a Bohemia, vocatus Marchio a Blancquefort, frater germanus Caroli Bohemiæ Regis, indigne ferens, peti Regem ex locis tam longinquis, incitantibus eum aliquot Hungarię primoribus, adeoque fratre ipſo non diſſuadente, Reginam illiuſque filiam, animi recreandi cauſſa commorantes in arce quadam longius ab hominum frequentia, obſedit: & hac tandem ratione coacta fuit illa filiam huic vxorem dare. Galliæ regis frater in Campaniam vſque progreſſus cum familia & comitatu omni, vt certior factus eſt de rebus in Hungaria mutatis, non paruo dolore concepto, rediit ad fratrem, qui non magnopere videbatur angi, quod Hungaria, propter maxima locorum interualla, prę ſidium ægre tuliſſet.

Scotus, intellectis Ammiralij rationibus, conſcripſit ad triginta millia. Rebus gerendis non intererat ipſe, ſed filios nouem adeſſe voluit: & progreſſi in hoſtem, longe lateque vaſtarunt agrum. Sed certiores facti Anglum aduentare cum ſeptuaginta millibus, non ſubſtiterunt. Et ille quidem eos perſequi retrocedentes. Ibi tum Ammiralius ad prælium hortari: quod Scoti, quoniam & multitudine ſuperari, & Anglorum in re militari peritiam habere ſuſpectam, detrectabant. Et apparebat Anglos vix vnquam infeſtiores fuiſſe Scotis, propterea quod hi externum etiam militem ſibi adiunxiſſent, & illum quidem e Galliis petitum: hoc nimirum immoderatiſſime ferebant. Scoti, quo fidem facerent Ammiralio prælium vrgenti, deduxerunt illum in montem vicinum, inſigniter ſublimem, vnde potuit omnem hoſtilem exercitum prorſus contemplari: quem vt vidit, acquieuit eorum ſententiæ qui minime ſuadebant conſerendas manus. Ne tamen nihil egiſſe viderentur, coniuncti Scoticis copiis Galli irruerunt in ditionem Walenſem, vbi aliquanto etiam plus damni quam in Anglia dederunt. Lenclaſtrius & multi alij, perſequendos exiſtimabant: ſed diſſuadente quodam non minimi precij, & adducto in odium atque ſuſpicionem Lenclaſtrio, quaſi is Regem eo protruderet, vt in pugna oppreſſo ipſe in Regni adminiſtratione ſuccederet, mutatus eſt Regis animus. Porro quantum poſtea malum in Angliam inuexerit iſta Regi iniecta ſuſpicio de patruis, ſuo loco intelligetur. Vt animum rapinis & depopulationibus explerunt, Scoti cum Gallis redierunt ad ſuos. Sed dictu mirum, quantā in illis ferociam & inhumanitatem deprehenderint Galli: paſſim erat audire querelas graues atque minaces, dum hic de frugibus protritis atque humi deiectis, ille de arboribus præciſis, alius de re familiari ſibi ablata, magnas mouere turbas, adeo vt palam dicerent, non prius in Galliam redituros illos quam iactura omni & damno reſarto. Quid agas? Coactus adeo fuit his rationibus Ammiralius placare omnes, quotquot de iniuria ſibi facta querebantur.

Gandaui, ſeptennali bello defatigati, pacem quidem optabant, ſed tacite. Nam Syluanus, qui plus & commodi & dignitatis propoſitum ſibi videbat in turbis, ita retinebat eos vt palam vix vllus auderet pacis meminiſſe: nihilominus per duos quoſdam potentiores ciues, maxime ſtudioſos quietis & tranquillitatis publicæ, tum per nobilem quendam virum, honeſti ingenij, & in Galliis valde gratioſum, res eo fuit deducta vt Burgundus, nuper Flandriæ dominus factus, & æquum & facilem ſe præberet, eoque magis quod ſub proximum ver in Anglia ſtatutum haberet bellum facere. Pacis formulas auctor ſatis prolixe enumerat. Syluanus, hunc nuncium adeo non gratum vt

intellexit, cum Anglo quodam genere nobili, (quem Gādaui multo ante flagitā uerāt sibi dari præsidem vrbis) in Angliam abiit. Nam, etsi firmata pace extra periculum esse videbatur, tamen multitudini diffidens, migrandum putauit. Auctor, a commemoratione harum rerum scribit, se, vt plenius cognosceret res gestas in Hispaniis, Lusitania, Aquitania, vicinisque regionibus, cum esset in ea ætate vt labores itineris ferre, ea ingenij mediocritate vt quæ intellexisset describere & mandare monumentis posset: deuenisse tandem in familiam Casconis, Principis a Foix, viri tum temporis clarissimi: apud hunc aliquot menses commoratum se familiariter, edoctum de rebus plurimis & ab ipso Principe & aliis magni nominis viris, qui rebus plerisque interfuerant ipsi. Narrat inter cetera tristem quendam euentum, & quem natura ipsa reformidet. Res ita habet: Comes a Foix, vir strenuus, inter ceteros nobilem quēdam iure belli captum tenebat: qui, vt custodia eximeretur, pactus erat dependere quinquaginta francorum millia: pro qua summa fideiussionem interponere volebat Rex Nauarræ, cuius sororem Comes vxorem duxit: sed diffidens Regis ingenio, quem fortasse propius nouit, nisi meliori satisdatione facta noluit liberare captiuum: vxor subirata, adeo non haberi fidem fratri, modeste increpare maritum, & non conquiescere donec illi persuasisset, facta interim mentione, sibi in dotem deberi tantam summam, ideoque non esse quod fraudem metueret. Hoc igitur pacto solutus captiuus, vt ad suos rediit, quo fidem liberaret, collectam pecuniam certo tempore misit, non ad Comitem, sed fideiussorem ipsum. Quod vt resciuit ille, miratus, nihil ad se mitti, per vxorem quæ profectionem libenter suscepit, sententiam illi suam significabat, commone faciens eum fidei. Tum ille ad sororem, postquam accepit mandata, Omnis, inquit, hæc pecunia ad te pertinet, eamque maritus ratione dotis tibi debet: ac, postquam semel ad me est delata, non patiar illam hinc auferri. Ibi vero illa cœpit obtestari, mutaret sententiam. futuram hanc veluti segetem vehementis & perpetui inter ipsos odij dissidiique: non ausam reuerti se ni simul & nummos adferat: se auctore illum habuisse ratam fideiussionem, & liberasse captiuum: alioqui nihil horum fuisse facturum. In se redundare omnem culpam, esse illum ingenio iracundo & implacabili, si videat minùs integrè secum agi. Cum sæpe in hanc sententiam locuta, parum ageret: illo nihil mutante, ex metu permansit ibi. Commorantem iis locis matrem, filius, eiusdem quo pater nominis, grandior factus, oblectandi sui gratia inuisit, & a mensibus aliquot, abitionem inde parans, nullis rationibus illam, vt secum rediret, permouere potuit. Abiit itaque Pampelunam salutaturus auunculum, qui & humanissime illum habuit, & abituro multa dedit insignia dona, & inter cetera crumenam cum pyxide, referta pharmaco quodam in puluerem redacto: cuius erat ea vis vt, qui vel minimam huius particulam degustasset, illico vitam expiraret. Offerens adolescenti hoc tam venustum munus, vides, inquit, suauissime nepos, patrem graui & tantum non irreconciliabili odio concitatum in matrem. Nemo credat quam id mihi displiceat: & iure etiam tibi displicere debet: sed, vt malum istud tollatur, age, cum ad patrem redieris, per occasionem iniicies mediocrem huius pharmaci partem in cibum qui apponetur ei: verum id occulte facias: itaque futurum est vt, qui nunc illam impensissime odit, sumto eiusmodi cibo, præter eam non sit desideraturus aliud, adeoque discedere illam a se vix vnquam patiatur. Tantus erit amor, tam ardens affectus. Nimirum hoc ipse tu vehementer etiam debes optare: sed imprimis caueto, ne cui rationem hanc tuam aperias, alioqui luderes operam. Adolescens, vt qui rerum esset imperitus, existimans auunculum, de quo nihil vnquam mali suspicari voluisset, bona secum fide agere, & ex animo loqui, suscepto pharmaco, pollicitus ita se facturum, discessit. Reuersum pater benigne alloqui, & sciscitari de rebus nouis: tum si qua dona dedisset auunculus: ille, data sibi dona protulit omnia, præter vnicū illud. Ceterum euenit vt filius comitis nothus, quoniam cum fratre admodum viuebat familiariter, qua nescio occasione, cum in vestē illius incidisset, offenderit crumenam ibi suspensam, in qua subolfecit cōtineri quiddam nō vulgare, & rogatus ab eo deinde frater, quid esset illud quod ad pectus circūferret perpetuo, colore mutato, non respondit, iratus etiam illum eousq; conscium. Post aliquot dies nato inter ipsos, dum pila exercerentur, dissidio, ille fratrē nothum pugnis mulctauit: hic oppletus lacrymis,

cum aliud non posset, recta Comitem adiit, exponens iniuriam sibi factam a fratre, qui non immerito cædi posset, & verbere castigari. Cur plagas meritum existimas? inquit ille. Quoniam, ex quo tempore huc a matre rediit, circumfert quiddam ad pectus, odore graui, nescio quem in vsum, nisi quod futurum mihi dixit, vt mater breui reconcilietur tibi. Tum ille puero iniungere silentium, & suspicari male. Vt ad prandium consedit: & filius, ex more, cibum prædegustauit, animaduertit crumenam a collo dependentem. Accersit illum ad se, quasi in aurem dicturus aliquid. Vt propius accessit, vestem illi explicat, & simul crumenam præscindit: pharmaci periculum facit in cane, qui, vt deuorauit, illico mortuus concidit. Tum inflammatus ille, & toto corpore concussus, in filium insurrexit, crudelia facturus haud dubie, nisi, qui circum erant nobiles, indignitate rei ac simul nouitate perterriti, illum cohibuissent. Ibi, cum aliud non posset, graui oratione detestare filium: qui se, parentem suum, a tantis bellis, quæ contra magnos & potentes sæpe Principes, locupletandæ hæreditatis & proferendæ ditionis causa sustinuisset, tam inhumano & atroci mortis genere voluerit e medio tollere. Nobiles, quantum fieri potuit, iram illius mitigare. Filium in carcerem abduci, &, ne qua dilaberetur, exacte seruari iussit, grauiter interminatus, proposita crudeli pœna custodi, si conniueret, præterea, plus minus quindecim, genere nobiles omnes, atrocissimis puniuit suppliciis, quod, cum filio essent familiares, tale facinus non aperuissent. In cœtu deinde aliquot ordinum, quos adesse voluit, certo die, cum impiam & immanem filij cogitationem exposuisset, varie multumque exaggerando, censuit illum capite plectendum. Intercessum est ab omnibus vna voce, deprecantibus adeo non humanum exemplum: neque discedendum sibi prius inde putarunt, quam data ab illo fide, saluum & incolumem futurum filium. Præstitit ille quidem quod pactus erat: sed tamen custodia cõtinuit. Et huius rei fama cum apud Gregorium vndecimum, tunc Pontificem, increbuisset, Auenione Cardinalibus aliquot missis negotium dedit, vt modis omnibus filium patri reconciliarent integre. Sed nimium serus fuit illorum aduentus. Adolescens enim, per dies fere decem, quibus tenebatur inclusus, parum edit, quantumuis apponeretur, cibi: sic vt credibile sit, eum ex cogitatione rerum omnium, ingenti dolore concepto, præter mortem non optasse aliud. Id vbi pater accepit, referente carceris præfecto, ingressus animo turbato, ac tum cultellum, quo repurgabat vngues, manu tenens, quo nescio fatali malo, venam quandam gutturis illi incidit, additis interim verbis asperrimis, quod cibum non sumeret: post abiit. Subsecutus deinde loci custos, offendit illum plane mortuum. Hic nuncius mirabiliter afflixit patrem, quantumuis turbatum ante: nam præter opinionem id illi prorsus accidit.

Supra narrauimus de morte Ferdinandi, Lusitaniæ Regis, in cuius locum minime suffectus est Castiliæ Rex Ioannes, defuncti Regis gener, verum alius quidam ecclesiastici ordinis, Ferdinandi frater illegitimus: idque ciuitatum potius quam nobilium voluntate. Quo quidem nomine Hispanus illico missis ad Rempublicam Lisbonensem, illis locis florentissimam, legatis, incusare eos grauiter & reprehendere, quod sibi, qui filiam vnicam optimi Regis haberet vxorem, ademptum regnum, trãstulissent in eum qui nullum ius ad suæ caussæ approbationem adferre posset. Cum id frustra esset, nec illi quicquam immutaturi viderentur, conscriptis circiter triginta millibus, vrbem illorum obsedit, vbi cum ad annum, & eo plus, nulla re magna perfecta, durasset, pestilentiæ vi coactus, quæ viginti pene millia absumpsit, in Hispanias reuertit: nec ita multo post venerunt e Gallia suppetiæ. Quæ quidem res animum illi auxit. Ceterum, Hispani putabant dimittendum exercitum: Galli vero sententiam & ipsi rogati, probabilibus in medium adductis caussis, cum hoste confligendum suadebant. Quo tempore a Lisbona retraxit exercitum Hispanus, appulerunt illuc aliquot Anglorum triremes: non hos quidem eo misit Rex Anglus: verum ipsi, postquam in Aquitania hic illic essent grassati, Burdegalæ collecti, ac naues ingressi, volebant sub Lusitano merere. Gratum hic habuit illorum officium, adeoque militem suum rursus armari iussit, signa collaturus cum hoste. Nobiles, qui minus ratam habebant electionem, irati Lisbonensibus, quorum in ea re valuit auctoritas, detrectare militiam. Ille, quid facto esset opus, consultans, admonitus est vt ne rem longius extraheret, quin potius quas ha-

beret iam collectas copias, in hostem educeret. Non alia ratione quam ista Regno parari posse tranquillitatem. Esse opus vt ferro & prælio viam sibi faciat: Non desperandum, etiamsi multitudine superet hostis. Euenire subinde, & extare exempla, magnum sæpe numerum parua deiectum manu. proponeret sibi Henricum, huius parentem, qui ferro sibi Regnum & peperisset, & partũ firmasset. His & id genus aliis vocibus incitatus, produxit militem ad decem millia. Angli, quod animaduerterent se vinci turba, suadebant Regi, non esse consistendum in planicie, sed quærendum natura munitum locum, in quem non temere queat hostis irrumpere. Inuentum eiusmodi locum illi sic præterea munire vndecunque variis impedimentis, vt nisi vnica solum parte, non admodum laxa, perueniri ad eos nõ posset. In exercitu Hispani plurimum eminebant Galli, Rege multum in eos propenso, & ex illorum arbitrio moderante omnia. quæ res inuidiam excitauit in Hispanorum animis, implacate ferentium in exterorum præsidio tantam collocari spem. Quin & illud ad odium faciebat quod, cum Hispanus produceret suas copias, illi flagitauerint in primas acies redigi. Vt propius hostem consederunt, Galli, confligendum esse: Hispani verò, propter impendentem noctem, differendum prælium in alterum diem suadebant. Sed obtinuit illorum sententia, qui, simulatque pugnæ signum datum est, miro quodam ardore inferebant se confertim in hostem. Decertatum est hinc inde magnis & animis & viribus. Sed sagittariorum Anglorum peritia & virtus hic, vt sæpe alias, enituit. Nam hi continenter eiaculando, confossis & transuerberatis Gallorum equis, ita illos arctarunt, vt plurimis interfectis, reliquam turbam caperent. Ad Hispanũ, qui cum viginti millibus hominum, ad duo fere miliaria a Gallis aberat, pugnam aliquanto citius auspicatis, nuncio delato, laborare ipsos & in vitæ discrimine versari omnes, ille quidem ardenter cupiebat subuenire, sed militem suum huc excitare non potuit. Sic enim inter eos conuenit, vt, quãdoquidem Galli præ ceteris maxime vellent videri strenui, eoque nomine plurimum sese efferrent, sinerent eos negotium suum agere, nec quicquam ad se, quocunque modo caderet, pertinere existimarent. Sub noctem Hispanus accessit propius hostem, qui certior ea de re factus, instructa primum acie, mandauit proposita capitis pœna, vt qui captiuos haberent, illico necarent illos, ne, dum ipsi in reliquum exercitum pugnãdo occuparentur, isti, vinculis expeditis, arma repeterent. Crudele certè spectaculum, quod etiam victores ad lacrymas & misericordiam commouit, vtcunque parere mandato esset necesse. Capti erãt circiter mille, quos omnes indignissima nex hausit: vt appareat socios, qui strenue pugnando occubuerant ante, his multo fuisse feliciores: qui, cum essent & a fortuna seruati, & sua virtute incolumes euasissent, post datam & acceptam ab hoste fidem, more militari, cùm de capite & vita nihil se periclitari crederent, in extremam inciderunt calamitatem, iugulati a victore, nullam adferente iram, vt in prælio, sed placido iam, & ab inhumanissima cæde ipso abhorrente. Lusitani porrò, quod magnum ex loco præsidium haberent, denuo fuderunt hostem, & in hoc secundo prælio nemini parcitum est: qui poterant, fuga sibi consulebant, reliquis omnibus interemptis: desiderata sunt ab Hispanis ad septem millia. Pacti deinde (QVI Principum mos est, perpetratis multis & insignibus malis) de induciis, Lusitanus triumphans Lisbonam inuectus est, Hispanus militem exauctorauit.

Sub hoc tempus, a Gallis recuperata sunt omnia quæ prædones aliquot in agro Tolosano finitimisque locis tenebant. Aquitani, quod magno suo emolumento in Galliis bellum facerent, libenter sub Anglo merebant. Et, si commode fuissent honorificeque tractati, non mutassent dominum: sed Angli filius nobilitatem pene omnem, quibus nescio suis moribus, a se alienauit, ita quidem vt ipso deserto in Galli fidem sese daret. Adhæc, ipsius officiarij contemptim etiam habere Aquitanos, velut indignos quibus vllum munus in Repub. committeretur: hinc odium inter eos: & hac occasione Carolus quintus omnia recuperauit, vt supra diximus.

Feruentibus etiamnum bellis inter Pontifices, Clementis milites Vrbanum obsidione cinxerunt in arce quadam Italię: &, si quidem allata pecunia placatus fuisset miles, captus erat ille: sed Pontificis ærarium, qui tum erat Auenione, tam fuit exhaustum, vt viginti francorum millia, quæ in militem distribuerẽtur, corradi non possent.

Hæc nimirum simultas & dissensio Pontificum, in diuersa studia rapuit omnes fere Principes & Reges, vt memoratum est. Hoc malum & alia multa quibus aliquando premeretur ecclesiasticus ordo, Franciscanus quidam monachus Innocentij temporibus prædixerat, coniectus Auenione in vincula hoc nomine, &, ni scripturæ auctoritate sua firmasset, capitis pœnam luiturus.

Diximus de Ferdinando Lusitano, qui filiam vnicam reliquit, Beatricem, Hispani Regis vxorem. Atqui narrat auctor, comperisse postea se, fuisse illam e Lusitano procreatam & nobili quadam fœmina, quam ille, fugato marito rapuit, & sic natam filiam, Vrbani deinde Pontificis permissu, legitimam fecit. Cumque de connubio ageretur inter istam & Hispanum, in controuersiam ac deliberationem adductum & hoc fuit. Sed Lusitanus, vt sollicitudinem omnem eximeret, hoc egit apud nobilitatem & potentiores ciuitates, vt sancte promitterent, ab ipsius morte præter filiam hanc non aliam se Reginam agnituros, neque regno successurum alium quam eum qui hanc sibi matrimonio iunxisset. Vt e viuis migrauit, nobiles quidem optare Hispano regnum deferri: sed ciuitates odio Hispanorum, ad successionem vocarunt eum de quo iam sæpe diximus, mortui Regis fratrem illegitimum. Et quoniam e vita discedente Lusitano, raptæ a se feminæ maritus etiamnum erat in viuis, iudicabant plerique natam ex eis prolem ex adulterio esse. Porro, quinquennium vna vixerant coniuges isti, cum ille impio & insano accensus amore facinus hoc designauit, non Principe solum, sed quouis etiam homine indignum. Miser vxore spoliatus, ad Hispanum se contulit & ab obitu Lusitani, secutus amicorum consilia, suadentium grauibus de causis vxorem non esse recipiendam, rediit Lisbonam: in conflictu postea quodam oppressus: & verisimile est iniucundam illi fuisse vitam, reminiscenti contumeliam & iniuriam adeo insignem sibi factam ab eo, quem ad vindictam expetere non potuit.

Lusitanus, quo tempore Lisbona obsidebatur ab Hispanis, in Angliam missis legatis ad Lenclastrium orare & commonefacere illum, vt sibi in tali necessitate posito succurreret aduersus hostem, qui & regnum possideat nullo sibi iure debitum, & Lusitanicum præterea vi studeat occupare, in quo tantundem iuris habeat. Accepta legatorum oratione, statutum fuit vt Lenclastrius profectionem illuc susciperet: adeoque instructa iam erant & adornata omnia, cum Galliæ, quem vocant, Ammiralius, in Scotiam adducto milite, bellum inde moueret Anglis, vt diximus. Ea res consilia turbauit. Et feliciter tamen a Lusitanis pugnatum fuit, duobus præliis hoste superato, quemadmodum retulimus. Et ab ista quidem victoria Rex Lisbonam reuersus, habita consultatione, denuo misit legatos ad Anglum & Lenclastrium, vt, si vllo vnquam tempore velit in hostem aliquid moliri, præsentem non negligeret occasionem. Bis a se fugatum & cæsum illum, trepidare nunc, & suis rebus metuere: facile posse fieri vt præcipitetur, maxime vero si coniunctis armis inuadatur: vix illum quo se vertat, habiturum: adeo futuras omnes illius rationes consiliaque turbata: &, quo vehementius agitetur, optimum sibi videri vt illico impetus in eum fiat, priusquam vires colligat, & de periculi mole cogitare incipiat. His aliisq; multis legatorum sermone expositis, placuit Lenclastrium cœptam fere nuper expeditionem, nunc demum persequi: itaq; cum vxore & liberis, cum aliquot equitum, & duobus sagittariorum millibus, eoque plus, in ditione Walensi (quo Lusitani, certiores a legatis facti de rebus omnibus, præmiserant vigintiquinque triremes) mare conscendit: & quandoquidem magna videbat indicia turbarum, quibus Anglia turbaretur, tum, quod inuideri sibi animaduerteret a multis, quorum apud Regem, nepotem suum, valebat auctoritas, libenter & iucunde iter hoc ingressus est. Vt nauigatum aliquandiu, primum appulit in portum vrbis Brestæ: quam cum Angli Britoniæ duci restituere negarent, coniuncti Britonibus Galli, obsidebant eos qui ad præsidium loci erant relicti: sed Lenclastrius militum suorum virtute coegit Britones mouere castra. Cursum deinde instituit versus Coloniam Hispaniæ vrbem. Etenim a multa consultatione visum est omnibus, fore honorificentius, primum applicare naues ad hostium agros, quam recta petere amicos. Vrbs autem sic erat munita vt illi, frustra sumi laborem & conatum omnem cum viderent,

illinc soluerent. Postea Compostellam nauigatum est: in quod opidum, verbis vltro citroque habitis, ab opidanis honorifice recepti sunt.

Hispanus, vt accepit de Anglorum aduentu, Gallos aliquot nobiles apud se commorantes, & valde sibi iucundos, consuluit quid facto putarent opus, quidue existimarent incepturum Anglum. Illi, futurum haud dubie vt Lusitanus Lenclastrij Ducis filiam vxorem duceret, ideoque suppetias a Galliæ Rege flagitaret: hunc & pro sua pietate, & pro fœderum arctissima vetustissimaque coniunctione, non defuturum officio suo. Magnam esse turbam eorum in Gallia, quibus, cum otium displiceat, euenire nihil possit ex voto magis quam armorum sumendorum occasionem dari. In hanc sententiam vbi consuluissent, auctores etiam illi fuerunt, vt loca omnia minus firma, item fana deorum, quo sua bona propter militum excursiones agricolæ deportauerant, iuberet deiici. Nam defendi illa contra hostem non posse: a quo si occuparentur, futurum vt ex eiusmodi præda magnum ad eos emolumentum redeat subsidiumque. Rex, cui consilium hoc non malum videri, permisit Gallis consilij auctoribus, vt pro suo iudicio, quæ viderentur, deiicerent, & simul omnia quæ offenderent, sibi sumerent. Gallus ab Hispano solicitatus ad ferendam opem, bono eum esse animo iussit; futurum vt intra breuissimum tempus vim suam omnem in Anglos conuertat: quibus debellatis, in Hispaniam se missurum copias abunde: quarum subsidio facile vtriusque hostis impetum non modo cohibeat, sed frangat etiam. Angli, quo tempore Compostellę hyemabant, factis non semel in agrum Hispanicum impressionibus, opida quædam ad deditionem cogebant. Lusitanus interim ad Lenclastrium subinde scribere literas amoris & beneuolentiæ plenissimas. Atqui consultum huic est, ne rem lõgius extraheret, neue literis ad Lusitanum ageret. Esse peropus vt postquam eo peruasisset, quamprimum agat negotium suum. Calliditate plurimum valere Gallos, in Hispanis raram esse fidem: fieri posse vt Hispanus a Gallis, quorum & consiliis vtatur & ope, inductus, cum Lusitano certis conditionibus transigat. Ista cum minime viderentur absurda, missi illico fuerunt qui dicerent, Lenclastrium expetere colloquium. Quod vbi Lusitano placuit, certo loco ventum est vna: post multam deinde collocutionem, statutum est vt ille per hyemem Compostellæ subsisteret, emisso interim ad excursiones milite vt in proximum ver signa ferrent aduersus hostem, quacunque tãdem regni parte commorantem. Adhæc, vt e duabus alteram Lusitanus vxorem sibi deligeret. Ille Philippam sibi sumpsit, Lenclastrij e prima coniuge filiam. His ita peractis, ille ad hyberna rediit. Hispanus, Anglico milite vexatus, & agrum depopulante, & ad deditiones opida cogente, mirari plurimum, e Gallia nullum mitti præsidium: sed confirmare illum nobiles Gallici, facientes spem, futurum vt bello in Anglia confecto, magna vis militum illi accederet.

Gallus, quod miro teneretur desiderio in Angliam traiiciendi, contraxit, quam fieri potuit, validissimum exercitum. Censebantur supra viginti milia virorum nobilium, item mille quingentæ naues, & eo amplius, abunde rebus omnibus, quantumuis minutis, instructæ. Et quanquam eiusmodi erat bellicus apparatus, vt ab hominum memoria non esset visus aut grandior aut sumptuosior: tamen rumore ipso fuit supra modum in Anglia, quod fieri solet, auctus, adeo quidem vt crebris ibi supplicationibus Deum implorarent, vt hoc tam præsens malum auerteret. Muniri præsidiis loca omnia. Colligi infinita pene vis auri, puta ad vicies centena millia, sic vt nemo esset omnium qui nõ percentisceret onus hoc tam graue. Boni omnes deplorare pręsentem rerum statum. Otiosi, quibus nihil erat reliquum, non expetere aliud: in Flandriæ quodam portu (Slusam vocant) instructa erant omnia: nec præter Ducis Berriæ aduentum expectabatur quicquam. Hic nunquam probauit rationem istam: adeoque postquam aduenit, in cœtu procerum, quando deliberabatur de profectione, magno conatu dissuasit primum ob hyemis inclementiam, (erat autem mensis December) deinde propter teneram ipsius Regis ætatem, quem minime omnium putabat eo tẽpore mari & ventis exponendum. Obtinuit illius sententia: placuitque in subsequens ver expeditionem differri: cuius apparatus Galliæ constitit plus minus tricies centenis francorum milibus. Ad Lusitanum creber & constans fuit allatus rumor iam in Angliam pene-

trasse regium exercitum. Quapropter erant qui consulerent vt ne in ducenda vxore, nuper veluti desponsa, nimium properaret: quin exitum belli potius maneret: quod si contingeret Anglum, vt verisimile tum videbatur, superari, parum ipsi fore vtilẽ Lenclastrij principis amicitiam. Ille, suorum secutus consilium, dissimulare connubium, nec vllam per aliquod tempus mentionem huius iniicere: sed literis identidem missis, elegantissimisque donis, illum in officio & amore continebat.

Leo Rex Armeniæ, qui a Tartarorum tyranno ditione sua pulsus, in Galliam nuper accesserat, indigne ferens inter potentissimos Reges oriri tantum dissidium, sponte quadam sua & pietate inductus, in Angliam nauigauit, periculum facturus si quid in firmanda concordia posset. Anglus illum patienter audire differentem de sua calamitate & fuga, de Turcarum & Barbarorum indies augescente potentia, ex mutuis Christianorum principum simultatibus & bellis. Cumque per hanc occasionem eo veniret, vt ad amorem & beneuolentiam inhortaretur, Anglus respondit, primum id ageret apud hostem, vt is militem omnem dimitteret: quo facto, non se futurũ adeo iniquum vt, quod rationi consentaneum sit & iuri, non velit modis omnibus admittere. Itaque rediit ad Galliæ Regem, qui nihil minus quam pacem videbatur expetere.

LIBER TERTIVS.

EVENIT in Galliis vt quidam genere nobilis, e familia comitis Aleconij, per vim stupraret alterius cuiusdam nobilis viri, peregre profecti, vxorem: quæ, simulatque maritus reuertisset, lacrymis oppleta, cõmemorare vim sibi factam: ille crimen deferre ad Alenconium: alter negare factum pertinaciter. In quem cum aliquanto esset propensior etiam is, apud quem fuit instituta accusatio: qui iniuriam passus erat ad senatum Parisiensem appellabat. Per annum & eo plus agitata caussa: cum & vxor intentare crimen, & ille constanter negare, statutum est vt monomachia litem finirent. Certo die, quem aut ipsi delegerãt, aut arbitri præscripserant, congressi sunt, equites primum, inde pedites. Non hic cæca fortuna, (quæ solet alioqui in eiusmodi rebus dominari) sed æquitas potius & virtus exercere suas vires. Nam qui suæ coniugis pudicitiam vita sua cariorem habuit, & in ea propugnanda capitis periculum nõ reformidauit, necato aduersario, palam faciebat omnibus, Esse vindicem Deum, qui scelerum impunitatem non ferat. Interemptum illum, carnifex pertractum ad patibulum, postea suspendit: quem si vincere contigisset, iam ex decreto Senatus, illa quidem, propterea quod falso credita fuisset accusasse, flammis obiecta; maritus autem eo, quo aduersarius, ignominiæ genere, post mortem etiam affectus fuisset. Victorem eximiis laudibus efferre omnis nobilium turba, & prædicare in eo virtutem. Quin & Galliæ Rex, honestissima quadam animi inclinatione, minime permittens egregie factis honorem suum abesse præmiaque, & præsenti illum munere non contemnendo, & certis deinde prouentibus, quoad viueret, locupletauit, auxitque. Sub hoc tempus e viuorum sodalitio migrauit Arragoniæ Rex, qui sub exitum vitæ, vocatos ad se filios hortari ad mutuum amorem atque concordiam: cumque in tanta Principum diuersitate, solus ipse nec huius nec illius Pontificis secutus esset partes, rogare filios vt idem facerent, neque se factionibus addicerent. Ab eius morte, Clemens & Galliæ Rex natu maiorem filium Ioannem ad se traduxerunt.

Hunc regno consecrari postulantem, populus non putauit admittendum, ni sancte promitteret, nullam se pecuniam aut tributum præter morem imperaturum.

Princeps Wallorum, quoad vixit, apud plerosque, ob fortunam & animi magnitudinem, in magna fuit admiratione, & colebant cum eo multi amicitiam. Hac etiam

occaſione fœdus inter eum fuit & Arragonium, ſub eiuſmodi formulis, vt ex Anglia nullo vnquam tempore bellum huic inferretur: tum, vt Aragonius Aquitaniæ Duci, bellicis negotiis implicato, ſubueniret quingentis equis, contra quemuis etiam hoſtem: aut, ſi commode non poſſet equites, pecuniæ certam ſummam mitteret. Ille per annos decem nec officium vllum Anglo præſtitit, nec dependit quicquam. Itaq; Lenclaſtrius cui in Luſitaniam abituro Rex Anglus negotium dedit, ſuper ea re tranſigeret apud confœderatum veterem amicum, iudicans eiuſmodi vim auri magno ſibi futuram vſui, ſcriptis e Luſitania literis, Archiepiſcopum Burdegalenſem ad Arragonium huius rei cauſſa miſit. Ab huius aduentu Rex, qui dudum grauiter laborauit, non diu vixit. Perſequentem deinde mandata Archiepiſcopum Rex nouus in carcerem coniecit Barcelonæ. De quo certior factus Lenclaſtrius, iniunxit Anglis, arcem iis locis tunc occupantibus & vnicam & inexpugnabilem, (Lordam vocant) vt bello turbarent Arragonios, & damni quantum poſſent, inferrent. Quod illi quidem ſuo more cum facerent, non indiligenter, mercatoribus potiſſimum infeſti, Barcelonij quotidianis vexati ſpoliationibus, & militum expoſiti rapacitati, regem, interceſſione magnatum, vt captiuum liberaret, impulerunt.

Poſtquam auctoritate Ducis Berriæ in Angliam inſtitutam expeditionem differri placuiſſet, vt paulo ſupra meminimus, appetente vere, Conneſtablium Galliæ cum duodecim millibus, qui bellum Anglis facerent, mittendum eſſe decretum fuit: & præter hoc, in Hiſpaniam quoque traducendas copias, qui laboranti Hiſpano contra Luſitanos & Anglos auxilium adferrent. His de cauſſis denuo per Galliam imperato tributo, plurimos erat videre, qui, cum aliud non poſſent, relictis, quos habebant, agris & prædiis vel in Hannoniam, vel Leodienſem Epiſcopatum abirent: vbi, quæ modum excederent, aut intolerabiles videri poſſent, nullæ tum erant exactiones. In Hiſpaniam mittebantur e Galliis equitum ſex millia, Duce Borbonio. Meminimus quemadmodum Luſitanus Anglici belli euentum expectans, callide omnia diſſimularet. Porro cum liberatam periculo videret Angliam, & regium exercitum dimiſſum, illico miſit qui Lenclaſtri filiam ſuo nomine deſponderet: quam ab aliquot poſtea diebus ad ſe miſſam honorifice, vxorem duxit. A nuptiis denunciauit ſocero vt, quo vellet die, produceret militem: ſe facturum idem, vt coniunctim arma in hoſtem ferrent. Interim Galli pulcherrime inſtructi venerunt in Hiſpanias. Ibi dum conſultaretur, vtrum iuſta acie pugnandum eſſet, an vero collocandus in præſidia miles, variantibus, vt fieri ſolet, ſententiis, (nam Hiſpani ſuadere pugnam, Galli contra) Rex cuidam e Gallis peritiori liberam decernendi copiam fecit. Ille, quod Borbonius, cui ſumma rerum credita fuit, necdum adueniſſet, minime cum hoſte confligendum ſuadebat, ſed huc illuc, vbi res flagitaret, diſtribuendum militem: futurum vt Angli, per omnem regionem oberrantes, in maximas ægritudines, ob aëris vehementiſſimum calorem, incidant: etiamſi quædam occupent, non fore tamen illud diuturnum.

Ab illorum diſceſſione, facillime recuperari poſſe omnia, præſertim aduentante Borbonio.

Cum hæc ſententia non diſpliceret, illico in Hiſpaniam illam omnẽ Luſitaniæ vicinam dimiſſi fuere milites, qui tuerentur fines regni.

Conneſtablius bellum facturus in Anglia, militem habebat inſtructum, & parata omnia in quodam Britoniæ portu. Præterea alij quidam Galliæ proceres ad opidum Normanniæ (vocant Harflurum) naues erant ingreſſuri, vt certo tempore in Angliam vna appellerent cum illo. Sed interuenit quiddam repente, quo turbata fuerunt omnia conſilia. Repetemus autem paulo altius, vt melius intelligi res poſſit.

Narratum eſt ſupra, quemadmodum Carolus a Blois, captus ab Anglis, opem ferentibus Dominæ a Monteforti, liberatus fuit ea conditione, vt Anglo ducenta aureorum millia dependeret: quo quidem nomine filios duos, Ioannem & Gyum, obſides dedit. Contigit poſtea Carolum in prælio quodam aduerſus Britonem, occidi. Solicitati deinde a Britoniæ Principe Angli, maximis copiis mediam Galliam peruaſerunt. Ideoque metuens Galliæ Rex, ne Brito per hanc occaſionem in Angli fidem & patrocinium ſeſe daret, pacem cum eo firmauit.

Ea re vehementer offensus Anglus qui per immensum iter & ardua pericula in Britoniam accessit, vt ad suos reuertit, de perfidia Britoniæ Ducis grauiter querebatur. Et vt huic vicissim ægre facerent, Ioanni Caroli filio, quem obsidem tenebant paternæ fidei, (nam frater vitam ibi finiit) eiusmodi proposuere conditionem, si ab Anglo Britoniæ inaugurationem accipere, si fidem polliceri, & ea omnia præstare vellet, quæ solent ex more fieri, futurum vt liber factus vxorem duceret Philippam Lenclastrij filiam, (nondum enim hic in Lusitaniam discesserat) & Anglorum ope mitteretur in illius ditionis possessionem.

Vxorem quidem ille minime recusare; sed vt videri possit Galliarum Regi minus fuisse fidus, non se admissurum vnquam.

In qua sententia cum persisteret immotus, in carcerem reductus est. Porro Cōnestablius (Oliuerium a Cliſſon vocabant) etsi paternam hereditatem in Britonia retinebat; tamen amare Principem non potuit: & hic illum vicissim, quod ex mandato Regis ditionem illam bello turbasset, exosum habebat, vt vix alium magis. Erat illi filia, quam dudum cupiebat vxorem dari Ioanni capto in Anglia. nam id suæ familiæ iudicabat futurum honorificentissimum. Initis igitur rationibus quibus eum liberare posset, cœpit agere tacite cum Hiberniæ Principe, Regi multum iucundo & imprimis grato homine: cui, modo perficeret vt ille custodia expediretur, pactus erat dare centum viginti francorum millia. Conditionem iste quidem acceptare: sed quamdiu Lenclastrius aderat, propterea quod ipsius filiæ facta prius esset mentio, nihil potuit effectum dare. Postquam vero discessit ille, Hibernus, auri cupidus, Regem, quo non alius vtebatur familiarius, obsecrare, vt habita ratione laborum, quos in regno sustinuisset, donaret sibi captiuum, pro cuius libertate possit ingentem auri vim obtinere. Rex, qui totus ab hoc vno pendebat, ita quidem vt patruos & negligeret & odisset, assensit facile. Donatum sibi captiuum ille Bononiam deduxit, acceptis ibi sexaginta millibus, reliquum accepturus Lutetiæ: vbi Connestablius aduentum iuuenis expectans, vt accessit, & amanter illum excepit, & statim filiam vxorem dedit. Eo facto quantum fuerit perturbatus Brito, non obscure colligat qui modo circumstantias norit omnes, & eorum quæ supra de bello Britonico narrata sunt, historiam teneat: videbat nimirum, per hoc connubium in periculum & calamitatem adduci fortunas omnes suas. Vltionem igitur parabat, non alia de re cogitans frequentius. Et cum in ipsius ditione collectum haberet ille exercitum, quem in Angliam traiiceret, vt diximus, nobilitatem omnem Brito conscripsit, vt certo die apud Venetos rerum agendarum caussa adessent: Connestablium quoque per literas, vt præsentia sua cœtum hunc ornaret, obsecrans. Hic, etsi mutuum sciebat intercedere odium, tamen, vt verisimile est, fretus eo, quod & summum a Rege locum in amplissimo regno teneret, iamque in procinctu tantum non esset, bellum ingens in hostem illaturus, venit quo vocatus erat. Vt agitatum est de rebus quarum gratia conuenerant, Princeps in arcem quandam vicinam, nuper ædificari cœptam, velut animi recreandi caussa nobiles aliquot præstantiores, & inter hos Connestablium, inuitat. Quo simulatque ventum est, ille nauiter omnia dissimulans, & Connestablium, tanquam officij & honoris caussa, huc illuc ipse adeo deducens, ad turrim deinde quandam, præ ceteris egregie structam & elaboratam, accessit. Orat illum vt diligenter omnem inspiciat, &, si quid erroris deprehendisset, libere admoneat. Vt in proximum quoddam cubiculum ingressus est perlustrandi gratia, repente prosiliunt ex insidiis armati aliquot, a quibus in vincula coniicitur. Aderat carnifex, qui vitam auferret, iubente illo: sed nobilis cuiusdam viri, qui simul ingressus erat, lacrymis & miserabili deprecatione vix emollitus, differri supplicium, & arcte illum in vinculis cōtineri præcepit: sed ab aliquot horis, animo prorsus æstuante ira, & præterquam vindictæ nullius tum rei cupido, quinetiam ipsa cogitatione, quæ solet alioqui moderatiora suadere, vehementius exulcerato, denuo iubet illum capite plecti. Quantos hic iterum labores, & quantam susceperit curam ille, cuius intercessione seruatus hucusque fuit: adhæc, quam varia, quam lugubria, quam commiserationis plena dixerit, priusquam obstinatissimam mentem ad aliquem misericordiæ sensum permouerit; nimirum intelliget is, qui cognoscet

apud ipſum iam olim nihil fuiſſe deliberatius quam vt hunc quouis etiam modo tolleret e medio: intelliget, qui cognoſcet eum a multis annis incredibili ſtudio venatum occaſionem iſtam: intelliget, qui perpendet vehementiſſimam fuiſſe illam & immanem quandam iram, quæ cogitatione interiecta, non extincta, ſed inflammata magis atque magis, præter ſanguinem & cædem hominis, per fraudem & amicitiæ vmbram in periculum adducti, nihil expeteret. Quod itaque ſeruatus ſit, & funeſtæ illius cupiditati ſubtractus, poſt Deum immortalem huic vni perpetuas debere gratias qui ſtatim interceſſit, qui non conquieuit donec ſalutem & vitam amici velut extorſiſſet.

Liber autem factus eſt ea lege, vt centum millia, priuſquam diſcederet, numeraret, ac ſimul tres quaſdam arces in Britonis poteſtatem daret. Qui poſtquam in iſtarum poſſeſſionem miſſus eſt, captum dimiſit: & hic quidem intra biduum inde venit Lutetiam, periculum, vim & iniuriam ſibi factam grauiter apud Regem deplorans, a quo confirmatus, cum in eandem ſententiam apud patruos Regis loqueretur, non modo nõ effecit eos, verum etiam offendit, iratos: quod, cum ad expeditionem haberet omnia inſtructiſſima, temporis oportunitate neglecta, diuerterit ad ludicra, temere habita fide illi quem & odiſſet, & a quo vitam ſuam peti iam olim ſciret. Ammiralius & reliqui proceres, qui claſſem habebant in Normannia, rebus intellectis, exercitum dimiſere. Sic adeo factum eſt vt bellum iſtud, communi omnium voluntate & cõſenſu deliberatiſſimum, non perficeretur. Quin & ſub hoc tempus a iuniori Geldriæ Principe denunciatum eſt bellum in Gallias: nam vt id faceret, Anglus illi penſionem dare, puta quatuor francorum millia: Britoniæ Ducem ad facinus iam enumeratum inſtigabat, primum, Conneſtablij odium, deinde vt hac via reconciliaretur Anglo, quem mirabiliter offendit inito cum Gallis fœdere. Ceterũ nobiles pene omnes inſtigare animum Regis, vt ne factum iſtud Britonis inultum ſineret. Miſſi ad eum legati, qui dicerent, & Regem & huius patruos, & ſimul omnem nobilium cœtum, vehementer indignari quod rationes bellicas impediuiſſet, capto Conneſtablio, quem adeo non humane tractaſſet. Itaque Regis & ceterorum hanc eſſe mentem atque voluntatem, vt pecuniam extortam & arces reſtitueret integre. Quãtum ad hoc quod turbauerit expeditionem, vt Lutetiam ipſe veniret, facti ſui rationem redditurus. Ille poſt acceptam legatorum orationem, & interpoſitam deliberationem modicam, non modo non pœnitere ſe quod durius illum tractarit: hoc ſolum diſplicere, & grauiter quidem, non ſine triſti recordatione, quod incolumem dimiſerit. Arces vero non ſe redditurum, quando ſemel poſſeſſionem illarum habeat: neque ceſſurum, niſi per Regem eiiciatur. Pecuniam illam omnem iam diſtributam in eos quorum opera ſit vſus in tuenda ditione ſua contra Conneſtablium, quo non alium habeat hoſtem acerbiorem. Vt bellum interturbaret, nullam ſe talem cogitationem concepiſſe: priuatam eſſa cauſam, & quicquid huius factum ſit, ex odio profectum eſſe quo illum perſequatur.

Quo tempore in Anglia timebatur bellum, vt diximus, milite ibi in præſidia diſpoſito, imperata fuit maxima auri vis. Cumque mutatis conſiliis, Galli nulla re perfecta reuertiſſent, erant paſſim qui dicerent inique ſeruari pecuniam illam a Regiis, depulſo periculo citra ſumptum vllum aut impenſas grauiores. Hoc murmur aliquamdiu ſopitum, poſt aliquot tempus, iis, qui ad locorum præſidia fuerant, ſalaria petentibus, cum noui tributi fieret mentio, reſuſcitatum eſt. Indignari populus, & incuſare quoſdam grauiter, quorum improbitate atque perfidia Regni facultates omnes diſſiparentur, & ciuium fortunæ. Pendebat nimirum Rex a quibuſdam obſcuræ conditionis hominibus. Imprimis vero poſſidebat illum Hiberniæ princeps, qui mentem omnem adoleſcenti Regi videbatur excantaſſe. Nam hoc auctore gerebantur omnia, nec erat quicquam adeo vel iniquum vel abſurdum, quod iſto ſuaſore non eſſet crediturus. In odium atque ſuſpicionem apud eum adduxit patruos, ita quidem vt ij locum ſuum ægre tueri poſſent. His adeo diſplicere non potuit vulgi & ciuitatum querimonia.

Videbant enim hac occaſione futurum vt pleraq; mutarentur. Itaq; ſe dare populo, laudare inſtitutum, & vltro hortari vt in eo, quod cœpiſſent, pergerent. Sic euenit vt certo die, cum Rex nobilitatem omnem ex more conſcripſiſſet, Londinenſes grauiter

ibi con-

ibi conquererentur de nouis subinde tributis & exactionibus: quodque omnium esset acerbissimum, non videre se in quos vsus honestos atque necessarios ea pecunia conuertatur. Existimare se Regem non esse conscium rerum omnium: ideoque postulare vt ad certum tempus conscriptis officiariis atque quæstoribus, accepti & impensi rationes ab illis exigat: quo videri posset qui probe munus gesserint, qui improbe: vt illis quidem officia continuentur, his autem adimantur. Vt autem in hanc sententiam loquerentur, pręscripsit eis atque cõsuluit Dux a Clocestre, vnus e patruis. Ceterum Rex, vt orationem accepit, tergiuersari primum & reiicere in aliud tempus. Contra populus instare, & eo quidem audentius, quod multis circa nobilibus ipsorum causa palam ibi probaretur. Itaque placuit vt a paucissimis diebus audirentur rationes omnium, & huic quidem cognitioni patrui Regis, & alij quidam a populo rogati, præfuerunt. In plerisque summa deprehensa rapacitas atque perfidia: quos omnes capite plectendos iudicia statuebant. Ab auditis rationibus, continuo Rex, vna cum eo quem tantopere colebat, Hiberniæ Duce, abiit in diuersam Angliæ partem. Vbi cum accepisset, familię suæ quosdam Londini sublatos e medio, vehementer & in populum & in patruos fuit concitatus. Hanc enim opinionem illi velut impressit Hibernus, ab illis affectari imperium: adeoque non conquieuit donec Regem, alioqui satis incensum, ad bellum inferendum inflammasset. Ipse totius negotij a Rege constitutus imperator, contraxit ad quindecim millia. Sed, priusquam educeret copias, quendam e suis, genere nobilem, habitu mercatoris indutum, vt de singulis diligenter cognosceret, Londinum, vbi patrui Regis concionem erant habituri, præmisit. Hic autem, quod minime ratus erat, malo suo fato agnitus, vt in cœtu nobilium de Rege quædam patefecit, pœna capitis affectus est. Et hoc ipsum Regis animum, vt quiuis facile coniicit, vehementer auxit. Hibernus autem, vt contra se vidit eductas acies, qui fuit ante ferox & verbis magnificus, nihil tum minus præstitit quam quod virum fortem deceat. Habebat enim hoc sibi persuasum, si caperetur in prælio, futurum vt capitis periculum non euaderet. Sic enim erat ipsius meritum. Instruxit tamen militem, & post principia sibi cauit, ipse loci præsidium captans, vt ad fugam esset paratior. Milites, illato subito rumore, fugisse Ducem, non collatis signis fugerunt & ipsi, paucis quibusdam in fuga oppressis, & captis aliquot nobilioribus, in quos deinde Londini animaduersum est. Hibernus, vno & item altero comitatus, profugit in Hollandiam, quo omnem suum thesaurum curauerat multo ante perferri. Nam etsi Regem habebat sibi penitus addictum, tamen & metuere & suspectos habere patruos, de quibus ita meritus fuit, vt, nisi hostilia omnia, nihil ab eis expectare posset. Ad hunc modum sedatis turbis, cum de Rege nullus adferretur nuncius, placuit ad eum mitti Archiepiscopum Cantorbiæ, qui diceret omnem populum & patruos vna cum his vehementer expetere ipsius pręsentiam, accederet Londinum, futurum vt honorifice recipiatur & amice: non posse fieri vt regnum habeat tranquillum, nisi ametur. Grauibus de causis publice animaduersum in quosdam, & eiectos alios, quorum omnium nequitia fere labefectatum esset regnum. Bono id communi factum, & præsentem necessitatem ita postulasse: non esse quod ei displiceat. Rex, quanquam immoderatissime ferebat res ante actas, tamen his rationibus inductus, Londinum venit, vbi cum per dies aliquot substitisset, nobiles quam fuerant ante fidem polliciti patruis, eam tum ipsi Regi, vicesimum primum annum ingresso, (quæ quidem ætas capessendæ administrationi iudicatur non inidonea) præstabant.

Lenclastrius interim in Hispaniis expugnare opida plurima, nec Lusitanus etiam in otio versari, sed in alia regni parte multa redigere in generi sui potestatem. Et cum hoc militiæ genus exercuissent aliquandiu, tandem, vt cum hoste confligerent, copias contraxerunt. Interea Hispanus mirari tarditatem atque moram Borbonij, quem vnum adeo multis iam diebus expectabat. Porro, consulti denuo Galli, quorum apud Regem non leuis erat auctoritas, (quod nuper senserant) in eo perstabant etiamnum, existimantes, minime pugnandum in Anglos: etiamsi quædam occupent, posse illa facili manu recipi: futurum vt quotidianis militandi laboribus defatigati, interim diffluentes calore nimio, interim hausto & admisso aëre soluti, in ægritudines incidant. Nimirum hoc adeo sic euenit. Nam e calore & huic contrario frigore ab ipsis

captato, febres & pestilentiæ coortæ. Ad hoc, equi propter pabuli penuriam, maximo numero inedia peribāt. Hinc querimoniæ & lacrymæ miserorum, infelicitatem suam deplorantium. Lusitanus in his malis a Lenclastrio consultus, putabat propter aëris intemperiem diuertendum in opida iam occupata bello, & soluendum exercitum: ille contra vereri, ne dimisso milite Borbonius, quem aduentare sciebat, imparatos opprimeret. Cum igitur moueri castra non placeret, perduratum est sub dio: sed miserum erat spectare Anglos, qui, cum neque feruentissimis illis æstibus, neque firmissimo vino potando assueuissent, morbis correpti, vix animam ægri trahebant. Ibi tum magister equitum, qui miseriam omnem aliquanto propius & audire poterat & contemplari, propterea quod ad eum pleraque omnia deferrētur, re omni apud Lenclastrium exposita, præsenti dixit opus esse & breui consilio: placuit igitur militem omnem exauctorari. Quo nuncio accepto, magna fuit in exercitu & castris lætitia. Sed nō videbant qua via redirent in Angliam. Longius aberant a mari: & plerique sic erant affecti morbis, vt fluctuum insaniam ferre non possent. Terra non patebat exitus, quod iter faciendum esset per Hispaniam, Nauarriam & Arragoniam, regna confœderata. Quid agant? Missus est ad hostem fœcialis, qui nobilibus aliquot Anglicis veniendi, redeundi & colloquendi facultatem impetraret. Hispanus, quid hoc nouæ rei esset admiratus, petitionem admisit. Ea fuit eiusmodi, vt, quandoquidem grauissimis morbis affligeretur omnis exercitus, memor humanæ miseriæ, quæ sit omnibus communis, permitteret ægrotos diuertere in sui regni opida, & ibi commorari donec melius haberent. Ceteros vero qui vellent ad suos reuerti, sineret tuto per Hispanias abire, & simul apud Arragoniæ Nauarriæque Reges pro ipsis, quo tutum haberent iter, intercederet. Hispanus, facta deliberatione, se quidem hæc omnia quæ petiuissent, facturum: sed iis conditionibus, vt, qui vel recta in patriam se conferrent, vel qui postea valetudine recuperata essent abituri, sancte promitterent, se neque redituros ad Lenclastrium, neque gerendi belli causa intra sexennium in Hispaniam venturos. Hæc etsi grauia illis erant: tamen ad suos redeundi desiderio, videbantur etiam grauiora suscepturi fuisse. Lenclastrius, qui oblique per alios negotium hoc egit, ne quid ab hoste videretur rogasse, Compostellam rursus petebat, infirmioribus in vicos & opida vicina delatis. Ex iis vero qui repetebant Angliam, præter popularem multitudinem, interierunt etiam plurimi genere nobiles in via, cum aduersus morbos erigere se & sustinere non possent. Interim Borbonius, qui longum tempus hæsit in itinere (nam Auenione Clementem salutauerat) in Hispanias accessit: &, quanquam de soluto exercitu accepit, tamen, cum eousque promouisset, nisi compellato prius Rege, minime iis locis abire voluit. Hispanus vereri ne Gallicus miles, diutius ibi commoratus, aut saltem admissus, flagitaret stipendia: quæ si denegarentur, agrum depopularetur: itaque Borbonio, quem alioquin omni humanitatis & beneuolentiæ genere prosequebatur, ab aliquot post diebus quam eo venisset, ex consilio suorum ostendit, hoc tempore, cum hostis vltro discederet, externo sibi milite nihil esse opus. Ille dimissionem hanc non modo non inique tulit, sed gratum etiam habuit occasionem sibi datam inde commigrandi. Lenclastrius, ægritudine graui afflictus aliquandiu Compostellæ, recuperatis tandem viribus, vt de Borbonij abitione cognouit, reditum ad suos & ipse cogitabat: cum propter eas, de quibus diximus, calamitates, ad id quo valebat peruenire non posset. Acceptis igitur a Lusitano sociis & classe, vela ventis committens, intra paucissimas horas Baionam appulit. Hic liceat videre, quam sint mirabiles, quam deplorandi, humanæ vitæ casus, quam incerti cogitationum actionumque nostrarum omnium euentus. Nimirum iste, qui plurimis annis hanc profectionem ardenter a se expetitam, impeditus nunc bellorum tempestatibus, nunc seditionibus in Anglia coortis, quo voluit tempore, perficere non potuit: iam postquam a Lusitano crebris legationibus vocatus, in regnum hæreditarium suæ coniugis venit, non perfecta re vlla memorabili, & amisso milite, supplex tacite factus hosti, omittere consilia & rationes omnes, adque suos redire coactus tandem fuit.

Supra meminimus Ducis Geldriæ: qui bellum in Gallias denunciauit, idque superbe & tantum non contumeliose, præter communem & vsitatum indicendi belli

morem. Porro, vt clarius accipiãtur omnia, res ita habet: Geldriæ Comes, Regnoldus, prodigalitate & luxu multum labefecit ditionem ſuam. Cumque locum & dignitatis gradum in his anguſtiis ægre tueri poſſet, adito Colonienſi præſule, cognato, rebus ſuis conſilium optabat. Ille, poſt liberiorem obiurgationem. Satis, inquit, vides ipſe & intelligis, non eſſe principem vllum, aut alioqui virum nobilem, quantumuis tenuem, qui filiam ſuam vxorem tibi dare velit, non ſolum exhauſto & inopi, ſed vehementer etiam obærato. Ceterum is quem Bertholdum a Mechlinia vocant, mercator prædiues, filiam habet vnicam, a magnis etiam principibus expetitam, propter ampliſſimam dotem. Non alia via melius tibi conſuli poſſit, quam ſi prædam iſtam inuoles. Mittendus eſt ad illum igitur legatus, in hanc ſententiam, ſi pecunia ſua redimere velit arces & oppida creditoribus oppignorata, & ſimul debitum, quo tu illi obligatus es, remittere, ducturum te filiam ipſius vxorem. Placuit conſilium, & miſſus qui rem exponeret. Ille poſtquam orationem accepit, bene ſecum agi reſpondit, & cum familia ſua omni, ſiquidem filia ſua reputetur tali marito non indigna, videre ſe rationes cur Geldrus id faciat, nimirum vt a creditoribus expeditus, libere ſua poſſideat. Se quidem a propoſitis conditionibus nihil abhorrere, quin potius connubium hoc ratum habere: ſed ita vt, ſi quidem ille præmoriatur non relicta ſobole, poſſeſſio rerum omnium ad filiam transferatur, & penes eam ſit, quoad viuat. Si vero contingat ipſam præmori, ſuſceptis e coniuge liberis, vt tum iſti in paternam hæreditatem omnem admittãtur, nec illorum fortunæ obſit, etiamſi aliam poſt ille ducat illuſtriori genere natam, & prolem excitet. Iſta cum non diſplicerent, Bertholdi filia Maria nupſit: & quarto poſt nuptias anno, cum maritum Iſabella filia auxiſſet, e viuis migrauit. Geldrus, ab huius interitu, alteram duxit, Eduardi Regis Angliæ, multo omnium prudentiſſimi, ſororem Iſabellam. e qua ſuſtulit Regnoldum ſibi cognominem, & Eduardum: item filiam vnam, Ioannam. Euenit, vt Regnoldus tam filius quam pater vita decederent. Eduardus matrimonio ſibi iunxit Alberti Bauariæ Ducis filiam. hic in prælio aduerſus Wenceſlaum Brabantiæ tum principem, grauiter vulneratus, vitam finiit, non relicta ſobole. Succeſſionem igitur ad ſe pertinere poſt fratrum ſuorum mortem, Ioanna putabat. Iſabella autem, vt quæ priori matrimonio eſſet nata, ſibi iure deberi omnia contendit. hanc Ioannes a Bloys vxorem habuit: cui ſuper hæreditate magna fuit cum aduerſariis decertatio, futura proculdubio multum acerba, & in bellum exitura, niſi e viuorum illa ſodalitio migraſſet. Itaque morte ipſius extincta ſimultate, Ioanna, quæ Gulielmo Iuliacorum principi nupſerat, vnica patris hæres abſque controuerſia omni, filium e coniuge ſuſtulit, eiuſdē quo pater nominis. Hic Alberti Bauari filiam (quæ nupta quidē fuit Eduardo, ſed propter teneritudinem ætatis puella permãſerat) in vxorem accepit, factus hac ratione Geldriæ Dux. Nam Regnoldus, qui Eduardi Regis ſororem ſibi per connubium adiunxit, ob amicitiam & inita fœdera cum Anglo, multum erat gratus hoc nomine Ludouico Bauaro, tum Imperatori, adeo quidem vt is & Geldrum, qui Comes, & Iuliacenſem, qui Marchio dictus ante fuit, in ſublimiorem gradum eueheret, ac Duces vocari vellet. Ceterum hic Gulielmus iunior, Geldriæ princeps, bellum denunciauit Gallo, mire propenſus in Anglum, & inique ferens Brabantiæ Ducem Wenceſlaum, quem oderat impenſe, Gallis confœderatum eſſe. Cur illum odiſſet, hæc erat cauſſa: Regnoldus, qui Mariam a Mechlinia, & poſt Eduardi ſororem duxit, quod ſupra modum eſſet prodigus, Comiti cuidam Morſenſi tres arces, accepta pro his magna pecuniæ vi, oppignorauit. Ille, poſt multum tempus, cum videret eo redactum debitorem, vt ſua redimere non poſſet, pignori datas arces vēdebat Wenceſlao. A morte Regnoldi, Eduardus filius, datis ad Wenceſlaum literis, repetere illas, paratus reſoluere pecuniam omnem quam dependiſſet. Quod cum iſte recuſaret conſtanter, conſcriptus eſt miles, & ſpectabant omnia ad bellum certiſſimum. Sed Iuliæ Ducis & Alberti Bauari interceſſione, compoſita tum fuit ſimultas. Hoc anno Cæſar fratrem ſuũ Wenceſlaum inſtituit velut publicum viarum cuſtodem, vt in prædones atque graſſatores pro meritis animaduerteret. Euenit autem vt mercatores aliquot Flandri & Brabanti, negotiorum cauſſa in Germaniam proficiſcentes, in agro Iuliacenſi, qua faciebant iter, rebus ſuis & auro omni ſpoliarentur. Scelerum auctores ferebantur adiuuari & bene haberi a

Iuliæ domino, cui doleret, vt multis aliis, tantum honorem fuisse delatum illi. Quibus illatum erat damnum, grauiter apud eum querebantur, cui eiusmodi facinorum punitio commissa fuit. Is ad Iuliacum missis literis amice perscriptis, adeo nihil egit, vt satis videre posset eum vltro bellum affectare. Wēceslaus igitur, vt ne flagitiorum impunitas contemptum sui pareret, militem contrahere. Faciebat idem Iuliacus, adiutus ab Eduardo Geldriæ principe. Pugnatum est acerbe in Iulia, sed cæsis atque fugatis Brabantis, in captiuorum turba fuit & ipsorum Dux. Eduardus autem, accepto ibi graui vulnere, succubuit. Vt de mariti captiuitate nuncium accepit Brabātiæ Domina, Galliæ Regis consilium secuta, Cæsarem Confluentiæ compellabat: qui fratris infortunio motus, magnis viribus ibat contra Iuliacum, facturus ibi tristem & insignem agrorum vastitatem, ni principum aliquot Electorum intercessione, qui mali putabant exempli, socium imperij sic oppressum iri, mitigatus fuisset. Coram igitur adductus princeps, cum Wenceslaum vltro ibi sisteret liberum, post acrem obiurgationem, Cæsari reconciliatus est. Ab aliquot inde annis vita functus est Wenceslaus. ibi tum Gulielmus, Iuliaci filius, materna successione principatum Geldriæ nactus, a vidua Brabantiæ Domina repetere arces illas, ab auunculo suo Eduardo, cum viueret, ante repetitas. Quarum restitutione denegata, gliscebat paulatim magis atque magis odium. Et quoniā Brabantia tum erat ratione fœderis coniuncta Galliæ, deinde, quod Burgundus, Galli frater, viduæ successurus erat: Geldrus, qui familiæ huic omni studebat ægre facere, quo suum in Angliam amorem declararet, eo profectus, bellum post denunciauit Gallo, plurimum etiam infestus Brabantis: adeo vt Burgundus a vidua certior factus de quotidianis impressionibus, equitum turmam ad finium tuitionem eo mittere cogeretur.

Lenclastrij supra facta est mentio: qui febrium & pestilentiæ crudelitate compulsus, milite dimisso, ad Lusitanum se contulit. Porro, Hispani & his coniuncti Galli, vt hostem viderunt huc illuc dissipatum, facile receperunt omnia, reliquis Anglis ad locorū præsidia dispositis, aut vi armorum aut deditione captis. Regem suum, quod benignitatem fortunæ esset expertus, Italorum more, summo colebant honore. Lusitanus apud se commorātem socerum hortari, vt ex Anglia nouas copias peteret: sed ille, quod longius abesset, quodque turbatam sciret & grauibus negotiis impeditam, collectis rebus, Baionam, vt diximus, nauigauit, crebris inde literis ad Regem missis atque fratres, vt suppetias ferrent. Sed alienatis a Lusitania Anglorum animis, propter calamitatem ibi acceptam, vix inuentus est qui nomen militiæ daret. Ad hoc seditiones, turbæ & supplicia, quorum adhuc recēs erat memoria, non patiebantur alienis vacare negotiis. Gallus de statu rerum Anglicarum vt accepit, quo calamitatem hostis in suū vsum traduceret, Hyberniæ principem, nuper eiectum Anglia, magnis pollicitationibus ex inferiori Germania in Galliam pertraxit.

Carolus Rex Nauarræ, sub hoc tempus imperata pecunia populo, ad ducenta francorum millia, ciuitatum primores certo conscriptos loco, cum tergiuersari videret, in aream quandam, vnde non patebat exitus, inclusit, adiectis interminationibus, vt intra breuissimum tempus deliberarent: alioqui se tractaturum ipsos pro merito. Sed interuenit mirabile quiddam. Postquam iratus ad hunc modum eos reliquit, somno se dedit. Et, quoniam erat ætate grandi, solebant famuli suffitum aliquem illi facere, prouocandi sudoris caussa. Porro, qua nescio famuli incuria factum est eo die, vt ignis aliqua particula in lectum delapsa paulatim auctis viribus, inflammarit omnia circum, atque solus ille cubans, cum & per ætatem ipse iuuare se, & linteis, quibus erat inuolutus, expediri facile non posset, antequam seruuli accurrerent, miser iam erat flammis magna ex parte consumptus. Filium reliquit hæredem eiusdem nominis.

Galliæ plerique nobiles, quibus vnice displicebat, Regi suo bellum indictum a Geldriæ Duce, literis parum modestis, preter communem omnium morem: existimabant, siquidem hoc illi esset impune, futurum vt aliquando crimini & opprobrio verteretur iis quorum tunc consilio Rex vsus fuisset. Erat ipse quidem Rex in bellum satis propensus: verum, quod Britoniæ Dux videretur res nouas moliri, ad commune bellum Anglos sollicitans, non licebat, quod multi summe cupiebant, perficere. Dux Berriæ, suo nomine priuatim misit quendam qui cum Britone comiter ageret per occasionem:

sed

ſed id fruſtra fuit,eoque magis erant in dubio Gallorum animi. Videbant enim quanto Galliæ periculo fieret,ſi quidem Rex,quod & ipſe optabat, & plerique tum ſuadebant, in Germaniam accingeretur, quando Britoniæ princeps, non modo non affectare pacem,ſed vltro bellum expetere videbatur. Cumque diu ſententiæ variaſſent, hinc exiſtimantibus quibuſdam,in tali regulo non ferendam eiuſmodi cõtumeliam,& Regem aſſuefaciendum armis; illinc opponẽtibus ſe aliis,& propter pręſentem rerum ſtatum, & belli molem,& Germanorum ferociam,tandem ita placuit,vt Geldrus,quem adoleſcẽtiæ feruor magis quam iudicium aliquod in hoc impuliſſet, negligeretur. Etſi bellum præterea inferret, tunc demum honorificentius futurum ſi quidem Rex arma aduerſa ferat. Cum Britone quouis etiam modo prius tranſigendum. Is enim,vt diximus, non obſcure de ſuis rebus cum Anglo videbatur paciſci: & iam Anglicæ aliquot naues tenebant mare inter Normanniam atque Britoniam. Et quanquam nihil inferre damni in Galliam: tamen quia iis locis conſidebant, Galli peſſima quæque ſuſpicari. Hinc adeo fuere plurimi,qui ſuaderent arma in illum expedienda propter faſtum. Sed patrui Regis,& alij,quorum in animis erat maior prudentiæ vis, euentum belli plurimũ metuebant. Nec enim difficulter coniicere licuit, futurum vt per hanc occaſionem Angli renouarent bellum, in quod mire ſemper fuit propenſus Brito. Miſſi igitur ad eum legati,qui tranſigerent amice. De quo certior factus ille,priuſquam aduenisſent,conſilium a ſuis petebat. Hi grauiſſimis argumentis eum hortari,vt mutata ſententia & perdomitis affectibus,daret ſe Galliæ Regi, cuius ea eſſet potentia, vt principes magnos, imo Reges, honori & loco reſtitueret: alios vero,quibus male cuperet,ditionibus atq; finibus exturbaret. Itaque, redderet Conneſtablio ſua ſponte,quas nuper ademiſſet, arces. Id fore aliquanto honeſtius quam ad reſtitutionem cogi. Secutus ille cõſilium, reſtituit omnia: ſimul & officiarios a ſe prius eiectos,locum quemque ſuum, in quo fuiſſet ante,tueri voluit. Huius rei fama in Galliam illico delata,manauit & ad ipſos legatos iam Britoniæ vicinos. Qui ſimulatque veniſſent ad principem, quoniam is iam vltro,quod alioqui petituri erant ipſi,perfecit: expoſuerunt alteram legationis partem, rogare patruos Regis, vt certo die veniret Bleſium, ad Ligeris ripam ſitum oppidum. habere illos quod ſerio cum ipſo agant. Poſtquam eo ventum eſt, illi monere & obſecrare,vt concordiæ firmandæ gratia,Regem ipſe cõpellaret,ac ſimul iureiurãdo fidem illi ſuam daret ex more: quod reliqui adeo omnes,præter ipſum vnum,feciſſent. Brito, vt qui non ignoraret quam graues haberet apud Regem aduerſarios, puta Conneſtablium,& Ioannem huius generum,nuper e cuſtodia Anglica liberatum,excuſare ſe diligenter. Sed accepta fide a patruis omnia fore ſalua, Lutetiam venit.

Lenclaſtrius,cum e Baiona crebris in Angliam miſſis literis, auxilium fruſtra peteret,omniumque animos ab Hiſpaniis videret alienatos, vehementer indoluit, cogitatione repetens quam firmum,quam non male inſtructum exercitum in hoſtem eduxiſſet,captis ibi non paucis & oppidis & munitionibus:deinde,quam duriter in ſe fortuna ſæuiiſſet,atque ſuos,turbatis conſiliis omnibus, adeo quidem vt acquirendæ hæreditatis & Regni Hiſpanici vix vllam rationem ſupereſſe videret. Conferebat interim hoc ſuum malum atque peſtem cum ea,quam Andegauię princeps in Calabria paſſus erat, calamitate,qui magna expectatione & ampliſſima ſpe concepta,vt in Italiam acceſſit, non modo non peruenit ad eum quem ſperauerat finem, ſed vitam etiam impendit. Vna ſolum re conſolari & ſuſtinere animum, puta quod filiam haberet e coniuge ſua Conſtantia. Cogitabat futurum vt aliquis non vulgaris Galliæ princeps hanc expeteret,tum propter generis nobilitatem,tum etiam hæreditatem luculentiſſimam. Porro,Dux Berriæ tum erat viduus. Itaque familiares ipſius interim ducendæ vxoris facta mentione,inter ceteras etiam nominare Lenclaſtrij filiam. Ille ſtatim adiecit animum ac ſimul de voluntate ſua Lenclaſtrium admonuit:quem vt minime alienum a ſua ſententia accepit,denuo miſit legatos qui porro tractarent negotium. Interim Anglus, vt erat non imprudens, in omnem tam vicinam quam longinquam regionem, huius rei famam extendit,miſſis ad amicos in hoc ſubornatos literis,tam ſuis, quam Berriæ Ducis ad ſe. Futurum enim ſciebat vt Hiſpanus eo nuncio mirabiliter turbaretur. Et hic quidem,vt rem accepit,illico ſecum reputare, quantum ad ſe mali redundare poſſet ex

eo connubio: nimirum ita futurum vt inter vtramque gentem cōfirmata pace, bellum inferatur Hispaniæ, & coniunctis illorum armis regni possessio transferatur ad Lenclastrij vxorem. Quamobrem, accepto a suis consilio, tacite agebat vt filio suo Henrico, quem e filia Regis Arragoniæ sustulit, Lenclastrij filia nuberet. pauci quidam paruo comitatu mittebantur, ne Galli, quorum beneficio regnū tenebat, resciscerent. Anglus attente illos audire. Gallicæ vero legationi spem bonam iniiciebat, hoc tamen semper addens, præter assensum atq; voluntatem Regis Angli, sui nepotis, ad quem omnia referret, in his rebus nihil se perfecturum. Et ita quidem illos dimisit. Sed familiarius multo sese dare Hispanis, instigante vxore, quæ filiam suam ista ratione videbat citra molestiam atque difficultatem omnem in amplissimo regno, cuius adipiscendi gratia tantos adiit labores, ordine successuram.

Inter Brabantos & Geldros indies magis atq; magis inflammari odium. & illi quidē collectis pene quadraginta millibus, obsidebant Grauiam, Mosæ flumini vicinum oppidum. Geldriæ princeps, tunc Nouiomagi subsistens, quod magnam in oppidanis atque præsidiis ibi relictis fiduciam haberet, non admodum obsidione ista moueri. Petebat nihilominus ab Anglis auxilia. sic enim inter eos, quo tempore bellum denunciauit Galliæ, transactum fuerat. Verum, qui tunc erat ibi rerum status, ob domesticas turbas, & Scotici belli metum, nullæ venerunt suppetiæ. Ceterum Brabanti, cum frustra laborem omnem sumerent, circiter decem millia emiserunt ad deprædandum agrum hostilem. Geldrus ea de re factus certior, contractis plus minus trecentis equis, tametsi dissuaderent pleriq; omnes, hostem magnis animis petebat, præstabilius esse iudicans, fortiter pugnādo in hostium turba mortem oppetere, quam obsidionem perferre. Productos igitur in aciem suos hortari ad virtutem militarem & egregia facta: post, magno impetu concitatis equis, vno agmine confertim in hostem inuolās, imparatum & opinione citius oppressum, facili manu fudit, cum respirandi vix haberet otium. Desiderati sunt plurimi, cæsis aliis in conflictu, aliis fuga se præcipitantibus in Mosam. Elapsi magna celeritate nuncium intulerunt in castra eorum qui Grauiam etiamnum obsidebant. Ibi tantus illico fuit exortus terror, vt rebus & impedimentis omnibus relictis profugerent.

Galliæ Rex, quem mirus incessit ardor gerendi belli aduersus Geldrum, ob literas illas petulantiæ contumeliæque plenas, ingentem contraxit exercitum. Inter ceteros & patrui ab instituto dehortari: sed, quoniam cum Britone fuit transactum, adeo quidem vt is extortam quoq; pecuniam Connestablio restitueret, noluit ille rei gerendæ occasionem prætermittere. Legatos vero ad Cæsarem præmisit, qui belli futuri caussas exponerent. id enim ex officio & pacto faciundū ei fuit. Per Brabantiā ire placuit. & ipsā quidē Domina facile assensit: verum cetera turba omnis opponere se, parati ditionem suam tueri, nec tantā admittere multitudinē: quæ semel recepta, non minorē esset inductura calamitatē, quam si agrum fuisset depopulatus hostis. Quinetiā ipsi Dominæ interminari, si Gallis in ea re gratificaretur, aduersus Geldrū arma se nō sumpturos vnquam. Illa se diligenter excusare ad Regem, culpā in suos transferens, ac simul offensionem deprecans. Itaq; per Campaniā suscepto itinere, ad syluam Arduennam præmissi tria millia, qui viā alioqui inaccessam aptarēt. Porro, ad Cæsarem missum erat exemplar literarum, quas Geldrus voluit in Galliam adferri, bellum indicturus. Harum immodestiam vt Cæsar intellexit, ad eum modum respondit legatis, vt satis appareret, nihil se repugnare quo minus bellum hoc perficeretur. Per Arduennam igitur facta via, Luzemburgicam ditionem ingressi, cum essent vicini iam agro Leodiensi, qui tum erat loci Episcopus, Arnoldus e familia Comitum ab Horn, incitatus a Præsule Coloniensi, apud Regem intercessit pro Iuliæ principe, cuius quidem ager belli furorem primus excepisset. Gallus intercessionem non excludere, modo ille coram suas ipse rationes, quibus excusari vellet, iustas quidem illas & graues, explicaret. Adductus ad Regem, se neque filio suo auctorem denunciandi belli nec huius rei conscium prius fuisse quam essent missæ literæ. Et, quo plus haberetur fidei, se filium inhortaturum vt coram diligēter se purget, ac simul veniam admissi oret. Quod ipsum si obtinere nō possit, omnia sua oppida patefacturū se Regi, vt bellum eo cōmodius perficiat.

ficiat. Placuit conditio, Burgundione potissimum adhortante. Profectus igitur ad filium pater vna cum Archiepiscopo Coloniensi, incredibile est quantum laboris & molestiæ sumpserit in flectendo illius animo. Spirabat meram ferociam & Regis contemptum, cuius impetum & vires, Anglorum ope sustinere se posse credebat. Vix tandem, multis & obiurgationibus & minis, &, quæ solent his intermisceri, precibus, velut expugnatus patri se dabat. Is præscribere formulas excusandi, nimirum, quicquid huius factum esset, id auctore & instigante Anglo factum. Regis animus conspecto Duce, & accepta illius oratione, qua nescio propensione singulari visus est commoueri. Nam & condonauit factum magna facilitate, & impensius illum amare cœpit, quam si non irritasset.

Scoti, vt acceperunt in Anglia subnasci discordiam, & tempore collectis viribus augeri, quo veteres iniurias vlciscerentur: clam Rege suo, quem a re militari iudicabant alienum, ad quadraginta millia contraxerunt. Quin & hostem id celare putabant calliditate quadam: sed frustra fuit. factus enim ille certior, defensionem parare. Collata signa: nullo vnquam tempore maioribus inter ipsos pugnatum est viribus. Exercitum Scoti in duas alas partiti, non æquo robore in prælium venerunt, quod essent longius inuicem dissipati. Victores nihilominus extiterunt.

Post Gallorum abitionem, Geldrus, otij & quietis impatiens, milite conscripto, in Prusiam ibat. Euenit vt per Germaniam iter faciens caperetur. Prusiæ vero magnates, armorum vi rursus illum eximere, profugiente eo qui ceperat, ne in hostium aduentantium potestatem redigeretur. Ille vero, quanquam amicorum præsidio factus erat liber, & belli iure deperditum statum eadem ratione recuperasset: tamen hosti datam fidem seruare volens, vt ad præscriptum certo tempore locum venit, de libertate cum illo pactus est.

Lenclastrius in officio & expectatione retinebat Berriȩ Ducem, magis interim affectus in Hispanum, vt diximus. Nam inter cetera metuebat & hoc, ne, si Berrius vitam finiret, filia sua tenuis videri posset præ ceteris illius liberis, e priori cōiuge natis, omnia dubio procul occupaturis. Atqui Galliæ Rex, vt accepit ab Hispano futurum obstaculum, mirabiliter fuit offensus, & cum eo procerum turba, quibus pulchre constabat quantorum beneficiorum nomine Galliarum Reges, multis retro seculis, deuinctam sibi haberent Hispaniam. Ope enim Caroli quinti, Henricus parens huius, in regni possessionem missus, illam ad filium Ioannem a morte sua transmisit, verum ita vt aduersus Anglos & his coniunctos Lusitanos, ægre illam tueri iste, nisi Gallorum auxilio subnixus, potuisset. Hæc igitur ingratitudo cum vehemēter angeret plurimorum animos, ad Hispanum missus legatus est cum eiusmodi mandatis: etiam atque etiam videret quid ageret, quorum sibi adiungeret amicitiam. vix vnquam de coniugiis pactum fieri, quin & confœderationes intercedant. Extare formulas coniunctionis atque fœderis inter Henricum patrem, illiusque posteros, & Galliæ Reges. Ne quid in eas committeret: alioqui Regem non iniuria discessurum ab amicitia, quam omnibus modis retinere studeat & colere, quantum fieri possit. Hispanus nomine suo de quibusdam rebus cum Lenclastrio respondit actitatum esse: verum id nullo futurũ Galliæ detrimento. Se, vt in amicitiæ rationes atque fœdera peccasse videri possit, nunquam admissurũ. Vt in hanc sententiam locutus, a se legatum dimisit, illico post de connubio transegit, adeoq; Constantia filiam suam Catharinam, perficiēdi negotij caussa, in Hispanias abduxit, & Regis filio Henrico eam despondit. Quo facto, cum diligenter inquisisset de paternis ossibus, commonstrato demum loco, effossa illa transtulit Hispalim, ac denuo sepeliri mandauit.

Studio & industria bonorum virorum agitatum est de induciis inter Galliȩ Regem, Anglum, & vtriusq; socios, puta, Hispaniam, Lusitaniam & Scotiam. Porro, quod feliciter in Anglum non ita pridem pugnassent Scoti, difficiles admodum huc descenderunt: sed inclinante ad tranquillitatem ipsorum Rege, mutarunt sententiam & ipsi. Transactum est igitur de induciis ad annos tres, ita quidem vt qui contra quouis etiam modo faceret, perfidus atque sceleratus haberetur.

Supra meminimus Hyberniæ Ducis, qui pulsus Anglia, magnis promissis e Germa-

nia vocatus atque perductus nuper in Galliam fuit. vbi cum esset aliquandiu versatus, perpetuam inuenire sedem & obtinere non potuit. Nam princeps a Coucy, vir summæ apud Gallum auctoritatis, grauissimis de caussis hunc oderat. Hybernus enim istius filiam vxorem ductam, alterius deinde cuiusdam puellæ captus amore, deseruit, & hanc sibi iunxit, Vrbano coniugium habente ratum, vt qui gratificaretur modis omnibus Anglo. Concitatus hoc flagitio repudiatæ filiæ pater, is quem diximus, non conquieuit donec e Galliis hominem nō vno scelere impurum, deturbasset. hic mihi vide humanæ vitæ euripos, vide principum affectus, vide flagitiosorum hominum fortunas.

Non deerant qui Gallum inhortarentur vt regni prouincias longinquiores inuiseret. Gratum id fore populo, quem non alia ratione melius sibi conciliare posset. Ille per Campaniam, Burgundiam, aliasque ditiones iter ingressus, Auenionem peruenit, & inde, compellato prius Pontifice, Monspessulum. Quæ ciuitas, etsi propter negotiationes opulentissima sit, tamen crebris vexata tributis & exactionibus, ægre potuit respirare. Etenim quamdiu Carolus quintus erat in viuis, Andegauiæ princeps ea loca omnia regebat, nō citra magnam locupletationem suarum fortunarum. Et, cum ampliora secutus, Neapolim proficisceretur, voluntate procerū administrationi successit Berriæ princeps. Vt autem annum vicesimumprimum Rex attigit, adempta patruis omni functione, rerum summam ad se trāstulit. In Prouinciam igitur & finitima loca postquam venit, grauissimas audire querelas de patruo suo, qui supra modum expilatis miserorum bonis, ad summam prope desperationem eos adegit. Erat videre quotidie supplices libellos plurimorum, de fraude, iniuria, vi, proscriptionibus atque rapinis cōquerentium. Regi vehementer doluit populi miseria, & ideo, exēpli statuendi caussa, quendam Berriæ principis, patrui sui, quæstorem, iis locis primum grauiter ab omnibus accusatum propter expilationes, viuum exuri præcepit, quantumuis intercedente per literas & deprecante Berrio. Ceterum, Rex istam profectionem instituens, noluit adesse in comitatu suo patruos, hoc nomine plurimum offensos, maxime vero quod in precio viderent apud Regem quosdam tenuis conditionis homines.

Sub hoc tempus e vita discessit Vrbanus. qua de re Clemens Auenione decimo die certior factus, Galliæque Regi caussam suam diligenter commendans, orabat vt apud Cæsarem, item Hūgariæ Regem & reliquos principes, pro se auctoritatem suam interponeret, quo tandem omni discordia sublata, ecclesiæ tranquillitas confirmari posset. Sperabat ille quidem, aduersario vita defuncto, rei summam ad se deuolutam: sed opinione falsus est, Cardinalibus Bonifacium Neapolitanum creantibus.

Africani & Barbari subinde in Genuēses, & horum subiectas imperio ciuitates alias, faciebant excursiones. Quod eo poterant facilius, quoniam ad fines, qua venitur Genua in ipsorum agros, vrbem tenebant longe munitissimam: vocant Africam. Ex ea facillimum habent cursum atque nauigationem in hostem, &, si res vrgeat, in eandem, velut in portum tutissimum, se recipiunt. Precibus igitur sociorum & lacrymis impulsi Genuenses, cogitare defensionem. Et, quoniam inter Reges aliquot nuper transactum erat de induciis, ad Galliæ Regem, qui militem & suppetias orarent, legati sunt missi. Hic vero tam inclinare totus in hoc bellum, vt etiam finitimos ad auxilium sollicitaret. Collectum igitur e Gallia, Britonia, Artesia, Flandria & Anglia nō modicum exercitum in Liguriam misit duce Ludouico Borbonio, &, quem huic adiunxit, principe a Coucy, rei militaris & scientiæ omnis bellicæ peritissimo. Genuæ conscensis nauibus, tandem, aduersis fluctibus & tempestate superata, in hostium fines appulerunt. Et his quidem, propterea quod accessione Gallorum & exterarum nationum firmatis Genuensium viribus, vrbem suam peti viderent, & obsidione cinctum iri, deliberantibus, quidam ætate grandi, vir nobili genere natus, in hunc modum consuluit, non esse conserendas cum hoste manus ob ingentem illorum turbam: sed permittendum vt positis ibi castris considerent. Vrbem satis munitam esse, quæ vim & diuturnam patiatur obsidionem. Hostem feruore solis & æstu torreri, dum ipsi tectis & vmbris ab aeris intemperie defensi, bene intus habeant. futurum vt annona omni consumpta paulatim, vexati caloribus & mille aliis incommodis pertæsi, rebus infectis inde commigrent. Placuit senis consilium, obsessaque vrbe, tam mari quam terra, cōplures erat videre quoti-

die velitationes leuioresque conflictus. Ceterum legato misso, volentibus cognoscere Barbaris qua de caussa bello peterentur, Galli responderunt, ideo potissimum, quod maiores ipsorum indigna morte Seruatorem orbis necassent: deinde, quod baptismum excluderent, quod in Deum essent impij, quod de virgine matre irreuerenter sentirent. his adeo de caussis inferri bellum in ipsos, velut communes christiani nominis hostes. Illis responsum hoc ridiculum videri: tantum aberat vt de religione quærendum putarent. Sicilienses, aliæque vicinæ regiones, frumentum, vinum aliaque multa copiose in obsidentium castra aduehere. Sed propter insitum vini calorem iis locis, tum ob cœli feruentissimum æstum, fieri nō potuit quin plurimi in periculosissimas ægritudines inciderent. Inter hæc mala Dux Borbonius, importune admodum, de grauitate sua nihil remittere, sublimis, acer, fastuosus, & velut inaccessus: adeo quidem vt ipsius culpa, cum intractabilem se præberet, omissa fuerint pleraque egregia facinora. Post obsidionem bimestrem, cum frustra laborem omnem suscepissent, propter impendentem hyemem, & victus attenuationem, & metum futuræ penuriæ, & excubiarum molestias (Barbari enim illos noctu subinde adoriri imparatos) & pestilentiæ velut imminentis suspicionem, plerique volebant exercitum solui. Quin & illud verebantur, ne Genuenses cum hoste transigerent: iamque per omnia castra spargebantur eiusmodi voces. Itaque soluta obsidione, quod Genuēsibus plurimum displicebat, Galli inde abitionem parabant. Qua re ferociores facti Barbari concipere spes amplas, & magna sibi deinceps polliceri: quoque maioribus aliquando viribus hostem reiicerent, fœdera cum vicinis regibus firmarunt.

Hispaniarum Rex Ioannes, biennio post quam ipsius filius Lenclastrij filiam duxit, e vita migrauit. Huic successit Henricus filius. Porro cum de matrimonio transigeretur, & hoc interuenit pactum, vt Hispanus in singulos annos dependeret Lenclastrio illiusque vxori centum aureorum millia, datis hypothecæ loco, ne fraus intercederet, quatuor illius regni Comitatibus.

Galeatius, Mediolanensium Dux, patruum suum Barnabam, ex insidiis captum, e medio sustulit. huius Barnabæ filius, Comitis Armignaci sororem duxit coniugē. Galeatij filiā Valentinā Ludouicus Caroli sexti frater, Dux Aurelianensis, vxorem habebat. Cæterum, Comes Armignaci subinde & continenter a sorore sua rogatus, exercitu in Gallis contracto ex prædonibus, ac in Italiam adducto, cinxit Alexādriam, ditionis Mediolanensis opidum. Galeatius, qui tum Papiæ commorabatur, circiter quingentos equites in præsidium illuc misit. Nec enim ea tum fuit hostium multitudo, vt omnem vrbem obsiderent. Eorum, qui mittebātur, equitum præfectus, disciplinæ militaris peritissimus, cum aliquandiu substitisset Alexandriæ, certo quodam die, comitatus trecentis equis, vt hostem ex insidiis caperet, progressus est. futurum enim sciebat vt illi velitatione aliqua in opidanos inueherentur. Itaque discedens mandauit, vt inter pugnandum cederent vrgenti hosti, donec ad insidiarum locum deduxissent. Non aberrauit opinione. Etenim dum ex more confligerent, opidani retrocedere: &, simulatque ventum est ad insidias, illi præter expectationem illico circumdati, fortiter quidem pugnare, sed defatigati labore, & solis æstu languidi, recētis hostis impetum atque robur ferre non poterant. Et ipse adeo Comes vt respiraret, e prælio discedens, cum ex amni, quē inuenit non procul inde, cupide potasset & abunde, morbo repente collecto, & loquendi facultatem amisit, & ab aliquot horis morte vitam commutauit. Milites hac ratione deiecti, fugā ex Italia spectabant: sed interceptis ibi plurimis & oppressis, reliqui, cum ad Galliæ fines venissent, accessu prohibiti sunt, ex mandato Regis.

Britoniæ Dux, qui Galliæ Regem nuper Lutetiæ cōpellauerat, & fidē ex more promiserat, mutare ingenij sui naturam impotens, cum non semel esset Gallo reconciliatus, non poterat tamen non odisse illum, & amare Anglum. Quo tēpore Lutetiæ transigebatur cum eo, polliceri, Clemētinum se fore deinceps: verum, vt in ditionem suam rediit, nihil minus præstare. Quinetiā Regis officiarios ad se missos, non admittere ad colloquiū. & ita omnino se cōparabat non obscure, vt bellū videretur expetere. Pleriq; Regē ad arma hortari, propter intolerabilem hominis fastū. Sed patrui, imprimis vero Burgundus (vt cuius vxor Britonis esset cognata) id operā dabāt vt collocutioni certus

dies assignaretur. Turoni simul ventum est: ibi recitata quædam in quibus ille videretur dignitatem regiam contemnere. Brito singulis respondere diligenter & satis acriter, haud oblique perstringens in Regis familia quosdam obscuræ conditionis homines, a quorum auctoritate & consilio Rex pendebat. Altercationibus multum agitata res, videbatur nisi armis finiri non posse. Verum inuenta est ratio qua fedus & amicitia firmarentur. Galliæ Rex filiam suam Britonis filio vxorem dabat: præterea, Ioannis a Bloys, qui Connestablij gener erat, filius, Britonis filiam vxorem duxit. Nimirum in eiusmodi comicos exitus, principum simultates fere desinunt.

Gyus, Comes a Bloys, amplissimã quidem hereditatem obtinebat in Galliis aliisque locis: verum a morte sui filij Ludouici, qui puerilibus annis obiit, non vnum aliquem certum habebat heredem, sed varios diuersis locis, propter bona, locorum spatiis interiectis, hic illic dissipata. Porro, Dux Turonensis, Galli frater, maximam vim auri collectam habebat, vxore ducta Galeatij, Mediolanensium Ducis, filia. Et, vt hanc vtiliter impenderet, non conquieuit donec Comitis animum ad venditionem omnis agri Blesensis impulisset. Difficilem ille quidem se præbere, nec iniuria: sed ab vxore, Berriæ Ducis filia, velut expugnatus (hanc enim Galliæ Rex subornauit) cum liberorum spem nullam haberet, Comitatum illum ducentis francorum millibus vendidit.

Gascon, Comes a Foix, cuius & prudentiam singularem & liberalitatem auctor subinde prædicat, certo die, cum e venatu rediisset, lotis manibus vt prãderet, subito mortuus concidit. Filius illius vnicus, quo perierit fato, supra diximus. Ex nothis porro filiis alterum sic amabat, vt apud Galliæ Regem super illius legitimatione & succedendi iure diligenter ageret. Et, nisi mors repentina præoccupasset, forsan quod volebat, perfecisset. Ad hereditatem illius proxime veniebat Vicecomes a Castillone: sed hunc semper, quoad vixit, oderat. vtque negotium illi faceret, præter id quod filium nothum ad successionem venire studebat, mutuatus etiã est a Galliæ Rege, cum nihil opus haberet, quinquaginta francorum millia, quo heredem futurum grauaret. Ab illius morte non deerant qui Regem inhortarentur, vt, quandoquidem ille non relictis liberis decessisset, & tantam præterea pecuniam ex mutuo deberet, ditionem illam omnem ad se transferret. Varie agitata re, tandem intercessione Ducis Berriæ, Comitatum Rex Vicecomiti cessit, his legibus, vt sexaginta millia sibi, deinde viginti millia francorum dependeret iis quorum in hac caussa studium & labor enituisset: postremo, vt ex arbitrio bonorum virorum, amice pacisceretur & æquabiliter cum duobus, qui supererant, filiis illegitimis.

Postquam ex Barbaria rediissent Galli rebus infectis, commemoratione plurimorum, quæ vidissent, facta, Regem incessit in ea loca penetrandi, Barbarosque subigendi mira cupiditas: quam & alij crebris instigationibus augebant, vt quæ tanto principe digna esset. Verum ecclesiæ tranquillitatem stabiliendam prius quam expeditionem hanc susciperet, putabant. Id autem, nisi oppresso, quem Romæ nuper elegerant, Pontifice, fieri non posse. Quod consiliũ vt nõ displicuit, illico post in omni Gallia denunciatum est, Regem sub proximum ver ad militiam accingi. Porro, cum nihil esset deliberatius hoc ipso & certum magis, en tibi legatos Angliæ, significantes Regem suum ad pacem inclinare, & illam summe cupere. Nuncius hic Regem Galliæ mirabiliter recreauit, adeoque statutum est, vt Ambiani conueniretur. Anglus eo misit duos e patruis: & eum, qui pacem habebat exosam, apud se manere voluit in opido quodam maritimo: Douram appellant. Gallus ipse rebus agendis intererat. Angli repetere Aquitaniam omnem, a Ioanne Rege belli iure cessam. Ad hoc, quater & decies centena francorum millia, quæ restabant etiamnum pẽdenda pro libertate eiusdem Regis. Offerebant illis aliquam Aquitaniæ partem Galli, puta, illam ipsam qua potirentur, & Episcopatus nouem. Ad pecuniam resoluendam, trium annorum spacium sibi dari petebant, & Caletum æquari solo. Repudiatæ sunt vtrinque conditiones. Nam Angli, quanquã ad pacem mire inclinabant, tamen absq; voluntate Regis nihil transigebant: id quod abeuntibus iniunctum erat. Præterquam Caleti demolitionem, reliqua non admodum improbauit Anglus, referentibus legatis. Verum Dux a Clocestre, nimirum is qui pacem perpetuo turbabat, durus & asper, opponere se vehemẽter, affirmans non

posse vllas, quæ quidem Angliæ sint vtiles & honestæ futuræ, cum Gallis iniri amicitiæ rationes. Et, quoniam super his rebus, adeo non leuibus, ab vno Rege, vt maxime omnia probasset & rata habuisset, statui non poterat, nisi trium, quos vocant, Ordinum interueniente auctoritate, triennalibus illis induciis, quarum supra facta mētio, alter adiectus est annus, vt & cogitandi & agendi spatium suppeteret. Atqui discedēti Lenclastrio Rex Gallus animum suum patefaciens, ostendit quanto pacis desiderio teneretur, vt hac via potentiam & robur suum omne posset in Barbaros expedire, qui nuper & Armeniæ Regem eiecissent, & in Hungariā magna crudelitate penetrassent. Lenclastrius, cum sua sponte satis incitatus, tum vero humanissima Regis oratione & sermone honesto commotus: adhæc, operam, fidem & industriam illi suam pollicitus, non se conquieturum prius affirmauit quam ad eum, quem & Rex imprimis & boni omnes expeterent finem, negotio perducto.

Gallus, permutatione facta cum fratre Ludouico, Turonensem ab eo ditionem accepit, & vicissim Aurelianēsem illi cessit, ampliorem multo: sed ea lege vt omnis ipsius posteritas inaugurationem a Gallorum Regibus peterent.

E familia Regis quidam genere nobilis, Petrus a Craone, gratia plurimū valebat apud Aurelianensem: qui præter coniugem suam deperibat quandam eleganti forma puellam. & id quidem non ignotum erat ei quem diximus, præ ceteris hero multum familiari. Contigit vxorē resciscere de amoribus mariti sui. Puellam igitur ad se vocatam acriter obiurgat: quæ proximo colloquio cum principe, perditam se vocat & miseram, quod vxorem nihil fugeret eorum quæ maxime vellet operta & tacita. Ille, quibus nescio blanditiis, e coniuge resciuit auctorem patefacti sui amoris. Nimirum is erat Craonius: quem hac ratione apud se vocatum in odium aula tandem eiecit. Hic igitur cum in Gallia sedem quietam habere non posset, ad Britonem se contulit: qui irreconciliabili odio Connestablij flagrans, hoc egit vt profugus iste crederet, illius delationibus factum quod Galliis exularet. Initis igitur hic apud se, quibus iniuriam hāc vlcisceretur, rationibus, familiæ suæ quosdam diuersis temporibus Lutetiam præmisit, iniungens vt dissimulanter vrbem ingressi continerent se domo quam ibi possidebat. Ipse non multo post insequitur. Vt certo die per exploratores de Connestablio resciuit, noctu redeuntem illum a Rege, & paucis quibusdam comitatum adortus, grauissime vulnerat, & deturbatum ex equo, cum interemptum putaret, reliquit. Nūcius ad Regem illico delatus est. Ille, præter id quod sic afflictum, nulla interposita mora, sub intempestam noctem inuisit, mandauit etiam præfecto scelerum vt quanta posset celeritate & astu, facinoris auctorem inuestigaret. Sed id frustra fuit. Nam ille, post admissum facinus, ad Britonem illico profugit, viam, quæ diui Antonij Lutetiæ vocatur, ingressus, patentibus tum vrbis portis. Ad Britonem missus est a Rege, qui nefarium hominem & facinorosum sisti iuberet eo, quem Rex vellet, loco. Ille pertinaciter negare præsentiam. Regi minime id fieri verisimile. Et, cum propter sceleris magnitudinem (iudicabat enim hoc ad se pertinere proprie) tum verò quod illum videret multis nominibus Galliæ molestum, copiis contractis, in Britoniam contendit. Patrui, odio Connestablij, Regem ab incepto dehortati, cum nihil efficerent, arma sumpserunt & ipsi. Vt prope ventum est in agrum hostilem, Rex, & leuioribus quibusdam ægritudinibus ante, & nunc etiam intolerabili calore vexatus, ac nescio quibus præterea molestiis æger, inter equitandum subito priuatus omni facultate & vi intelligendi, non secus ac si in confertissima hostium turba versaretur, exempto gladio, in nobilium & eorum qui circum erant, cohortem sese præcipitat: fratrem germanum & multos alios ad magnum loci spatium ita insequitur, equis atq; sellis deturbat. Tandem a tergo comprehēsus, detractis armis, in vicinum opidum adductus est, & inde post in Galliam Lutetiæ propinquiorem. Quo facto, cum deliberaretur an Regis fratri administratio rerum esset committenda, placuit eam esse penes patruos: quod ille per ætatem non satis prouideret. Rege ad hunc modum decumbente, patrui facultatē & occasionem adepti male tractandi eos quorū consilia Regem ad quæuis impellebāt, Connestabliū Galliis eiiciunt, alios vinculis & carcere cohibent. Connestablius quidem vi non fuit exturbatus, verū, quod acerbissima oratione esset exceptus a Burgundo, tēpore sibi de fuga prospexit,

Dolebat inimicis illum ſic euaſiſſe: qui, vt viderentur agere non iniquis rationibus, (nam & Borbonius & Aurelianenſis bene cupiebant homini) citarūt profugum in ſenatum Pariſienſem. Quo cum non veniret die præſcripto, peculatus & proditionis damnatus eſt. Etenim, quo tempore grauiter ex vulnere laborabat, teſtamento facto, reperta ſunt in ipſius bonis, quæ mobilia vocant, circiter decies & ſepties centena francorum millia: quam pecuniæ molem plerique dicebant eum iniquiſſimis modis collegiſſe. Reliqui vero qui vinculis coercebantur, exuti facultatibus & rebus omnibus, in magno capitis periculo verſari. Inter hos vnus & item alter, quod innocentiam ſuam ad hunc modum periclitari viderent, cogitatione rerum anteactarum, & vitæ ſplendoris in quo vixiſſent, impulſi, lacrymis & mœrore ſe penè exocularunt ipſi.

LIBER QVARTVS.

TAM Angliæ quam Galliæ Regis patrui, vt pax tandem coiret, plurimum ſudabant. Scriptis vtrinque res agebatur, vt per otium relegi ſingula diligenter & expendi poſſent. Anglis, præſertim vero Duci a Clocestre, videri, Gallos aliquot voces vſurpare callide, quas occaſione poſt data, in quam vellent partem interpretarentur. Itaque ſingula maiori ſtudio diſcutere, &, vbicunque dubia oriri vel ambigua locutio, percunctari. Plerique omnes, quorum fortunæ pacis tempore multum erant acciſæ & tenues, affectare bellum: ſed vterque Rex ad concordiam propendere mirum in modum: in primis vero Gallus, propter eam, quæ ſupra enumerata eſt, cauſſam. Adhæc, Armeniæ Rex profugus, facta commemoratione quam impotenti cupiditate, quantiſque viribus Barbaræ nationes inhiarent non ſolum Hungariæ, ſed vniuerſo propemodum orbi Chriſtiano, plurimum ad hoc quod agebatur, momenti adferebat. Tranſactum eſt ſuper induciis ad annos quatuor, & terra & mari: præterea, vt ditiones aliquot certæ reſtituerentur, hinc Anglis, illinc Gallis, eiecto milite omni prædone. Galliæ Rex, qui medici cuiuſdam opera nuper & intelligendi & loquendi vim recepit, hoc tempore in morbum recidit.

Clementi Pontifici, qui aduerſarium habuit Vrbanum, & ab hoc Bonifacium nuper electum, Auenione mortuo, Cardinales Benedictum ſurrogarunt, ea lege vt, ſi Galliæ Rex creationem non probaret, alius eligeretur. Vtriuſque Pontificis ad ſe miſſos legatos patienter ille quidem audire: ſed, theologorum ſecutus conſilium, nec huic nec illi ſe dare: quin potius cogitabat rationem qua poſſet eccleſiæ conſuli, diſſenſionis materia omni ſublata. Miſſis igitur ad Cæſarem (cuius in ea re prima debet eſſe auctoritas, fides atque ſtudium) legatis, item ad Bohemum, Hungarum & Anglum, obteſtari illos vt ne publicæ tranquillitati & bono deeſſent.

Anglus hoc tempore Lenclaſtrio & illius hæredibus, Ordinum aſſenſu & voluntate, Aquitaniam omnem prorſus & libere donauit. Inſtructis igitur & collectis rebus, vt Burdegalam venit, donationem ſibi factam oſtendit. Illi, non ſe quidem ipſius præſentiam & aduentum inique ferre: ſed, vt imperium accipiant, & dominum agnoſcant, id ſe non poſſe ſtatuere. Paciſceretur & ageret cum reliquis ciuitatibus: quæ ſi ratum habeant Angliæ Regis factum, nec ſe defuturos officio. Reſponſum eſt a Baionenſibus ad eundem plane modum. Porro, dum ſingulorum animi perquirerentur, nobilium & optimatum, qui certo conuenerant loco, hæc erat ſententia, vt dicerent, donationem iſtam, propterea quod Aquitani ſic eſſent adiuncti & velut inſiti Anglis, vt nullo pacto ſeparari poſſent, aut in alterius dominium transferri, vanam & inutilem eſſe. Tandem placuit mitti legatos qui coram ipſo Rege cauſſam agerent. Poſtquam eo ventum eſt, illi conſtanter tueri ius ſuum, puta, ditionem

illam

illam, neque donationis, neque connubij, neque tranſactionis, neque omnino cuiuſuis rei cauſſa poſſe alienari. Angliȩ Reges hoc ipſum ex more, dum Imperio conſecrantur, multis retro ſeculis, fide & iureiurando præſtito, ſolitos polliceri, & ipſum adeo Regem præſentem idem feciſſe. (ac ſimul eius rei literas proferebant) Omnium maxime intereſſe regni, vt ne violetur iſta, prudentum auctoritate recepta, & temporis longinquitate firmata conſuetudo. Lenclaſtrium hoc quidem tempore cum Anglis firmam & certam amicitiam colere: ſed fieri poſſe tamen, vt nō ſemper eadem ſit ratio. futurū vt cum Gallis, cum Britone, cū Burgundo, cum aliis, vtut tempora ferēt & rationes ipſius, fœdera ſuſcipiat, & de matrimoniis tranſigat: futurum vt Aquitania, quæ ſuo quodam peculiari iure ſit aſſignata ſceptro Angliæ, traducatur in dominatū alterius, neq; cum veteri & ſocio regno quicquam deinceps habeat coniunctionis. Ad eum modum locuti, bonam partem, vt idem ſentirent, permouerunt. Sed opponere ſe vehementi ſpiritus & animi contentione Dux a Cloceſtre, non tam amore fratris, quam quod optaret illum hac ratione longius ab Anglia ſemotum, vt, quod vellet, commodius ipſe perficeret. A multa diſceptatione, placuit legatorum oratio: & ſimul Lenclaſtrio, ne cœptum vrgeręt, aut donationi inſiſteret, denunciatum eſt. Dum hic in Aquitaniam abiret, Anglus exercitu conſcripto ad triginta millia ſagittariorum, & quatuor equitum millia, penetrauit in Hyberniam: pro cuius recuperatione maiores ipſius magna ſæpe bella geſſerunt. Nono, poſtquam eo venit, menſe, in deditionem illos accepit, captis quatuor illorum regulis: in quorum ingeniis erudiendis excolendiſque nullam prætermittebat operam: ſed ægre poterat animus barbarus & fera natura ciuiliori vitæ aſſueſcere.

Poſtquam Anna Caroli Cæſaris filia, vitam finiit, Anglus, quod liberos nullos haberet, de repetendo coniugio meditari. Galliæ vero, præ ceteris omnibus nationibus, optabat firmiſſima pace adiungi. Cœpit ambire filiam Regis Iſabellam, quæ Britonis filio nuper apud Turonum deſponſa fuerat. Diſplicebat ea res mirum in modum Cloceſtrio Duci, præter bellum nihil expetenti. E Gallis plerique exiſtimabant, niſi firmata pace, nihil in hoc eſſe ſtatuendum.

Henricus Hungariæ Rex, frater germanus Caroli Cæſaris, denunciato ſibi bello a potentiſſimo Turcarum principe, Baſam, auxilium & copias e Gallia petebat. Miſſi circiter duo nobilium iuuenum millia. Ioannes, Philippi Burgundionum Ducis filius, annorum vigintiduorum, & huic veluti moderator adiunctus, princeps a Coucy, vir bello ſtrenuus, exercitui omni pręerant. Poſtquam e Galliis in Auſtriam, & inde Budam Hungariȩ ventum eſt, de hoſte, quanquam denunciauerat certo ſe die conflicturum, nihil quicquam audiri. Viſum eſt igitur non inconſultum, ſi Danubio traiecto, illum in ſuis finibus vltro laceſſerent. Vt in agrum Turcium deuentum eſt, (ad centum millia virorum ſurgebant copiæ, magna ex parte equeſtres) expugnatis aliquot oppidis, Nicopolim, iis locis potentiſſimam vrbem obſidione cingunt. Quæ cum eſſet diuturnior, & otij plus, quam militari virtuti conueniat, haberet, princeps a Coucy, gloriæ cupidus & illuſtrandi nominis magis atque magis, in comitatum ſuum aſcitis mille circiter equitibus haſtatis, & ſagittariis, in vicinos agros aliquanto longius procurrit, vt ſi quam hoſtium cohortem obuiam haberet, fortunam periclitaretur. Id quod ſectabatur, euenit. Hoſtis enim de excurſionibus certior factus, ad viginti millia contractis copiis, recta illum petebat. quem vt animaduerterunt Galli, conſilio pro tempore non malo, ſyluam vicinam ingreſſi, centum plus minus equites, qui hoſtem in præſidio loci commorantem laceſſerent & prouocarent, emittunt. Illi, cum ante oculos omnem exercitum hoſtilem eſſe putarent, irruunt. Galli in fugam ex compoſito abeunt, donec ad ſyluam, e qua repente ſe proferebant inſidiæ, ventum eſſet. Ad hunc modum Turcæ tam ab his qui inſequebantur, quam ab aliis qui fugam ſimulauerant, intercepti, ad quindecim millia cæſi ſunt. Reliqui fuga ſalutem quærebant. Baſam Rex, quanquam videri tardior, explorata habebat tamen omnia, certior factus per Galeatium Mediolani principem, quicum magnam habebat cōiunctionem, non vitȩ quidem, ſed amicitiæ. Conſcripſit igitur ingentem numerum, miſſis a Soldano Babyloniæ, a Medis & Rege Perſarum, auxiliis.

Quantum ad Mediolani Ducem attinet, res ita habet: Tres fuerunt aliquando fratres, Maufretus, Galeatius, & Barnabas. Horum patruus, Archiepiscopatum Mediolanensem tenebat. Ludouicus Bauarus, Cæsar electus, cum approbationem Pontificis obtinere non posset, Romam contendit: vbi creato sua auctoritate alio Pontifice, & Cardinalibus aliquot, imperio consecratus, militi, vt Vrbem deprædaretur, permisit. Aduersus Ludouicum Cæsar creatus erat Carolus Bohemiæ Rex, Henrici a Luzemburgo filius: quem quidem Carolum in Italiam, Aquisgrani primum accepta consecratione, venientem, hic de quo diximus, Archiepiscopus Mediolani, benignissime excepit, & officiorum omni genere prosecutus est, mutuo etiam data pecunia, puta, centum aureorum millibus. Cæsar, vt vicissim animi gratitudinem declararet, constituit eum Vicecomitem Mediolani, & post eum, nepotes, ita quidem vt ditionem illam omnem tenerent, donec Cæsar eam, resoluta quam mutuo cepisset pecunia, reuocaret ad se. Post Episcopi mortem, natu grandior nepos, Maufretus, voluntate Cæsaris, muneri successit. Hunc ex inuidia fratres aliquanto tenuiores, e medio tulerunt, cogitatione suscepta occupandæ ditionis, ac deinde suas vires per connubia firmandi. Postquam ille sublatus, æquabili inter se partitione facta, potenter regnabant. Galeatio, quod ætate præcederet, decem, alteri vero nouem obuenerunt oppida. Mediolanum, alternis annis, interim huic, interim illi cedebat. Pecuniam & vectigalia subinde suis imperabant iniquissimis rationibus. Quæ quisque loca tenebat, ea diligenter munire, omnium, præterquam Italorum, quibus diffidebant, nationum præsidiis. Populum vi & asperitate retinebant in timore maximo, de his qui se opponerent atrocia statuentes & indigna exempla. Principum amicitias magna vi pecuniæ redimebant. Galeatius Comiti Sabaudiæ, cuius sororem duxit, aureorum centum millia dependit. Filium habebat eiusdem nominis, qui Regis Ioannis filiam vxorem habuit, depensis francorum sexcentis millibus, pro liberatione soceri sui Anglis obligati. Iunioris Galeatij filia Valentina, Caroli sexti fratri germano, Ludouico, Duci Aurelianensi, nupsit: verum non prius, quam ille futuro genero decies centena francorum millia numerasset: ingentem sane vim auri: cuius aliqua parte, Comitatus Blesensis deinde emptus est, vt ante diximus. Inter fratres ipsos non male, quamdiu pariter vixerunt, conueniebat. Sed a morte patris, Galeatius patruum suum Barnabam, ex insidiis captum, necauit. Altera huius Barnabæ filia nupsit Stephano Bauariæ Duci, filiamque sustulit Isabellam, Caroli Galliarum Regis vxorem, vt supra meminimus. Ille vero non contentus indigna morte peremisse patruum, nepotes etiam & cognatos omnes persequi, ditiones & quicquid erat bonorum, ad se transferens. Populum crebris & subinde nouis affligebat exactionibus. Adhæc, impie & irreuerenter sentiebat de potentia Dei. Quocunque modo ditesceret, potentiamque suam augeret, nihil pensi habebat. Locupletiores ordinis ecclesiastici spoliare suis prouentibus, vix modica parte, quæ tuendæ vitæ satis esset, relicta. Sic erat institutus, & hãc opinionem, inter cetera morum & disciplinæ præcepta, veluti per manus, a suis accepit maioribus, qui & Pontificis auctoritatem plane despectam habebant, &, cum dissensionem ecclesiæ viderent, mirabiliter hoc ipso recreari. Porro, Ducis Aurelianensis vxor, multum ambitiosa mulier, nihil æque optabat atque maritum ad regij sceptri fastigium, qualibet etiam arte, peruenire. Pleriq; adeo de illa suspicari, quod ipsius veneficiis mens esset excantata Regi. Suspicionis origo fuit eiusmodi: Filium sustulit e coniuge formosum & æqualem regio. Dum vterq; puer in cubiculo ex more colluderent, abiectum est pomum veneno tinctum in eam partem vbi Regius erat: sed puer, quod mirum videri possit, abstinuit: & alter postea, cum non obseruaretur, arreptum illud vbi degustasset, paulo post exspirauit. Huius rei fama statim peruasit omnem regiam, & loca vicina. Suspicionem augebat & illud, quod Rex in ægritudine decumbens, præter ipsam vix vllum admitteret. His rebus inflammatis hominum animis, ob periculi præsentiam, in quod incidisset, in arcem quandam Lutetiæ vicinam, e qua non erat integrum illi discedere, abducta est. Quin & interitu filij maritum grauiter offendit. Galeatius pater, vt de filia comperit, vehementer concitatus, ad Gallum misit legatos: qui cum minus patienter essent auditi, ille subidem

tempus quo in Hungariam expeditio fieri cœpit, bellum denunciauit in Galliam. Et, vt hosti faceret ægre, cum Rege Basam fœdere inito, de suis rationibus & Galliæ statu illum edocebat.

Albertus, Hannoniæ Princeps, Gulielmum filium, ad expeditionem Turcicam volentem proficisci, non desinebat hortari vt Phrisonibus bellum inferret potius, qui præter omne ius perpetuam rebellionem pararent. Ille patris auctoritatem secutus, e Gallia vicinisque locis, item ex Anglia petitum militem, apud Hollandos conscenso mari in Phrisiam adduxit. Egressos e nauibus, & ab aliquot diebus aggeres atque fossas, quibus ea regio munitur, superare conantes, indomita gens, de hostis aduentu certior ante facta, nauiter repulit: sed a multo conflictu, equitum & sagittariorum virtute, qui se per viam occultiorem propius insinuauerant, velut ex inopinato sunt oppressi, cæsis plurimis. Ob impendentem hyemem nihil tunc actum est præterea. Sed biennio deinde post, rursus ibi moto bello, sublimes illi & feroces spiritus agnoscere dominum, & submittere se illius quem semper aspernati fuerant imperio, coacti sunt.

Anglo mire solicitante nuptias, & plurimis vtrobique missis legatis, placuit vt intra Galliæ fines & Caletum medio quodam opido, conuenirent vterque Rex. Id adeo ratum fuit, & Gallus ipse filiam illi suam præsens præsenti per manum tradidit. Sed priusquam res eo deduceretur, Anglo necesse fuit, patruum suum Clocestrium & muneribus & magnificis placare promissis. Nam is pacem oderat, vt si quis alius, ingenio tam prauo & superbo, vt Rex magnopere timeret, per hunc aduersus se concitatum iri populum: itaque deliniendus erat.

Ab his nuptiis, Galliæ Rex illico cœpit cogitare de bello in agrum Mediolanensem inferendo: iamque pactus erat Anglus, in eam rem suppeditaturum se ad sex millia sagittariorum: sed interuenit aliud, quod nouam deliberationem, & grauem quidem illam, requirebat.

Hungari, & his adiuncti Galli, magnis viribus obsidebat Nicopolim, bona spe concepta, breui se dominos vrbis futuros. Interim rex Basam, ex omni sua & vicinorum Principum ditione coegit circiter ducenta millia. Velitum præmisit octo fere millia, reliquo exercitu in duas partes diuiso. Nostri, vt procurrentes illos animaduerterunt, statim ad arma, festinatione summa. Porro, qui explorandi caussa missi fuerant, cum dicerent, modicam esse hostilem turbam, (nec enim præter velites quenquam viderāt) Galli repente magnis animis ad pugnam properare. Sic instructis, Hungariæ Rex denunciauit ne quid præcipitanter agerent; vereri se vt exploratores omnem exercitum probe contemplati sint. Alios iam quosdam a se missos, locorum & regionis maxime gnaros, qui intra paucissimas horas, dubio procul certiora sint allaturi. Consilium hoc multis visum vtile, & sequendum per omnia. Sed Connestablius, quod prior ipse sententiam rogatus non esset, bene sapienterque a Rege dictum, interpretari superbe & maligne, puta, Hungarum in animo statutum habere, vt Gallis in acie dispositis, ipse victoriæ laudem ferat. In hanc sententiam inepte quidem ille plurima, non quod ita sentiret, aut Hungari consilium iudicio reprehenderet, sed quod inuideret Principi a Coucy, nuper parua manu fusis hostilibus copiis atq; profligatis, auctiori facto. Se vero, quo non alius in Gallia, post Regem, amplior sit atque sublimior, vlli postpositum iri, nimirum id iniquissime ferre, & suam potius auctoritatem in rebus gerendis primam esse debere, & præ ceteris valere plurimum existimabat. Itaque reiecta, quam ceteri probabant, Hungari sententia, minime cunctandum ratus, non exspectato sociorum auxilio, in hostem progressus est: quo facto reliquos etiam quantumuis inuitos adegit, nisi desertores haberi vellent, iungere copias. Vide quorsum inducant inuidia & animi superbia. Iam hostes imminebant, & Galli sic erant vndequaque intercepti, circumfusa illorum turba, vt qua dilaberentur, non viderent. Et quanquam erant paucissimi ad illum numerum, tamen in his angustiis positi, strenue supra modum sese dare: sed oppressi multitudine, calamitosum exitum vt euitarent, fieri non potuit. Proceres fere omnes, ob armorum ornatum atque splendorem capti sunt, Barbaris magnum ab eis emolumentum expectantibus. A victoria, Rex Basam, cum ex ipsius mandato, cæsorum numero perlustrato, e suis multo plures interemptos audisset, ira vehemen-

tiori percitus,crudeliſſimæ morti ſubiecit circiter trecentos nobiles,tam Gallos quam Hungaros atq; Germanos. Hungariæ Rex,vt vidit Gallos non expectata occaſione temere pugnare multū indoluit:cumq; paſſim cerneret omnes in fugam præcipites,impulſus conſilio ſuorū fugit & ipſe,tranſmiſſo Danubio. Nimirū faſtus & æmulatio noſtrorum hominum,eo die victoriam hoſti peperit.Et hic quidē vt de ſtatu captiuorum intellexit, eorū puta,quos præ ceteris eminere iudicabat, in vitā & capita illorum nihil ſtatuit,miſſo in Galliā legato qui cladem acceptam denūciaret. Burgundiæ Dux Philippus,cui filij calamitas intime dolebat,egit apud Gallū,vt tyranno Barbaro quædam eximia dona, quo clementius haberet captiuam turbam,mitterētur. Omnium impatientiſſime tulit hoc infortuniū Princeps a Coucy:qui, cum in rationibus bellicis mire ſemper fortunatus fuiſſet,dolore cōcepto,quod a potentiſſimo Rege ſumma rerū ſibi commiſſa,propter inuidiam aduerſarij,locum ſuum & munus tueri non potuiſſet,inq; capitis periculum aliena temeritate adductus eſſet apud nationem Barbarā, cæſis magno numero ſociis,vitam ibi finiit.Idem fuit exitus illius qui ſtultitia ſua tot hominum millia,tot inſignes viros,in perniciem & extremā miſeriam pertraxit. Burgundus,quo filium & captos cum eo ſocios, Barbarorum manibus eriperet, egit per Venetos mercatores,qui negotiorum cauſa nullam non orbis partem accedunt, vt aliis quibuſdam a Galliæ Rege miſſis legatis adiuncti,cum hoſte tranſigerent. Pactio fuit eiuſmodi, vt circiter vigintiquinque nobiles captiui pro libertate ſua dependerent ducenta aureorum millia.Fidem ſuam interponebant mercatores.Ab eo tempore Rex Baſam familiarius habere Gallos,& conuerſus ad Burgundi filium: Satis, inquit,animaduerto,magnis & illuſtribus te procreatum eſſe parentibus,& in ſumma nominis expectatione viuere:cumque ſis in hoc ætatis flore, non parum dolere tibi poſſit quod in iſtud malum incideris:ad cuius infamiam & triſtem recordationem abolendam, fieri poteſt vt aliquando rurſus in me arma capias.Et quanquam belli iure mihi ſit integrum,obſtringete te ſocioſque tuos,vt hoc vobis nō liceat:nunquam tamen id fecero: quin potius permitto,non tibi ſolum,ſed quibuſuis aliis,vt domum reuerſi, quolibet tēpore, collectis viribus,denuo mihi bellum inferatis.Eo namque ſum animo & mentis robore,tum ea fortuna,vt aduerſa arma non exhorreſcam. Hoc adeo licebit,tuis meo nomine libere dicas.Galli poſtea cum Venetis appulerūt Rhodum,& inde magnis itineribus, nō ſine moleſtia & difficultate, Venetiam.Hic illis commorantibus, Hungariæ Rex miſſo legato nunciauit,gaudere ſe plurimum,quod hoſtium poteſtatem euaſiſſent. Non dubium eſſe quin pro liberatione ſui,maximam vim auri dependerint.Se modis omnibus optare,eam eſſe fortunam ſuam, & ita ſecum agi, vt nummorum præſidio liberaliter eos iuuare poſſit.Nunc autem ex aduerſo prælio, nuper commiſſo, magnam ſe feciſſe iacturam,annuis prouentibus non mediocriter attenuatis. Ceterum a Republica Veneta deberi ſibi quotannis aureorum ſeptem millia.Negotium ſe dediſſe iam ſuis,vt ex eiuſmodi cenſibus diuenditis collecta pecunia, in ipſorum adeo neceſſitatem & vſus impendatur.Galli beneficium hoc minime recuſare: ſed Veneti diſſimulanter ad omnia & callide reſpondere:nec deerant qui ſuſpicarentur, inter ipſos & Hungari legatos rem ex compoſito geri.Burgundus amice imperata ſuis pecunia,non citra munificentiam Regis,fidem ſuam apud mercatores liberauit.Filius ipſius in Galliam reuerſus,de ſtatu rerum omnium quas comperiſſet toto expeditionis tempore, multa cum Rege colloqui.Tandem & illud adiecit,non ignotum eſſe Barbaris,quemadmodum inteſtina Pontificum diſſenſione,tranquillitas non ſolum eccleſiæ,verum & orbis Chriſtiani perturbaretur:nihilque adeo mirum illis videri, quam Principes & Reges hanc tātam vnius & alterius effrænem ambitionem atque licentiam perferre. Nemo credat quantum hæ voces animum Regis accenderint. Nam ſi quando alias, ab hoc tempore nimirum de firmanda concordia,magis atque magis cogitare cœpit.

Dux a Cloceſtre,quod ingenio plane intractabili & ſeditioſo eſſet, indignari ſecū & fremere,plurimorum annorum inducias eſſe cōſtitutas inter vtrumq; Regem, ita per connubiū inuicem cōiunctos,vt de cōciliāda pace vix vllus dubitaret. Spargebat hinc inde voces multum virulentas & ſeditionis plenas, ipſique Regi perículoſas;quem deturbare loco & imperio exuere iam cogitabat. Apud Londinenſes plurimum valebat

auctori-

auctoritate & gratia: his auctor fuit ne superioribus aliquot annis propter belli molem imperata tributa, nunc, omni tempestate sublata, & cum hoste inito fœdere, dependerent. Iniquissimam esse omnem hanc exigendi rationem. Populus in concione rē proposuit: ac deinde post aliquod tempus, in cœtu omnium ordinum, Lenclastrius illis voluntatem Regis declarauit, ad eum modum vt sine turba tum discederent. Aliquanto post, Sancti Pauli Comes, a Galliæ Rege missus, nuper nuptæ Reginæ visendæ caussa, in Angliam accessit: qui postquam de flagitiosis Clocestrij Ducis rationibus audisset, Regem inhortari, vt tempore medicinam adhiberet. Ab huius abitione, passim natus est rumor, velle Regem Gallis restituere Caletum, & super ea re transegisse cum eo, quem Gallus misisset, legato. Non aliud vehementius potuisset omnem Angliam aduersus Regem concitasse. Et suadebat seditiosus ille populo, vt eo nomine cum Rege expostularent, audituri quid sentiret. Rex ita respondit vt, qui sano essent iudicio, nec cupide huc illuc impellerentur, facile colligerent, ex odio & animi malitia rumorem hunc emanasse.

In his quotidianis delationibus, Rex, vt accepit patruum affectare sceptrum, & porro cogitare quomodo ad fastigium illud euaderet, nō sine deploratione præsentis Reipublicæ status consuluit Lenclastrium & alios, quorum ingeniis non diffidebat, quid facto putarent opus. Illi, quantum licebat, consolari & erigere animum Regis, fidem & studium quisque suum polliciti. Sed eo turbarum ventum est, vt qui Regi essent familiares, cum fastum & impotentiam hominis factiosi minime toleraret, (oderat enim Regios omnes) absque dissimulatione dicerent, se in eo rerum statu, quādoquidem aduersa omnia metuere cogerentur, diutius ibi subsistere non posse. Videre tum erat plerosque viros non ignobiles, qui relicta aula, se conferebant in sua prædia. Nec enim obscure colligere licebat quorsum essent exitura omnia.

Breuiter, his vocibus & indiciis adeo claris incitatus Rex, post multam cogitationem, calliditate quadam adhibita, produxit patruum, vt oblectādi animi caussa simul ad venationem iret. Vt in planiciem & campos deuentum est, ibi magister equitum, ex insidiis repente prosiliens, captum illum in arcem Caleti, quam potuit tacite perduxit: Vbi cum aliquandiu seruatus esset, dubius atque suspensus quid de se statueretur, certo die, cum in aulam sumendi prandij caussa ingrederetur, iussu Regis a quatuor robusto corpore viris, linteo, quod diuersi trahebant vt vehementius arctarent, strāgulatus est: ac deinde vestibus detractis impositus lecto, quasi repentino morbo perculsus, loquendi simul & sentiendi vim omnem amisisset, biduo post, vt constaret sibi commentum, de morte ipsius editum est: quam nec in Galliis, nec in Anglia quisquam magnopere lugebat. Sic enim erat illius meritum, vt propter animum turbis cōcitandis natum pessime iam olim audiret. Sed Londinenses tamen immoderate ferre illius ruinam, & patrui, maxime vero Lenclastrius, qui sortem hanc germani sui fratris cupide quidem vlturus erat: sed, quod Regis potentiam nouo connubio videret auctam, nihil audebat. Ab illius nece, de magnis quibusdam viris, ex mandato Regis, quod in eodem fuissent crimine & conspiratione, Londini sumptum est supplicium. Beruici Comitem, iis locis præpotentem, idem manebat exitus: verum, intercedentibus amicis flexo & mitigato Regis animo, deportatus est in insulam. Clocestre filium reliquit minorem, ideoque Rex omnem hæreditatem ad se recepit, & matrem huius, nouæ Reginæ adiunxit. Angliæ hic mos est, vt Reges nobilium pupillorum bona tueantur, donec vicesimumprimum annum attigerint. Rex, vt qui compertum haberet, quam grauiter offendisset patruos, interempto fratre, cum suspecta iam haberet omnia, voluit duo sagittariorum millia, qui sui corporis rationem & curam haberent, perpetuo secum esse.

Lenclastri filius, multum popularis, vulgo dictus Comes Derbius, in familiari & priuato colloquio cum magistro equitum, in Regem forte quædam liberius effudit. Hic vt gratum Regi faceret, in cœtu procerum patefecit omnem illam collocutionem, proditionis crimen alteri intentans, & simul monomachiam deferēs. Ille vicissim proditionis notam regerere, & acceptare prouocationem pugnæ. Rex, cuius in aspectu dicebantur hæc omnia, mirabiliter incensus, derelicto consensu, recipere se intus. Bona pars incusare illum & reprehendere, quod rem ad manus venire permitteret, (nam illi

magnum sumptum ad se comparandum faciebant) existimantes, ipsius esse proprium munus in eiusmodi simultatibus, quæ maximas deinde turbas queant excitare, suam auctoritatē interponere. Quas voces vt rex cognouit, iniecta quoque mentione, quam indigne hoc ferrent omnes ab eximium amorem in eum qui prouocatus esset: vt populum placaret atq; nobiles, qui magistrum equitum habebant exosum, ita constituit, vt Lenclastrij filius ad annos decem, alter vero exul esset perpetuo. Comiti discessuro, quatuor annos Rex ipse remisit sua sponte. Et hic quidem, patris consilium secutus, ad Galliæ Regem se contulit, a quo perquam humaniter acceptus est. Londinenses magno luctu & lacrimis abitionem illius prosequi: & iam inde ab eo tempore spectabant ibi omnia ad cruentum & calamitosum exitum.

Postquam a Turcarum potestate redempti Galliæ nobiles in patriam reuertissent, oratione Burgundionum Ducis filij inflāmatus Rex, vt ecclesiæ cōcordia stabiliri posset, illico scripsit ad Cæsarem, vehementer orans vt hic suum munus faceret. Vtriusq; voluntate dictus est dies quo conueniretur apud Remos. Excogitatæ sunt aliæ caussæ: propter quas eo venisse dicerentur, vt ne vera comitiorum ratio, quam tacitam esse volebant aliquādiu, proderetur. Ibi post multam deliberationem placuit, Episcopum Cameracensem ad Bonifacium Romæ commorantem proficisci, quem hortaretur vt confirmandæ in ecclesia tranquillitatis gratia, munus & honorem Pontificium abdicaret, non quidem perpetuo, sed tantisper donec Regum & doctorum hominum sententia, quid sequendum esset, statueretur. Placide respondit ille, se Cardinalium in ea re consilium adhibiturum. Interim populus Romanus, qui legationis causam accepit, videns id luculento suo damno futurum, hortari illum vt ne in vllius Regis aut Principis gratiam eo se dimitteret, sed ius suum potius defenderet. Proxima igitur cum legato collocutione, se quidē, inquit, non grauate, quod vterque Rex peterent, facturum, modo idem faceret aduersarius. Regum hic erat animus, vt deposita vel in hunc vel in illum inclinatione & studio, rem componerent. Legatus, Confluentię Cęsarem offendit: vbi cum exposuisset mandata, in Gallias rediit. Theologi consulti iudicabant idem esse denunciandum Benedicto quod Bonifacio. Missus igitur Auenionem a Rege idem Episcopus, quæ Principum mens atque voluntas esset, Pontifici ostendit. Ille nihil horum se facturum respondit. Consultis tamen Cardinalibus, variabant sententiæ, ita vt quisque cupiditatem & affectum attulisset. Cumque certi nihil propter studiorum diuersitatem statuerent, discessum est. Legatus ad Pontificem conuersus, vrgere, quod referret, certū aliquid. Ibi tum ille satis proterue, se legitima ad culmen illud sacrum & rite promotum esse, quod minime sit, quoad viuat, deserturus: nec vllū esse mortalem adeo sibi carum, in cuius gratiam iure suo velit cedere: tantum abesse vt potentiam & vim vllius hic reformidet. Cum aliud obtineri non posset, legatus inde profectus, in itinere diuertit ad magistrum equitum, vna missum a Rege cum copiis: qui, simulatque pontificis obstinatam mentem audiuit, Aueniōnē properans, omnem vicinum agrum depopulari, & militem huc illuc partiri, ne quis omnino commeatus adferretur. Vrbem obsidione cinxit, crudelia minitans opidanis, ni deditionem facerent. Qui cum in Pontifice nihil præsidij positū viderent, & Regis potentiam non ignorarent, inito cum quibusdam Gallis Cardinalibus consilio, patefecerunt vrbem. Benedictus obsideri se passus est in curia, suppetias ab Aragoniæ Rege cognato suo sperans: verum is prudētior erat quam qui tantum Regem offendere vellet, in gratiam illius a quo rebus afflictis parū esset habiturus præsidij. E Cardinalibus plurimi hortari vt se gereret summissius: at ille, tumoris atque superbię plenus, in sententia perstabat immotus, ac velut securus, aut minime sollicitus, quid tandem de se statueretur. Præterquam lignis, abūdabat rebus omnibus: hæc eum necessitas, cum a Cardinalibus diu multumque rogatus esset vt deditionem loci faceret, impulit. Magister equitum, accepta fide, ne prius e curia discederet, quam in quietem atque concordiam esset reducta ecclesia, illum obstrinxit ac simul custodes adhibuit, & fideiussores, ne fucum faceret, exegit.

Gallus ad Cæsarem re omni perscripta, sollicitabat Anglum, vt ad tempus, donec apponeretur remedium, factionem a se reiiceret. Facile quidem ille, vt socero gratificaretur, impelli potuisset: verum, vt ad Ordines relatū est, non solum nihil impetrauit, sed gra-

Sed grauius etiam omnes in se cōcitauit, indignissime ferentes, illum sic addictum esse Gallis, vt in ipsorum gratiam quiduis etiam facturus videretur. Se nimirum, etiamsi maxime voluissent deponere studium huius aut illius, tamen, quod videant Gallum id tantopere affectare, minime facturos quod peteret: neque velle admittere vt ille religionis atque fidei formulas in Anglia præscribat.

Mortem Ducis a Lenclastre, qui sub hoc tempus e viuorum contubernio migrauit, viri prudentissimi, Rex Anglus in Galliam satis hilariter, velut rem exoptatam, nūciabat. Filium autē illius, qui tūc apud Gallum subsistebat, vt ante diximus, nō modo non reuocare ad successionem, sed hereditatem etiam omnem ad se transferre, iudicans eam ad se pertinere totum illud tempus, quo filio ex necessitate foris erat commorandum. Nec isto contentus, e bonis Lenclastrij quædam distribuere in homines, præterquam sibi, nulli caros. Comitem Derbium Gallus, ob generosam indolem & animum honestum, amore non vulgari complectebatur. Et, quoniam prædiues etiam erat, agitatum est de connubio inter ipsum & Berriæ Ducis filiam, viduam. Quod vbi resciuit Anglus, misso repente legato, qui rem cœptam impediret, nunciauit socero suo & patruis, hunc, qui cum de nuptiis agerent, proditorē esse nefandum, & id genus plurima. Derbius, rerum omnium ignarus, vt quid egisset legatus, cognosceret (nam suspicari male, quod se insalutato abiisset) repetere colloquium & mentionem matrimonij. Per hanc occasionem, cum amici non putarent animum & cogitationem illius in dubio retinendam, quid de se narratum esset, intellexit. Ea res quantum illi attulerit molestiæ, & acris sollicitudinis, e suo quiuis ingenio facile reputauerit. Hanc ipsius indignissimam sortem & accusationem, omnis pene Anglica nobilitas, & præter hanc, populus Londinēsis, implacatissime ferebant, quod ex malitia profectam & odio, compertum haberent. Anglus tum rursus arma parabat in Hiberniam, adiunctis præter equites, decem sagittariorum millibus. Quo tempore duos magni nominis principes viros, qui militiam detrectabant, exulare iussit. Nam isti, quod parum amice & reuerenter essent quædam de Rege locuti, cum id illi non ignotum esse per amicos accepissent, vim & occasionem periculi declinabant. Et, vt paucis dicam, plurimæ simul caussæ in vnum tempus concurrere, quæ populi odium in Regem mirifice exagitabant. Et hac ratione freti quidam impuri, cum viderent illum & militia occupatum, & irreconciliabili plurimorum odio pressum, deprædari colonos, exuere fortunis huc illuc commeantes mercatores, ac per omnem agrum finitimum grassari, ita quidē vt non pauci quo rapacitatē sceleratorum effugerēt, Londinum & in loca munitiora se conferrent.

In extremum odium adducto Rege, Cantorbiensis Archiepiscopus ordinum voluntate missus est ad Comitem Derbium, vt iniecta spe certissima capessendi regni, in Angliam illum reuocaret. Legationem autem hanc adeo suscepit tacite, & simul obibat, vt & abitionem illius nemo resciscerct præter eos quorū intererat, & cum in Galliam venisset, nemo caussam aduentus diuinare posset. Derbius rem omnem prudenter dissimulans, a Galliæ Rege petita discedendi copia, quasi in Britoniam esset oblectandi sui gratia profecturus, post aliquot dierum itinera, in Angliam peruenit. Ob Archiepiscopi præsentiam patebant omnes viæ. Cum essent Londino iam viciniores, in vrbem misso nuncio, qui salua omnia diceret, opidani summa repente lætitia perfusi, & magno numero portis egressi, venientem Comitem exceperunt, iam inde paciscentes cum eo de regni administratione. Post hæc placuit, vt instructi ad certum aliquem numerum, Regem comprehensum in custodiam abducerent. Id adeo factum est. Regij nonnulli, de Londinensium aduentu certiores facti, dominum illico mutarunt. Anglus, principio quidem vim atque defensionem parabat: sed ex consilio suorum, in arcem quandam profugit. Ad quam vbi Derbius peruenit, comitatus circiter ducentis, reliquo subsequente exercitu, cum priuatim sibi loquendum ad Regem diceret, intromissus est, & cum eo non plures duodecim. Vt Regem vidit, citra vllam honoris delationem, Opus, inquit, est vt hodie Londinum venias, flagitante populo. Quid agat miser? Destitutus præsidio suorum, & hostiles copias ante oculos conspiciens, vt populi furorem effugeret, dedere se in fidem Comitis. Dum abduceretur Londinū, hoc vnum impense deprecari, ne per vrbem iter esset. Impetrauit, multum indignante populo.

Cum eo ventum, in carcerem deductus est. Reginæ dati sunt noui quæstores, officiarij, & pedissequæ, Gallis omnibus loco summotis, & in patriam redire iussis. Ad hunc modum peractis rebus, nō multo post, Derbius ab exilio reuocauit Comitem a Beruico, & præter hunc alios quosdam relegatos. Deinde, ex captiui Regis familia quatuor potiores, quorum consiliis inductum se illi fateri quiduis perpetrasse, capite puniuit ad arcem, vt Anglus omnino videret. Reliqua nobilium turba, qui cum illo carcere continebantur, deplorare infortunia sua: quin & ipse Rex, cogitatione rerum omnium, copiosam lacrymarum vim profundens, & alta suspiria penitus educens, horam natalem exsecrari. Socij malorum suadebant vt ad mitigandum aduersarij animum, quo suam ipsorumque vitam seruaret, regni moderationem & potestatem omnem abdicaret. Petiit igitur Comitem ad colloquium: cui vt sententiam suam aperuit, ille propter admissa scelera, duriter incusare hominem, & simul generis turpitudinem obiicere. Nam bona pars illum e sacrifico natum affirmabant. Post aliquot inde dies, in conspectu omnis populi, ritibus ex more seruatis & adhibitis, regni gubernaculum ad Comitem transtulit, in ordinem se redigens ipse, & vitæ dubius, cum annos viginti duos regnasset. Hic rerum Anglicarum status adeo commouit Gallum, vt in morbum relaberetur. Ad Reginam illius filiam mittebantur qui de ipsius fortuna cognoscerent. In agrum Burdegalensem quoque missi legati: quam ditionem omnem Galli, postquam Richardus, quem iis locis mire colebant, in hanc calamitatem incidisset, conabantur ad se reducere. Sed ciuitatum primores, vt ad populum retulerunt, nihil obtinere poterant. Extimescebant enim iam olim crebras illas exactiones. Angliæ nobiles aliquot minime obscuri, aduersus nouum Regem Henricum tacite conspirauerant. Inter hos erat quidam e familia Spensiorum. Detecta fraude, animaduersum est in omnes.

Galliæ Rex conscripto exercitu statuit impugnare Anglos. Euenit autem sub hoc tempus vt Richardus Londini vitam finiret. Scribit auctor, de mortis genere sibi non constare, nisi quod Henricus nuper factus Rex, non semel a populo fuerit interpellatus, vt illum e medio tolleret: alioqui non defuturam discordiarum materiam atque bellorum. Sed addit, Regem, quod fidem illi dedisset futuræ incolumitatis, non potuisse ad hoc impelli. Cum igitur ad tristem exitum res inter Gallos & Anglos viderentur spectare, bonorum hominum intercessione transactum est de induciis. Vt autem huc inclinarent Galli, in caussa fuit Regis aduersa valetudo. Benedictus Pontifex, quod Principum voluntati morem non gessisset, toties rogatus, honore & dignitate motus est.

FINIS.

SVMMA OMNIVM CAPITVM HISTORIAE GALFREDI MONVMETENSIS.

LIB. I. CAP. I.

LIB. II. CAP. I.

LIB. III. CAP. I.

LIB. IIII. CAP. I.

LIB. V. CAP. I.

LIB. VI. CAP. I.

Cap. xiiij.

LIB. VII. CAP. I.

LIB. VIII. CAP. I.

LIB. IX. CAP. I.

LIB. X. CAP. I.

LIB. XI. CAP. I.

LIB. XII. CAP. I.

SVMMA CAPITVM OMNIVM ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ ANGLICAE.

LIB. I. CAP. I.

LIB. II. CAP. I.

LIB. III. CAP. I.

LIB. IIII. CAP. I.

LIB. V. CAP. I.

SVMMA CAPITVM OMNIVM CONTINVATIONIS HISTORIÆ DE GESTIS ANGLORVM.

LIB. I. CAP. I.

LIB. II. CAP. I.

LIB. III. CAP. I.

IN G. NEVBRIGENSIS HISTO-RIAM, CAP. OMNIVM SVMMA.

LIB. I. CAP. I.

LIB. II. CAP. I.

LIB. III. CAP. I.

LIB. IIII. CAP. I.

LIB. V. CAP. I.

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM IN HOC VOLVMINE MEMORABILIORVM.

*

D

Frisia

I

K

L

Lenela-

M

N

O

P

R

S

T

V

FINIS.